Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ
Vittorio Emanuele III
XII
E
29
NAPOLI

XII
E
29

De Moya

Digitized by Google

Digitized by Google

R.mi P.

MATTHAEI DE MOYA,

SOCIETATIS IESV,

SERENISSIMÆ HISPANIARVM REGINÆ

MARIÆ-ANNÆ,

ARCHIDVCISSÆ AVSTRIÆ,

A SACRIS CONFESSIONIBVS, ET OLIM PRIMARII Sacræ Theologiæ Scholaſticæ, & facultatis Moralis pro Scholis Regalibus Profeſſoris.

SELECTARVM QVÆSTIONVM PARS ALTERA. Appendix.

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.

TOMVS SECVNDVS.



CVM PRIVILEGIO.

Matriti, Ex Typographia Antonij Gonçalez à Reyes. Anno M.DC.LXXVIII

A coſta de Gabriel de Leon, Mercader de Libros. Vendeſe en ſu caſa, en la Puerta del Sol.

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO.

VIX Lucem viderat prima Selectarum pats, in cuius primo tractatu, pro tenui meo captu, vſum opinionis probabilis benignæ, probabiliori contraria relicta, licitum eviceram, quando ad manus pervenit acutum, & apprimè concinnatum opus cuiuſdam Recentioris, *de recta doctrina morum*, in quo totis nixibus, & qua poteſt contentione, omnia principia in Selectis à nobis iacta, & ſi inter Theologos communia, parui pendens, non ſolùm eneruare tentat, ſed falſitatis ſe convincere paſsim iactat: & nouum dogma intrudere molitur cum Baronio, & vno, vel altero ex Recentioribus; nempè: *Quoties ſub opinionibus fuerit, an aliquid ſit necne prohibitum? Eam ex pracepto eligendam, quæ prohibitum affirmat, ſi probabilis ſit.* Quod perinde eſt ac dicere, *ſtrictiorem opinionem, aut improbabilem cenſendam; aut ex obligatione ſequendam.* Hunc eius opus collimat ſcopum. Cuius ſupercilium calamum acuere me coegit, & ad litterariam pugnam iterum accingi: quamvis alij iudicauerant ſatis reſponſurum, mutuatis Auguſtini verbis ex Epiſtola ad Epiſcopum Bonifacium. *Reſpondi* (inquit) *ſicut exiſtimo quæſtionibus tuis. Quantum attinet ad contentioſos, non ſatis: quantum ad pacatos, & intelligentes, plus fortè, quam par eſt.* Cæterum quia inſoluta acuti Recentioris argumenta communi Theologorum ſenſui infeſta eſſe poſſent; placuit nullum, quod alicuius ponderis ſit, in hac appendice intactum relinquere, ne qui mente peccata perlegerint, à communiter recepta opinione deturbentur, & in deſperationem incidant. Quia nimis ſtricta opinio (vt ait D. Bonauentura) generat deſperationem; *cauenda*, inquit, *eſt conſcientia nimis larga, & nimis ſtricta; nam prima generat præſumptionem, ſecunda deſperationem. Prima ſæpè ſaluat damnandum: ſecunda contra damnat ſaluandum.* Expendas, quæſo, diſcrimen inter ſalutem, & damnationem, vt hanc appendicis editionem, boni conſulas. Etſi forſan aliquem ad caſtra adverſariorum argumenta diſſolvere neſcientem confugiſſe repereris, ſpem ſalutis illi promittas, & iugum Dei ſuaue perſuadeas. Nullum enim ex illis eſſe credam, quorum meminit Auguſtinus *in Epiſtola ad Feſtum*; *& tamen*, inquit, *cum perſpicua veritas aures, & corda hominum feriat, tā-*

Aug. tomo 2 pagin. 32. litt. E.

Libr. 2. comp. Theol. cap. 52.

Tom. 2. fol. 260. litt. F.

 ta

ta quoſdam mala conſuetudinis(nimij affectus ad proprias opiniones) *vorago ſubmerſit,vt omnibus authoritatibus, rationibuſque reſiſtere,quam conſentire malint.*

Authoritatis igitur omnium ferè Theologorum clipeo tectus,& ratione,quæ in vnam opinionem convolare coegit, munitus in paleſtram deſcendo:& vtraque à nouiſsimis Recentioris diſſertationibus vindicata iterum vtar,nil(etſi repetitum)prætermittens ex his,quæ ad controuerſiam de probabilitate plenè intelligendam deſiderari poterunt. Paratus ſemper ad correctionem, ſi in aliqua concluſione à veritate deviauerim ; vt acrem celeberrimi Cancellarij Gerſonis contra pertinaces notam efugere valeam. *Pertinacia,*inquit,*in opinionibus,& actibus proprijs, per quam quis non eſt paratus corrigi,damnabilis, & vix ſanabilis eſt præſumptio:& dum in Rectoribus aliorum, aut apud Religioſum eſt,cuncta turbat,& perdit.*

P. 2. lib. de Regulis morum, ſub titulo de ſuperbia,& vanagloria.

Occaſione Appendicis ad tractatum de opinione probabili, opere pretium duxi,ad cæteros etiam pleraque ſuperaddere:plures enim quæſtiones,etſi ad praxim vtiles,ne opus prolixius euaderet,prælo ſubtraxi,plures diminutas , & ad compendium redactas dedi, quas provt oportet modo ad trutinam vocabo , vt lectores proficiant,vel corrigant;ſic enim omnibus, vel debitor, vel creditor ero.

FACVLTAS R.P. PROVINCIALIS SOCIETATIS Ieſu in Provincia Toletana.

IOſephus de Villa-Mayor, Societatis Ieſu in Provincia Toletana, Præpoſitus Prouincialis, poteſtate ad id mihi facta à Rdo admodum Patre noſtro Ioanne Paulo Oliva, Præpoſito Generali, facultatem facio, vt liber inſcriptus: *Selectarum Quæſtionum pars altera appendix*, Authore Patre Matthæo de Moya noſtræ Societatis Theologo, & eiuſdem Societatis grauium, doctorumque hominum Iudicio approbatus, Typis mandetur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Matriti in noſtro Collegio Imperiali die ſeptima Iulij, anno milleſimo ſexcentiſimo ſeptuageſimo ſexto.

Ioſephus de Villa-Mayor.

¶ 3 APPRO-

Google

APPROBATIO R. P. Fr. IOSEPH MENDEZ DE S. Ioan Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula, Lectoris Iubilati, ſemel atque iterum Provincialis in hac Caſtella Provincia, Supremæ Inquiſitionis Qualificatoris ex munere, ac Examinatoris Synodalis in Archiepiſcopatu Toletano.

EX Commiſsione Domini Doctoris D. Ildephonſi Rico de Villarroel, Conſultoris S. Officij, Dignitatis Cappellani Maioris in Eccleſia Magiſtrali Complutenſi SS. Iuſti, & Paſtoris, ac Vicarij in hac Curia Matritenſi, & ſuo Diſtricto: Attentè vidi, & perlegi (non ſine animi voluptate) librum, cui titulus: *Selectarum Quæſtionum pars altera*, doctiſsimè ſcriptum, ac fœliciter concionatum à Reuerendiſsimo P. Matthæo de Moya, è Societate Ieſu, Sereniſsimæ Hiſpaniarum Reginæ Mariæ-Annæ Archiduciſſæ Auſtriæ à Sacris Confeſsionibus, & Olim Primario Sacræ Theologiæ Scholaſticæ, & facultatis Moralis pro Scholis Regalibus Matritenſibus Profeſſore. Quæ quidem ſæcunda pars non eſt abſimilis primæ, quam in communem lucem, & moralium Theologorum commodum edidit Reuerendiſsimus Author, ac eximius Magiſter. Verè vtramque auream dixerim. Et evulgata prima, ſecunda iam paratur Æneid. 6. pro Typis, vt locum habeant Virgilij Carmina. *Primo auulſo non deficit alter aureus, & ſimili frondeſcit virga metallo.* In hoc opere non minus graui, quàm ſubtili, inveni, ex Antiquis multa deprompta, multa inuenta, & noua pro ingenij à cumine, ac fœlicitate, vt ait Philo Hebræus lib. 1. de vita Moyſis, his verbis: *Præclara ingenia multa innouant circa ſententias*; omnia ſolidiſsima, authoritate, & ratione confirmata, iudicium alta mente repoſitum, valida, ac fortia argumenta pro impugnandis contrarijs; præcipuè pro duobus Modernis, qui calamo acri deturbare nituntur ſequelam opinionum probabilium in libris traditam, & in Scholis receptam. Non excedam, ſi librum hunc vocem Emporium Theologicum pro moribus componendis. Pulchrum Viridarium, Hortum exuberantium fructuum fertilitate litteraria fæcundum, in quo fœlices vergæ florum, & fructuum amicabili nexu copulantur. Hæc pro Scholis, & pro com-

commendatione libri tanti Authoris. Pro Religione dico, in illo nil contineri, quod contrarium ſit noſtræ diuinæ Fidei Catholicæ, nihilque haberi in illo bonis, ac honeſtis moribus diſſonum. Et ita tàm pro doctrina, quàm pro Religione percurri poteſt inoffenſo pede, ac excudi Typis in magnam vtilitatem doctiorum Moraliſtarum. Sic cenſeo, ſic ſentio In hoc Conuentu Matritenſi Deiparæ de la Victoria, die 24. Februarij, anno 1677.

Fr. Ioſeph Mendez de S. Ioan.

Digitized by Google

Licencia del Ordinario.

NOS El Licenciado Don Alonſo Riço y Villarroel, Inquiſidor Ordinario deſta Corte, Dignidad en la Santa Igleſia Magiſtral de la Villa de Alcalà de Henares, y Vicario de eſta de Madrid, y ſu Partido. Por la preſente, por lo que à Nos toca, damos licencia, para que ſe pueda imprimir, y vender vn libro, intitulado: *Selectarum Quæſtionum pars altera*, eſcrito por el Padre Mateo de Moya, de la Compañia de Ieſus, Confeſſor de la Reyna nueſtra Señora. Atento à que de la cenſura del P. Fr. Ioſeph Mendez, de la Orden de San Franciſco de Paula, à quien le remitimos, conſta no ay en èl coſa contra nueſtra Santa Fè Catolica, y buenas coſtumbres. Dada en Madrid, à treinta de Iunio, año de mil ſeiſcientos y ſetenta y ſiete.

Lic. D. Alonſo Rico y Villarroel.

Por ſu mandado.

Iuan Bautiſta Sanz Bravo.

APPRO-

APPROBATIO DOCTORIS D. IOANNIS MATTHÆI Loçano, in Deiparæ Collegio Theologorum apud Complutenſes Sacra toga olim conſpicui, Regij tum Concionatoris, tum Cappellani, (honoris vocant) Matriti demum Eccleſiæ S. Michaelis proprio munere Rectoris.

LEgi, vt Regius Supremus Caſtellæ Senatus mandauerat, librum, cui titulus: *Quæſtionum Selectarum pars altera appendix*, cuique Author Reuerendiſ. P. Matthæus de Moya, è Societate Ieſu, Hiſpaniarũ Reginæ Dominæ D. Mariæ-Annæ Auſtriacæ à Confeſsionibus. Vbi libri titulus patet, præſtantiſsimum ſibi exigit authorem, à quo nil vnquam vulgare, nil non magnum, atque Selectum proficiſcitur; at vbi Author tot nominibus clarus aſſurgit, & operis præſtantia commendatur, & planè conſtat non minus verè, quàm bellè dictum *Sèlectis appendix*. Etenim Authoris ingenium inſcium vllis aliquando terminis circumſcribi, ſelecta edere, ſelecta invenire, & ſelectiſsimis quibuslibet addere fœliciter obtinuit, antiquiſsimis illis Doctoribus, quorum nomina immortali memoria coluntur, non acumine, aut perſpicacia, ſed ætate poſterius. Dignum ſanè opus, cuius ſingula verba in litterarum phanis appendantur eximiæ pulchritudinis ornamenta, vel potius Sapientiæ ipſi ingentis pretij monilia: quibus tandem optimo de Morali diſciplina benemerenti cultori conſiſtet monimentum æternùm non moriturum. Vt cunctas appendicis huius quæſtiones pietate, doctrina, ac numeris omnibus abſolutas aſſeram, ſat ſit præexcellentiſsimum hunc Authorem dixiſſe, ne Pythagoræ diſcipulis concedere videar, qui aliud deſiderem argumẽtum, quàm proceſsiſſe à Magiſtro; verùm Largiſsimos doctrinæ Latices, quos olim in Complutenſi ſcientiarum occeano ebiberam, auidiſsimè iterum hauſi dulcidine, & copia recreatus. Igitur iurè ſibi vendicat prælum appendix hæc, Theologiæ Moralis decus, litteratorum deliciæ, piorum ſenſuum altrix, nullatenus Chriſtianis moribus contraria, quæ moribus optimè componendis norma naſcitur. Ita exiſtimo, ita exopto. Matriti, in hac S. Michaelis Eccleſia pridie Idus Aprilis, ann. Domini 1677.

Doct. D. Ioannes Matthæus Loçano.

SVMA

Suma del Priuilegio.

TIene Priuilegio el Padre Mateo de Moya de la Compañia de Ieſus, para imprimir eſte Libro, intitulado: *Selectarum Quæſtionum pars altera*, en todos los Reynos de Caſtilla, por eſpacio de diez años; y para que ninguna otra perſona, ſin poder ò facultad ſuya, le pueda imprimir, ni vender, ſo pena, de que qualquiera que lo contrario hiziere, pierda la impreſſion, e incurra en pena de cinquenta mil marauedis, como mas largamente ſe contiene en ſu original, deſpachado en el oficio de Diego de Vreña Nauamuel, Eſcriuano de la Camara de ſu Mageſtad, à diez y ſiete dias del mes de Iunio, de mil ſeiſcientos y ſetenta y ſiete.

¶ Y el dicho Priuilegio ſe le tiene cedido à Gabriel de Leon, Mercader de Libros, vezino deſta Villa de Madrid.

Errata, quæ correctione indigent.

FOl. 9. n. 11. contingiſſe, l. contigiſſe. Fol. 10. Neriemb. vbi ſup. l. lib. de obiecto feſti. Fol. 13. n. 19. vtráque conclusionem. Adde diuiſiuè. Fol. 14 lin. 4. in fine. Adde (vt aſſerit.) Fol. 15. n. 33. Scotum in lib. 2, l. Scotum. Fol. 16. n. 1. ſi enim aduertas, l. ſi animaduertas. Fol. 21. n. 17. excertis verbis, l. excerptis. Fol. 15. n. 5 qui maneat, l. quis. Fol. 12. n. 8. abeſſe, l. obeſſe. Ibidem benedicam, dele ly bene. Fol. 17 col. 2. computi, l. compu[illegible]re. Fol. 18. n. 7. lin. 4. libertatis. Adde ergo. Fol. 19 n. 9. & ſequitur. Adde Boſſium. ibi n. 10. per actum. Adde directum. Ibi dele ita Azor, Sanchez, Palao. Fol. 34 n. 16. contra probabilitatis, l. probabilitas. Fol. 35. n. 29 determinata, l. determinate. Fol. 36. n. 32. veritatem invincibilem, l. invenibilem. Fol. 39 n. 18. cognoſcamus, l. cognoſcimus. Fol. 41. n. 45. qui etſi, l. quia. Fol. 43. n. 53. eſt reuelatum, l. non eſt. Fol. 44. n. 56. invincibilis, l. invenibilis. Fol. 50. n. 5. tempore, l. errore. Fol. 53. n. 18. deus actum, l. autem. Fol. 54 n. 20. primum, l. primo. Fol. 55. n. 25. quo dubio, l. dubito. Fol. 65 n. 15. vim, l. vſum. Fol. 68 n. 11. lin. 2. poſt ly quin etiam. Adde prudenter, & iden vere. Fol. 70. n. 17. ſi minus, l. etſi. Fol. 71. n. 3. natum, l. eſt. Fol. 75. n. 31. reflexu, l. reflexa. Fol. 81 n. 20. ſ[illegible], l. [illegible]. Fol. 84. n. 56. et in præmiſſa probabili, Adde [illegible]. Fol. 85. n. 3. aut exerciti, dele ly aut. Fol. 87. n. 8. in fine, in operibus, l. opinionibus. Fol. 91. n. 21 in fine, & contra, l. & non contra. Fol. 93. n. 18. mortalia, l. moralia, ibi n. 30. hæc vere, l. veræ. Fol. 100. n. 3. emititur, l. emitur. Fol. 107. vel commutationes, l. præſentationes. Fol. 111. tibi mutuum, l. mutuem. Fol. 113. n. 7. non fœnere, l. non abſque. Fol. 117 n. 11. inſtitutiones, l. inſtituti omnes. Fol. 118. n. 14. & admiſſio antecedentis, l. & admiſſo antecedente. Fol. 122. n. 14. reuelare, l. reuelari. Fol. 123. n. 15. coactiua, l. coacti à Domino. Fol. 130 n. 11. aut videre, l. ridere. Fol. 133 n. 4. de alteri, l. altari. Fol. 136. n. 21. de infinita, l. infinitate. Fol. 144 opportunius, l. opportunior. Fol. 145. n. 4. & concilium, dele ly &. Fol. 146. n. 7. iuris Domini, l. diuini. Fol. 147. n. 1. reiecimus, l. iecimus. Fol. 148. n. 1. quocum, l. quocumque, ibi n. 4 vegant, l. vrgeat. Fol. 172. n. 1. poſt trienium, l. bienium. Fol. 175. n. 23. legitime, l. legitima. Fol. 201. oblato, l. ablato. Fol. 203. n. 14. poſt l. poteſt. Fol. 110. n. 8 cauſæ, l. cauſa, ibi cum Scoto, l. Soto. Fol. 210. 7. etiam moraliter, l. moraliter. Fol. 211. n. 6. ſub alio, l. nullo. Fol. 216. n. 26. Scoti, l. Soti. Fol. 223. n. 22. ſic inquam, l. ſi. Fol. 226. n. 2. abſoluti, l. abſolui. Fol. 236 n. 19. vterius, l. vlterius. Fol. 138. n. 23. cum citans, l. idem cum citantes. Fol. 139. n. 26. an fecerit, l. fuerit. Fol. 140. n. 19. & tamen, l. eſt. Fol. 141. n. 1. in vna, l. vana. Fol. 142. n. 4. Parochus, l. Parochos. Fol. 144. n. 10. vitante, l. vitiante. Fol. 146. n. 19. dirimerunt, l. diremerunt, ibi n. 10. ſolent, l. ſoleant. Fol. 148. n. 24. portare, l. portante. Fol. 151 admiſſa, l. admitteret. Fol. 154 n. 15. excitant, l. excæcant. Fol. 257. n. 18. reſeruaturam, l. recuſaturam. Fol. 259. n. 25. coercentibus, l. coeuntibus. Fol. 260. n. 2. interdicte, l. indirecte. Fol. 261. n. 11. occultum, l. cultum. Fol. 263 n. 3. ex Eccleſiæ, l. eſt. Fol. 264 n. 6. præter hac, l. propter. Fol. 265. n. 12. legatum, l. ligatū. Fol. 266. n. decirenda, l. decidenda. Fol. 268 n. 4. adhibitur, l. adhibeatur. Fol. 269. laicos, l. laicus. Fol. 271. n. 6. nam eſt, l. non eſt. Fol. 279 n. 6. probetur, l. præbetur. Fol. 286. n. 5. pretio æſtimabili, l. æſtimabile, ibidem contineat, l. contingat. Fol. 296. n. 1. loci cauſi, l. loci. Fol. 298. n. 9 vnde, l. verde. Fol. 308. n. 9 ad ſolvendum, l. ad non. Fol. 305. n. 8. poterit vero, Adde alter colluſor. Fol. 318. ex eius, l. ex caius. Fol. 317 n. 19. aut minores, l. maiores. Fol. 319 n. 6. dicens, l. dicentem, ibidem habita, l. adhibita. Fol. 330. n. 7. ſatisfaciet, l. ſatisfiat, ibi n. 9 iuſte retinentes, l. iniuſte. Fol. 330. n. 1. poſt ly, ſi domini non, Adde dederint: ni forte non. Fol. 331. n. 5. vt ſi, l. etſi. Fol. 332. n. 21. ſi enim, l. ſic. Fol. 333. n. 3. emeret cibos, l. ederet. Fol. 338. n. 17. diuin, Adde naturali. Fol. 345. n. 13. peccare, l. peccat. Fol. 342 n. Quo obligatio, l. Quia. Fol. 366. n. 18. nec in conſcientia, l. me. Fol. 372. n. 13 ſeu obligationem rei, l. obligationem. Fol. 374. n. 7. plene, l. plane. Fol. 375. n. 8. Die, l. Dei.

¶ Eſte Libro intitulado: *Selectarum Quæſtionum pars altera*, con eſtas erratas, correſpõde con ſu original. Madrid, y Março, à 24 de 1678.

Lic. D. Ioſeph Marin.

Suma de la Taſſa.

TAſſaron los Señores del Conſejo eſte Libro, intitulado: *Selectarum Quæſtionum pars altera*, eſcrito por el Padre Mateo de Moya, de la Compañia de Ieſus, à ſeis marauedis cada pliego; como conſta de la certificacion, que de ella diò Diego de Vreña Nauamuel, Eſcriuano de Camara de ſu Mageſtad, ſu fecha en Madrid à veinte y ocho de Março, de mil ſeiſcientos y ſetenta y ocho.

INDEX

Digitized by Google

I N D E X

QVÆSTIONVM, QVÆ IN HAC SECVNDA PARTE CONTINENTVR.

AD TRACTATVM PRIMVM.
De opinione probabile.

QVæſtio prima. Quid ſit opinio probabilis? Pag. 1.
Quæſtio 2. An duæ opiniones contrariæ poſsint eſſe ſimul probabiles? p. 5.
§. 1. Grauis quorundam reſponſio reijcitur. pag 7.
§. 2. Alia reſpõſio refertur, & refellitur. p. 9.
§. 3. Argumenro alio a principijs extrinſecis probatur. pag. 12.
§. 4. Obiectiones diluo. pag. 14.
Quæſtio 3. An Theologus contra propriam opinionem practice probabilem, iuxta alienam conſulere poſsit? pag. 16.
§. 1. Efficax aliud argumentum pro noſtra ſententia ex præcepto Superioris contra opinionem ſubditi. pag. 18.
§. 2. Quid ſi opinio aliena non ſit probabilis? pag. 21.
§. 3 An qui opinionem alienam improbabilem cẽſet, poſsit conſulentem ad alios Doctores remittere? p. 23.
Quæſtio 4. Vtrùm dubium ſpecularium circa exiſtentiam legis, vel præcepti, cõſtituat conſcientiam dubiam? p. 24.
Quæſtio 5. Qua ratione dubium practicum, ſeu conſcientia dubia deponẽda ſit? p. 26.
§. 1. Ratione poſſeſsionis liberratis conſcientia dubia poteſt deponi? ibid.
§. 2. Obiectiones diſſoluuntur. p. 28.
§. 3. Ob inſufficientem legis promulgationẽ conſcientia dubiã poteſt deponi. p. 32.
§. 4. Ob ignorantiam invincibilem veritatis conſcientia dubia deponi poteſt. p. 35
§. 5. Quid contra ſuperiùs dicta ſenſerit quidam Recentior? p. 38.
§. 6. Efficacia alia argumenta ab abſurdo. pag. 40.
§. 7. Opinio probabilis pro libertate, licèt falſa, non continet vincibilem ignorantiam ex defectu diligentiæ debitæ ad veritatem inveniendam. p. 42.
Quæſtio 6. Vtrum liceat eligere opinionem minus tutam, minuſque probabilem, relicta tutiori, & probabiliori? pag. 45.
§. Vnicus. pag. 47.
Quæſtio 7. Quomodo rudes, & illitterati de opinionis probabilitate iudicium ferre poſsint? pag. 49.
§. 1. Quid ſi caſus non fuerit à Doctoribus ventilatus? p. 51.
§. 2. Grauis obiectio contra ſuperiùs dicta diſſolvitur. p. 54.
§. 3. Quid de poteſtate phyſica intellectus ſenſerint Doctores? pag. 53.
§. 4. Difficili obiectioni fit ſatis. p. 60.
Quæſtio 8. Vtrum ad licitè operandum requiratur iudicium moraliter certum de non peccato? pag. 63.
Quæſtio 9. Quibus præmiſsis innitatur cõcluſio certa, & evidens de vſu licito opinionis practicè probabilis? p. 65.
§. 1. Triplex rei demonſtratio. p 66.
§. 2. Concluſio ex dictis. p. 68.
§. 3. Quid obijciat Cella Dei. p. 70.
§. 4 Aliæ obiectiones Cellæ Dei contra ſuperiùs dicta de certitudine iudicij. p. 73.
§ 5. Conſectarium primum. p. 75.
§. 6 Conſectarium ſecundum. p. 76.
§. 7 Obiectionibus fit ſatis. p. 77.
§ 8. Conſectarium tertium. p. 81.
Quæſtio 10. Omnes opiniones practicè probabiles eſſe æquè tutas, plane concluditur ex dictis. pag. 84.
§. 1. Obiectiones diluo. p. 86.
§. 2. Obiectionibus alijs Baronij fit ſatis. pag 88.
§. 3. Obiectiones alias diluo. p. 91.

AD TRACTATVM SECVNDVM.
De Religione.

DISPVTATIO PRIMA.
Miſcellanea.

QVæſtio 1. Vtrùm prædicare principaliter ob gloriam, vel ob pecuniam, ſit peccatum mortale? p. 95.
§. 1. Prima concluſio. ibid.
§. 2 Secunda concluſio. p 98.
§. 3. Conſectariũ. Quid de Theologõ, quoad caſus conſcientiæ? p. 101.
Quæſtio 2. Vtrùm Parochus teneatur ad concionandum per ſe, vel per alium, etiã ſi nec per ſe poſsit præ inopia doctrinæ, nec per alium præ commeatuum penuria? ibid.
Quæſtio 3. Sit ne ſimonia pacto expreſſo ſe obligare ad aliquid temporale pro ſpirituali ex gratitudine conferendũ? p. 103.

§. 1.

§.1. Quid ſi donatio tẽporalis doni præcedat collationem Beneficij? p.106.
§.2. Quid de pacto quod puræ amicitiæ nõ ſit? Vbi de penſione redimenda, p.108.
Quæſtio 4. Sit ne ſimonia pecuniam alicui dare, vt pacto iuſtitiæ obligetur ad interceſsionem apud collatorem, vt beneficium conferat? p.109.
Quæſtio 5. Vtrùm in extrema neceſsitate liceat emere ſacramentum, & gratiam Sacramentalem? p.112.
Quæſtio 6. Vtrùm Moniales, & Religioſi profeſsi nondum ſacris initiati Horas Canonicas recitare teneantur? p.114.
§.1. Confectaria. pag.117.
Quæſtio 7. An liceat inducere aliquem, vt iuret, quod putat eſſe verum, licet inducens ſciat eſſe falſum? p.119.

DISPVTATIO SECVNDA.

De præcepto audiendi ſacrum.

QVæſtio 1. An, qui venit ad Eccleſiam in entione libidinoſa videndi fœminam, aliter Miſſam non auditurus, ſatisfaciat præcepto audiendi ſacrum, ſi attentione debita aſsiſtat? pag. 123.
Quæſtio 2. An, qui tempore Præfationis venit ad audiendum ſacrum, quod vnice celebratur, teneatur, partem Miſſæ reſiduam audire? p. 125.
Quæſtio 3. An, qui duas mediatates Miſſæ a diuerſis Sacerdotibus audit, ſiue in diuerſo tempore, ſiue in eodem, in duobus altaribus celebrantibus, ſatisfaciat Eccleſiæ præcepto? p.126.
§.1. Ad primam quæſtionis partem. Ibid.
§.2. Ad ſecundam partem quæſtionis, pagin.127.
Quæſtio 4. Quantum ſtipendium poſsit Sacerdos pro vna Miſſa recipere? pagin. 131.
§.1. Iudicium Authoris. p.133.
§.2. Corollaria. p.135.

AD TRACTATVM TERTIVM.

De Pœnitentiæ Sacramento.

DISPVTATIO PRIMA.

De inſtitutione, & præcepto.

QVæſtio 1. Quo tempore fuerit inſtitutum pœnitentiæ Sacramentum? pag.138.
Quæſtio 2. Vtrùm ſit humanum confeſsionibus præceptum, an diuinum? p.139.
§. vnicus. Vera & efficax concluſionis probatio. pag.140.
Quæſtio 3. Quo tempore obliget confeſsionis diuinum præceptum? p.142.
Quæſtio 4. An præceptum diuinum confeſsionis per ſe obliget extra articulum mortis? p.143.
Quæſtio 5. An præceptum confitendi mortalia ante communionem ſit diuinum, an Eccleſiaſticum? pag.144.
§. vnicus. Probabilior ſententia proponitur, & fundamentis contrariæ ſatisfit, pagin.146.
Quæſtio 6. Quo tempore anni obliget præceptum Eccleſiaſticum confeſsionis? pagin. 147.
§. Confectaria. Ex doctrina tradita, aliqua dubiola reſoluuntur. p.149.
Quæſtio 7. Vtrum prævidens poſtea ſibi nõ futuram opportunitatem confitendi, teneatur ante Quadrageſimam prævenire confeſsionem? p.150.
Dubium incidens: An teneatur prævenire Horas Canonicas, qui prævidet impedimentum ſuperventurum? p.152.
Quæſtio 8. An Sacramentalis cõfeſsio poſſit cadere ſub præceptum purè Eccleſiaſticum? p.155.
Quæſtio 9. Vtrùm liceat confiteri in ſcriptis Sacerdoti præſenti? p.156.
Quæſtio 10. Sit ne præceptum confitendi, aliquando in ſcriptis, ſeu per interpretem? p.158.
Quæſtio 11. Per quam confeſsionem adimpleatur Eccleſiæ præceptum? p.160.
Quæſtio 12. Qui teneantur præcepto confeſsionis? pag.162.

DISPVTATIO SECVNDA.

De munere confeſſarij.

QVæſtio 1. Quoad hæreticum occultum? p.164.
Quæſtio 2. Quomodo ſe habere debeat confeſſarius cum moribundo habẽte filios naturales, vel ſpurios? p.172.
§.1. Quid circa ſpurios in legibus diſponatur? p.174.
§.2. An filij ſpurij poſsint aliquid recipere à Patre ex teſtamento, vel donatione, vel abinteſtato? p.175.
§.3. An ſpurius incapax recipiendi aliquid à Patre, ſit capax recipiendi per fidei cõmiſſum? ibidem.
Quæſtio 3. An, qui de ſola reſiſtentia Diuinarum inſpirationum ſe accuſaret, poſſet valide abſolvi? p.177.

DIS-

DISPVTATIO TERTIA.
De ſigillo confeſsionis.

QVæſtio 1. Vtrùm licitum ſit in Sacramento Pœnitentiæ interrogare pœnitentem de complice, in ordine ad huius correctionem, & obtenta pœnitentis licentia, illum corrigere? p. 179.
§. 1. Iudicium Authoris. p. 181.
Quæſtio 2. Vtrùm confeſſarius poſsit pœnitentem obligare, vt ſibi complicem reuelet, & aliter abſolutionem denegare, ſi ad graue damnum vitandum id neceſſarium iudicet? p. 182.
§. vnicus. Animadverſio in Baronium, pag. 183.
Quæſtio 3. Vtrùm confeſſarius, qui pœnitentem in ſacramentali confeſsione ad Prælaturam, vel officium nouit indignum, poſsit in electione gratuita, illi ſuffragium negare, vel ab officio ad nutum amobili amovere? p. 184.
§. 1. Vera ſententia. p. 185.
§. 2. Corollaria pro ſigillo confeſsionis, pag. 186.
§. 3. Grauior difficultas. p. 189.
§. 4 Dubiola circa ſigillum. p. 190.
§. 5 Conſectaria. p. 191.
§. 6. Dubium incidens. p. 194.
§. 7. Conſectarium alterum. ibid.

DISPVTATIO QVARTA.

DE Satisfactione, ſeu pœnitentia, à Miniſtro Sacramenti iniungenda. p. 195.
Quæſtio 1. An confeſſarius teneatur ſub lethali ſatisfactionem ſacramentalem iniungere? ibid.
Quæſtio 2. Vtrùm pœnitens habeat obligationem acceptandi, & implendi pœnitentiam à confeſſario iniunctam? pag. 197.
Quæſtio 3. Vtrùm pœnitens poſsit propria authoritate ſubſtituere ſibi alium, qui pęnitentiam pro ipſo adimpleat? p. 199.
Quæſtio 4 Vtrùm pęnitentia medicinalis, ſeu præſeruatiua à confeſſario iniuncta poſsit in aliam commutari?
§. 1. Notabilia præmittuntur. p. 200.
§. 2. Triplici conclusione quæſtio dirimitur. p. 202.
Quæſtio 5. Vtrùm, qui ex pęnitentia ſacramentali ad ieiunium tenetur, obligationi ſatisfaciat, ſi ieiunet; etiamſi animo deliberato non adimplendi hoc ieiunio pœnitentiam? p. 205.
Quæſtio 6. Vtrùm quando in Iubilæis indicitur eleemoſyna pro indulgentia lucrã-da, ſufficiat quælibet? v.g. ovalus, ſi non indicatur fieri, cum proportione ad facultates? p. 207.
Quæſtio 7. Vtrùm ieiunium, eleemoſyna, & alia opera, ad lucrandam indulgentiã, ſufficiant, licet ex circũſtantijs fiant mala, etiam mortaliter? pag. 210.
Quæſtio 8. An poſt reuocationem indulgentiarum, quam, circa Regularibus cõceſſas, fecit Paulus V. anno 1606. cas annullando, & loco illarum alias concedẽdo; probabile nihilominus ſit, omnes in ſuo vigore ſubſiſtere? p. 213.
§. 1. Conſectarium. pag. 216.
§. 2. Corollaria. pag. 217.
Quæſtio 9. Vtrùm indulgentia in Bulla Cruciata conceſſa viſitantibus quinque altaria, lucretur toties quoties? Et quid ſi virtute duplicis Bullæ? p. 218.

DISPVTATIO QVINTA.
De confeſſarijs ſolicitantibus.

QVæſtio 1. Vtrùm ad obligationem denunciandi confeſſarium ſolicitãtem, neceſſarium ſit, quod de crimine ſit infamatus? p. 220.
§. 1. Prima ſententia cum fundamentis proponitur. ibidem.
§. 2. Authoris iudicium. pag. 222.
§. 3. Argumentis primæ ſententiæ ſatisfit. pag. 223.
Quæſtio 2. De alijs capitibus, quibus fęminæ ſolicitatæ, ab obligatione denunciãdi confeſſarium, ab aliquibus eximuntur? pag. 224.
§. 1. An ſi fœmina ſolicitata confiteatur cũ ſolicitante? ibid.
§. 2. An ſi cum ſuo benefactore? p. 226.
§. 3. An ſi confeſſarius ſit iam emendatus? ibidem.
§. 4. An correctio fraterna debeat præcedere? pag. 228.
§. 5. An probabilis timor grauis damni excuſet? p. 231.

AD TRACTATVM QVARTVM.
De Sacramentis.

QVæſtio 1. An ſumptione Euchariſtiæ ieiunium naturale frangatur? pag. 234.
§. 1. Quæſito ſatisfit. p. 237.
§. 2. Corollaria. p. 238.
Quæſtio 2. Vtrùm omnibus laicis in ſtatu gratiæ exiſtentibus quotidiana communio ſit conſulenda? p. 240.
§. 1. Quid PP. ſentiant? p. 243.

§. 2.

§.2. Vera ſententia aliquibus propoſitionibus explicatur. p. 245.
Quæſtio 3. Vtrùm præceptum communicandi ſit diuinum, an Eccleſiaſticum? vbi quid de Viatico? p. 248.
Quæſtio 4. Vtrùm parentibus iniuriam inferat, qui non vi, ſed precibus, & promiſſis, ſpontaneam fugam à domo paterna filiæ ſuadet, vt contrahat contra voluntatem patris? pag 251.
§. vnicus. Authoris iudicium. p. 253.
Quæſtio 5. An cum vxor ſeminauerit, liceat marito à copula ſe retrahere, ante conſummationem? pag. 254.
§. Primus ibid.
§. 2. Affirmantis ſententiæ fundamenta duo. ibid.
§. 3. Triplex aliud eiuſdem ſententiæ fulcrum. p. 256.
§. 4. Vrgentius eiuſdem ſententiæ fundamentum p. 258.
§. 5. Conſectarium. pag. 259.

AD TRACTATVM QVINTVM.

Miſcellaneum.

Quæſtio 1. Vtrùm ſit peccatum lethale in publicis concionibus omittere ſalutationem, ſeu elogium Immaculatæ Conceptionis Beatiſsimæ Virginis? p. 260.
Quæſtio 2. Vtrùm Clericus minori excommunicatione ligatus poſsit licitè adminiſtrare ſacramenta? p. 262.
Quæſtio 3. Quid de electione excommunicati minori excommunicatione? pagin. 266.
Quæſtio 4. Vtrùm Eccleſiaſtici teneantur legibus ciuilibus obedire? p. 267.
§. 1. Vi directiua tenentur, non coactiua. ibidem.
§. 2. Quid de vi coactiua nonnulli ſenſerint refertur & impugnatur? p. 269.
§. 3. Conſectaria. pag. 270.
Quæſtio 5. An liceat locare domum meretrici, nulla cauſa iuſta excuſante? pagin. 271.
§. vnicus. Iudicium Authoris. p. 272.
Quæſtio 6. An licitum ſit, ſe, vel alterum inebriare, ad recuperandam ſalutem? pag. 274.
§§§. Conſectarium. p. 276.
Quæſtio 7. Vtrùm ad vitandum graue malum, quod aliter vitari non poteſt, licitum ſit inebriare authorem? p. 278.
§§§. Animadverſio in Baronium, pagin. 280.

AD TRACTATVM SEXTVM.

Miſcellaneum.

DISPVTATIO PRIMA.

Miſcellanea de iuſtitia.

Quæſtio 1. Vtrùm ad valorem contractus ſufficiat ſignum externum conſenſus, licèt internus deficiat? pag. 282.
Quæſtio 2. An legatum ſit validum, ſi cauſa legandi vere non ſubſiſtat? p. 283.
Quæſtio 3. An mutuanti, vel credito vendenti licitum ſit aliquid vltra ſortem exigere, ratione periculi probabilis eam amittendi? pag. 284.
§. 1. Conſectarium pro Montibus Pietatis. pag. 287.
§. 2. Animadverſio in Baronium. p. 290.
§. 3. Conſectarium alterum. p. 291.
§. 4 De mercibus vltroneis. p. 293.
Quæſtio 4. An liceat mercatori vendere credito merces pretio rigoroſo, & redimere pretio infimo? p. 294.
Quæſtio 5. Vtrum, qui ſcripturam publicam amiſit, poſsit abſque lethali, pro ſua indemnitate, aliam ſimilem efficere? p. 296.
§. vnicus. Corollarium. pag. 298.

DISPVTATIO SECVNDA.

De Ludo.

Quæſtio 1. An ludentes ludo prohibito teneantur ſolvere? p. 300.
Quæſtio 2. An ludentes pecunia credita teneantur ſolvere? p. 302.
Quæſtio 3. An, qui cum ludente pecunia præſenti ludit, oppignorata fide, animo non ſolvendi, poſsit lucrari? p. 303.
§. vnicus. Authoris iudicium. p. 305.
Quæſtio 4. An qui ſolvit amiſſum, quod beneficio legis ſolvere non debebat, poſſit occulta compenſatione recuperare? pag. 306.

DISPVTATIO TERTIA.

De homicidio.

Quæſtio 1. Vtrùm liceat marito vxorem in adulterio deprehenſam occidere? p. 308.
§. vnicus. Grauis obiectio. p. 310.

Quæſtio

Quæſtio 2. Vtrùm ad vitandum adulterium imminens poſsit maritus in aliquo caſu vxorem, vel adulterum occidere? pag. 312.
Quæſtio 3. An liceat viro nobili occidere invaſorem, qui contumelioſum verbum *Mentiris* regerit, ſi aliter coercere nequeat? pag. 313.
§. 1. Quid ſentiant Doctores? ibid.
§. 2. Vera ſententia aliquibus concluſionibus exponitur. p. 315.
§. 3. Animadverſio in Baronium, pagin. 317.
§. 4. Altera animadverſio in Baronium, pag. 319.
Quæſtio 4. Vtrùm D. Thomæ inconcuſſum principium ſit; quod ad honeſtandam occiſionem iniuſti invaſoris, honoris, aut bonorum; opus ſit, quod vitæ etiam defenſio cum illorum tutela neceſſario cõiuncta ſit? p. 321.

DISPVTATIO QVARTA.

De Reſtitutione.

Quæſtio 1. An ſit licita compenſatio, quando debitum non eſt certum, ſed probabile tantum? pag. 323.
§. Vnicus. Iudicium Authoris, pagin. 326.
Quæſtio 2. An fieri poſsit compenſatio cum præiudicio aliorum creditorum? pag. 328.
Quæſtio 3. Quando poſsint famuli occulta compenſatione vti? p. 330.
Quæſtio 4. Vtrùm meretrix, quæ ob turpem ſui corporis vſum, accepit à Religioſo quantitatem notabilem, teneatur reſtituere? pag. 333.
§. 1. Corollarium circa ſtipendia pro miniſterijs in Societate Ieſu. pag. 336.
§. 2. Corollarium ſecundum circa ludum Religioſorum. pag. 337.
Quæſtio 5. An debitor, qui non eſt ſolvẽdo, poſsit tuta conſcientia repudiare hæreditatem, vel legatum, aut liberalem donationem? p. 340.
Quæſtio 6. Sit ne peccatum reſtituere Domino rem ſuam, quando illa abvſurus prævidetur? pag. 343.
§. 1. Conſectarium primum. p. 346.
§. 2. Conſectaria alia. p. 348.
§. 3. Animadverſio in Baronium, pagin. 349.
Quæſtio 7. An Petrus iuſſus à Franciſco donare librum Ioanni, teneatur mortuo Franciſco donatore, illum donare? ibidem.

DISPVTATIO QVINTA.

De Fide.

Quæſtio 1. Vtrùm fides explicita de myſterijs Incarnationis, & Trinitatis ſit medium neceſſarium ad ſalutem? pag. 352.
§. 1. Doctorum ſententiæ. ibid.
§. 2. Secundæ, & probabilioris ſententiæ fundamenta. p. 354.
§. 3. Quorundam euaſiones diluuntur, pag. 356.
§. 4. Animadverſio in Baronium, pagin. 358.
§. 5. Corollarium. p. 359.
Quæſtio 2. Vtrùm infidelis teneatur ad fidem ſe convertere, quando hæc probabilior tantum, quam ſecta ſua illi proponitur? pag 361.
§. 1. Quid ſentiant Doctores? ibid.
§. 2. Eiuſdem ſententiæ fundamenta alia, pag. 363.
§. 3. Quid in articulo mortis? p. 365.
§. 4. Duplici concluſione rem definio, pag. 366.

DISPVTATIO SEXTA.

De Eleemoſyna.

Quæſtio 1. An Eccleſiaſtici ſtrictiori præcepto eleemoſynæ, quam ſæculares teneantur? Caput 1 An Eccleſiaſtici ſuorum redituum dominium habeant? pag. 368.
§. 1. Secunda, & communis ſententia, quoad primam partem probatur. p. 369.
§. 2. Eiuſdem, quoad ſecundam partem probatio. p. 370.
§. 3. Recipiens à Beneficiario illicitè expendente non tenetur reſtituere? ibidem.
§. 4. Corollaria. pag. 371.
Quæſtio 2. Vtrùm Eccleſiaſtici, in communibus pauperum neceſsitatibus teneantur erogare eleemoſynam de reditibus, qui poſt congruam ſuſtentationem ſuperfluunt? p. 372.
§. 1. Vndè proveniat hæc obligatio? pagin. 373.
§. 2. An ad totum reſiduum expendendum Eccleſiaſtici teneantur? p. 375.

§. 3.

§.3. Corollaria. pag. 376.
§.4. Quid veniat titulo congruæ ſuſtentationis? pag. 377.
§. 5. Quid vltra erga conſanguineos poſſint Epiſcopi, & Beneficiarij? p. 378.
§.6. Quid de penſionibus, & fructibus commendarum? pag. 379.
§.7. Quo in loco reſiduum in pauperes, & vſus pios expendendum ſit? p. 382.
Dubium incidens circa legata vnius loci Orfanis maritandis relicta. p. 383.

AD

Digitized by Google

AD TRACTATVM PRIMVM. DE OPINIONE PROBABILI.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid ſit opinio probabilis?

1 CRAMBEM Biſcoctam obtrudere cogor, vt quæſtionibus ad tractatum de probabilitate in hoc volumine ventilandis viam aperiam; nec enim natura probabilitatis ignota, huic diſputationi aditus patet. Quapropter breuiter collectis, quæ prima parte ſelectarum fuſiùs tractaui, alia modo, maioris explicationis gratia, definitioni probabilitatis ibi datæ ſuper addam.

2 Varias opinionis probabilis definitiones producunt Doctores: fere omnes tamen in eamdem recidunt. Pater Thomas Sanchez *in ſumma lib. 1. cap. 9. num. 5.* [Opinio, inquit, probabilis eſt, quæ rationi alicuius momenti innititur, ita tamen, vt pro oppoſita nil conuincens ſit.] Quē ſequuntur P. Granados 1 2. *controuerſ. 2. tract. 12. diſp. 4. ſect. 1.* P. Oviedo 1. 2. *tract. 5. controverſ. 3. punct. 1.* & communiter Doctores, quos citaui *tract. 1. ſelectarum, quæſt. 1. num. 2.* Quibus adhæſit M. Hyacinthus Donatus *tom. 4. additionum ad practicam tract. 12. quæſt. 37. num. 5.* Inquiens [opinio ſeu ſententia probabilis eſt, quæ innititur rationi alicuius momenti, dummodo tamen pro oppoſita non ſit aliquid conuincens, vtpote textus clarus, vel ratio evidēs.] Opinio enim tali rationi innixa prudentem aſſenſum fundat.

3 Hanc opinionis probabilis definitionem à ſapientiſsimo etiam Patre Suarez prius traditam arietare non renuit Vincentius Baronius, *in Manuductione ad moralem Theologiam, part. 2. contra Amadæum, diſput. 1. ſect. 1. §. 4. fol. 33.* in Theologia vero morali, *part. 1. contra Caramuelem, diſp. 1. ſect. 2.* dixit. [Illa admiſſa negari non poſſe, quin vſus cuiuſvis opinionis probabilis benignæ, ſeu pro libertate ſit licitus.] Sic ille 1. *part. citata*, licet ſibi non conſtiterit *in ſecunda*. Sed quidquid ſit de conſequentia doctrinæ: Ad rem noſtram in 1. loco locutus eſt; nam cum hic ſit huius tractatus ſcopus, laude defraudari non debent, qui opinionem probabilem ſic explicent, & definiant, vt rem vndique controverſam, (vt ait P. Terillus infra citandus) taliter definiant, vt vel opinioni neganda ſit probabilitas, vel negari non poſsit eius licitus vſus. Neque enim huius communis aſſerti Patroni aliud intendunt.

4 Cum prætacta definitione coincidit, quam nos tradidimus loco ſupra citato ex D. Thoma 1. *part. quæſt. 79. art. 9. ad 4.* & 2. 2. *quæſt. 1. art. 4* cum M. Prado, *tom. 1. quæſtionum Moral. cap. 1. de conſcientia, quæſt. 1. §. 1.* Nimirum [opinionem probabilem eſſe aſſenſum intellectus ad vnam partem, cum formidine alterius, propter motiuum probabile.] Hoc enim eſt motiuum, quod Doctores vocant alicuius, aut magni momenti. Quod poſt tempeſtatem contra probabiles opiniones, à Ianſeniſtis, & viris alijs nimio zelo ductis, paucis ab hinc annis commotam, recentiores præclari nobis expoſuerunt. Peracutus Caramuel in Appologemate, prope initium, ait, motiuum probabile eſſe, quod omnibus pro contraria par-

te fundamentis perpenſis, virum probum, & in Theologia peritum multum impellit ad aſſenſum; ſeu quo indicat ſe coram viris doctis poſſe opinionem ſuam, cum ſatisfactione, & communi approbatione defendere. Cuius explicationem approbat doctiſsimus P. Antonius Terillus *in lib. aureo, quem inſcripſit. Fundamentum Theologiæ Moralis*, luci dato Leodij, anno 1669. vbi *quæſt. 2. num. 7. 13. 18. 32. & 41.* Motivum probabile dicit eſſe, fallibilem apparentiam veritatis ſufficientem ad inducendam virum probum, & irreprehenſibiliter indicantem, in eaque facultate peritum, ad abſolute affirmandam veritatem rei. Pro qua diffinitione adducit Patrem Eſparçam *de actibus humanis, quæſt. 23.* P. Honoratum Fabrij *in Dialogo de opinione probabili*, P. Ferrerium, Suarez, Sanchez, Malderum, Averſam, & Layman relatos à Ferrerio. Quibus conſentit M. Araujo *in deciſionibus moralibus, diſp. 9. de ſtatu ciuili, num. 1. & ſequentibus*, vbi motivum conſtituens opinionem probabilem dicit eſſe [rationem, aut authoritatem ſufficientem intellectum rationabiliter inclinare, aut determinare ad vnam partem contradictionis cum formidine alterius.] Pro qua parte adducit Sylveſtrum, Azorium, Vazquez, & Torres.

5. Hac definitione, opinionis, & motiui ſufficientis ad probabilitatem conſtituendam, non quieuit Vincentius Baronius, ideoque *1. part. diſp. 1. ſect. 2. art. 2.* aliter definiuit dicens: [Probabile dicimus illud, cuius, cum de veritate, aut falſitate, nil certo nobis conſtet; aliquam veriſimilitudinem habet, cui aſſenſum damus formidoloſum.] Cæterum hæc definitio opinioni, & motiuo improbabili æque quadrat; nam etiam leui fundamento indicanti, maior veriſimilitudo aliquando apparet ex parte obiecti, cui aſſentitur, & quod verum reputat; quam ex parte contraria, quam falſam. Ideo fortaſſe hac definitione non quieſcens aliam ſubiunxit, his verbis: [Probabile eſt, cui verum, aut falſum ſubeſſe poteſt: propius tamen videtur à vero, quam à falſo abeſſe, & varijs argumentis magis in hanc partem inclinamus.] Verum hæc definitio (ait Pater Terillus, *quæſt. 2. aſſert. 3.* prope finem) evidenter falſa eſt; quia hæreſi formali contra fidem, æque convenit. Nam dogma, cui hæreticus aſſentitur, apparet illi propius à vero, quam à falſo abeſſe, & varijs argumentis, in illud inclinatur; & dogma fidei, cui hæreticus diſſentitur, non eſt illi verum, ſed apparet, & creditur falſum. Vnde lepide in Baronium inſurgit dicens; ſi opinionem probabilem ſic definiat; non mirum contra vſum licitum opinionis probabilis pro libertate exclamet, *Omnia iuxta illam ſcelera fore licita, cum Athei, Hæretici Epicurei fundentur in opinione probabili: hæc enim omnia ſequerentur, ſi opinio probabilis eſſet*, qualis ab ipſo Baronio definitur, non vero inferuntur ex definitione, quam ex communi ſententia Theologorum dedimus; illa enim admiſſa, ipſemet fatetur, vbi ſupra [negari non poſſe, quin vſus cuiuſvis opinionis probabilis, ſeu pro libertate ſit licitus.]

6 Cæterum recentior quidam ex noſtris, nobilis ingenij, qui anno 1670. larvatus nomine Antonij Cella Dei, in lucem prodijt, omnes definitiones opinionis probabilis, quas hactenus Doctores produxerunt, vt inſufficientes reijcit, ad probabilitatem conſcientiæ conſtituendam, & ſolam contendit admittendam, quam adducit Cardinalis Pallauiſinus, *diſput. 8. de actibus humanis, quæſt. 76. art. 4. num. 10.* vbi ex Ariſtotele, definit probabile eſſe, *quod plerumque contingit.* Valdeque miratur, quod cum toties à Philoſopho ſic explicatum fuerit, quid ſit probabile; & his poſtremis annis tam actuoſe de probabilibus diſceptatum fuerit, nullus, quem ipſe viderit, præter Pallauiſinum, rem iſtam ex Ariſtotele explicare aggreſſus fuerit. Sic Cella Dei in libro, quem ſcripſit. *De recta doctrina morum, part. 1. lib. 2. quæſt. 16. §. 1.* Illic ibi adducit Ariſtotelis loca, vt præfatam definitionem defendat: primum *ex libr. 2. priorum, cap. 28.* vbi ſic: *Sed Eicos eſt propoſitio probabilis; quod enim vt in pluribus ſciunt ſic factum, vel non factum, aut eſſe, vel non eſſe; hoc eſt Eicos, vt odire inuidentes, vel diligere amantes*, & iterum *lib. 1. Rhetoricorum, cap. 2. Probabile namque eſt, quod fere ſemper fieri ſolet; verum non ſimpliciter, vt quidam definiunt, ſed quod de his fit, quæ aliter ſe poſſunt habere, ſic ſe habet ad illud, ad quod eſt probabile, ſicut vniuerſale ad particulare.* His ſimilia habet 1. ethic. cap. 3. Quas definitiones ante Pallauiſinum, & Cella Dei adnotauit ex Ariſto. P. Antonius Perez admirabilis ingenij vir, qui in Collegio Romano noſtræ Societatis communi omnium plauſu dictauit tractatum de iuſtitia, quo poſt eius obitum luci dato nos fruimur. Hic ergo, tractat. 1. de iuſtit. diſput. 4. cap. 2. num. 21. fol. 70. definitionem, & libr. 1. Rethoric. ad Theod. cap. 2. refert, & amplectitur. Qua non obſtante in puncto principali huius tractatus, nobis conſentit.

7 P. Martinus de Eſparza, vt ipſemet teſtatur in Appendice ad quæſtionem de vſu licito opinionis probabilis, *part. 1. de argumentis nouiter adinventis, art. 90* ait, in

men-

Digitized by Google

mentem ſibi veniſſe, antequam ederet quæſtionem de probabilitate, [cogitauerat enim illud mihi in diſputationibus domeſticis, cum prima vice decerem de conſcientia, in hoc Romano Collegio, collega tunc meus in Schola Theologica, Eminentiſsimus Cardinalis Pallavicinus. Prætermittendum tamen duxi: & cum ſecunda vice adhibito novo labore, ac diligentia, eaſdem mihi quæſtiones traderem, & cum vltimam illis manum adhiberem, ante editionem tum Romanam, tum deinde Lugdunenſem. Quia nimirum credideram, ſicut nullus ante hac Theologus vſus fuerat ea probabilis notione, ac definitione, quam in Analyticis, ac Rethoricis tradiderat Ariſtoteles; ita nullum deinceps futurum Theologum, qui eidem inſiſtendum putaret, pro rebus Theologicis, ac controverſijs moralibus declarandis, & determinandis: eo quod ad hanc illa minime pertineret, nec ad eam eſſet accommodabilis directe. Verum quia nuper legi Cardinalem Pallavicinum ſerio adhærentem pro re præſenti, definitioni illi Ariſtotelis *diſput. 3. & 9. de actibus humanis*, legi verò monitus à nonnullis, qui illum ea in re imitantur, neceſſe eſt, vt hic inſeram, & pluſculum exponam, quæ in diſputatione illa exercitatoria, cuius mox memini, breviter reſpondendo ſuggeſſeram. Hactenus ille.

Hanc etiam celebrem probabilis definitionem ab Ariſtotele deſumptam attingit Pater Terillus de conſcientia probabili, *quæſt. 2. aſſert. 4. num. 11.* illamque ad caſum præſentem non admittit, ait enim omnem propoſitionem probabilem non comprehendere: & poſtquam in ea explicanda multum laboravit, contendens ſenſum illius debere eſſe; opinionem probabilem, ſeu motivum probabile illud eſſe, *cuius tanta ſit apparientia veritatis, vt omnes illi æquales in vnum collectæ ſæpius coniungantur cum veritate, quam cum falſitate*, concludit, *num. 20.* definitionem ſic explicatam, etſi veriſsimam, & apertiſsimam, ſi aliud non addatur, inſufficientem, & parum vtilem eſſe præſenti tractatui, quia per illam nemo, niſi difficulter, ſcire poteſt, verum hæc determinata opinio ſit probabilis, nec ne, cum opus ſit longa ratiocinatione, vt ſciatur; vtrum nitatur tanta veritatis apparentia, vt omnes illi æquales ſæpius coniungantur cum veritate, quam cum falſitate.

8 Dico ergo primo, ſi hæc definitio, vt ſonat, accipiatur, ad rem noſtram aptari non poſſe; quia non convenit indiuiduis probabilibus, ſi enim *probabile eſt, quod plerumque, aut fere ſemper contingit*, cum nullus caſus ſingularis plerumque contingat, nullus erit probabilis. Si autem reſpondeas probabilitatem caſus ſingularis deſumi ex eo, quod ſit de re, quæ in alijs ſimilibus *plerumque contingit*; red arguo ſic; plures ſunt caſus de re, quæ ſemper, aut nunquam contingit, & tamen ſunt probabiles, vt in confeſſo eſt apud omnes: ergo. En exempla ex Terillo, & Eſparça: probabile eſt coelum eſſe fluidum: item probabile eſt Deum prædeſtinare electos ante eorum merita abſolute præviſa: & tamen hi caſus non ſunt de re plerumque contingente, ſed vel ſemper, vel nunquam. Inſuper probabile putat Divus Thomas *in 4. diſtinct. 45. articulo ſecundo, quæſt. 1. ad 5.* Quod anima Trajani, precibus Div. Gregorij non fuit ſimpliciter à reatu pœnæ æternæ abſoluta, ſed eius pœna fuit ſuſpenſa ad tempus, ſcilicèt, vſque ad diem iudicij. Nec tamen (in quit Angelicus Doctor) oportet, quod hoc fiat communiter per ſuffragia: quia alia ſunt, quæ lege communi accidunt, & alia, quæ ſingulariter ex privilegio aliquibus conceduntur.] Sic Divus Thomas, qui ex Damaſceno ibidem teſtatur, *conſtare animam Trajani, in inferno fuiſſe*. En caſum probabilem, & tamen non eſt de re plerumque contingente in alijs individuis, ergo ad probabilitatem vnius caſus, non eſt opus, quod ſit de rè, quæ in alijs plerumque, aut fere ſemper contingat.

9 Reſpondebis ex Cella Dei hoc non requiri ad probabilitatem opinionibus dari ſolitam, ſecus ad probabilitatem conſcientiæ, de qua loquitur Ariſtoteles locis ſupra citatis. Sed contra manifeſte, quia vt ipſe ait, *libro tertio, quæſt. 9. fol* 428 ſola connexio huius principij, *fere ſemper contingit*, facit rem dignam aſſenſu [connexio, inquit, cum veritate minima omnium eſt illa *de fere ſemper*; reliqua infra hoc non reddunt rem dignam aſſenſu:] ergo cum probabilitas opinionibus Scholaſticis dari ſolita a D. Thoma, & ab Scoto, nitatur motiuis rem dignam aſſenſu conſtituentibus, aut opiniones omnes Scholaſticæ horum Doctorum hoc principio nituntur, aut nullæ ex illis, quæ ad conſcientiam pertinent.

10 Præterea idem ſuadetur viginti exemplis variatum opinionum, quas congeſsi *part. 1. quæſt. 5.* contra Vincentium Baronium (quibus, teſte Magiſtro Prado ibi citato Innumera poſſent addi, vt aſſeruit Divus Antoninus *1. part. tract. 3. cap. 10. §. 10.*) Ex quibus pleræque non ſunt de re plerumque in alijs contingente, & tamen omnia ſunt probabilia, imo & probabiliora ſecundum D. Thomam. Denique præfatam definitionem Ariſtotelicam aptari ſæpè non poſſe ad quæſtiones morales reſolvendas, & a pau-

à paucis applicatam, efficaciter convincitur authoritate fere omnium Theologorum; quorum nullus ad eas, vt probabiles determinandas, ad præfatum principium, *de plerumque, aut fere ſemper contingente*, hactenus recurrit, ſed illo in mentem non incidente ſuam vnuſquiſque opinionem alijs principijs ſolidauit, & probabilem non raro effecit.

11 Vnde miror Antonium Cella Dei, *lib. 3. quæſt. 1. §. 3. fol. 344.* hoc principium *de plerumque contingenti* omnium Theologorum menti ad quæſtiones morales determinandas obvium eſſe contendere. [Sane, inquit compertum videtur, nec nobis in quibus, vel fides, vel certitudo totalis non adeſt, deficere poſſe ſimile medium, *per plerumque contingens* ad determinandas in infimo gradu quæſtiones morales. Imo eſt nobis id facto facilius, propter adiutorium Dei, & propter alia.] Sed quidem hoc medium, vel Diu. Thomæ, & eius ſcholæ defecit, vel Scoto, & ſuæ: quia circa eandem omnino quæſtionem ad forum conſcientiæ pertinentem, non raro vnus probabiliter affirmat, quod alter probabiliter negat; cum tamen ex illo principio duplex opinio contraria deduci nequeat. Et frequentiſsime Theologis omnibus defecit, cum in contrarias hinc inde opiniones diuiſos inveniamus. Imo & ipſi recentiori defecit ad quæſtiones morales determinandas, alias loco libri *de recta doctrina morum*, librum alium practicum edidiſſet, in quo morales quæſtiones nobis determinatas præbuiſſet. Ergo, vel quæſtiones omnes morales non determinantur per hoc medium *de plerumque contingenti*, vel non eſt ita compertum nobis illud deficere non poſſe.

12 Ad definitionem probabilis ex Ariſtotele deſumptam reſpondet Pater Eſparça ſolum intendiſſe Phyloſophum, exponere probabile argumentativum, ac ſyllogiſticum, ac proinde vniverſale, quod ex ſola apprehenſione terminorum tale eſt, & hoc eſſe *plerumque contingens*, notiſsimum eſſe: Secus verò probabile ſingulare, & proximè practicum, de quo agimus. Huius enim probabilitas non ex illo principio vniverſali, ſed ex præeunte conſultatione nobis innoteſcit, vt cum inquirimus, an liceat in mutuo aliquid ſupra ſortem accipere ratione lucri ceſſantis? An liceat pingere in die feſto? An vnum Officium Diuinum in aliud commutare? Et ſimilia. Ex probabili igitur dialectico per modum principij probabiliter inferentis, ſic optime ſyllogiſmus conficitur. [Probabile eſt, quod fere ſemper, aut plerumque contingit. Sed plerumque contingit matres diligere filios ſuos: ergo probabile eſt Antoniam matrem diligere Petrum ſuum filium. Hæc illatio eſt certa, niſi detur exceptio ob quam nobis conſtet Antoniam eſſe iracundam, & graviter offenſam à filio; ideoque ab illa odio haberi.

13 Reſpondeo ſecundo Ariſtotelem in prædictis locis non contendere, *omne probabile eſſe plerumque contingens*, ſed id, quod plerumque contingit, eſſe probabile: hoc enim tantum probabile ad ſcopum ſuum de ſyllogiſmis probabilibus pertinebat, de quibus tantum in prædictis locis agebat, ad quos conficiendos medium probababile vniverſale neceſſarium eſt, vt ipſemet inquit *libro ſeptimo, Topicorum capite quarto, prope finem*, [non eſt (inquit) ſyllogizare quidquam ſine vniverſali.] Nos igitur edocet Ariſtoteles, ex eo, quod plerumque, aut fere ſemper in alijs indiuiduis contingit, quod vel ex apprehenſione terminorum, vel experientia nobis innoteſcit, poſſe idem probabiliter de alijs ſimilibus affirmari, dum aliunde exceptionis ratio non appareat. Verbi gratia, ex eo quod plerumque contingat *homines amare diligentes*, idem de Petro probabiliter affirmatur reſpectu Ioannis, à quo diligitur. Et ex eo, quod *Matres plerumque diligant filios ſuos*, idem probabiliter aſſeri poteſt de Antonia, quæ eſt mater, ni aliunde conſtet læſam fuiſſe à filio, ratione cuius datur exceptioni locus.

14 Sic etiam ars medica ex eo, quod tali, vel talibus hæc medicina plerumque ſalubris fuit, aut eidem indiuiduo, alijs vicibus; probabile iudicium efformat huic etiam, aut hac vice ſalubrem futuram. Itaque, aut experientia in his, quæ ſub illam cadunt, aut naturalis inclinatio, ex apprehenſione terminorum nota, probabile motivum nobis ſuppeditat, ad prudenter credendum in hoc caſu particulari idem, quod in alijs futurum; ideoque medium illud *de plerumque, aut fere ſemper contingenti* optimum cenſuit Ariſtoteles ad iudicium probabile circa caſus particulares efficiendum, quod expreſsit; *primo Metaphyſicorum capite primo*, dum dixit, [experientia artem efficit, &c. Fit autem ars, cum ex multis conceptibus experimentalibus, vna de ſimilibus vniverſalis opinio fiet.] Cui conſonat *liber primus, priorum capite vigeſimo octauo* citato, vbi ad experientiam recurrit, ad probabilis vniverſalis definitionem, dum air. [*Quod enim, vt in pluribus ſciunt ſic factum, vel non factum, &c.*

Et

Et ſatis id limitat, ipſemet Philoſophus *primo Rethericorum*, *cap.* 20. vbi poſquam dixit: *Probabile eſſe, id quod fere ſemper fieri ſolet*, ſubnectit: *Veri non ſimpliciter, vt quidam definiunt, ſed quaſi vniverſale ſe habet ad particulare, vt ſi quis ſebricitare hominem dicat, & eius ſignum eſſe, quod crebro reſpiret.* Quod autem, non fere ſemper contingat, crebro reſpirantem febricitare; experientia ipſa certiſsimum eſt. Sed quidquid de his ſit. Ad omnem opinionem probabilem exigere experientiam, aut conceptum ex multis experimentalibus conceptibus productum, in mentem Ariſtotelis non venit; & ſic illum interpretatum, & acceptum ab omnibus Philoſophis, & Theologis (ſi vnum vel alterum recentiorem excipias) invenies; ideoque nullus vſque ad Sphortiam, quem ſequutus eſt Cella Dei, ad talem definitionem recurrit, pro caſibus conſcientiæ decidendis, ſed tàm Theologi, quam Iuriſtæ, quoties experientia deficit, vel res ſub illam non cadit, ad alia confugiunt principia, vt conſtat ex Iuriſconſulto *in* 6. *regula* 44. *ibi*: [Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veriſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit.] Non ergo ex ſecundo tantum principio probabilitas deſumenda eſt. Quod hoc ſyllogiſmo demonſtrat Pater Tetillus, vbi ſupra, *quæſt.* 2 *numer.* 11. [Sæpè vtraque contradictionis pars eſt ſimult probabilis: at impoſibile eſt, vtramque contradictionis partem plerumque contingere; alioquin pars A. frequentius contingeret, quam pars B. rurſus B. frequentius contingeret quam A. Non ergo requiritur ad probabilitatem, quod fere ſemper motiva attingant veritatem, ſed ſufficit quod frequenter. Qua propter Div. Thom. 2. 2. quæſt. 70. art. 2. id, quod fere ſemper contingit, certum vocat: quod probabilitatem partis contrariæ excludit. Hoc argumentum rem evincit, fere omnibus Theologis tanquam indubitatum tenentibus, vtramque contradictionis partem poſſe ſimul eſſe probabilem. Verum, quia non nulli, vt Ariſtotelis definitionem ad quæſtiones morales decidendas non ſolum vtilem, ſed neceſſariam defendant, commune illud axioma tenaciſsime negant, quæſtione ſequenti examinandum decrevi.

QVÆSTIO II.

An duæ opiniones contrariæ poſsint eſſe ſimul probabiles?

1 Rem hanc in diſputationem voco, quia non nulli paucis ab hinc annis, de re indubitata dubitare cœperunt. Primus (quem ego ſciam) fuit Canoniſta quidam, quem ſequutus eſt VvendroKius *in notis ad Ludovici Montalcij litteras*, *pag.* 92. Quibus poſtea adhæſerunt Cardinalis Sphortia Pallavicinus, *diſp.* 8. *de actibus humanis*, *quæſt.* 6. *art.* 4. *num.* 16. & eius pediſequus Antonius Cella Dei *lib.* 2. *quæſt.* 11. *à fol.* 250. Qui ea tenacitate ei adhæſit, vt hanc partem ſe demonſtrare, non ſolum ſentiat, ſed proferat: & proinde quæſtionem de licito vſu opinionis practice probabilis faventis libertati, quando contraria pro lege probabilis fuerit, eſſe de ſubiecto non ſupponente. En quam producit demonſtrationem: [Forma incompoſibilis cum alia in vno extremo, vage, & indeterminate conveniens alterutri duorum extremorum, eſt incompoſibilis cum ſimultate illius formæ in vtroque extremo: ſed certitudo falſitatis eſt incompoſibilis cum probabili conſcientia in vna determinata concluſione, & vni vel alteri vage, & indeterminate convenit; ergo eſt incompoſibilis cum probabili conſcientia in vtraque concluſione ſimul.] Ad hanc ſyllogiſticam formam terminos, & verba Authoris reduxi, plura claritatis gratia prætermittens.

2 Verum ſyllogiſmus iſte apertum paralogiſmum continet, contra prima ſummuliſtarum rudimenta, quia procedit a ſuppoſitione confuſſa ad determinatam, vt bene notarunt recentiores, ſic retundentes. Si forma incompoſibilis cum alia, in aliquo duorum detur, nequit forma oppoſita in vtroque ſimul inveniri; ſed neceſsitas exiſtendi eſt incompoſſibilis cum contingentia eiuſdem: ergo ſi neceſsitas conveniat vni duorum incompoſsibilis erit, cum contingentia vtriuſque: ſed ex terminis contradictorie oppoſitis, neceſſe eſt alterum exiſtere; ergo vterque terminus nequit eſſe contingens. En tuum argumentum cuius concluſio falſiſsima eſt, quia ſyllogiſmus fallaciam variatæ ſuppoſitionis involuit; quia in hac propoſitione. *Neceſsitas convenit vni duorum terminorum ex contradictorijs*, neceſsitas convenit vage vni, vel alteri; ac proinde in nullo determinate debet inveniri. Ergo argumentũ Cella Dei ratione formæ deficit. Habet etiam vitium aliud ratione materiæ. Qua propter ſi eſſet eadẽ ſuppoſitio maneret, nil concluderet. Vt ex dicendis conſtabit.

3 Argumentationem igitur ſophiſticam eſſe, facile oſtendo; quia procedit à formis, quæ ſe ipſis contrariantur, vt ſapientia, & ignorantia, ad formas alias, quæ ſe ipſis non opponuntur, ſed ratione alicuius modi ſuperadditi, qui extra formas, & extra ſubiectum, in quo ipſæ ſunt, apertè reſidet; quales ſunt, certitudo falſitatis, & probabilitas: & ſimiliter falſitas, & dubium. Quod vt evidenter omnibus conſtet, ſervata eadem forma, variatis tantum terminis, argumentum reproducam. [Forma incompoſſibilis cum alia determinate in vno extremo, vage, & indeterminate conveniens alterutri duorum extremorum, eſt incompoſſibilis cum ſimultate eiuſdem illius formæ in vtroque extremo; ſed certitudo falſitatis eſt incompoſſibilis cum dubio in vna determinate concluſione ex contradictorijs, & vni, vel alteri vage & indeterminate convenit. Ergo eſt incompoſſibilis cum dubio in vtroque extremo.] En tuum argumentum: in quo *maior*, inquis, *eſt indubitata, & explicatione terminorum manifeſta in formis, vel quaſi formis omnibus phyſicis, & moralibus ſine exceptione*. En demonſtrationem tuam, in quâ minor eſt, per te etiam evidens, quia certum eſt vnam ex concluſionibus contradictorijs eſſe falſam: & tamen concluſio ex his deducta, nempè; [ergo vtraque concluſio contradictoria nequit eſſe ſimul dubia] eſt evidenter falſa. Ita ne verò? Altera ergo ex præmiſsis tuæ demonſtrationis claudicat. Quia ex veris ſequi non poteſt concluſio falſa. Hæc eſt aperta demonſtratio.

4 Reſpondeo igitur maiorem propoſitionem præfati ſyllogiſmi, à Cella Dei conſtructi, non eſſe vniverſaliter verã, ſed ſolum in formis ſe ipſis incompoſſibilibus in eodem ſubiecto, vt ſapiẽtia, & ignorantia: frigus, & calor. Falſitas autem, & probabilitas ſe ipſis in eadem concluſione non repugnant. Quinimo, vt ex Ariſtotele, commune dicit axioma, *falſa quandoque ſunt probabiliora veris*. Falſitas ergo vnius concluſionis determinatæ evidenter, aut certo nota, non eſt compoſſibilis cum probabilitate eiuſdem; ſicut nec cum dubio. Quia certitudo, aut evidentia falſitatis vnius concluſionis determinatæ excludit ſe ipſa ab intellectu iudicium probabile de veritate illius, & ſimiliter dubium: ſicut falſitas ſe ipſa excludit à concluſione veritatem. Falſitas verò vnius, vel alterius diſiunctim, & indeterminate nota, non excludit ab intellectu probabile iudicium cuiuſcumque determinate; ſicut nec dubium: ſed quemadmodum de cuiuſvis concluſionis determinatæ veritate, ex defectu evidentiæ fundamentorum, dubitare poſſumus; ita ſi fundamentum probabile ab intrinſeco, vel ab extrinſeco non deficiat; de cuiuslibet concluſionis determinatæ veritate ſeorſim iudicium probabile formare poſſumus, & vtramque ſimul probabilem iudicare: tametſi aliquam eſſe falſam, vage, & indeterminate, ſit nobis certum. Quia falſitas concluſionis non opponitur probabilitati iudicij de veritate. Nec vllus hactenus Doctor ſomniavit iudicium probabile, & verum eſſe ſinonyma.

5 Ceterum, quia in huius Doctoris mentem hoc venit, *& nullam in re eſſe opinionem probabilem falſam*, non ſemel iactat, *lib. 3. q. 4. fol. 397.* ſic iterum eius argumentum, vt ab omnibus percipiatur, clarioribus terminis propono. Probabilitas concluſionis eſt illius veritas, ſed impoſſibilis eſt vtriuſque contradictoriæ concluſionis ſimultanea veritas; ergo impoſſibilis eſt ſimultanea probabilitas. In his totum ſyllogiſmi robur conſiſtit. Sed quidem cum prima præmiſſa ſecundum omnes, tàm Philoſophos, quàm Theologos, falſa ſit, quia probabilitatem poſitivam, non ſolum veris, ſed falſis etiam, nobis ignotis convenire, conſtanter aſſerunt: inde fit apertiſsimum ſophiſma eſſe, quod obſcurioribus terminis propoſitum demonſtrationem, fallaciter oſtendere tentavit.

6 Eſt enim magnum diſcrimen inter veritatem, & probabilitatem, vt bene advertit P. Bardi *de conſcientia diſceptat. 4. cap. 10. §. 1. num. 4.* Nam veritas conſiſtit in convenientia, ſeu connexione prædicati cum ſubiecto, & falſitas in diſconvenientia. At probabilitas non conſiſtit in tali convenientia, ſed in eo, quod motiua ſuadentia honeſtatem ſint gravia, & apta ad prudens iudicium de ipſis formandum, & de honeſtate obiecti propter ipſa: & inde eſt, quod opinio poſsit eſſe probabilis, & falſa: Et vt bene ait Honoratus Fabri *dialogo 1. de opin. probabil. fol. 18.* [Non tollitur probabilitas opinionis, niſi per certitudinem oppoſitam,] recte autem ſtare poteſt eſſe re ipſa falſam, & tamen id non eſſe certum opinanti: & ideo (inquit fol. 19.) [veritas probabilis vnius non obeſt veritati probabili alterius.] Idemque alijs terminis adnotavit P. Terillus, *quæſt. 2. num. 30. fol. 24.* dicens. [Diſparitas eſt inter veritatem, & probabilitatem, quia probabilitas ſemper ſub experientiam cadit, veritas autem non ſemper. Quia probabilitas conſiſtit in magnitudine apparentiæ veritatis, qua ſtimulamur ad aliquid exiſtimandum, qui quidem ſtimulus ſub experientiam cadit, veritas autem in obſcuris, non niſi per conjecturas innoteſcit, & ſub experientiam non cadit.] Recte ergo ſtare poteſt concluſionem aliquam eſſe probabilem, ob magnitudinem apparentiæ veritatis fundamentorum, quâ ad aſſenſum ſtimulamur, & tamen falſam re ipſa eſſe: quia fundamenta, licet falſa, apparent nobis in apprehenſione vera, vel per aſſenſum prudenter imperatum eis adhæremus. Et ita fatetur Candidus Philalethis *de opin. praxi fol. 50.* [Nam probabile, inquit,

con-

non adverſatur verò, & poteſt eſſe falſum. Quia etiam multa falſa ſunt probabiliora veris.] Qua propter D. Thomas *opuſc. 48. cap. 1.* præmiſſas probabiles, iure optimo condiſtinguit à veris, & concluſionem veram à probabili, dicens: *In omni materia exiſtentibus veris, vel probabilibus præmiſſis, ſemper ſequitur concluſio vera, vel probabilis.* Longe ergo diverſum eſt, iuxta D. Thomam, concluſionem eſſe probabilem, ac eſſe veram: poterit ergo probabilis eſſe, licèt falſa, dum id nobis non conſtet. Clariora hæc, quam probatione egeant.

7 Nihilominus tamen, ne aliquid deſideretur, aſſumptum evidenter à poſteriori probo 1. ex probabilitate extrinſeca; ſi enim tres, aut quatuor, aut plures viri grauiſsimi falſo proponerent ruſtico, tanquam revelatum à Deo aliquod myſterium, certe imprudens ille eſſet, ſi diſſentiret, vt pluribus citatis, ait Ripalda *tom de fide, diſp. 6. ſect. 7. in fine, num. 95.* prudèter ergo aſſentiretur; & tamen aſſenſus prudenter imperatus falſus eſſet. Ergo non opponitur probabilitas iudicij cum eius falſitate: eſt aperta conſequentia. Si autem reſpondeas, aſſenſum præſtitum aliorum teſtimonio non fuiſſe probabilem, nam coram Deo eſt falſus: contra inſurgo. Ergo fuit imprudens, ergo imprudenter aſſentiretur ruſticus, in prædicto caſu, tot viris communi æſtimatione ſapientibus, & ſanctis. Hoc non concedet Cella Dei. Quia, vt videre licet, *fol. 229. & fol. 230. verſ. ex his cummunibus, & 243 verſ. ad argumentum.* Quando fundamenta vnius partis tantum nobis occurrunt, poſſunt gravia eſſe quoad nos, & tunc concluſioni prudenter aſſentimur. *Cum ſecundum rationem* (inquit) *ſit, aſſenſum dare rebus dignis aſſenſu, &c. Nam fundamenta grauia, etiam ſecundum adverſarios, ſunt per quæ digne, & etiam prudenter aſſenſum damus.* Prudenter ergo, & ſecundum rationem, aſſenſum quiſque præſtabit teſtimonio trium, aut quatuor, quos veraces habet, tametſi rem forte falſam, coram Deo, referant: imo & vni viro graui (ait ipſe Cella Dei, *fol 236.*) *vir grauis* (inquit) *& fide dignus tibi aliquid refert, credis: nil prudentius.* Ergo falſitas in hoc eventu cum probabilitate maritabitur. Probabilitas ergo concluſionis non eſt veritas, ſed quid veritati, & falſitati nobis ignotæ commune.

8 Confirmatur: Dominicani licite adhuc ſentiunt (vt ipſi opinantur) B. Virginem Mariam in peccato originali fuiſſe conceptam; oppoſitum cæteri; & vnam, vel alteram contradictionis partem eſſe falſam, neceſſe eſt; & omnibus notum. Et tamen vtraque opinio ipſis probabilis eſt probabilitate conſcientiæ: quia inquiunt ipſos non peccare immunitatem interius negãtes, nec cæteros Theologos externe etiam eã concedentes. Quod autem non ſolum Dominicanis ſua opinio, ſed vtraque eiſdem ſit probabilis; Probatur: quia Dominicanus tenetur ex præcepto Immaculatam Conceptionem, in primo inſtanti animationis, Officio, & Miſſa colere; quod licite præſtare nequibit; quin ſentiat hanc opinionem eſſe probabilem. Ergo vtraque eſt ipſi probabilis. Confirmatur ſecundo, quia DD. communiter, dum quæſtionem aliquam exagitant, vtramque contradictionis partẽ probabilẽ eſſe, nos edocent; vt Candidus Philalethus, *fol. 53.* & alij paſsim animadvertũt. Quod laudabiliter facere notavit Suarez, verbis alibi dandis; nã dum evidentia non cogit, locus relinquitur gravitati fundamentorum vtriuſque partis, licet alterius eſſe falſa, vage, & indeterminate, nemo ignoret; ſicut & alterutram partem falſam eſſe; quia ex verò non ſequitur falſum. Cæterum ſicut in concluſione, probabilitas, & falſitas determinate ignota, recte compatiuntur, ita & in præmiſsis, ſeu fundamentis aſſenſus: eadem enim eſt vtrobique ratio, vt ex terminis patet. Eſt ergo, contra apertam omnium ſententiam, & contra primam omnium apprehenſionem, noua iſta recentiorum opinio, quæ duas opiniones contrarias negat eſſe poſſe probabiles probabilitate conſcientiæ. Hanc noſtram ſententiam tenet Cardinalis de Lugo *tom. de fide, diſp 5. ſect. 1. num. 16. & ſeq.* & vt dixi, eſt communis inter Doctores, quos ſequitur Terillus *de prob. quæſt. 7. num. 9.* Vbi ſic contra Mercorum oppoſitum tuentem inſurgit. [Omnes docti opinantes, hoc norunt de ſuis opinionibus, &c. Erat ergo Mercorus, in hac perſuaſione ſibi propria, nemini que alteri, quod ſciam, communis] ſed poſtea, vt dixi, ſequaces habuit duos ex noſtris Sfortiam, & Cellam Dei.

§. I.

Grauis quorundam reſponſio reijcitur.

9 Dicunt intrepide; argumentum petitum ab opinionibus affirmativa, & negativa de Immaculata Conceptione Beatiſsimæ Virginis Mariæ, non probare duplicem opinionem contrariam eſſe probabilem reſpectu eiuſdem intellectus Quia adhuc poſito præcepto de cultu ſolemni & publico Immaculatæ Conceptioni Beatiſsimæ Virginis præſtando; qui ſentiunt Conceptionem non fuiſſe immaculatam, non tenentur, nec poſſunt, vt immaculatã colere, quia eſſet colere, vt ſanctam, quam talem non cenſent, & cultum peccato præbere: quod prorſus illicitum eſt. Ergo, qui negant Immaculatam Virginis Conceptionem, non debent ſentire contrariam ſententiam probabilem eſſe. Nam cum non teneantur, ſecundum illam, cultum exhibere, nil eſt, quod cogat iudicare probabilem. Hæc ſolutio deſumitur ex Vincentio Baronio *tom. 1. Ethices Chriſtianæ, diſp. 1. loco 7. num. 30. fol. 360.* Quem

poſt

Digitized by Google

poſt quinque alios ipſius tomos prohibitos (partim à ſupremo Eccleſiæ Capite in Bulla, quæ incipit *ſolicitudo omnium Eccleſiarum anno* 1661. & in Bulla *cum ad aures* anno 1665. partim à Sacra Congregatione indicis) luci dedit Pariſijs anno 1673. In quo duo valde notanda contra cultum Immaculatæ Conceptionis intrudere ſtuduit. Aliud Immaculatæ Conceptionis cultum permitti; non omnibus præcipi. Aliud ſatis eſſe celebrare, ſub nomine Conceptionis, Beatæ Mariæ ſanctificationem, quocumque inſtanti acciderit. Verba eius ſunt: *Itaque, vt rem abſolvam, concludo, illo Immaculatæ Conceptionis Decreto Pontificio (nempè Alexandri VII. infra referendo) cultum permitti, non promiſcue indici, quibus hæc opinio falſa apparet: nec illis deerit ratio expedita celebrandi feſtum Conceptionis, quatenus generale eſt; quam Bellarminus, & Petronius adhibent cohibendis hæreticorum calumnijs idoneam; eo feſto ad minus colendam eſſe Mariæ ſanctificationem, quocumque demum modo certo evidenter ſoli Deo notam, ad gratias Deo agendas ob immortale donum Deiparæ, ea conceptione generi humano ad reparanda Euæ peccato, illa mala.*] Hæc Baronius.

10 Cæterum hæc duo aſſerta militant apertè contra Summorum Pontificum conſtitutiones & declarationes, pro Immaculata Virginis conceptione, & cultu; ſecundum hanc piam opinionem præcepto. Primum, quia vt ex Miſſali, & Breviario Romano conſtat, Eccleſia æqualiter præcipit colere, & celebrare Miſſa, & Officio, Immaculatam Conceptionem Beatiſſimæ Virginis, die octaua Decembris; ac eius Sanctam Natiuitatem, die Octaua Septembris: nec hoc in dubium verti poteſt. Ergo ſicut Sanctæ Natiuitatis cultum non ſolum permittit, ſed omnibus promiſcue indicit, & præcipit; ita & Immaculatæ Conceptionis. Secundum: quia Alexander VII. in Bulla, quæ incipit *ſollicitudo omnium Eccleſiarum*, expreſsè authoritate Apoſtolica, declarat Eccleſiam Romanam, in hoc feſto, colere, & celebrare animam Beatiſsimæ Virginis *in primo inſtanti creationis, atque infuſionis in corpus, Spiritus Sancti gratia donatam, & à peccato originali præſervatam fuiſſe*. Ergo Eccleſia Romana omnibus Chriſti fidelibus hanc Immaculatæ Conceptionis cultum exhibere præcipit. Ergo qui oppoſitum dixerit, non ſolum impugnat piam ſententiam, & favorem à Romanis Pontificibus illi conceſſum; ſed cultum ſecundum illam præſtitum, ita interpretatur, vt fruſtetur.

11. Eos autem, qui in his defecerint, ſuo fulmine percutit Alexander VII. verbis, quæ ſequuntur. [Præter pœnas, & cenſuras in conſtitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos ſubiacere volumus, & per præſentes ſubijcimus, etiam concionandi publice legendi, ſeu docendi, & interpretandi facultate, ac voce activa, & paſsiva, in quibuſcumque electionibus, eo ipſo, abſque alia declaratione, privatos eſſe volumus, nec non ad concionandum, publicè legendum, docendum, & interpretandum, perpetuæ inhabilitatis pœnas, ipſo facto incurrere abſque alia declaratione; à quibus pœnis, non niſi à nobis ipſis, vel à ſucceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus abſolvi, aut ſuper his diſpenſari poſsint: nec non eoſdem alijs pœnis noſtro, & eorũdem Romanorum Pontificum ſucceſſorum noſtrorum arbitrio infligendis, pariter ſubiacere volumus, prout ſubijcimus per præſentes, innovantes Pauli V. & Gregorij XV. ſuperius memoratas conſtitutiones ſiue decreta. *Ac libros*, (attende) *in quibus præfata ſententia, feſtum, ſeu cultus ſecundum illam, in dubium revocatur, aut contra eã quomodocumque, vt ſupra aliquid ſcribitur, aut legitur, ſeu locutiones, conciones, tractatus, diſputationes contra eãdem continentur*, poſt Pauli V. ſupra laudatum decretum edita, aut in poſterum quomodolibet edenda, prohibemus, ſub pœnis, & cenſuris, in indice librorum prohibitorum contentis, & ipſo facto abſque alia declaratione pro expreſsè prohibitis haberi volumus, & mandamus.]

12 Ex quibus neceſſaria conſecutione deducitur, tomum primum citatum Vincentij Baronij, in quo propoſitiones traductæ continentur, inter prohibitos, ipſo facto ab Alexandro VII. abſque alia declaratione, recenſendũ. Sed tamen nolo falcem in alienam meſſem mittere. Cenſorum fidei iudicio remitto. Quos in hac cauſa inquirenda, & in facultate contra tranſgreſſores procedendi, & pœnis coercendi, Summus Pontifex Alexander VII. in hac Bulla omnes Epiſcopos, & locorum Ordinarios; & Dominos Inquiſitores æque iudices conſtituit, ſubnectens, *& contra eos, vt præfertur procedere, inquirere, & punire diſtrictè præcipimus*. Advertere tamen non omittam, ob contraventionem huius Bullæ (præter alias cauſas) prohibitum fuiſſe librum alium eiuſdem Baronij, cui titulus erat: *Pars altera manuductionis ad Theologiam moralem*. Bulla enim, in clauſula præcedenti, eodem rigore procedit, *contra omnes, & ſingulos, qui contra piam ſententiam* affirmantem Immaculatam Conceptionem Beatiſsimæ Virginis, in primo inſtanti infuſionis animæ in corpus, *quocumque modo, directè, vel indirectè, aut ſub quouis prætextu, etiam definibilitatis eius examinandæ, ſiue Sacram Scripturam, aut Sanctos Patres, ſiue Doctores gloſſandi, vel interpretandi: denique alio quouis prætextu, ſeu occaſione, ſcripto, ſeu voce tractare, diſputare, contra eam quidquam determinando, aut aſſerendo, vel argumenta contra eam afferendo, & inſoluta relinquendo, aut alio quouis excogitabili modo diſſerendo, auſi fuerint*. In his autem graviter peccauit Baronius *p. 2. citata, diſp. 1. ſect. 1. §. 13. fol. 105.* vbi poſt prævias octo authoritates

D. Tho

D. Thomæ, quibus in opuſculo *pro Ieſuitis, tract. de matrim. prop.* 14. Oſtendi Angelicum præceptorem pro ſententia pia ſtetiſſe. (Quem plures ipſius diſcipuli ibi etiam citati ſequuntur) ſic Baronius effutiuit: *Duo moneo; legitimos D. Thomæ diſcipulos (quamvis id totis viribus contenderint) non potuiſſe receptam de conceptione opinionem hactenus deprehendere in vllo ex legitimis eius operibus, nec ex ipſius doctrinæ principijs eruere. Aliud addo: idem Doctori Angelico Sanctos Patres legenti cõtingiſſe, &c. Quid nos ad iſta? Obmuteſcimus noſtramque, & D. Thomæ cæcitatem incuſamus.*] Hæc ibi Baronius; quibus vt patet, conſtitutioni Alexandri VII. aperte contravenit, hæc argumenta ab authoritate *contra eam afferendo, & inſoluta relinquendo*; & ideo pœnas in ea contentas incurrere debuit.

13 Denique contra Baronium deducitur; negari non poſſe, etiam ſentientes Beatiſsimæ Virginis Conceptionem non fuiſſe immaculatam, teneri iudicare contrariam opinionem affirmativam eſſe probabilem; cum teneantur, ſecundum illam, in ſenſu ab Eccleſia declarato, Immaculatæ Conceptioni Beatiſsimæ Virginis cultum exibere. Manet ergo firmum noſtrum argumentum petitum ex opinionibus affirmatiua, & negatiua de Immaculata Virginis Conceptione, ad probandum duas opiniones contrarias poſſe eſſe ſimul probabiles reſpectu eiuſdem intellectus.

§. II.

Alia reſponſio refertur, & reffellitur?

14 POſſet aliter noſtro argumento reſponderi, ex doctrina Iulij Mercori: Nam hic Author longe difficiliora tradit. Quia vt legenti conſtabit, videtur aperte defendere, non eſſe licitum ſentire Conceptionem Beatiſſimæ Virginis fuiſſe immaculatam. Videquæſo illum *2.p. Baſis Theolog. moral. art.* 24. vbi in quæſtionem vocans [an in materia fidei, liceat ſequi opinionem probabilem, relicta probabiliori;] & ſupponens cum Spinula præſentem de Immaculata Conceptione ad fidem pertinere; negat licitum eſſe, in hac controverſia, ſequi opinionem minus probabilem. E contra verò Spinula affirmat, & argumento ſibi, & Dominicanis efficaci, quod refert ipſe Mercorus, ſic probat. [In hac materia, quæ fidei eſt, liberum eſt opinari abſque peccato, & tamen opinio de Immaculata Conceptione eſt probabilior. Igitur in materia fidei licitum eſt opinari de minus probabili, relicta probabiliori.] Huic igitur argumento, quod, vt patet, ſupponit, & bene, opinionem affirmantem Immaculatam Conceptionem eſſe probabiliorem contraria; duplici propoſitione reſpondet Mercorus: prima [non eſſe licitum in materia fidei ſequi ſententiam minus probabilem, relicta probabiliori.] Secunda, ſententiam de Immaculata Conceptione eſſe minus probabilem. [Ad inſtantiam (inquit) de Conceptione Beatæ Virginis, reſpondet Ioannes à Sancto Thoma, *diſp. 2. de approbatione doctrinæ D. Thomæ, art. 2. partem affirmatiuam eſſe minus probabilem.* Sic Mercorus. Ex cuius præmiſsis, hoc concludens argumentum conficitur. Non eſt licitum ſequi ſententiam minus probabilem, relicta probabiliori, ſed ſententia de Immaculata Conceptione, id eſt, affirmans fuiſſe immaculatam, eſt (per te) minus probabilis; ergo non eſt licitum illam ſequi. Eſt evidens illatio ex conceſsis. Sed tamen, quam Baronius ipſe, & ſi alias (vt vidimus, §. præcedenti) piæ opinioni diſſentiat, acri inuſſit nota *1.p. Theolog. moral. diſp. 2. ſect. 4. fol.* 241. [Quiſquis negaret, inquit, licitum eſſe credere Immaculatam Conceptionem Deiparæ) de hæreſi vehementer eſſet ſuſpectus, quod dubitaret de certa fide, nimirum de Eccleſiæ authoritate, emergentia circa Religionem dubia dirimendi.] Hæc Baronius, cuius cenſuram, quanti æſtimandam alijs iudicandum relinquo.

15 Pergo, & alias, ex concluſione Mercori, non minori cenſura dignas elicio. Arguo ſic. Non eſt licitum ſentire Beatiſsimam Virginem in primo inſtanti animationis fuiſſe ſanctam? Ergo non eſt licitum illam colere, vt ſanctam, pro illo primo inſtanti: Ergo Eccleſia Romana illicite colit, & rem illicitam fidelibus præcipit. Illationes ſunt evidentes. Qua verò cenſura notandæ? Iudices fidei cenſebunt. Vnum mihi certum nullum cenſuræ genus in illas in Bulla Alexandri VII. prohiberi. Ex earum verò abſurditate ab oppoſito conſequentis infertur, contra Mercorum, evidenter falſum eſſe, opinionem de Immaculata Conceptione eſſe minus probabilem.

16 Et ſane haud mirari non poſſum, quo principio, in eius mentem venire potuit, minus probabilem eſſe: Quam ante Bullam Alexandri VII. fuiſſe moraliter evidentem, ac certam dixerant P. Granado, Vvadingus, Peñaloſa, & alij apud Eminentiſsimum Cardinalem (& antea Generalem Hiſpani Tribunalis Inquiſitorem Ioannem Everardum Nidardum, in examine Theologico de hoc myſterio *part. 2. ſ.6.* Qui addit §.7. & 8 poſt Bullam Alexandri, eſſe Phyſice, & Metaphyſice Theologo certam: idque pluribus argumentis probat. Et ſaltem cõtrariam ſententiam, poſt præfatam Alexandri Bullam, non manere probabilem, ait Franciſcus Bonæ ſpei Carmelitanus in Apologemate retorto contra Caramuelem, *dub. 8. in fine, num.* 62. Nec mirum, cum pia opinio, vt ait Alexander VII. pleraſque *ex celebrioribus Academijs pro ſe habeat, & iam fere omnes Catholici* eam complectantur, & Eccleſia Romana de Immaculata Cõceptione feſtum ſolenniter celebret, ſimulque

que

que declaret, iuxta piam hanc ſententiam, à ſuis prædeceſſoribus, & præcipue à Sixto IV. Paulo V. & Gregorio XV. feſtum, & cultum inſtitutum eſſe. Imo addit Eminētiſsimus Cardinalis Everardo, poſt editum Alexandri VII. diploma, non poſſe, abſque eius tranſgreſsione, pronuntiari hāc propoſitionem. *Opinio aſfirmans Beatiſsimam Virginem contraxiſſe peccatum originale, eſt probabilis.* Quia huiuſmodi probabilitatem aſſerēs, hoc ipſo affirmat probabilia ſtare illius fundamenta, cū tamen Pontifex prohibeat inſolita relinquere.

17 Et quidem ex cultu, & ſolemni celebritate de Immaculata Conceptione, & ſanctitate in primo inſtanti animationis Beatiſsimæ Virginis infuſa; adeò aperte deducitur veritas opinionis piæ, vt nullum contrariæ opinionis probabilitati locum relinquat. Ita ſupponit Doctiſsimus M. Dominicus Grauina ex Ordine Prædicatorum, *tom. 2. Catholicorum præſcriptionum, quæſt. 6. art. 3.* [Proferant, inquit, adverſarij, abſoluto cultu, tanquam ad primarium obiectum B. V. propoſitam Immaculatā, & præſervatam, & iam cauſa finita erit.] Eſt ergo iam finita, cum Alexander VII. è Cathedra id protulerit; eſt ergo iam certum, & indubitatum Beatiſsimam Virginem in primo inſtanti creationis fuiſſe Sanctam. Quod modo in dubium non vertiſſet R. P. M. Turcus, Generalis Ordinis Prædicatorum, ſi poſt Bullā Alexandri ſcripſiſſet. Nam vt ipſe ait, voce, & nomine totius Ordinis, in libello ſecundo. [Eccleſiæ Sanctæ fixa eſt, & perpetua conſuetudo colendi non niſi certam, & indubitatam ſanctitatem; quod pro comperto habent Sanctus Bernardus, Sanctus Ildephonſus, & Sāctus Thomas, qui hac vnica ratione Nativitatē Virginis Sanctam fuiſſe tradunt. Quia Eccleſia ab antiquo eam celebrat.] Quibus addere potuiſſet Sanctum Auguſtinum, & Sanctum Bonavēturam, apud Euſebium Nieremberg, *ſup. cap. 27. fol. 172.* Et Sanctum Albertū Magnum *in Mariali de Laudibus Virginis, ſuper miſſus eſt, cap. 266.* Vbi eodem vtitur argumento. [Probatur; (inquit) Eccleſia celebrando feſtiuat eius Natiuitatem; ergo fuit ſancta, quando fuit nata.]

18 Et, vt verum fatear, ſemper mihi difficile fuit quomodo dici iam poſſit, licitum eſſe ſentire B. V. peccatum originale contraxiſſe; poſt quam Eccleſia declarauit, & decreuit eam colere, vt ſanctam, & à peccato originali præſeruatam, in primo inſtanti creationis, & infuſionis animæ in corpus? quomodo inquam oppoſitum licite ſentiri poſſit? Non capio. Quia vt colligitur ex D. Thoma, *quodlib. 9. art. 16* Si pia opinio non eſſet vera, daretur in Eccleſiā error damnabilis: [In Eccleſia, inquit, non poteſt eſſe error damnabilis, ſed hic eſſet error damnabilis, ſi veneraretur, tanquam Sanctus, qui fuit peccator.] Ergo eſſet damnabilis error in Eccleſia, venerari tanquam Sanctam B. V. in primo inſtanti, ſi in illo fuiſſet peccato maculata. Et vt ait 2. 2. *q. 93. art. 1.* Talis cultus eſſet *perniticſus.* Imo & cum ratione, & cum Evangelio pugnare dixit M. Cano *lib. 5. de locis, cap. 5. §. Mox etiam.* [Turpiter errabit Eccleſia in doctrina morum, ſi legē ferat de colendo divo, quem colere, ſi divus non eſt, & cum ratione, & cum Evangelio pugnat.] Quod tot inniti fundamentis aſſerit. [Vt qui fidem in his Eccleſiæ detrahunt, eos non hæreticos quidem, ſed temerarios, impudentes, irreligioſos eſſe credamus.] Hæc M. Canus. Cuius cenſuram Doctores alij ex eodem Prædicatorum Ordine, non ſolum approbant, ſed augent innixi authoritate Eccleſiæ, cultu, & celebritate, ſanctitatem alicuius venerantis. Legas quæſo M. Ioannem Martinez de Prado Primarium in Vniuerſitate Cōplutenſi, D. Thomæ Cathedræ moderatorem, *tom. 1. in 3. p. q. 66. dub. 12. §. 6.* Vbi de ſalvatione infantium, qui pro Chriſto ab Herode occiſi fuerunt, quam aliqui in dubium vocabant, ſic ſcribit [Dico 1 in dubitatum eſt, paruulos ab Herode occiſos fuiſſe ſalvatos, & eſſe verè Martyres. Eſt ita certa propoſitio, quod Soto *in 4. diſtinct. 3. q. vnic. art. 11. §. Præter hæc,* dicit, quod prima opinio peior eſt, quam falſa; repugnat enim authoritati Eccleſiæ Martyriū innocentium celebrantis. Nuño etiam, *art. 12.* dicit quod eſt temeraria, & proxima errori; Vazquez, *cap. 7. num. 72.* ait: quod temeritatis, & erroris notam meretur.] Sic M. Prado. Tanti ponderis eſt, apud viros doctiſsimos, Eccleſiæ authoritas feſtum celebrantis, & cultum exhibentis.

19 Nec mirum, quia feſti, & cultus publici inſtitutionem ab Eccleſiæ Capite, è Cathedra loquente, eſſe canonizationem Sanctitatis eius, qui colendus proponitur, aiunt M. Dominicus Baltanas in Margarita Confeſſorum, *fol. 184.* ibi: [Canonizare non eſt aliud, quam regulariter inſtituere, quod aliquis ſolemniter honoretur pro Sancto, authoritate Eccleſiæ, ſine qua non licet facere officium de aliquo, & preces ſolemnes.] Et Illuſtriſsimus P. M. Araujo *in deciſ. moral. tr. 3. q. 23. nu. 2* dicens: [Canonizatio eſt decretum definitiuum, quo Summus Pontifex definitiue conſtituit, vt poſsit, ac debeat vocari Sanctus, & tanquam Sanctus à fidelibus coli.] Qua autem certitudine tenēdum Pontificem in his errare non poſſe reſpōdet Araujo. [In hoc Papam errare non poſſe, eſt certum de fide; quia procedit, vt caput totius Eccleſiæ.] Idem ſenſit M. Baltanàs vbi ſupra cum alijs, quos refert dicens. [Ioannes de Neap. *quodlib. 11.* Et plures alij tenent ſimpliciter, quod aſſerere Papam poſſe errare in canonizatione Sanctorum, eſt hæreticum; & hæc eſt mens D. Thomæ 2. 2. Quia in ſpectantibus

ad

Digitized by Google

ad fidem, & bonos mores, aſſerere Papam poſſe errare eſt hæreticum. Sed Canonizatio Sanctorum eſt huiuſmodi, quia per eam ponuntur, vt exemplar fidei, & Sanctæ vitæ, vt invocandi ab omnibus in neceſsitatibus, &c. Ergo Papa in hoc non poteſt errare, & oppoſitum ſimpliciter eſt hæreticum, cum ſit directè contra articulum fidei, ſcilicèt credo Sanctam Eccleſiam, &c.] Hos ſequuntur P. Valentia, P. Turrianus, P. Caſtrus Palao, P. Amicus, P. Arriaga, & alij, quos citatos ſequitur Diana *part. 11. in fine, tract. 2. de infallibilitate decretorum* Romani Pontificis *reſ. 18.* & Leander a Sacramento *tom. 6. tract. 7. de adoratione, quæſt. 27.* Quibus adde M. Ioannem de Caſalas *in candore lilij ; §. 40. fol. 175.* dicentem [hæreticum ſe probare, qui negat D. Thomæ Sanctitatem, quem Apoſtolica Sedes toti Eccleſiæ Sanctum, & venerandum proponit.] *Et hunc eſſe contra hæreticos Catholicorum ſententiam habentem certitudinem infallibilis veritatis*, aſſerit M. Zanardus ex eodem Prædicatorum Ordine, *part. 2. verb. Hæreſis* circa Canonizationem Sanctorum. Quorum cenſura licet in re præſenti locum minimè habeat (hæreſis enim crimen non incurret, qui negauerit Sanctitatem Beatiſsimæ Virginis in primo inſtanti animationis, quam Apoſtolica Sedes toti Eccleſiæ venerandam proponit) ad eum tamen certitudinis gradum, ex hoc capite illam evehit, vt eam negare, quin rationi diſſonet, difficile percipiatur.

20 Hæc amice Lector ingenioli mei tarditatem fateri cogunt, vtpote neſcientis argumenta diſſoluere quæ perſuadere videntur, nequire, abſque vlla culpa, negari B. V. in primo inſtanti creationis fuiſſe Sanctam, cum ab Eccleſiæ capite iam declaratum ſit, vt talem colendam, & ſolemni Officio, & Miſſa venerandam.

21 Dices hoc aſſertum prohiberi in Bulla Alexandri VII. quia poſt declarationem cultus, & feſti Immaculatæ Conceptioni, iuxta piam opinionem, exhibendi, & celebrandi; ſubnectit [vetamus autem Sixti IV. conſtitutionibus inhærentes, quempiam aſſerere; quod propter hoc, contrariam opinionem tenentes, videlicet glorioſam Virginem Mariam cum originali peccato fuiſſe conceptam, *hæreſis crimen, aut mortale peccatum incurrant*, cum à Romana Eccleſia, & ab Apoſtolica Sede, non dum fuerit hoc deciſum, prout nos nunc minimè decidere volumus, aut intendimus.] Huic obiectioni ſic reſpondet Eminentiſsimus Cardinalis Euerardus Nithardus *art. 1* examinis Theologici, *§. 10.* [vides, inquit, iam; quid vetet Pontifex? Nempè *aſſerere* authores contrariæ opinionis eſſe *hæreticos* formales, aut peccato mortali obnoxios; quamuis non vetat (ſaltem hoc ſecundum) poſſe quempiam ſentire, & cur hoc vtrumque vetat aſſerere? Audi cauſam, cum, inquit, à *Romana Eccleſia, &c. non fuerit hoc deciſum.* Hoc, inquit, id eſt, an contrariam opinionem tenentes re vera ſint, & appellari poſsint formales hæretici, aperteque mortale peccatum committant? Hoc dici, & aſſeri poſſe, vetat Pontifex, eo quod non dum ſit deciſum, an dicta crimina hucvſque incurrerint. Hoc igitur eſt illud *Hoc*, quod per iſta verba aſſerit Pontifex, *non dum eſſe deciſum*, & nil aliud ſaltem directè, & explicite.] Hæc Eminentiſsimus. Cæterum mea nihil refert, hæc verba Pontificis ad Immaculatam etiam Conceptionem, (vt verius cenſeo) referri. Ego enim non aſſero, me ſentire tenentes contrariam opinionem peccare mortaliter; ſed argumenta ſuadentia eſſe illicitum (quod longe minus eſt) me neſcire diſſolvere. Inſuper licet verbis Alexandri VII. prohibeatur *aſſerere* tenentes contrariam opinionem *peccare mortaliter*; id tamen ſentire, nulli eſt prohibitum; & ita cum Eminentiſsimo Cardinali Everardo vbi ſuprà concedere debemus. Similiter licet certum ſit, declarationem ab Alexandro VII. & à Summis Pontificibus factam de Sanctitate B. V. in primo inſtanti creationis, non fuiſſe definitionem illi tribuentem certitudinem fidei (id enim apertè declarat Summus Pontifex.) Alios autem inferiores certitudinis gradus piæ opinioni concedere, nulli prohibet, ſed Theologis iuxta ſana principia determinandos, taxandoſque relinquit. Qui tamen advertere debent ad obligationem cultus certam, & indubitabilem, vtpote actionis moralis voluntatis, non requiri certitudinem ſtrictam, & rigoroſam de exiſtentia obiecti. Quapropter rectè ſtare poteſt Pontificem definire cultum Immaculatæ Conceptionis; quin eam definiat. In quo funditur prohibitio cenſuræ hæreſios, & peccati mortalis in authores partis adverſæ. Videatur D. Thom. 2. 2. *quæſt. 1. art. 3. ad 1.*

22 Addo quod non prohibet *aſſerere* tenentes contrariam opinionem, aut interne illi aſſentientes peccare venialiter. Quod multis probat Eminentiſsimus Cardinalis Everardo, *part 4. §. 7.* primo, quia non eſt licitum ſentire, & iudicare interius Sedem Apoſtolicam, aut Sanctam Romanam Eccleſiam errare, aut errare poſſe circa fidem bonos mores, & Cultum Diuinum; ita vt colat, aut colendam præcipiat perſonam, aut rem aliquam à parte rei non Sanctam, & Sacro Cultu indignam vt diximus ſuprà. Et probatur inſuper: Quia vt ait M. Canus *de locis lib. 5. cap. 5. quæſt. 5. § deinde.* [Cum Chriſtus dixerit illa: quæcumque *dixerint vobis facite, & qui vos audit, me audit*, quibus præcipimur Eccleſiæ legibus obtemperare, ita ſi erraret illa, Chriſtus nobis erroris author eſt.] Secundò, quia à vitio ſingularitatis excuſari non poteſt, diſcrepare à Romana Eccleſia, fereque omnium Catholicorum ſententia. Tertiò, quia licet ori-

gi-

Digitized by Google

ginalis gratiæ exiſtentia non ſit formaliter expreſsè, ac directè, ſed ſolum virtualiter, & indirectè ab Eccleſia declarata, non videtur tamen fore extra culpæ periculum, is, qui contra eam interius ſentiret, eo quod eiuſmodi ſe ſe opponeret legi naturali, rectæ rationi, & conſcientiæ, quæ dictat ſubmittendum iudicium declarationi Reali, tacitæ, indirectæ & virtuali, opere ipſo, à Pontificibus, & Eccleſia exhibitæ, & à fere omnibus Catholicis exceptæ. Ergò eiuſmodi ſenſus internus non videtur poſſe eſſe licitus. Sic diſcurrit Emmentil. Card. & bene quidem. Ac proinde cum nullibi ſit prohibitum aſſerere, non eſſe licitum in genere, aut eſſe culpam venialem, non eſt, cur id aſſerere ne queamus.

23 Ex dictis conſtat, quantum à veritate deuiarit Mercorus, cum dixit opinionem affirmantem Immaculatam Conceptionem B. V. *eſſe minus probabilem contraria*. Ac proinde non eſſe licitum illam ſequi. Quando quidem non de illa, ſed de contraria, id aſſerere debuiſſet. Dices Ita de facto rem eveniſſe, quia, cum ſcripſit *partem affirmatiuam in hac controuerſia eſſe minus probabilem*: non de affirmante Immaculatam Conceptionem eſt intelligendus, ſed de affirmante peccatum originale. Sed contra manifeſte, quia argumentum P. Spinulæ, cui Mercorus reſpondit, contendebat probare, licitum eſſe opinionem probabilem ampiecti, relicta probabiliori. Quod efficaciter ad hominem, ſic probauit[pars affirmans Immaculatã Conceptionem eſt probabilior, & tamen ſecundum Patres Dominicanos, licitum eſt contrariam negatiuam ſequi. Ergo licitum eſt opinionem minus probabilem amplecti, relicta probabiliori.] Cui Mercorus reſpondet, *partem affirmatiuam eſſe minus probabilem*, ac ſi diceret: verum eſt licere contrariam negatiuam ſequi: quia eſt probabilior; non verò licere affirmatiuam Immaculatæ Conceptionis amplecti, quia hæc eſt minus probabilis. Hæc videtur ſolutio Mercori, ad inſtantiam de Conceptione ab Spinula factam, ad illius principium de obligatione ſequendi probabiliorem, labefactandum.

24 Cæterum violenta explicatione à te data in gratiam Mercori gratis admiſſa, ſic in ſodales argumentum retorqueo. Non eſt licitum ſequi opinionem minus probabilem, relicta probabiliori, ſed opinio affirmans B. V. peccatum originale contraxiſſe, eſt minus probabilis cõtraria, (vt aſſeris.) Ergò non eſt licitum illam ſequi. Ergò non eſt licitum id ſentire. Concluſio eſt euidens ex præmiſsis. Quam aliter ſic euinco. Opinio affirmans peccatum originale in B. V. vel eſt probabilior, vel minus probabilis contraria? Si minus probabilis non licet iuxta Mercorum Dominicanis illam ſequi, ſi probabilior non licet Eccleſiæ contrariam amplexari. Ergò nequit Mercorus vitare Caribdim, quin incidat in Scyllam.

25 Adde nullum Catholicum negere poſſe cultum, iuxta piam opinionem, ab omnibus Chriſti fidelibus B V. in primo inſtanti creationis, licite exhibendum: nam ait D. Thomas (in alio caſu) *opuſc 19. cap. 3. prope finem*, in his, in quibus Apoſtolicæ poteſtati derogant, non ſolum falſitatis, ſed etiam hereſis crimen incurrunt. Quia vt dicitur in decretis *diſt. 22. cap. omnes*. [Qui Romanæ Eccleſiæ priuilegium ab ipſo ſummo omnium Eccleſiarum capite tradi, tum auferre conatur, hic proculdubio in hæreſim labitur,] & infra. [Fidem quippe violat, qui adverſus illam agit, quæ eſt fidei Mater. Hoc autem priuilegium Chriſtus Romanæ Eccleſiæ contulit, vt omnes ei, ſicut Chriſto obediant.] Hactenus ibi. His ſatis demonſtratum manet, duplicem opinionem contrariam poſſe eidem intellectui eſſe probabilem. Quod nos intendimus de facto Dominicanis, circa Immaculatã Conceptionem, contingere; nec aliter poſſe cenſuram vitare, qui ſenſerint B. V. peccatum originale contraxiſſe; cum teneantur ex præcepto Eccleſię, ſecundum contrariam ſententiam, de Immaculata Conceptione, & Sanctitate in primo inſtanti animationis infuſa, Feſtum celebrare, & Cultum exhibere.

§. III.

Argumento alio à principijs extrinſecis probatur.

26 Deinde aliter à principijs extrinſecis ſic oſtendo. Quando plures viri probi, & periti in vnam ſententiam conveniunt, manifeſtum à poſteriori eſt, pro illa militare optimas rationes, grauiaque habere fundamenta; ideóque intrinſecè probabilem eſſe. Sed ego evidenter ſcio Thomiſtas, poſt præuiſa, & examinata vtriuſque partis contradictionis fundamenta; iudicare *hunc contractum*, v.g. eſſe licitum, & è contra, poſt omnia etiam examinata, contrarium iudicare Scotiſtas. Ergò euidenter ſcio vtramque opinionem contrariam grauibus fundamentis inniti; & ideò vnam, & alteram eſſe intrinſece probabilem. Et quidem vtraque ſchola ita cenſet: & per aſſenſum ſcientificum iudicari, vt in plurimum, in Moralibus, propoſitiones eſſe probabiles, ait Candidus Philalethus *de opinionum praxi, fol. 57.* Quamvis enim in aſſenſu de abſoluta rei veritate, Doctores non conveniant, ſuis tamen iudicijs ſimul probabilem reddunt vtramque partem contradictionis: in hac parte omnes fere Theologi bonæ notæ conveniũt, ideòque, vel vtramque opinionem probabilem proferunt, vel ſuam vnuſquiſque probabiliorem vocat, & rariſsimè certam: qui enim ſuam certam putat, contraria eſt illi improbabilis. Quod raro contingit. Ideòque vt in plurimum vtram-

vtramque opinionem probabilē relinquunt. Vt benè ait Honoratus Fabri *Dialogo 2. fol. 33. & 34.* Alias nec Thomiſta cenſere poſſet probabilem opinionem Scotiſtæ; nec è contra; quod evidenter falſum eſſe, experientia teſtatur: cognoſcitur ergo evidenter principia eſſe certo probabilia, & ex his præmiſsis cōcluſionem deductam certo probabilem eſſe. Quia ex certo probabilibus concluſio improbabilis non eſt. Sic & bene P. Antonius Perez *tr. 1. de iuſt. diſp. 4. c. 6. n. 139.* vbi ſic: [Poteſt accidere, vt tales rationes pro vtraque parte occurrãt, vt poſsimus iudicare, vt ſi varijs hominibus proponantur illæ rationes, alijs appareat probabilior pars affirmatiua, alijs negatiua. Eidē autem intellectui non poteſt vtraque pars probabilior videri. Quare, vel apparebit æquè probabilis, vel vna probabilior.]

27 Inſtat Cella Dei, *lib. 3. q. 19. §. 3. fol. 328. verſ. 7. & fol. 660. verſ. illud præterea.* Et vi conſequentiæ ductus proferre audet: tuto ſtari non poſſe in aliquo dicto D. Thomæ, ſi in eo habet ſibi contrarium Scotum, (ſuppono eſſe æqualiter ſapientes) nullãque id eſſe irreuerentiam erga Diuum Thomã, ſed potius contrariũ eſſe contemnere Scotum, ſine iure, & ratione vlla. Quod ſe demonſtrare iactauit. *lib. 2. q. 11. §. 4. fol. 255.* [Eo, quod in authoritatibus ſibi contradicētibus, nulla eſt præſumptio veritatis in vtriſque ſimul, ergo nulla authoritas in vtriſque ſimul.]

28 Cæterũ quis proferre audeat, quod D. Auguſtini, & D. Ambroſij in aliqua cōcluſione ſibi cōtradicentiũ, nulla ſit authoritas; & quod nulli poſsimus in cōſcientia tuto ſtare? Horrēt aures! Concedit tamē Cella Dei; quia authoritas fundatur in ſcientia, & peritia docētis: [alterutra autē, inquit, ex cōcluſionibus cōtradictorijs, habet in authore ipſam docēte, imperitiã, ignorantiã, & errorē: ergo vtraque nō eſt probabilis.] Hoc argumentũ demōſtratiue cōcludere putat: ſed fallitur. Quia ſcientia, qua Auguſtinus in ſuis cōcluſionibus veritatē plerũque attingit, eſt ſufficiens motiuũ, vt in hac cōcluſione particulari nō errare probabile ſit, dũ oppoſitũ aliunde certo nobis nō conſtet: Et ſimiliter quod nec D. Ambr. ſeorſim in cōtraria. Alias in his, quibus DD. Eccleſiæ, aut ſcholæ cōtrariæ ſibi pugnant, nullius eſſet authoritas: quod dicere nefas eſſet. Quia licet evidens nobis ſit alterũ eorũ vage, & indeterminate falli, hæc tamē certitudo, & evidentia ſolũ evincit vtrũque Doctorē ſimul nō habere ſcientiã ſuæ concluſionis: nō verò eſt incōpatibilis cum probabilitate cuiuslibet determinatæ & ſeorſim ſumptæ: quia ad vniuſcuiuſque ſeorſim aſſenſum probabilem, ſufficiens nobis motiuum eſt authoritas docentis,

29 Reſpōdeo: ergo quod licet vterque nō faciat præſumptionē, quod vtraque pars ſit ſimul vera; quia hoc implicat, facit tamē vterque ſimul præſumptionē grauitatis fundamentorũ, quibus vnuſquiſque mouetur ad prudenter eis aſſentiendũ; & ideò, & probabilitatis cōcluſionis ex illis deductæ: & vterque ſimul vtraque fũdamēta ſimul probabilia cōſtituit; & probabiliter verã vtramque concluſionē; & in vtroque ſimul eſt præſuptio veritatis alterius partis. In vno, quia eã defedit vt verã; in altero, quia probabilē relinquit. Ergo in vero quidē, & legitimo ſenſu, duas opiniones cōtrarias eſſe practicè probabiles cōperimus. Quod vltra ſuperius dicta, probãt efficaciter omnia principia, quibus infra evincam, licitum eſſe cōtra propriam opinionem ſpeculatiuè, & practicè probabilē, ea vt probabiliori retenta, conſulere, & operari: ſicut de facto, vt dixi, doctus Dominicanus retenta propria opinione, ſentire deb et eſſe probabile, B. V. fuiſſe conceptam ſine originali, vtpotè, qui ad cultum huius myſterij, officio diuino, & miſſæ celebratione tenetur.

30 Roboratur diſcurſus. Nō repugnãt hęc duo iudicia opinitiua modalia de dicto cōtradictorio: *probabilius eſt non eſſe; probabile eſt eſſe*, circa eandē omnino rē, ſub eiſdē circũſtãtijs, eſſe ſimul vera: ergo nō repugnat duas concluſiones modales de dicto cōtrario eſſe ſimul veras. Antecedēs probo ex ipſo Cella Dei *in* ... *d.* 6. §. 4. *fol. 689.* vbi adducit verb. D. Tho. naturã opinionis ſic exponētis. *Cũ aliquid intelligimus* (ait Angel. Doct.) *aſſerimus ſic eſſe: cũ autē opinamur, dicimus, ſic videri, vel apparere.* Ex quibus infert ipſemet Cella Dei, *vbi ſup. §. 7. fol. 696.* Opinãtē verũ dicere, licet res, quã ſibi ſic videri affirmat, ſecus ſe habeat. *Nã opinãs*, inquit, *ſolũ dicit ita ſibi videri; quod veriſsimũ eſt*, & q. 7. fol. 697. *Nō enim abſolutè dicit rē eſſe, ſed ſibi videri, quod minus eſt; ſed tamē verũ; vt de homine picto, dicere nō poſſumus eſſe hominē, verè tamē dicimus eſſe hominē pictũ.* Ergo iudiciũ D. Thom opinãtis hũc contractũ eſſe licitũ, cũ ſolũ affirmet, *ita ſibi videri.* Veriſsimũ eſt. licet, ſi ita nō ſit, male ipſi viſum erit. Et ſimiliter iudiciũ Scoti, quo licitum eſſe negat, cũ ſolũ enuntiet, quod ita ſibi videtur, veriſsimũ etiã eſt. Ergo cũ aliunde vterque, abſque grauibus ſuo iudicio fundamentis, hæc nō pronuntiet; vtriuſque opinio probabilis cuique prudēti videri debet, & niſi temere, nullius improbari poteſt. Hoc argumentũ ad hominē rectè cōcludit, ſed parũ illi fido, qui falſo nititur principio: nam qui opinatur, abſolutè affirmat, vel negat in mente, rem eſſe, licèt ex eo, quod iudicium formidinem includit de oppoſita, ſoleat vocibus explicari dicendo: *Videtur mihi ita eſſe, vel non eſſe*, quibus non habere certitudinem ſignificat. Cæterum ad rem noſtram deueniendo duas opiniones contrarias poſſe ſimul probabilitate gaudere, pluribus in locis, à *fol. 51.* paſsim approbat Candidus Philalethus *de opinionem praxi*, dicens duas opiniones

Digitized by Google

contradictorias oppoſitas non ſolum eſſe poſſe probabiles; ſed nobis id evidẽs eſſe. Sic *fol.* 60. & 61. [Hoc, inquit, ſcimus, nõ opinamur: quia ſcimus medium, ſeu rationẽ eſſe alicuius momenti, & eſſe fallibilem.] & *fol.* 78. [eſſe aliquid probabile non opinamur, ſed ſcimus.] & *fol.* 123. [poteſt autẽ vtraque contradictoria per diverſa fundamenta rationum, ſiue media cognoſcendi, apparere vera, & ſic iudicari ab intellectu probabilis.] & *fol.* 172. [Hoc iudiciũ eſt evidens de probabilitate honeſtatis.] Quãdo autem dicimus vtramque opinionem eidem intellectui probabilem eſſe, non dicimus eidem videri rem eſſe, & nõ eſſe, ſed videri probabile vtrumque, in quo nulla eſt oppoſitio, vt benè expedunt P. Vazquez 1. 2. *diſp.* 62. *cap.* 3. P. Sanchez *lib.* 1. *ſumm. cap.* 9. *n.* 12. & cæteri Theologi, quos ſequitur Cãdidus Philalethus, vbi ſupra in editione Cremonenſi anno 1646. Quia hoc tantum ſignificat, vtriuſque opinionis fundamenta ea grauitate vigere, vt viros alios probos, & doctos, in contrarias opiniones abire compulerint, & quod eundem intellectũ, alia ad aſſenſum vnius partis, alia ad alterius, vehementer impellãt: ideoque hæc iudicia vera exiſtent, licet, vel neceſſario (vt quidem volunt, quos mordicus ſequuntur Philalethus, Mercorus, & Cella Dei) intellectus propter æqualitatem motiuorum, vel (vt alij communiter cenſent) ex imperio voluntatis, iudicium ſuſpendat, & cum rei veritatem abſoluto iudicio attingere nequeat, vel nullum, vel modale circa eius probabilitatem eliciat. Et quidẽ duas opiniones contrarie oppoſitas eſſe poſſe eidem intellectui probabiles, ſiue æquè, ſiue vnam minus altera; pluribus S. Auguſtini locis, tranſcriptis verbis, ſuadet P. Eſparça *in Appendice, p.* 2. *art.* 127. & inter antiquos, & modernos, ſi vnum vel alterum excipias, eſt indubitatum.

ſ. IIII.

Obiectiones diluo.

31 OBijcit Cella Dei, *lib.* 2. *q.* 18. *ſ.* 3. *fol.* 222. nobis evidenter eſt notũ, alterutra fundamenta, vel eſſe falſa, vel nõ inferre concluſionem; quia ex vero non ſequitur niſi verum: & alteram ex contradictorijs, falſam eſſe, neceſſe eſt. Ergo alterius partis fundamẽta, nec in ſe, nec quoad nos grauia ſunt: non in ſe, quia vel falſa, vel non illatiua concluſionis: non quo ad nos; quia graue fundamẽrum, quoad nos non eſt, quod evidenter ſcimus, aut eſſe falſum, aut non illatiuum cõcluſionis. Reſpõdeo grauitatem fundamentorum non identificari cum eorum veritate: grauia enim illa ſunt, quibus intellectus duorum virorum grauiſsimorum contrarijs opinionibus, ex imperio voluntatis, prudenter aſſenſum præſtiterit: & ideò talia cenſere debemus illa, quibus D. Thomas, pro ſua opinione, & quibus Scotus pro contraria innixus eſt: quia ſua vnicuique talia viſa ſunt, & non vera eſſe, ſed ita ſibi videri, dum opinati ſunt enuntiarunt, & talia etiam ſunt, quæ eundem intellectum, omnibus libratis mouent ad duo iudicia modalia de probabilitate honeſtatis, & inhoneſtatis obiecti. Quæ enuntiationes veriſsimæ ſunt; licet, re ipſa, alteruter fallatur; ergo licet certum nobis ſit alterutra fundamenta eſſe falſa; tamen cum vtraque probabilia cenſeamus; vtraque grauia in ſe, & quo ad nos erunt. Grauitas enim fundamentorum non ex veritate, ſed ex apparentia veritatis deſumitur; nempè, quia tanta eſt, quod ſuo pondere, vt eſt in mente viri pij, & docti, & irreprehenſibiliter iudicãtis; intellectum ad vnius partis cõtradictionis, poſt prauiſa alterius fundamenta, aſſenſum trahat. Quod rectè cohæret cum ſententia recentiorum quorumdam, quos Cella Dei ſequitur, exiſtimantium; eum cui æqualia appareant, nequire ex imperio voluntatis in vnam contradictionis partem præ alia flecti, ſed neceſſario manere ſuſpenſum. Quod, licet verum admittatur, quoad abſolutum aſſenſum de veritate concluſionis, non tamen verum eſt, quoad iudicium de probabilitate fundamentorum, & concluſionum. Quia vtraque fundamenta determinate poſſunt eidem intellectui proponi vt probabilia intrinſecè, vel extrinſecè, propter authoritatem Doctorum, qui illis innixi in contrarias opiniones abierunt. Licet alterutra vage, & disiunctim falſa eſſe, aut non illatiua concluſionis, evidenter noverit. Hoc enim eorum probabilitati non obſtat, ſicut nec probabilitati ſimultaneæ duplicis concluſionis contrariæ: quarum alteram eſſe falſam, vage & disiunctim ſcimus. Vt cõſtat ex ſupradictis contra argumentationem Cellæ Dei. Quia probabilitas non opponitur falſitati, ſed improbabilitati.

32 Inſtat iterũ, *fol.* 243. Fundamenta cõtrariarum concluſionum, quando ſimul concurrunt, nemini eſſe grauia, quia neminẽ mouere poſſunt. Hoc autem manifeſtè falſum eſt, vt experientia comprobat, nam Scotiſtis, & Thomiſtis, propoſitis hinc inde, & ponderatis, alij in vnam, alij in aliam contradictionis partem abeunt, & fundamenta ſuæ partis ſinguli grauiora reputantes, contrariæ opinionis grauia eſſe, frequenter pronuntiant: falſo ergo iactauit hic recentior, nemini eſſe grauia, quãdo ſimul pro contradictione occurrunt. Hæc doctrina habet pro ſe Auguſtinum, *libr.* 2. *de Doctrina Christiana, cap.* 8. Vbi circa Scripturas Canonicas controverſas, ſic Theologum inſtituit: *Si alias invenerit à pluribus, alias à grauioribus* (pro canonicis) *haberi*,

quam-

quanquam hoc facile invenire non poſsit, æqualis tamen authoritatis eas habendas puto. Cenſet ergo Auguſtinus vtriuſque partis contradictionis fundamenta gravia eſſe, & reſpectu ſui intellectus probabilia; & æquè probabilia: & conſonat pluribus in locis, in quibus in æqualitatem etiam fundamẽtorum non tollere vtriuſque probabilitatem ſupponit, dum eam, quam ipſe ſequitur, probabiliorem dicit. Vide Eſparça *in appendice, p. 2. art. 127.* vbi plura ipſius Auguſtini loca congerit.

33 Inſtat tertio Cella Dei, alterutra eſſe ſolum gravia ſecundum quid; quia ſunt gravia per accidens; & ſolum poſſunt movere ex errore, & ignorantia; cum ſint falſa, vel concluſionem non inferant, quæ pro inde, vt in ſe ſunt cognita nil moverent. Reſpondeo obiectionem verum continere, ſumpta gravitate pro veritate, ſed in præſenti aliter accipitur. Et ſecundum omnes Theologos, verum eſt opinionem D. Thomæ, & contrariam Scoti, gravia fundamenta habere, & tamen omnibus notum eſt, alterutra eſſe falſa, aut concluſionem non inferre. Ergo fundamenta ſimpliciter gravia omnes intelligunt probabilia, ſeu quibus intellectus viri probi, & docti prudenter aſſentitur, licet re ipſa falſa, quia certitudo falſitatis ſolum opponitur probabilitati, quando determinate de aliquo principio, ſeu concluſione habetur; non quando vage, & disiunctim, vt ſupra demonſtravi. Quod evidenter conſtat ex verbis Auguſtini ſupra adductis, & experientia: quia omnes Theologi quoties libratis vtriuſque partis rationibus, alteri aſſenſum probabilem præſtant; contrariam, vt ſæpè notaui, *eſſe probabilem*, ſimul dicere ſolent, & ſi debilioribus fundamentis innixam. Hunc diſcurſum probant communiter Doctores, quos invenies citatos *1. part. tract. 1. diſp. 1. quæſt. 5. & 6.* Sic Pater Thomas Sanchez *lib. 1. in decalogum cap. 10. num. 9.* [Si rationes, Inquit, non convincentes rem eſſe alienam, ita aſſenſum generant, vt adhuc reputat ille probabiliter, rem eſſe ſuam, verum eſt cum nil teneri reſtituere: quod integrum ſit hanc opinionem probabilem relicta probabiliori, ſequi.] Quod prædixerat *cap. 9. num. 12.* his verbis, [nil repugnar, vt duas opiniones è Diametro ſibi contradicentes idem intellectus probabiles iudicet, aut æquè, aut alteram probabiliorem, &c. nec id eſt duabus contradictorijs aſſentiri, cum intellectus non affirmet vtramque partem eſſe certã, ſed vtramque eſſe probabilem, id eſt neutram ita certam, quin vtraque probabiliter ſubſtineri valeat.] Idem prorſus docet P. Vazquez 1. 2. *diſp. 62. cap. 3.* vbi ait. [Eum, qui habet aſſenſum vnius partis cõtradictionis per propria, & intrinſeca principia, poſſe per extrinſeca principia, exiſtimare oppoſitam partem, eſſe probabilem.] Idemque repetit, *cap. 4. num. 17. & cap. 6. num. 32. & cap. 9. num. 47.* Quod non eſt ita intelligendũ, vt intellectus poſsit habere duos aſſenſus ſimul. [*Peccatum eſt pingere in die feſto, non eſt peccatum pingere in die feſto.*] Vt bene obſervat, illum ſequutus, Iulius Mercorus 2. *part. Baſis, art. 2.* Licet male illum explicet. Quia Vazquez ita exponendus, quod recento iudicio modali de maiore probabilitate propriæ ſententiæ, ex principijs intrinſecis, poſsit iudicare, ob extrinſeca, contrariam eſſe probabilem. Si autem abſoluto iudicio aſſentiret eſſe peccatum, & ſimul aſſentiret eſſe probabile non eſſe peccatum, à fortiori dicendum, primum iudicium eſſe ſpecularivum, & non procedere abſolute, ſed cũ reſtrictione, præſcindendo ab authoritate extrinſeca, & cõſideratis motivis intrinſecis tantum, vt ipſemet Iulius Mercorus bene ait *vbi ſupra, & 3. p. Baſis, art. 27.* & ſic ſe explicat Vazq. *diſp. 62. cap. 4. n. 14.* verbis infra dandis, *q. 3. n. 3.* Et ſic exponendi cæteri, qui cũ illo ſenſerint, & reijciendus Mercorus, dum 2. *p. art. 3. in fine*, ait. Eum, qui oppoſitã opinionẽ iudicat probabilem, non iudicare ſibi probabilem; ſed alteri, qui ſeorſim apprehendat motivũ illius, & ſolutiones non penetret. Hoc enim prorſus falſum eſt. Quia Scotus tàm ſuæ, quàm D. Thomæ opinionis fundamenta ſimul conſideravit, ſicut & eius diſcipuli, & ſolutiones penetrant: & tamen propria opinione. vt probabiliori retenta, contraria D. Thomæ ipſis probabilis eſt; vt docent communiter Doctores apud Laymam ſupra: tum quia P. Vazquez ait licere contrariam ſequi, quod falſum eſſet, ſi probabilis ſibi non eſſet. Vide etiam ſi placet Doctiſsimum M. Araujo Dominicanum Antiſtitem Segobienſem *in deciſ. moral. diſp. 9. de ſtatu ciuili, caſu 3.* Vbi hanc doctrinã, vt omnino certam ſupponit, dicens; [in æquè probabilibus poſſe licite, contra propriam, alteri opinioni ſe conformare:] Et *num. 6.* ait contrat iã ſententiam eſſe *irrationalem.* [Nam præterquã quod eſt contra communem, &c. patentes pro ſe habet rationes.] Quibus adde M. Scotũ *lib. 6.* de iuſtitia, *quæſt. 1. art. 6. prope finem*, vbi ait. [Quando ſunt opiniones probabiles inter graves Doctores, vtramque ſequaris in tuto habes conſcientiam.] Et mirabilem Theologum Antonium Perez *tr. 1. de iuſtitia, & iure, diſp. 4. c. 1. n. 11* vbi inquit [eſt alia ſententia ſingularis negans dari opinionem probabilẽ circa factũ, licet poſsit reperiri maior, & minor probabilitas circa ius, ſed hæc ſentẽtia non eſt probabilis, quamvis habeat bonũ Authorẽ. Quis enim dubitare poteſt dari ſententias probabiles contrarias circa hiſtorias, quæ factũ quoddã continent?] Eſt ergo apud Doctores indubitatum duas opiniones contrarias poſſe ſimul eſſe probabiles: contra quod, dictum vnius, vel alterius, dictum nullius reputari debet.

34 Ex quibus evidenter deducitur, rectè compati, ſecundùm communem ſententiam Doctorum, vtramque contradictionis partem habere fundamenta grauia, reſpectu eiuſdem intellectus, ſiue æquè ſiue minus grauia pro vna, quam pro altera; & illorum ratione poſſe iudicare opiniones eſſe æquè probabiles, aut alteram probabiliorem. Eſt tamen advertendum, quod licet reſpectu eiuſdem intellectus, certiſsimum eſſe poſsit, duas opiniones contrarias eſſe probabiles, nequit verò eſſe illi probabile vtramque eſſe veram: quia duas contradictorias eſſe veras, eſt evidenter falſum.

QVÆSTIO TERCERA.

An Theologus contra propriam opinionem practicè probabilem iuxta alienam conſulere poſsit?

1 NEgant Adrianus, & Corduba, quibus nouiſsimè tenaciter adhæſit Antonius Cella Dei *in libro de recta doctrina morum, lib. 1. quæſt. 17. fol. 136. & ſeq. & lib. 3. quæſt. 11. 12. & 13. à fol. 440.* Eorum fundamentum eſt. Nam qui conſulit operationem aliquam, debet iudicare in his circunſtantijs, eſſe licitam, qui autem contrà opinatur, iudicat non eſſe licitam; ergo nequit contra propriam opinionem practice probabilem conſulere: alias duos ſimul contradictorios aſſenſus haberet, nempè eſſe, & non eſſe licitam: quia omnibus fundamentis, circunſtantijs, & motivis, tàm à ratione, quàm ab authoritate prævisis, & ponderatis, opinatur; v.g. *contractum hunc non eſſe licitum*; & in ſuper nulla variatione ex parte obiecti facta, nullaque circunſtantia de nouo occurrenti, ſimul iudicaret *eſſe licitum.* Dedi paucis, quæ Cella Dei diffuſiſsimè vbi ſuprà.

2 Hoc argumentum, quod intentum convincere, ſæpè ipſe iactat, facillimo negocio eneruabis; ſi enim advertas, eum, qui propter motiua, quæ pro parte negatiua ſolidiora ipſi apparent, opinatur contractum illum non eſſe licitum, poſſe dupliciter ſe habere, vel abſolutè negando contractum eſſe licitum, vel modaliter affirmando probabilius eſſe, nõ eſſe licitũ: nam vt per ſe notum eſt; liberum eſt iudicanti vno, vel altero modo tendere: quia motiua cũ non ſint evidentia, non neceſsitant intellectum ad iudicium abſolutum: ideoque poteſt in omnium opinione, (etiam recentioris) omnem actum ſuſpendere, ex imperio voluntatis, nulli parti contradictionis aſſenſum præſtans. His facillimè, vt dixi, ex ſufflatur argumentum ſuperius factum.

3 Reſpondeò ergo verum eſſe cum vltimo iudicio practico abſolute negante contractum eſſe licitum, compati non poſſe aliud iudicium id ipſum affirmans, nec in hoc ſenſu Doctorẽ vllum, credam, affirmaſſe licere conſulere contra propriam opinionem, ea retenta. Solũ enim defendunt cũ iudicio modali, quo quis affirmat probabilius eſſe, contractum non eſſe licitum, rectè compati iudicium aliud modale affirmãs probabile eſſe cõtrariũ. Eo quod motiva partis adverſæ, alijs Doctoribus probatæ authoritatis, efficaciora apparent, ipſoſque magis alliciant, ad iudicãdum eſſe licitum; licet Doctori conſulto contra contingat; ideoque contrariã opinionem defendat. Nihil antẽ prohibet Doctorem, qui prius iudicabat, contractum abſolutè non licere, hoc variare iudiciũ, & ab abſoluto ad modale gradum facere (vel vtrumquẽ circa illicitum ſuſpendere) quia ſicut antea ſub eiſdẽ motiuis, potuit vnum, vel alterũ elicere, ita modo ſub eiſdem poterit, primo abſoluto relito, ad alterũ prohibito tranſire. Argumentũ ergo recentiorum nil concludit, quia aſſeritus iſti, *probabilius eſt contractum non eſſe licitum: probabile eſt eſſe licitum.* Affirmatiui ſunt, nullãque oppoſitionem habent, vt omnes fatentur. *Dixi cum vltimo iudicio practico;* quia perſeverante iudicio ſpeculativo, quo quis credit aliquid non eſſe licitum, poſſe practice credere, oppoſitum, docent non pauci quos ſequitur Iulius Mercorus *3. p. Eaſis* [illegible] *27. verſ.* [illegible] *quod magis. Quod prædixerat 2. p. art. 2.* Quia datur aliqua variatio ex parte obiecti; ſed nõ eſt opus ad has anguſtias tyrones reducere, prima enim ſolutione retenta, facilius ſolvitur difficultas.

4 Sic P. Suarez *1. 2. tr. 3. de bon. & mal. diſp. 12. ſect. 6. n. 9.* vbi ait, conſulentem contra propriam opinionem, quam probabiliorem putat, licite conſulere, dummodo veritatem in ſuis reſponſis retineat. [Quia non dicit ſimpliciter, id ſibi probabilius videri, aut ſpeculative verũ; ſed ſolum poſſe id ſine peccato fieri, ex probabili ſententia aliorum.] Idem tradit Vazq. *1. 2. diſp. 62. cap. 4. n. 14.* [Hæc inquit, ſententia intelligenda eſt, retenta propria opinione, vt probabiliori, ita tamen, vt per extrinſeca principia exiſtimans vir doctus contrariam opinionem eſſe probabilem in vniverſum conſideratam, formet ſibi iudicium conſcientiæ ſingulare, quo iudicet licitum ſibi eſſe, ſic operari] ſecus, inquit, *diſp. 67. cap. 1. n. 4.* ſi in vniverſum ſentiret aliquod eſſe peccatum, nempè iudicio abſoluto; iſte enim non poſſet iudiciũ ſingulare formare, quo crederet ſibi eſſe licitum. [Quia impoſsibile eſt in eodem intellectu eſſe ſimul contrarios aſſenſus.] Sic ibi; & ſic exponendus Cardinalis de Lugo, *tom. de fide, diſp. 11. ſect. 3. num. 41.* & ſi laxius loquutus videatur. Idem prorſus ſentit Thomas Sanchez *in Sum. lib. 1. cap. 9. num. 12.* Quibus conſentit Candidus Philaletus *de opin. praxi, fol. 50. & 51.* vbi ſic [non repugnat eſſe rationes probabiles intrinſecas pro vtraque parte contradictionis; ſed quia magis ſunt pro vna, quã pro altera; opinabitur quis vnam, nempè illam, quæ probabilioribus niti.

nititur, adhuc tamen cenſebit probabilem cõtrariam. Nam quid quæſo repugnat, non enim ſunt contradictorij eiuſmodi aſſenſus.

5 Quod benè notavit Cardinalis de Lugo, *diſp.* 10. *de fide, ſect.* 1. *num.* 14 dicens; æquivocationem pati, qui confundit hæc duo: *Credere concluſionem illam eſſe probabilem; & credere probabiliter illam*; quæ ſunt valde diverſa. Nam qui tenent aliquam propoſitionem probabilẽ, concedunt ſimul contrariam eſſe probabilem; non tamen credunt veram, etiã aſſenſu probabili: alioquin haberet aſſenſus duos probabiles de obiectis cõtradictorijs. Sic Lugo. Quem citatum ſequitur Iulius Mercorus 2. *p. Baſis*, art. 1. ibi. [aliud eſt iudicare aliquam propoſitionẽ eſſe probabilẽ, & aliud eſt aſſentiri probabiliter alicui propoſitioni, &c. Patet, quia ſtat aſſenſum, qui approbat probabilitatem, eſſe certum; aſſenſum verò, quo iudicatur prædicatum cõvenire ſubiecto, eſſe tantum opinativum.] Hæc ille, & omnes: ideoque ſuas opiniones non vt certas, ſed plerumque, vt probabiliores tuẽtes, contrarias probabiles eſſe, probabilitate ſufficiente ad excuſandum operantem à peccato, vel exprimunt, vel ſupponunt; dum improbabilitatis notam eis non iniurunt; quia omnibus pro vna, & altera parte, motivis attente conſideratis, evidenter noſcunt ea, quæ ipſi debiliora, viros alios probos, & in facultate peritos, & forſan peritiores, ſolidiora, & graviora cenſere; vehementiuſque illos nullum partis adverſæ fundamentum ignorantes, ad huius præ illa aſſenſum allicere. Qua propter abſque temeritate ſentire non poſſunt, ne dum proferre eorum opinionem eſſe improbabilem, & à lethali eam ſequentes non excuſare. Qua propter P. Suarez, vbi ſupra Theologos hoc adnotare exhortatur. Dicens: [Rectè autem faciunt, qui licet ſentiãt moralem aliquam opinionem eſſe probabiliorem, ſimul docent, quod contraria eſt probabilis, & probabilis in praxi: & ita obtinuit vſus qui multum confirmat cõcluſionem poſitam] ſic ille, & veriſſimè. Vnum verò in hac parte mihi certum eſt, eum, qui ob graviora fundamenta apparentia pro altera parte contradictionis, cenſet illam eſſe probabiliorem; nequire ſimul iudicare partem contrariã eſſe veram: quia affirmare vnam partem eſſe probabiliorem, eſt iudicare eſſe veriſimiliorem cõtraria. Nequit ergo ſimul aſſentiri contrariam eſſe veram, quia iudicare eſſe veram, quam cenſet eſſe minus veriſimilem, repugnat in terminis. Inſuper, qui iudicat vnam eſſe veram, iudicat alteram eſſe falſam: iudicare autem per alium actum, partem falſam eſſe ſimiliorem vero, quã partem veram, contradictionem involuit, ſicut dicere nigrũ eſſe ſimilius albo, quã aliud albũ.

6 Secundo exemplis rem evinco. 1. Si Theologus Dominicanus ſentiens B. Virginem in peccato originali fuiſſe conceptam, conſulere-tur à pœnitente, vtrum poſſet contrarium cũ cæteris Theologis ſentire; nõ ſolum poſſet, ſed teneretur affirmative reſpondere. Item ex præcepto ipſe tenetur cultum exhibere Immaculatæ Virginis Conceptioni in primo inſtanti animationis, licèt internus ſentiat probabilius fuiſſe maculatam. Ergo, contra propriam opinionem operari, & conſulere tenetur. Hoc autem non poſſet, ſi contrariam, & verã ſere omniam opinionem aſſerentem, licitũ eſſe id ſentire, nequiret probabilem ſaltem cenſere: al ias conſuleret, quod illicitũ prorſus iudicaret, & rem intrinſecè malã operaretur, vtpotè colendo peccatum originale. Quod nemo dubitat fore peccatum. 2 Ponamus Scotum, & illius ſcholam defendere, vt probabiliorem ſententiã aſſerentem, hunc contractum non eſſe licitũ; & contrariam tenere D. Th. & Thomiſtas, qui (vt omnibus notum eſt) in verba D. Th. iurarunt. Ponamus, inquam, te Dominicanum eſſe, ſentire vero cũ Scoto, quia rationibus, & fundamẽtis põ leratis, eius ſẽtẽtia probabilior tibi apparet. Ego à te cõſilium peto, an poſſim licitè contractum illum, quem D. Th approbat, celebrare? Si negas; deficis iuramento ſequendi doctrinã D. Th. ſi concedas; Conſulis contra propriam ſentẽtiam. Quid ergo miſer facies? Obmuteſces? Nemo ad id tè conſtringet. Ergo tua opinione, cum Scoto, vt probabiliori retenta; poteris contrariam D. Th probabilem iudicatam alteri conſulere, & ſecundam illã operari.

7 Inſuper accedat Thomiſta confeſſarius Parocho Scotiſtæ: Poterit ne Parochus iſte illum abſolvere, quem ex confeſſione bene novit cõtractum illum non ſolum ſæpè celebraſſe, ſed in propoſito continuandi, opinioni D. Th. innixũ permanere? Affirmative reſpõdent fere omnes Doctores, ex quibus ſupra quinquaginta refert, & ſequitur Ioannes Sanctius in ſelectis, *diſp.* 33. *n.* 54 Et in hoc ait Terillus *de conſc. prob. q.* 23. *n.* 28. [conveniunt omnes tàm recentiores (ſi paucos modernos excipias) quàm antiqui; nec opus eſt elenchum texere, quia rem teſtatiſſimam loquor, eamque notorie veram.] Pro qua *n.* 22. eorum ſcriptis verbis, plures adduxerat. Quorum ſentẽtiam dicit maximè ſibi probari cum Vazq. 1. 2. *diſp.* 62. *cap.* 7. Quos ſequitur Anton. Perez *tr.* 1. *de iuſt. diſp.* 4. *cap.* 4. *n.* 68 dicens: [ſi controverſia verſetur vtrum liceat facere aliquid, aut nõ liceat? Et pœnitens eligat, aut elegerit facere ex opinione minus probabili poteſt, & debet confeſſarius illi conformari ad effectum iudicandi pœnitentem abſolutione dignum; factum enim proprium, & electio non conſtituit pœnitentem indignum abſolutione, niſi ſit contra conſcientiam ipſius pœnitentis.] Verum contra omnes negative reſpondere nõ renuit noſter Cella Dei ſuis principijs inſiſtens, *fol.* 481. *& ſequentibus*. Sed quidem (bona eius venia dicam) riſum moveret, ſi Scotiſta Paro-

Parochus reſponderet , ſe non poſſe Thomiſtam pœnitentem abſolvere : Nec ipſe quidem Cella Dei abſolutionem ei negaret. Ergo propria opinione,vt probabiliore retenta, poteſt Parochus iudicare contrariam eſſe practice probabilem, ac proinde poſſe licite pœnitentem in propoſito ſuo perſeverare , & ſic rectè diſpoſitum eſſe ad abſolutionem : ſi enim id iudicare nequiret, eum abſolvere minime poſſet,vt ex terminis notum eſt. Notare hic non omittam M.Araujo *in deciſ. mor.diſp. 9.de ſtatu ciuil.caſu 5.num.13.* affirmare eum, qui exiſtimat opinionem alienam eſſe falſam, poſſe illam conſulere , quia cum hoc iudicio formidoloſo, ſtat,vt ſimul putet opinionem illam poſſe eſſe veram,& ſuam falſam. [Quod ſufficit(inquit)ad conſilium contra propriam; quam probabiliter iudicat eſſe veram,præſtandum.]Verū hæc duo iudicia,ni modalia ſint, vt explicui,incompatibilia ſunt , vtpote contradictoria.

§. I.

Efficax aliud argumentum pro noſtra ſententia ex præcepto ſuperioris contra opinionem ſubditi.

8 PRæterea ad hominem evidenter probatur. Quia ſi inter Doctores bonæ notæ ſit opinio probabilis cum D. Thoma aſſerens contractum aliquem eſſe licitum; poteſt ſuperior ei innixus præcepto adſtringere ſubditum contrariam opinionem tenentem cum Scoto;quia obedire tenetur, inquit Cella Dei infra. *Quamvis ſubdito ex ſuo iudicio, certo videatur peccatum eſſe. Subditus enim ſuperioris præcepto obedire tenetur,niſi res præcepta cum manifeſto peccato coniuncta ſit.Vt habetur in Conſtitutionibus Societatis,p. 3. cap. 1. & in ſummario,num.31.& p.6.cap.1.§.1. littera B.in declaratione* , & ſic tradit ipſe Cella Dei,*fol.477.& 478.& 480.* Ductus authoritate Sanctiſsimi P. N.Ignatij in epiſtola de virtute obedientiæ dicentis:[Eſt hæc ratio ſubijciendi proprij iudicij non ſolum ſanctis viris vſitata,ſed etiam perfectæ obedientiæ ſtudioſis imitanda,omnibus in rebus,quæ cum peccato manifeſto coniunctæ non ſunt.] [Quales(ſubnectit ipſe Cella Dei)eſſe non ſolent res vtrinque controverſæ]Ergo ſubditus Scotiſta , qui probabilius cenſet contractum hunc non eſſe licitum , poteſt iudicare probabilem opinionem contrariam,D.Thomæ,qua ſuperior nititur ad præceptum. Conſecutio eſt euidens.

9 Modo ſic:præceptum ſuperioris non cogit ſubditum propriam opinionem deponere. Ergo,eatenus iudicat probabilem oppoſitam : antecedens eſt certum , quia nemo cogi poteſt ad impoſsibile , tale autem eſt ſubdito propriam opinionem deponere , & contrariæ adhærere(in ſententia huius recentioris) quia nequit aſſentire (vt totis nixibus ex Candido Philaletho,& Mœrore,ſuadere tentat in *Appendice,quæſt.2.fol.649 & ſeq.*)niſi illius fundamenta ex aliqua circumſtantia ,vel ratione de nouo ſuper veniente,Intellectui ſubditi validiora contrarijs reddita fuerint. Nam ſi ea, quæ antea omnibus prævíſis , tàm à ratione, quàm ab authoritate,magis alliciebant,poſtea invariata ſubſiſtant ; & antea ſubditus cum Scoto iudicabat,rem eſſe illicitam ; nequibit poſt præceptum ſuperioris oppoſitum iudicare,niſi ex acceſſu motiui, infirmiora illi appareant.Sic paſsim docet ipſe,*fol. 136. & lib. 3. quæſt.11.12.& 13.*Hoc autem in præſenti non contingit:quia res eadem,quæ à ſuperiore præcipitur innixo opinioni D. Thomæ , contra opinionem,quam cum Scoto tenet ſubditus; prævíſſa fuit controverſa inter hos Doctores, &conſequenter potens cadere ſub præceptum; & tamen omnia,fundamenta D. Thomæ ,tàm à ratione, quàm ab authoritate prævíſa, & pōderata leviora,ſeu debiliora apparuerant ſubdito , quàm contraria opinionis Scoti negantis contractum eſſe licitum.Ergo & modo poſt præceptum,rebus invariatis,debiliora , & infirmiora etiam apparebunt. Quia vt bene ait Vazquez *1.2.diſp.62.cap.6.num. 33.* nec prælatura,nec præceptum ſuperioris,reddere poſſunt graviora fundamenta D. Thomæ contra Scotum.Imo,iuxta ſententia Cellæ Dei , nec reddere ſubdito Scotiſtæ opinionem D. Thomæ probabilem.Quæ(vt fatetur ipſe) talis illi non erat ante præceptum[neque dignitas (inquit Vazquez)Præpoſiti præcipientis facit probabilem opinionem eius, quod præcipit ; ſed quia aut ſubditus alias ſcit eſſe apud Doctores aliquos probabilem,aut quia ſuperior doctus, & prudens,qui,aut exiſtimat opinionem illam eſſe probabilem,aut aliorum Doctorum ſententia,& conſilio,illud præcipit.] Sic ille,ergo vt ſubditus contra propriam opinionem poſſit,& teneatur obedire,non eſt neceſſe contrariæ fundamenta ſolidiora,& firmiora cenſere, & prius conceptam deponere:hoc enim ex defectu motiui (in ſententia Cella Dei)eſt illi impoſsibile. Subditum autem teneri obedire Prælato præcipienti ſecundum opinionē probabilem ; & ſi ſubditus contrariam ſequatur; eſt commune inter Doctores,quos citatos ſequitur Thomas Hurtado *tom. 2. variar. reſol. tract 11.cap. vltimo,num. 383.fol. 222.*& alij paſsim.Ergo opinione propria ob graviora ipſi fundamenta,vt probabiliori retenta , opinionem contrariam ſuperioris probabilem poteſt cenſere;ideoque ſe illi conformare tenetur in operando , nil iudicando,ſi velit, de materia præcepti:vt fieri poſſe ait ipſe Cella Dei,*lib.3. quæſt.14.§.5.in fine* , *fol. 478.* [ſiue iudicium (inquit)ſuum concordet cum iudicio ſuperioris, quod ad perfectionem pertinet ; ſiue nil prorſus iudicet de materia præcepti.]Sic ille,

& be-

Digitized by Google

& bene quidem: quia iudicium ſpeculativum de honeſtate obiecti eſt ipſamet opinio probabilis ſuperioris: iudicium vero practicum ſubditi ab illo diſtinguitur, quia pro obiecto directo non habet dictum honeſtatem obiecti, ſed vſum ipſius opinionis, quam probabilem eſſe cenſet; & ideo ſibi licitum, iuxta illam operari, & obedire: ergo ſua vt probabiliori retenta, poteſt contrariam probabilem iudicare.

10 Negat conſequentiam iterum atque iterum inculcans, ſubditum non poſſe iudicare opinionem ſuperioris probabilem, niſi contrariam, quam ipſe defendebat, nunc omnino deponat: ac proinde, vi præcepti ad eam deponendam teneri, quoties res vndique ſit controverſa: Eo quod, cum non ſit manifeſte peccatum, vi præcepti ad obediendum coactus manet; & conſequenter, ad iudicandum contrariam ſuperioris opinionem eſſe veram; ipſumque falli, dum oppoſitam cum Scoto, & eius ſchola tenebat [quia ſuperiores (inquit) plerumque præcipiunt conformia voluntati Dei] ideoque ni manifeſte conſtet eſſe peccatum, quod præcipiunt, eorum opinio vera cenſenda eſt, & contraria; vt falſa deponenda [dicimus (inquit) ſubditum non ſolum teneri abſolute, & ſimpliciter obedire loquendo, vt in plurimum, contra propriam opinionem; ſed etiam teneri contra omne proprium iudicium, *omnibus in rebus, quæ cum manifeſto peccato coniunctæ non ſunt*. Quales eſſe non ſolent res vtrinque controverſæ; & ſcitur quæ nam ſint manifeſta peccata.] Sic *lib. 3. quæſt. 14. fol. 477. verſ. Hoc tamen*. Ex quibus conſtat, iuxta hunc recentiorem, præceptum ſuperioris cogere ſubditum, vt ad tertium gradum perfectionis obedientiæ aſcendat: nempè non ſolum ad operandum, & volendum, quod ſuperior præcipit, ſed ad idem cum illo ſentiendum: Ad quam ſubditos exhortatur S. P. N. Ignatius *in Epiſtola de obedientia* tribus motivis propoſitis. Hac perfectione obedientiæ, hic Author omnes præcellit: hac ſummiſsione proprij iudicij, ad imitationem nos invitat, & allicit, *fol 473.* dicens: *Nunquam vidi à ſuperioribus meis præcipi aliquid, de quo nec opinari, nec ſuſpicari poſſem eſſe peccatum: ſanctiſsima volunt, & iubent. Vtinam impleremus.* Sic ipſe.

11 Cæterum quæſtio non eſt, quando ſuperiores rem ſine controverſia licitam ſubdito præcipiunt, vt recentiori noſtro ſemper contigi, ſed quando vndique materia cõtrouertitur, & in varias contrarie oppoſitas ſententias Doctores abierunt: tunc ſic. Quod modo ſuperior præcipit innixus opinioni D. Thomæ erat antea ſubdito ſub præcepto iniungibile: & iſte, retenta propria, & contraria opinione cum Scoto aſſerente, vt probabilius non eſſe licitum, bene noverat, ſuperiorem Thomiſtam id poſſe illi præcipere; ergo retenta propria opinione, cenſebat contrariam eſſe probabilem: Alias certum ipſi eſſet rem illam ſub præcepto cadere non poſſe, vtpote quæ nec probabiliter eſſet licita, quod ex apprehenſione terminorũ eſt evidenter falſum. Quinimo eo ipſo, quod res ſit controverſa; oppoſitum certo illi conſtat ex illo principio, quod ſubditus conſtringi poſsit præcepto, quoties manifeſte non cõſter eſſe peccatum. Hoc autem eſſe peccatum illi manifeſte non conſtat, licet probabilius cũ Scoto peccatum eſſe cenſeat: *Quia cum manifeſto peccato* (ait Cella Dei ſupra) *coniunctæ eſſe non ſolent res vtrinque controverſæ*. Ergo ſubditus, retenta propria opinione, poteſt cenſere probabilem contrariam ſui ſuperioris; & eius obiectum tale eſſe, quod licite, & prudenter præcipi poſsit. Ex quo recte valet conſequentia ad omne probabiliter licitum, vt infra dicemus. Et ita expreſſe docet S. P. Ignatius loco citato, *num. 2* ibi, niſi obedientia iudicij exiſtat, fieri non poteſt, quod conſenſus voluntatis talis ſit, qualem eſſe oportet, & niſi adhibita vi, iudicio repugnante, diu obtemperare non poterit.] Ergo ex ſententia Sancti P. Ignatij, licet ſubditus non ſentiat cum ſuperiore, poteſt obedire; & ſi non ea alacritate, & diligentia [non enim, inquit, eſſe poteſt alacritas, & diligentia; vbi eſt animorum, ſententiarumque diſſenſio,] Non eſt ergo neceſſarium ſubdito propriam ſententiam deponere, & contrariam ſuperioris veram iudicare, vt ei obedire poſsit. Ergo ſua retenta, poteſt contrariam probabilem cenſere.

12 Contra tertio. Et inquiro, poſtquam ſuperior Thomiſta ſuo munere functus eſt, vel poteſt ſubditus contrarium cum Scoto, vt antea ſentire, vel neceſſario manet adſtrictus cum D. Thoma convenire, aut ſuum iudicium ſuſpendere? Si dicas poſſe ad antiquam opinionem Scoti redire, eique aſſenſum præbere; evidenter infertur, opinionis D. Thomæ fundamenta, ex adiuncto olim præcepto non invaluiſſe, nec firmiora, validioraque ex eo reddita, contra opinionem Scoti: [quia parti, inquis, probabiliori tantum, ſeu firmioribus, & ſolidioribus principijs nitenti, poteſt intellectus aſſentiri:] ſi autem ſecundum aſſeras; nempè id, quod ſemel ſub præcepto iniunctum fuit, cenſendum eſſe probabilius in poſterum; quoties manifeſtum peccatum non appareat: ſequitur manifeſte Scotiſtam, cui ſemel a ſuperiore Thomiſta præceptum aliquod iniunctum fuerit; nequire in poſterum opinioni Scoti, vtpote iam ſibi minus probabili, aſſenſum præſtare. Imo non ſolum ipſe, ſed neque alij poterunt; ſi rem illam contra opinionem Scoti ſub præcepto iniunctam aliquando fuiſſe, noverint. Cum ex præcepto deducatur, maioribus fundamentis opinionem contrariam inniti. Quid rogo abſurdius? Quid a veritate magis alie-

alienum: Ergo neceſſario fatendum eſt, ſubditum Scotiſtam retenta propria opinione, ob graviora, quibus cenſet fulciri, fundamenta, poſſe ſimul, contrariam D. Thomæ, iudicare probabilem, idque ſufficere, vt licite poſſit, & teneatur præcepto obedire.

13 Contra denique quarto. Quia ſuperior complectens opinionem benignam, circa electionem opinionis quam fere omnes Doctores tuentur, vt conſtabit ex infra dicendis) præcipere poteſt ſubdito rigidam & ſtrictam tenenti, vt in conſilijs, iuxta benignam, conſulat, vtpote ſaluti animarum congruentiorem: *Nimia enim auſteritate in conſilijs, & opinionibus, ita homines terrentur, vt ſalutem propriam negligant.* Vt in Conſtitutionibus Sacri Ordinis Prædicatorum præcavetur: ideoque ad conſilium, iuxta benignam, in illis exhortatur. In cuius obſervantiam M. Bartholomæus Fumus *in Summa Armilla*, verb. *Opinio. num.* 5. inquit. [Opinio, quæ ſoluit, potius ſequenda eſt, quam ea, quæ ligat.] Cuius doctrina conformis eſt directioni D. Antonini 1. *p. Summæ, tit.* 3. *cap.* 16. *§.* 10. *regula* 7. *ſubinitium* dicentis [inter duram, & benignam circa præcepta ſententiã, benigna eſt potius, cæteris paribus, interpretatio facienda] cui faciunt M. Serta 2. 2. *tom.* 2. *in Epiſtola ad Lectorem* dicens [benigniores opiniones, aut amplector, aut earum probabilitatem non reijcio, ne pluribus claudam cælum, ſed omnibus viam Domini faciliorem demonſtro] & M. Acacius de Velaſco, *tom.* 2. *reſ. moral.* verb. *Opinion. reſol.* 119. *num.* 4. vbi ait [es inconveniente manifieſto el querer apretar las conciencias demaſiadamente, con opiniones rigidas, y apretadas, quando de ellas ay variedad entre los Doctores.] Et M. Aragon *2. 2. quæſt.* 83. *art.* 12. *tit.* 3. *concluſ.* 3. vbi ait. [Certe videtur durum, & à Chriſtiana charitate alienum, mittere aliquem in infernum, & dicere, quod peccet mortaliter ſine evidenti, & certa ratione.] Quid plura?

14 Dicere autem, peccatum manifeſte, & evidenter intervenire in eiuſmodi conſilio, nemo, niſi temere, reſpondere poterit, cum tot pro ſe habeat patronos, quot bonæ notæ ſunt, & fuerunt Theologi. Et potiori iure, nec in præcepto iniuncto, quia vt ipſe Cella Dei fatetur, *fol.* 478. [Iudicium quod præceptum ſuperioris contineat peccatum, ideſt, quod ſit contra voluntatem Dei, eſt iudicium ex genere ſuo contra plerumque verum & iudicia contra ſuperiorem ſunt plerumque falſa.] Et infra [iudicare contra voluntatem ſuperioris, plerumque, & vt in plurimum eſt errare] & in indice. [Opinio contraria opinioni ſuperioris cenſeri debet, vt erronea.] At qui opinio ſuperioris, & aliorum communiter, eſt virum doctum poſſe conſulere iuxta opinionem benignam, apud Doctores magnæ authoritatis practice probabilem, licet ipſe contrariam rigidam teneat, ergo ſi ſub præcepto hoc iniungatur; & ad ſe excuſandũ ab obligatione obediendi; contraria, quam ipſe tenet, opinione, ſe pretegat, ſe excuſabit opinione; *quæ cenſeri debet, vt erronea.* Poteſt ergo, & tenetur opinionem ſuperioris, contra ſuam, probabilem iudicare, & ſic poteſt, & tenetur obedire.

15 Reſpondebis hoc argumentum ſolum convincere, teneri ſubditum obedire, ſi non conſtet illi manifeſte, eſſe peccatum, conſilium præbere contra propriam opinionem rigidam. At qui non obſtante authoritate, & fundamentis contrariæ opinionis communis aſſerentis, licitum eſſe ex duabus opinionibus benignam eligere; relicta rigida contraria probabiliori, conſtat illi eſſe manifeſte peccatum; ideoque ad conſulendum iuxta benignam, nequire præcepto obligari. Hæc eſt ſolutio, quam huic argumẽto exhibere poteſt Cella Dei. Et qua ſe præmuniſſe videtur, ſi forte caſus occurreret, *lib.* 3. *quæſt.* 18. *fol.* 524. Vbi ſic proteſtatur. [Tradebam, inquit, ego licere ſequi probabilia, & æqualiter, & minus talia, &c. rem per multos annos examinaui: non dico evidens eſſe eam non eſſe regulam humanorum actuum: hoc ſolum dico, & teſtor, & Deus ſcit quod non mentior, nil vnquam mihi viſum eſſe evidentius, quam eam regulam non eſſe.] Itaque recentior iſte plane ſentit eſſe manifeſte peccatum contra propriam, & rigidam opinionem, praxim benignæ opinionis conſulere, quantumvis hæc apud Doctores communis ſit. Cæterum nec iſta evaſione obedientiæ vim fugere poterit. Quia ipſemet *lib.* 3 *quæſt.* 14. *fol.* 477. antidotum paratam illi reliquit, dicens: *Deberi obedientiam contra proprium omne iudicium, in rebus omnibus, in quibus manifeſtè peccatum non cernitur* (nempè ab alijs Doctoribus) *quamquam ſubdito ex ſuo iudicio certum videatur peccatum eſſe.* Ergo & ipſe tenebitur obedire, ſi præcepto adſtringatur ad conſilium contra propriam, & rigidam opinionem, iuxta benignam ab alijs defenſaram, exhibendum: *Licet ſibi ex ſuo iudicio certum videatur peccatum eſſe.* Quod aliter fieri nequit, quam, vel propriam deponendo, dum ſuperiore ſentire; vel ea vt probabiliori retenta, contrariam ſuperioris iudicando probabilem. Ergo cum recentior iſte, vt ſæpius inculcat, nequeat putare probabilem communem opinionem de licito vſu opinionis benignæ, quin priùs propriam, & rigidam opinionem contrariam deponat, tenebitur, iniuncto præcepto, de conſilijs iuxta benignam exhibendis, ſuam rigidam deponere, & cum cæteris in poſterum ſentire, propter ſuperius dicta. Quia illa retenta, impoſſibile ipſo cenſet iudicare contrariam eſſe probabilem; vt ſecundum illam poſſit conſilium præbere, vel obedire. Sic tradit *lib.* 2. *quæſt.* 10. *fol.* 244. & *quæſt.* 11. *fol.* 250.

Vn-

Vnde infertur, iuxta principia huius recentioris; nec illum, nec alium teneri, (imò nec poſſe licite) obedire operando rem benignam contra propriam opinionem rigidam, quia nec poſſet illa retenta, vt concedit; nec poſſet eam deponere, niſi contraria Superioris, grauioribus fundamentis nitatur, vt ſæpiſsimè docet: ſi enim æquè, aut minus grauibus fulcita ſit; impoſsibile cenſet ipſe aſſenſum illi præbere: *sic in appendice à fol. 644. quæſt. 1. 2. 3. 4.* Cum ergo ex terminis euidens ſit, præceptum Superioris non reddere fundamenta opinionis benignę grauiora fundamentis opinionis rigidæ oppoſitæ; & plerumque nequeat ſubditus alias rationes id ſuadentes invenire, evidenter deducitur, fere numquam teneri ſubditum obedire (in doctrina huius recentioris) ſi ante præceptum, opinionem rigidam tenebat. Quia (vt aiunt Theologi) nec in ſenſu compoſito, nec in diuiſo; hoc eſt, quia nec propria opinione retenta, nec ea depoſita: quia tam vnum, quam alterum, iuxta ipſius principia, eſt illi impoſsibile, vt conſtat ex dictis. Quapropter capere non poſſum, vnde concluſionem illam elicuerit, *opinio contraria opinioni Superioris cenſeri debet, vt erronea,* quando quidem, iuxta ipſius principia, (vt probaui) opinionem benignam Superioris, nec probabilem cenſere poſsit ſubditus, contra propriam rigidam, quam ante præceptum tenebat, nedum obediens amplecti, & praxi dare.

16 Duplex ex dictis concluſio deducitur: altera, licitum eſſe contra propriam opinionem, vt probabiliorem retentam, iuxta alienam probabilem practice, conſilium præbere: altera, nullam involuere contradictionem duas opiniones contrarias eſſe ſimul probabiles, ita vt liceat benignam complexari. Hæc eſt communis Doctorum ſententia apud Ioannem Santium in *ſelectis diſp. 43. num. 4.* & *diſp. 44. num. 50.* & apud Dianam *2. part. tract. 3. reſ. 14.* apud Machado *tom. 1.* diſcurſu practico art. 7. & apud alios paſsim, & ſequitur M. Araujo *in dec. Mor. de ſtatu ciuili diſp. 9. caſu 3.* dicens: [Reſolutio huius caſus eſt, neminem peccare agendo contra propriam opinionem, ſi ſequatur aliorum opinionem magis, aut ſaltem æquè probabilem. Ita tenent Sotus, Medina, Azor, fauent D. Thomas, & Leo Papa] ſic ille. Et alij, quos ſequitur P. Antonius Perez *tract. 1. de iuſt. diſp. 4. cap. 2. numer. 19.* vbi ſic: Poteſt Magiſter ſentiens, & docens ex opinione ſibi probabiliori, eſſe illicitum vſum æquivocationis, in certo caſu, operari licite conformando ſe opinioni minus probabili; non tamen poterit docere, ſibi videri opinionem contrariam eſſe veriorem, & probabiliorem; quia hoc eſt mendacium, quod numquam licet. Illud autem ſolum eſt quædam operatio, non affirmans maiorem probabilitatem, ſed licita, ex eo quod noſtra libertas hoc fruatur priuilegio, vt vbi ſolum agitur de malo priuationis libertatis ad licite operandum, & de malo violationis non formalis, ſed materialis legis, minor probabilitas iacturæ libertatis debitæ nobis, præponderet maiori probabilitati violationis materialis legis.

§. II.

Quid ſi opinio aliena non ſit probabilis?

17 MAchado *tom. 1. diſcurſo practico de opinion probable, art. 6. & 7. §. 1.* ait Doctorem conſultum poſſe reſpondere iuxta opinionem benignam aliorum, licet ipſe improbabilem cēſeat: imo ſubnectit; id eſſe commune inter Doctores, pro ſe adducens doctiſsimum Vazquez, Leſsium, Salas, Egidium, Villalob. Ioannem Santium, Bonacinam, item Laymam, & apud illum Medinam, Lopez, Suarez, Azor, Gutierrez, & Henriquez, inſuper P. Thomam Sanchez, Candidum, Palaum, & Becanum. Cæterum fere omnes infideliter adducit, quia fere omnes requirunt ad conſilium, ſicut, & ad praxim opinionis alienæ, quod ab extrinſecis principijs, probabilis habeatur. Vt eorum ex certis verbis aperiſsimè evincam.

18 P. Vazquez 1. 2. *diſp. 62. art. 9. cap. 9. num. 47.* ſic inquit. [Reſpondeo virum doctum, à quo petitur conſilium, poſſe illud præbere contra propriam opinionem, ſequendo contrariam, quam ſcit eſſe probabilem.] Et infra ſubnectit, non poſſe talem Doctorem conſultum mittere conſulentem ad alium Doctorem. [Si ſciat opinionem illius apud peritos, & apud ſe ipſum, non eſſe probabilem.] Et prædixerat, *cap. 3.* ad praxim opinionis contrariæ neceſſarium eſſe, vt credamus, [opinionem contrariam eſſe probabilem, ob authoritatem eorum, qui eam ſequuntur] idemque repetit, *cap. 4. num. 17.* & iterum, *cap. 6. num. 22.* vbi expreſsè tradit ſubditum, vt obtemperet præcepto Superioris, debere formare ſibi iudiciū rectè operandi, [propter probabilitatem opinionis, quam ſcit ipſum ſequi] imò limitationem ponit, *cap. 4. num. 17.* his verbis. [Cæterum quia in hac noſtra opinione diximus, poſſe nos operari contra noſtram opinionem, ſecundum opinionem aliorum, quando illa probabilis eſt: nam ſi aliorum opinio caret probabilitate (attende) nemo dixerit poſſe aliquem ſecundum illam operari: ideò hic obiter notandum eſt, quo pacto cenſeri debeat opinio aliena probabilis. Et primo quidem, vt cenſeatur ſufficienter probabilis, ad hoc vt eam contra propriam ſequamur, debet eſſe non vnius tantum Doctoris, ſeu ſingularis. Nam ſi talis opinio vnius ex proprijs fundamentis mihi

non

Digitized by Google

non probatur, ſed oppoſita: & eam video tantum niti authoritate vnius Doctoris, non videtur mihi cenſenda probabilis, vt ſecundum illam prudenter poſsim operari contra propriam, & communem omnium ſententiam.] Ex quibus evidenter conſtat, doctum Machado non ſolum infideliter, ſed temere pro ſua ſingulari opinione, Patrem Vazquez adduxiſſe.

19 Nec meliori fide refert P. Leſsium: quia *lib. 2. de iuſt. cap. 47. dub. 9. num. 76.* (*num. 56.*) vbi hac de re ſolum ait, ſubditum poſſe obedire ſuperiori, ſi res præcepta, ſecundum probabilem opinionem, ſit licita. [Poteſt inquit obedire, ſi contrarium eſt probabile, vel ſi per principia extrinſeca ſibi iudicium prudens formare poteſt.] Non ergo ſi improbabile vndique iudicet.

20 Idem ſentit P. Salas 1. 2. *tract. 8 ſect. 5. num. 44.* ibi. [Dico per ſe non eſſe licitum ſequi opinionem improbabilem de bonitate obiectiva actus: idem eſt de opinione, cuius probabilitas eſt dubia.] Quod vt certum ſupponit, *sect. 6. à num. 66.*

21 Conſonat P. Egidius *de Sacram. diſp. 34. dub. 10. num.* 84. dicens: [nos poſſe ſequi opinionem etiam minus tutam, ac probabilem, modo vere probabilis ſit; vt fuſe docet Vazquez 1. 2. *diſp. 62.*]

22 Eiuſdem opinionis eſt etiam Villalob. *tom. 1. tr. 1.* (non difficul. 4. num. 7. vt male citat Machado) ſed *diffic. 11. num. 2. & 3. & difficult. 12.* vbi ſic [ſi el penitente ſiguiere opinion improbable, tiene obligacion el Confeſſor de amoneſtarle, è inſtruirle: y ſi no quiere dexar el error, que tiene, por la opinion, que no es ſegura, en conciencia no le deue abſolver, como dize Ledeſma.]

23 Cum citatis ſentit Bonacina *tom. 2. tract. de legibus, diſp. 2. quæſt. 4. p. 9. num. 5.* dicens: [eum, qui ſequitur opinionem probabilem, non agere contra propriam conſcientiā, modo putet alienam opinionem eſſe probabilem.] & *infra num. 6.* [ex dictis colligitur, licitum eſſe confeſſario, aut alteri interrogato reſpondere, iuxta opinionem probabilem aliorum Doctorum, prætermiſſa propria tutiore, ita Salas, Vazquez, Clauis Regia Becanus, Sanchez, Reginaldus.] Hæc Bonacina.

24 Idem clarius tradit Thomas Sanchez, *lib. 1. Summ. cap. 9. num. 9.* ibi. [Quarto deducitur, licite quoque viros doctos poſſe contra propriam opinionem alijs conſulere, ſequendo alienam, quam probabilem eſſe putant.] Non ergo ſi improbabilem: limitat verò num. 25. ſubnectens. [in duplici tamen caſu excuſabitur ſequens, aut conſulens opinionem, non apperte falſam, nec omni probabilitate deſtitutam,] &c.

25 Citatis adhæret Palao *tom. 1, diſp. 2. de conſ. cap. 3.* dicens [Doctorem, vel Confeſſarium conſultum poſſe conſulere iuxta minus probabilem opinionem, relicta probabiliore propria, & ſæpè ita conveniens eſſe.] & infra, *num. 3.* [Si expreſsè rogans inquirat, an aliqua ratione excuſari valeat à reſtitutione facienda, tūc teneris, aut à cōſilio dando abſtinere, aut aliorum opinionem probabilem excuſantem declarare (& infra) & in hoc caſu nemini eſt dubium] & inferius, *num. 4.* ait [omnes, eſto expreſsè non rogent, tacite interrogare: nullus enim præſumi debet velle imponere ſibi obligationem, cum ab illa poſsit excuſari.]

26 Nec aliud ſentit Becanus 2. *p. tom. 1, cap. 4. quæſt. 9. num. 16.* ibi: [Non eſt neceſsè, vt id conſulat, quod iudicat probabilius, ſi enim ſolum interrogetur de practica obligatione, poteſt ſæpè conſulere id tanquam licitum, quod ipſe iudicat eſſe minus probabile. Vnde ſæpè non ſolum recte, ſed etiam melius faciet, ita conſulendo.] Refertur etiam Ioannes Sanctius in ſelectis, *diſp. 54. num. 11.* ſed hic, nec verbum. Diſp. verò 44 *num. 31. & 35.* contrariæ ſententiæ prorſus favet, dicit enim conſulatum ſentientem eſſe falſam opinionem tuentem poſſe abſolvi pœnitentem, qui ſolum exhiberet nutus, & ſigna contrictionis de peccatis [teneri lege charitatis ſuam deponere ſententiam; eo quod, ex non depoſitione, maximū detrimentum proximo poſsit evenire.] En aperte in hoc loco ſentit debere propria ſententia depoſita, contrariæ aſſenſum præſtare, nō verò illam amplecti, cum falſam, & improbabilem cenſet. Fateor tamen Ioannem Sanctium, *diſp. 33. num. 30.* ſentire licitum eſſe alicui aliorum opinionem, quam arbitratur falſam, contra propriam ſententiam ſequi. Quod iterum tradit, *diſp. 41. num* 8 alios citans, inter quos P. Vazquez 1. 2. *diſp. 62. cap. 6.* Sed quidem infideliter: quia P. Vazquez ibi, vt ſubditus cōtra propriam opinionem teneatur obedire, requirit, quod opinionem ſuperiorum putet eſſe probabilem, vt conſtat ex ipſius verbis ſupra datis. Ideoque, ſi cum Vazquez ſentit, pro oppoſita adduci debet.

27 Ex dictis ſatis conſtat doctum Machado, non levi graviſsimorum Doctorum iniuria, eis impoſuiſſe opinionem præfatam, & per errorem ſcripſiſſe. [Doctrina es comū, que por regla general enſeñan los Doctores, que la perſona docta, que fuere conſultada en algun caſo dudoſo, aunque ſea en materia de juſticia, puede reſponder, y muchas vezes conviene aſsi, ſiguiendo opinion agena, aunque èl la juzgue por improbable.] Sic Machado; quem ſequitur Paſqualigo. Sed in eos iure invehitur P. Bardi *de conſcientia, diſp. 4. cap. 16. num. 3.* Quia cum iudicio de improbabilitate, aut falſitate alicuius ſentētiæ, non compatitur dictamen conſcientiæ, quod liceat ſecundum illam ope-

operari, quia eſſe: docere, licere operari, & cõſulere, quod verè eſt illicitum, & prohibitum; qui eſt apertiſsimus error.

28 Ne autem faciles ſimus in aliorũ opinione iudicanda improbabili, vel ſi fortè iudicauimus, poſsimus hoc iudicium deponere, & probabilem a principijs extrinceſis reputare, monitiunculam doctiſsimi, ac prudentiſsimi P. Vazquez ſcriberè placuit. Igitur 1. 2. *q.* 6. *cap.* 4. *num.* 17. *&* 18. [Quamuis aliquis, inquit, habeat rationem aliquam peculiarẽ contra oppoſitam ſententiam, quæ ſibi videatur omnino ſolui non poſſe, non propterea cenſere debet oppoſitam opinionem improbabilẽ, vt eam ſequi non poſsit; quia ſolo ſuo iudicio non debet oppoſitam ſententiam improbabilem iudicare.] Vndè infertur eum, cui euidenter non conſtat de improbabilitate contrariæ ſententiæ, propter aliquam legem, quam eius patroni inuincibiliter ignorant; ſed ſolo ſuo iudicio fretus, ex ratione, quam ipſe demonſtrationem eſſe putat (& quæ ab alijs forſan nullo negotio, vt non raro cõtingit, ſoluetur) poſſe, propter authoritatem Doctorum illam tuentiũ, iudiciũ de improbabilitate deponere, & ſic conſilium petentem ab obligatione eximere, declarando licitum eſſe opinioni alienæ probabili ſe conformare, & ſecũdum illam operari, vt benè ait Bardi ſupra, & ante illum, Palao *loco citato, num.* 5. Vbi quando opinio aliena, quam Doctor conſultus improbabilem cenſet, non eſt euidenter talis, & ab alijs bonæ notæ Magiſtris probabilior, vel ſaltem probabilis habetur, tunc caſus, inquit, [ſi non euidenter iudicas improbabilem, imprudẽter procedis, ſi eam improbabilem reputes; nam licèt tibi per intrinſeca principia non probetur, per extrinſeca, tamen probari debet, & ſic poteris ſecundum opinionem illius Doctoris, interroganti reſpondere.] Hæc Palao; & benè quidem: nam quando opinio contraria viros probos, & peritos pro ſe recenſet, eorum authoritas ſufficiens fundamẽtum eſt, vt ego prudenter poſsim probabilem cenſere, dum mihi euidenter non conſtet illos ex ignorantia inuincibili alicuius legis, in ſua opinione perſiſtere, quam ſi ſcirent, eam deponerent. Quod præcipue locum habet, quando alij Doctores fundamenta omnia noſtræ ſententiæ expenderunt, & illis conuicti non ſunt [neque exiſtimare debemus (vt quibuſdam contigit) *noſtras rationes eſſe demonſtrationes euidentes* (ait Vazquez ſupr. *cap.* 4. *num.* 17.) *quæ oppoſitæ opinioni probabilitatem auferant.*] Sunt enim quandoque argumenta ſophiſtica, & paralogiſmi. Qua propter viri docti, & prudentes, ſuis fundamentis, & rationibus raro ita fidere ſolent; vt ſolutionem admittere non poſſe ſuperbe ſentiant, ne dum proferant. Sic diſcurrunt Doctores, ingenio, & doctrina præſtantes.

29 Quibus facit Cardinalis de Lugo, tomo de penitentia, *diſp.* 22 *ſect.* 2. *num.* 46. Vbi ſic ſcribit [contingit aliquando, quod vir doctus, qui vim argumenti, attento ſtudio, magis penetrauit, videat quod fundamenta contrariæ ſententiæ ex æquiuocatione procedũt, vel ex falſo fundamento, & ideò apud ſe illam iudicet improbabilem, & ſine fundamento: non tamen ideò debet pœnitentem obligare ad eam deſerendam, quia licèt illa ſententia apud illum ſit improbabilis, apud alios tamen multos, & doctos, qui rem ita accurate non penetrarunt, exiſtimatur adhuc vera, & perconſequens eſt verè probabilis: quare pœnitens illã ſequendo amplectitur opinionem verè probabilem, & in hoc ſenſu intelligo, quod ex Sanchez, & alijs retulimus, ſupr. *num.* 43.] Hæc Lugo, quæ ſunt valdè obſeruanda.

§. III.

An qui opinionem alienam improbabilem cenſet, poſsit conſulentem ad alios Doctores remittere?

30 Rogabis anſi Doctor conſultus nequeat ſuum, de improbabilitate ſententiæ contrariæ, iudicium deponere, poſſit remittere eum, qui conſilium petit ad Doctores alios pios, & doctos, qui eam defendũt, aut probabilem cenſent? Reſpondeo cum Vazquez *diſp.* 62. *citata cap.* 9. *in fine*, & cum Thoma Sanchez *lib.* 1. *Summ. cap.* 9. *num.* 23. Quod ſi Doctores alij ignorantia inuincibili legis prohibentis laborẽt, neutiquam poteſt ad illos remitti, quia certum eſt, neque apud ipſos eſſe verè probabilem: & ideò licèt abſque culpa, conſilium illi præberent, ob ignorantiam; excuſari tamen non poſſet, qui legis cõſcius eius violationem per hoc medium intenderet. Secus verò eſſet (inquit Sanchez ſuprà) ſi Doctores alij non ignorantia legis ducti; ſed rationibus, quæ ipſis probabiles videntur opinioni contrariæ, quam ipſe falſam, & improbabilem reputat, adhærent. [Quia tunc poſſet conſilium petens, Doctoris illius, ad quem alter remittit, opinionem ſequi, atque ea re vera probabilis eſt, quamvis remittenti improbabilis videatur.] Idem prorſus ſentit P. Layman *lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 5. *§.* 2. *num.* 9. Dicens: Nihil à ratione alienum fore, ſi Doctor conſultus opinionem, quam ipſe improbabilem cenſet, cõſulenti indicet à quibuſdam viris pijs, & doctis tamquam probabilem defendi, nam quamvis ipſemet in praxi eam amplecti non poſsit, vtpotè, qui iudicium de eius probabilitate non habet [conſulens tamen (inquit) in re dubia ius habet ſe conformandi opinioni, quæ à quibuſdam viris doctis defenditur, non obſtante, quod aliqui alij contradicant, & ſpeculatiuè ſep-

ſententiam improbabilē iudicent, atque adeò hoc ipſum ius conſulenti indicare non prohibetur.] Cæterum hæc doctrina difficultate non vacat. Nam ſi conſultor non iudicet poſſe cõſulentem opinioni contrariæ ſe licitè conformare, nequit ad doctorem eam tuentem illum remittere, quia conſuleret indirectè rem illicitam. Si autem licitũ iudicat conſulenti amplecti opinionem, quã ei indicat ab alijs Theologis bonæ notæ probabilem reputari; poterit ergo illi dicere: *Quamuis ego non poſsim hanc opinionem ad praxim reducere, quia improbabilem iudico, nec meum iudicium deponere poſſum; tu rectè poteris eam ſequi, quia hoc tibi iudiciũ non eſt, ideòque opinioni præfatæ, ob authoritatem extrinſecã Doctorum, qui eam defendunt, acquieſcere potes, & te illi conformare*. Conſecutio videtur legitima.

31 Ideò certiſsimum cenſeo Doctorem conſultum, qui ea euidentia cognoſcit rem illicitam eſſe, vt nequeat iudicium hoc deponere, nullatenus poſſe remittere conſulentem ad Doctores alios contrariam opinionem tenentes: ſed teneri abſolutè reſpondere, iuxta ſuam ſententiam. Hanc partem efficaciter probant fundamenta omnia, quæ congerit Cella Dei *à fol. 440. quæſt. 11. 12. & 13.* & ſequitur Honoratus Fabri, *Dialog. 1. de opin. probabil. fol. 22.* Qui enim eum, qui conſilium petit, remittit ad Doctores licitum putantes, eo ipſo iudicat conſulentem non violaturum legem Dei, ſi eis ſe conformet, & probabile eſſe ipſos non falli, dum probabile putant contractũ licere: hoc autem iudicium impoſsibile eſt Doctori euidenter iudicanti oppoſitum, non ſolùm ſpeculatiuè; ſed etiã practicè hic, & nunc ſub omnibus occurrentibus, tam à ratione, quàm ab authoritate extrinſeca. Hæc enim iudicia: *Nulli licèt: Petro licèt*, ſunt contradictoria. Ergo ſicut nequit conſulere, quod omnibus circunſtantijs præuiſis, hic, & nunc, *practicè* iudicat abſolutè illicitum, quin hoc iudicium deponere vllo modo poſsit, ita neque remittere ad alios Doctores, nec indicare conſulenti opinionem contrariam ab alijs probabilem cenſeri, quin addat ſibi euidens eſſe, quod ſit improbabilis, & à nemine eligibilis abſque peccato læthali, ni fortè ignorantia inuincibili teneatur; qualis eſſe non poterit conſulẽti poſt hæc audita, quin priùs ab alijs re diſcuſſa, & huius Doctoris fundamentis præuiſis, & expenſis, grauis alius Doctor eis aliquo modo reſpondeat, & intentum non conuincere oſtendat. Vt benè aiunt Terillus *de conc. prob. fol. 85. num. 24. & Cella Dei, fol. 347.* quæ ſunt valdè obſeruanda.

⁂

QVÆSTIO IV.

Vtrùm dubium ſpeculatiuum circa exiſtentiam legis, vel præcepti, conſtituat conſcientiam dubiam?

1 DVbium communiter diuiditur in ſpeculatiuum, & practicum. Speculatiuum conſiſtit in ſuſpenſione iudicij circa honeſtatem, vel inhoneſtatem obiecti, ſit nec ne bonum, vel malum, vel circa legem, ſit nec ne lata? Practicum verò in ſuſpẽſione omnis iudicij circa honeſtatẽ electionis, ſeu operationis voluntaris. Inſuper tàm vnum, quàm alterum procedere poteſt, vel ex inſufficientia rationum ad aſſenſum, vel quia licèt vtriuſque partis fundamenta ſeorſim conſiderata grauis ſint ponderis, ſimul tamen concurrentia intellectum fluctuare faciunt, & aſſenſum, vel ſuſpendere ſuadent, vel (vt nonnulli exiſtimant) cogunt: de quomodo nõ diſputo. Sed quidquid de hoc ſit dubium practicum conſtituere conſcientiam dubiam, ac proinde mortaliter peccare, qui eo permanente partem minus tutam (ideſt, in qua materiale peccatum eſſe poſsit) ſequeretur, eſt communis Doctorum ſententia, *quia omne, quod non eſt ex fide, peccatum eſt* ex Paul. ad Romanos 14. id eſt omne, quod non eſt ex conſciẽtia dictante operationem eſſe licitam, vt exponunt communiter Theologi, & naturalis ratio demonſtrat. Nam qui apud ſe ſtatuit operari, ſiue operatio ſit licita, ſiue non planè deuorat peccatum, quod eſſe poſſe præcognoſcit.

2 Difficultas ergo ſolum eſt, an manente dubio ſpeculatiuo circa exiſtentiam legis, vel præcepti, neceſſariò ſequatur practicum, ac proindè conſcientia dubia. Affirmat Antonius Cella Dei *lib. 4. quæſt. 10. §. 3. in fine, fol.* 600. ibi: [Si ſimus, inquit, in caſu dubij ſpeculatiui, nec hoc eſt ſublatum per inuentionẽ veritatis, tenemur grauiter, & ſemper ad opinionem tutiorem. Patet hoc ad hominem, nã tunc tenemur practicè ſimili modo dubitare.]

3 Verùm hæc ſententia eſt contra experiẽtiam, & contra communem Theologorum, qui frequentiſsime docent perſeuerante dubio ſpeculatiuo, ceſſare poſſe practicum, per iudicium practicè dictans, omnibus circunſtantijs ponderatis, licitam eſſe operationem. Iulius Mercorus *in Baſi Theologiæ Moralis, part. 1. art. 12.* ſic inquit. [Quod verò in eodem intellectu poſsit ſtare dubium ſpeculatiuum, & ſimul iudicium practicum certum, de eodem, communiter docent Caietanus opuſculorum, *tract. 31. reſp. 15. dub. 7.* Nauarrus *in ca. ſi quis*, Suarez *de legib. cap. 18.* Sanch. *in ſumm. lib. 1. cap. 6. & lib. 2. de Matrim. diſput. 41. numer. 8.* Bardi *de conſtit. diſp. 4. cap. 9. numer. 19. & 20.*

Ba-

Bañez 2.2.q.10.*art*,1.Filliuc.*tr.*21.*c.*4.*& eſt communis ſententia Doctorum*.Hactenus Mercorus.Hoc ipſum tradit P.Suar.pluribus in locis *tom.*5.*in* 3.*p.diſp.*40.*ſect.*6.*n.*14.[Quoties quis,inquit,inuincibiliter dubitat,an præceptũ ſit impoſitũ,& non poteſt,poſt motalẽ diligẽtiam,notitiam illius conſequi,non eſt cogendus in conſcientia,ab obſeruationẽ talis præcepti, &c. Etiam naturalis lex non obligat cũ ſolo eiuſmodi dubio]& iterum 1.2.*tr.*3.*diſp.* 12.*ſect.*5.*n.*7.[Quando ſimpliciter dubitatur de tota lege,quoad exercitiũ,an ſit lata,nec ne? Tunc generalis regula eſt non obligare.]Quẽ ſequuntur Ouiedo 1.2.*tr.*5.*controu.*4.*punct.*7. Filiuc. Bonac. Ioann. Sanch. Villalob. & alij apud illum.Et hanc eſſe communem Theologorum ſententiam, ait nouiſsimè P. Ioann.de Carden.*in ſelectis diſputationibus,diſp.*15.*c.*10 *n.*551.Quibus adde Franciſc. Galieti *in margarita caſuum,verbo dubium*,vbi ſic.[Dubiũ ſpeculatiuum,& practicum differunt , illud eſt ex parte rei,an ita ſit,hoc verò conſiſtit, quod nã licitũ,& faciendũ,manente ſpeculatiuo,poteſt ceſſare practicum,& conſcientia eſſe tuta.Exẽplũ:dubitat mulier,an vir cui nupſerit,ſit eius vir?Tamen habet hoc iudiciũ certũ, quod tenetur illi petenti reddere debitũ.Ita Salon *fol.* 178.*q.*5.*art.*6.*concl.*3.]Hæc Galleti. Et ex cõmuni Doctor.tradunt Dian.*p.*4.*tr.*3.*reſ.* 1. Et Thom.Sanch.*lib.*2.*de Matrim.diſp.*41.*n.*8.*& lib.*7.*diſp.*21.*n.*26.apud quem Caietan.Bartolom.de Medin.Bañez,Petr.de Ledeſm.& alij. Item Sotus *in* 4.*diſtinct.*27.*q.*1.*art.*3.§.*Imò verò*,vbi ſic:[Reſpondetur,dubiũ eſſe duplex ſpeculatiuũ,& practicũ,& quidẽ agere contra dubiũ ſpeculatiuũ,non eſt peccatũ;ſed agere cõtra practicum.]Sic ille. Quem eiſdẽ verbis ſequuntur M.Ludouic.Lop.1.*p.inſtructorij*,*c.*3. *concl.*2.M.Corrad.2.*p.reſp. q.* 181. & Thom. Hurt.*tom.*1.*reſol.moral.tr.*3.*cap.*4.*n.*173.ibi: [Poteſt quis habere dubiũ ſpeculatiuũ, & adhuc illo perſeuerante non habere dubium practicũ,]& *ca.*1.ex cõmuni Doctorũ probat ſubditũ ſpeculatiuè dubitãtẽ,an bellũ,vel præceptũ ſit iuſtũ;teneri non dubitare practicè,quando ſuperior eſt timoratæ conſciẽtiæ,ſed teneri conſcientia dubiã practicè deponere.Ex quo principio M.Acatius de Velaſco *tom.*1. *reſol. moral.verb.Euchariſt.reſ.*303.*n.*6.defendit cũ pluribus,dubitanti,an poſt mediã noctẽ comederit,licitũ eſſe cõmunicare.[Muy probable, inquit,es la opinion,que dize,q̃ ſi,con tal que deponga la duda practica,aunque quede la eſpeculatiua.]Quibus facit illud Lactantij Firmiani *lib.*3.*inſtit.c.*27.[Stultiſsimi,inquit, eſt hominis,præceptis eorũ velle parere,quæ vtrũ vera ſint,aut falſa,dubitatur:& ideo nemo paret,quia nemo vult ad incertum laborare.]

4 Citatis adhæret P.Gabr.Vazq.*opuſc.de reſtit.c.*6.§.3.*dub.*5.*n.*75.[Dubiũ,inquit, iuris dicitur,cuius veritas in propoſitione examinãda eſt,non in ordine ad id,quod in re eſt,& ſcitur a Deo,ſed in ordine ad rectã rationẽ,& appetitũ rectum.Cum dubio ergo iuris licitum eſt cuicũque operari, hoc eſt cũ diuerſitate opinionis rationabilis, an ſit illud licitũ, vel nõ.] Cuius rationem reddit,quia non eſt dubiũ practicum reſpectu operantis.Quod magis explicat Suar.*tom.*5.*in* 3.*p.diſp.*40.*ſect.*5.*n.*14. ibi: [Licèt in generali,ſeu ſpeculatiuè maneat dubius,an talis lex lata ſit,in particulari eſt certus non obligari tali lege.]

5 Ex quibus infertur,dubiũ practicum non ſemper neceſſario ſubſequi ad ſpeculatiuum. Quãvis enim verũ ſit,dubitantem ſpeculatiuè, debere per ſe loquendo dubitare etiam practicè,vt cum Thom.Sanch. Broſer. Franciſc. de Lug. & alijs communiter tradit P.Bardi *de conſcient.diſcept.*5.*c.*2.*n.*3.Hoc tamen nõ tollit quod ob circunſtantiã aliquã,vel nouũ motiuum,quod ſpeculatiuè dubitanti non occurrit,formari poſsit iudicium practicũ circa honeſtatẽ electionis. Quod ſatis expreſsit P. Vazquez 1.2.*diſp.*62.*c.*4.*n.*19.*& c.*6 *n.*32.*& diſ.* 65.*n.*3.Quibus in locis ait:[Eũ qui per intrinſeca principia neutrius partis aſſenſum habet; ſed in vtrãque dubius manet,poſſe per extrinſeca eſſe certũ in ſingulari,quod liceat ei operari,quia non ſunt eadẽ principia, ideoque poteſt (& debet ad non peccandum) habere aſſenſum,quo credat tunc ſibi illud peccatũ non eſſe.]Quod *diſp.*65.*citat.c.*1.*&* 2.magis exprimit,dicens,quod quando ex varietate opinionum.[Qui maneat dubius, in vniuerſum rem conſiderans per intrinſeca principia,licitũ eſſe tunc operari. *Si habeat per extrinſeca determinatum aſſenſum,quo iudicet,non eſſe peccatũ*.Secus,inquit,*diſp.*66.*nu.* 52.*ſi nec per extrinſeca hũc aſſenſum eliceret*.] Quod certiſsimũ eſt:nec vllus Scholaſticorũ,vt notat ipſe *diſp.*65.*c.*3. oppoſitum docuit,quæ ſunt valdè notãda pro diſtinctione dubij ſpeculatiui à practico , quod ſæpè deficit,manente ſpeculatiuo.

6 Eãdem ſententiã ſequuti ſunt M.Barthol. de Ledeſm.*tr.de pœnit.*vbi de confeſsione,*difficult.*14.[Stante,inquit,dubio ſpeculatiuo de alicuius ſentẽtiæ veritate,poterit nihilominus ſic dubitans in practica non tantũ illa vti,verũ etiã certus eſſe,quod illa ſequẽdo beneficiat.] M.Ioan.Martin.de Prad.*tom.*1.*q.mor.c.*1.*q.*8. *n* 4.[Certũ eſt,quod dubiũ ſpeculatiuũ de rectitudine operis non tollit,quod in praxi licitè abſque dubio operemur,vt patet in illo,qui ſequitur opinionem probabilem. Thom. Hurtado *tom.*2 *reſ.mor.tr.*11 *cap.*6.*n* 227.] Alterum dubium eſt ſpeculatiuum,& eſt,cum quis pro vtraq; parte habet rationes ad non ſe determinandum in particulari iudicãdo per media intrinſeca;& iudiciũ ſuſpẽdit ſpeculatiuũ, & cum hoc dubio compatitur iudiũ practicũ

circa vnam partē: quod iudiciū regula eſt operis à volūtate manētis. Ita Salas 1.2.*tr.8.diſp. vnic.ſect.16 n.142.* Baldel.*lib.4.de conſcientia, diſp.7.n.4.*] Sic Hurtado, & ſic cōmuniter Doctores. Quos ſequuntur Pala○ *tum.1.diſp.3. pun.7.* & Ioan. Ioſeph. Garſi *Cent.3.c.50.ſ.382*

7 Qua autē ratione fieri poſsit, vt cū dubio ſpeculativo coniugi poſsit iudicium practicū probabile, aut certū, de eodē obiecto? Attigit Thom. Hurtad. vbi ſupr. dū dixit, iudiciū ſpeculatiuum ſuſpendi, nēpè *non iudicado per media intrinſeca*; cui cōſentit Iulius Mercor. *1.p.art. 2.verſ. Quando intellectus eſt dubius.* Nimirū, quia licèt intellectus per media extrinſeca poſtea conſiderata, vni parti, non obſtante tali dubio, adhæreat, *attētis tamē ſolis motiuis intrinſecis, dubium poteſt generari*, ſed luculētius omnibus explicat Teril. *de probabilit. q.13. à nu. 20.* Nempè, quia dubiū ſpeculatiuū non cōparat obiectū cū circunſtantijs omnibus, quas iudiciū practicum conſiderat, ſed cum aliquibus tantū. Nā ſi ſub omnibus intellectus dubitaret, nequiret cū hoc dubio iudiciu coniūgere. Vndè infert, omnes Doctores ſupr. citatos, & alios communiter rectè docuiſſe, in eodē intellectu ſimul componi poſſe dubium ſpeculatiuum, & certitudinem practicam de eodē obiecto, verū non aliter intelligendos, quā qui doceat, aliud eſſe iudicium de vno, eodemque obiecto relatè ad has, aliud relatè ad illas circunſtantias.

8 Ex dictis concluditur, quod licèt in dubio practico, nēpe quoties dubiū eſt de honeſtate actionis, aut omiſsionis hic, & nūc ponendæ a dubitante, nēpè an hic, & nunc liceat operari? in quo conſiſtit conſciētia dubia, ſemper ſit de præcepto tutiorē partē eligere, ſecus eſt in dubio ſpeculatiuo de lege, vel honeſtate obiecti; quia tali dubio adiungitur iudicium aliud ex principijs extrinſecis coceptū, quo deponitur, vel impeditur dubiū practicū, & conſtituitur conſciētia probabilis, aut certa, iuxta inferius dicenda. Qua propter, *ſi regula illa in dubijs tutior pars eſt eligenda*, vniuerſaliter ſumatur pro omni dubio, tàm iuris, quā facti, iā operis, quā operationis, ait Teril. *q.26.n.21.ſ.518.* Omnes (ſi paucos ex recentioribus excipias) cōſtāter tenere, non continere præceptū, ſed ſolum Conſiliū. [Ita, inquit, ſentiunt ex recētioribus omnes ferme, nec quiſquam refragatur, præter Mercorū, & Sinnichiū ex parte; quibus ſecundūquid, addi poſſunt Vincent. Baron. & Vvendroch. præter hos, qui illud negant, neminē adhuc inuenire potui. Antiqui quo ad hoc cū recentioribus cōueniūt: Siquidē Tablen. Sylveſt. Sanct. Anton Ioann Nider, Gerſon, S. Bonauēt. alijque omnes illis coætanei expræſsè dicunt, tutiora quidē ſectāda eſſe *nō ex præcepto, ſed ſolum ex conſilio.*] Sic eruditiſsimus vir. Eſtq; doctrina ex terminis nota, alias pars minus tuta, quāvis probabilior, ſectari nō poſſet. Quod eſt aperte falſum, vt dixit Suar. vide 1.p. ſelectar. *tr.1.q.6.n.32.* vbi plures adduxi Authores aſſerentes Axioma illud *in dubijs tutior pars eſt eligenda*, locū non habere, quando pro vtraq; parte contradictionis probabilis militat opinio, quam expoſitionē dicit M. Prado, ibi: [Eſſe iā cōmunem omniū.] Et cū Azor. Thom. Sanch. & Vazq. nouiſsimè defendit Doctor Garſi *Cēt. 2.c.65.n.5* Et cū ſenſus Axiomatū iuris, ex cōmuni Doctorum ſenſu, cōmunique ſubditorū praxi nobis innoteſcat, & cōmunis ſenſus Doctorum ſit, extra caſum dubij practici de honeſtate operationis hic, & nunc exercendæ, tutiora non eſſe ex neceſsitate ſectanda, verū omnino haberi debet, dubiū ſpeculatiuum praxi nō obeſſe, quando dubiū practicum ob motiuum aliquod extrinſecū impeditur, vel deponitur, per iudicium vltimum practicū de honeſtate electionis. Et vt apertius benè dicam argumētum de ſumo ex cap. *Inquiſitioni*, in quo cōiux, qui poſtquā ad ſecundas nuptias bona fide trāſierat, incepit dubitare; imo, & probabili credulitate cognoſcere primū coniugē ſuperſtitē eſſe, iubetur debitum reddere: Et tamen tutius eſt non reddere, quia non reddendo ſolū exponitur periculo iniuſtitiæ poſsidēti inferendæ: ſi verò, reddat exponitur periculo incōtinentiæ, & etiā iniuſtitiæ reſpectu primi coniugis. Ergo regula illa de tutiori parte eligenda locū tantū habet in dubio practico, non in ſpeculatiuo. Ex quibus infertur, falſum prorſus eſſe dubiū conſcientientiæ ſolui tantum poſſe per inuentionem veritatis ſpeculatiuæ, vt nonnulli cōfidenter iactarunt.

QVÆSTIO V.

Qua ratione dubium practicum, ſeu conſcientia dubia deponenda ſit?

1 PLures aſsignant Theologi, præſtātiores eligam, ob quas perſeuerāte dubio ſpeculatiuo, formari poſsit iudicium practicū probabilius, aut moraliter certum de licita electione talis obiecti.

§. I.

Ratione poſſeſsionis libertatis conſcientia dubia poteſt deponi.

2 CErtiſsimū eſt, eum, qui cū dubio ſpeculatiuo neſcit formare, ex aliquo alio principio extrinſeco, conſcientiā, ſeu iudicium vltimū practicè dictans non eſſe peccatū hic, & nunc in electione, ſeu operatione volūtatis, grauiter peccaturū: quia cōſciētia dubia, vt diximus ex omniū Theologorum ſentētia, neminē à peccato excuſat. Aſſerimus verò dubitantem de exiſtentia legis, aut præcepti, poſſe ratione poſſeſsionis ſuæ libertatis, iudiciū vltimum practicum de non peccato, vel de licita electione concipere, in quo conſiſtit depoſitio practica conſcientiæ dubiæ. Hæc eſt communis Doctorum ſententia, quam innumeris citatis, eorū fideliter excriptis verbis, defendit Illuſtr. Caramuel *lib.4.Theolog.fundament.* Luci dato

ann.

anno 1675. in di..lexide non certitudine. Et alijs in locis quos ibi refert *num.*614. Eãdem cum Henriq.& alijs tenent P.Thom. Sanchez *lib.*2.*de matrim.diſp.*41.*n.*36.P.Suar.1.2. *trat.*3.*de bonitate, & malitia, diſp.*12.*ſect.*5.*n.*7.P. Salas 1,2.*tom.*1.*tr.*8.*ſect.*6.*nu.*3.M.Sotus *lib.*3.*de iuſtit.q.*3.*art.*2.ibi[Melior eſt poſsidentis conditio,& hominem manere liberum,cenſetur manere in ſua poſſeſsione.] Quod iterum tradit *in* 4.*diſtinct.* 27. *q.*1. *art.*3.*§.Imò vero,* vbi ait,coniugem dubitantem de valore matrimonij poſſe poſt adhibitam diligentiam,debitum petere ratione poſſeſsionis ſuæ libertatis. [Dubitat, inquit, ille ſpeculatiuè, an ille ſit ſuus,ſed non indè ſequitur,quod dubitet, reddendum eſſe debitum,aut petendum, quod eſt dubiũ practicum:imò per poſſeſsionẽ fit certa, quod vtrumque poteſt.] Quod tenent apud Sãchez vbi ſuprà,quam plures Doctores. Quibus conſentit Cardinalis de Lugo *de iuſtitia, diſp.*17.*ſect.*4.*n.*88.Diana 3.*p.tract.*4.*reſp.*95. Terillus de conſcientia probabili *q.*23. *n.* 65. apud quos idẽ tenent Coninch, Valentia. Reginaldus,& alij,quibus adde Dicaſtillo,Martinum Perez, Caſtro Palao, Boſsium, & plures apud Terillum *quæſt.*26.*n.*41.& P.Antonium Perez *tom.de iuſtit.tract.*2.*cap.*4.*num.*85. Qui *nu.*111. Sub nectit malũ violationis materialis legis per ſe loquendo;ideſt,nullo alio malo interueniẽte,nõ præponderare malo priuationis libertatis. Quod *num.*104. *&* 105. prædixerat.

3 Horum,& aliorum authoritatem eleuare contendit Vincentius Baronius 1.*part.Theologiæ Moralis contra Caramuelem,*dicens Axioma illud, *in dubio melior eſt conditio poſsidẽtis,* apud iuris ciuilis Authores valere tantum in foro iudiciali,non autem in foro conſcientiæ. Verùm,quantum à veritate deuiet recentior iſte, conſtat ex dictis 1.*p.ſelect.tr.*1.*q.* 6.*num.* 18.Vbi adduxi verba,quæ repetere placet, ex Ioann.Martinez de Prado eiuſdẽ inſtituti grauiſsimo Autore, *tom.*1.*quæſt.moral.cap.* 1. *q.* 9.*nu.*3.Vbi ſic.[dico tamen primò, etiam in foro conſcientiæ,*in dubijs melior eſt conditio poſsidentis.*Ita expreſsè Soto *in* 4. *diſt.* 27. *q.*1. *art.*3. *§.Ad huiuſmodi,*& relectione de *ſecreto, membr.*3.*q.*a.*§.& quãuis,*Syluest. *verbo præſcriptio* 1.*quæſt.*3.& Authores communiter:viginti quinque refert,& latè ſequitur M.Baptiſta *diſp.*209.*dub.*4.*concl.*1.& tringita Doctores refert,& ſequitur Gallego de conſciẽtia dubia, *dub.*79.]Sic Prado.

4 Reſpõdẽt alij, Axioma iſtud iuris, quod deſumitur *en l.*171.*ff.de regul.iur.* vbi hæc habentur.[*In pari cauſa,poſſeſſor potior haberi debet,*]non habere locum extra materiam iuſtitiæ,quia in ſola hac materia eiuſmodi, lex tribuit ius poſſeſſori ad retinendum, quod poſsidet.Reſpondeo eiuſmodi axioma, non cõdere legem,ſed exprimere certam regulã,qua in re morali,in reſolutione dubiorum,vtendum eſt: ideoque in iure etiam Canonico inſerta eſt,& eſt 65.regula iuris in 6.ibi:[In pari delicto,vel cauſa potior eſt conditio poſsidentis.] Quapropter non ſolum in materia iuſtitiæ,ſed etiã in alijs locum habere, & ratione poſſeſsionis libertatis licitum eſſe,dubium practicum impedire,vel deponere,docent grauiſsimi Theologi,quos citat,& ſequitur P.Thom. Sanchez *lib.*1.*de matrim.diſp.*9.*& lib.*2.*diſp.*41.*n.* 32. Dian.4.*part.trat.*3.*reſp.*2 & cum Soto,Syluestro,M.Baptiſta, M.Gallego, & alijs triginta, apud illum,defendit M.Prado *tom.*1.*q.*9.*§.*1. *num.*3.*& §.*2.*n.*10.quod probat à *nu.* 8. quia perfectè verificatur, quod voluntas poſsidet ſuam libertatem,ac proindè ſicut in foro externo,cognita obligatione dubia, nemo ad illam cogitur;ita neque in interno,cui facit regula 11.de regul.iur.in 6.vbi dicitur:[Cũ ſunt paria iura obſcura,reo fauendum eſt, potius, quã actori.] [Poſſeſſor autem (inquit Prado) *ſemper eſt reus,quia ipſe non poſtulat;ſed ab ipſo poſtulat actor.*Ergo dum non ſit certa obligatio,fauẽdum eſt poſſeſsioni libertatis.] Quem ſequitur P.Antonius Perez, vbi infra *nu.* 87.] [Quia pars fauens obligationi,tanquam actor petit à me obſeruationem legis. Conſtat autẽ onus probandi primo loco competi actori. Quibus adde Doctorem Garſi *Cent.*1.*cap.*61. *n.*3.vbi ſic:[In dubio an ſit præceptum nec ne, cum ſtet poſſeſsio pro libertate, iudicandum eſt non eſſe vllam præcepti obligationem.]

5 Eandem ſentẽtiam cum Lorca, Maldero, Villalobos, Palao, Tanero, Valẽtia,& alijs defendit Thom.Hurtado *tom.*2.*reſ.moral.cap.*6. *à n.*218. cuius ratio, inquit, *eſt euidens,*quia nõ ſolũ in materia iuſtitiæ,vt ſunt contractus,reſtitutio,&c.Sed etiam in alia quacumque, ſiue ſit præcepti negatiui,ſiue poſitiui, antequã dubium ſuperueniat,quis eſt in pacifica poſſeſsione ſuæ libertatis, qua exemptus ab obligatione remanet.]Ergo,quamvis dubium ſuperueniat quo ſpeculatiuè exiſtimet, quod ſit obligatus,verè non manet. Conſequentia perſpicua eſt,quia ius dubium vinceret ius certũ, & clarum,quod dici non poteſt,vt Vazquez docet, *diſp.*66.*n.*43.& cæteri authores contrarij. Et ita licèt quis dubium hoc ſpeculatiuũ habeat an præcepto teneatur,poterit practicè iudicare,non obligari, quia poſſeſsio ſuæ libertatis certior eſt,& hoc iudicium practicum eſt,quod voluntatem dirigit ad rectè operandũ, vt notauit Lorca.Huic communi Doctorũ ſentẽtiæ ea tenacitate adhæret P.Suarez *tom.*5. *in* 3.*p. diſp.*40.*ſect.*5.*n.*15.Vt in contrariam ſic intur texerit.[Quod verò dicũt aliqui,hoc ſolũ habere locũ in materia iuſtitiæ, nõ verò aliarum virtutũ,falſum eſt,& ſine fundamento dictum; quia nõ minus eſt vitãdũ peccatũ in materia I-

ſtitiæ,quam aliarum virtutum.]Sic ille. Quē ſequuti ſunt M. Arauxo *in deciſionibus moralibus,diſp.* 9. & P.Ildephonſus Antonius de Saraſa *part.2.artis ſemper gaudendi; tractat. 6.de conſcientia dubia,§.5.*vbi latè probat,&Boſius *part.2.tit.1.§.38.num.*1174.vbi ſupra viginti Authores refert.

6 Quos ſequitur P.Antonius Perez *tom.de iuſt.tract.2.diſp.2.cap.4.num.89.*vbi ait: [Per ſe loquendo illum,qui dubitat de exiſtentia legis,ſiue humanæ,ſiue diuinæ poſt adhibitā ſufficientem diligentiam poſſe agere licitè cōtra legem dubiam, quæ ſcilicèt non probatur exiſtere:ratio eſt,quia pars obligationi legis fauens per ſe loquendo perpetuo probare debet. Quod probat ex D.Thom.*quæſt.17.de veritate*(quæ eſt de conſcientia)*art.3.*vbi ſic:*Nullus ligatur per præceptum aliquod,niſi mediante ſciētia illius præcepti:Et ideò,ille, qui non eſt capax notitiæ præcepti non ligatur, neque aliquis ignorans præceptum Dei,ligatur ad præceptū faciendum,niſi quatenus tenetur ſcire præceptum: ſi autè non teneatur ſcire,neque ſciat, nullo modo ligatur.* Ex quibus verbis,ſic Antonius Perez argumentatur. Qui dubitat de exiſtētia legis,aut præcepti:ita vt eam probare non poſſit,neque ſcit legem,neque poteſt ſcire, neque tenetur ſcire;ergo iuxta D. Thomam non tenetur lege. Quare vt lex obliget, aut præceptum,probari debet. Nil enim affirmare poſſumus, niſi id probetur, niſi fortè affirmetur, quod per ſe notum eſt. Quod ipſum ſibi ipſi eſt probatio ſui.]Vide plura apud hunc Doctorē, & non pigebit. Itaque dubitare an exiſtat lex poſitiua,vel naturalis,ſi propriè loquamur,eſt dubium ſpeculatiuum. Quo dubio cōponitur iudicium de licita operatione ratione poſſeſſionis libertatis, & ita tradunt 24. Doctores, apud Caramuelem *ſupr.fol.354.quæſt.6.*

§. II.

Obiectiones diſoluuntur.

7 ARguit Cella Dei, *libr. 3. quæſt.7. fol.*411.Poſſeſsio,ſecundum iura in dubijs proprium locum habet in poſſeſsione libertatis,ad litteram applicandum, id eſt, pro conſcientia dubia. Et dicendum,conſcientiam dubiam non obligare,quia poſsidet libertas:quod abſurdum eſt,& contra omnes. Hanc obiectionem iterum inculcat, *lib.4. quæſt.6. verſ.Hinc,fol.*574.dicens: [Hinc perſpicitur in caſibus,in quibus ceſſat obligatio, non ceſſare illam,vt quidam loquuntur, quia ſumus in dubio,& in dubio poſsidet libertas, *quia ſi hoc valeret nunquam conſcietia dubia obligaret, ceſſat ergo obligatio,*quia ex facta diligentia, & non inuentione,rectè concludimus, *vel legem non eſſe,vel . humana eſt,non fuiſſe ſatis promulgatam.*]Sic ibi,& iterum, *quæſ. 13. fol.* 119. Nam ſi poſſeſsio(inquit)libertatis cauſam dubiam redderet in æqualem, & ſolutam, omne dubium ſolveret,& nunquam haberet locū regula de tutiori parte. Ergo poſſeſsio locū non habet in alijs materijs extra iuſtitiam, nec eſt titulus deponendi dubium practicum,nec diſcordandi iudicium practicum ab ſpeculatiuo. Hæc ille.

8 Cæterum leuia hæc ſunt 1. Nam poſſeſſionem libertatis ad id ſufficere,& eſſe titulū ad deponenda dubia practica in omni materia eſt ferè communis Doctorum ſententia, quos citaui §. 1.& tenent vltra citatos, Cornejo, Bonacina, Layman, Baldellus,& alij apud Hurtado,ſupra *num.*231.quibus addo Eſparçam *de act.human.quæſt.23.art.3.*& Terillum *de probabilitate,q.23.à num.42.* qui optimè adnotant deſidiam Mercori,qui *part.2.Baſis,artic.*29.adducit, pro contraria opinione,doctiſsimum Suarez *tom.5.in 3.part. diſp. 40. ſect.5.* cum in hoc loco *num.14.& 15.* ab ea tantum diſtet, *vt falſam,& ſine fundamento,* illam eſſe dixerit. Nec abſurdum, quod obtrudit Cella Dei,vllo modo ſequitur. Quia non ſemper voluntas ſuam poſsidet libertatē. Quoties enim præceptum eſt certum,& ſufficienter propoſitum,non illa,ſed hoc poſſeſsionem habet:qua priuari non poteſt per dubium ſuperveniens, vt contingit in eo, qui in die vigiliæ dubitat, an duodecima noctis hora ſonuerit. Hic,inquā, nequibit carnes edere,quia præceptū,vſque ad mediam noctem poſsidet:Econtra verò, ſi in die Iovis dubitaret, an hora duodecima ſonuiſſet,& poſt diligentiā præmiſſam,dubius adhuc maneret,carnes edere poſſet, quia volūtas,vſque ad mediam noctem libertatem ſuam poſſidet:Et ſic in alijs. Vndè infertur, in gentem pati æquiuocationem recentiorem noſtrum, dum poſſeſsionē libertatis, in omni dubio,locum habere poſſe putat: quaſi ſemper voluntas poſsideat. Quod falſiſsimum eſt.

9 Reſpondeo ſecundo, hanc obiectionem iam diu factam à quibuſdam Neothericis ſibi oppoſuiſſe P.Tom.Sanchez *lib.2.de mat.diſp. 41.nu.42.*ex quo *n.41.*facilè ſolvitur: falſum enim eſt dicere,numquā eſſe conſcientiam dubiam,ſeu in nullo caſu verificari eſſe præceptum eligendi partem tutiorem. [*Quia ſiue quis* (inquit Sanchez)*poſsideat,ſiue nō,tenetur,dum practicè manet dubius,ſequi,quod tutius eſt. Nos verò aſſerimus poſſeſsionis fauorem ſufficere,vt dubitans ſpeculatiuè,poſsit practicè deponere dubium,& ſequi partem minus tutam ſuæ poſſeſſioni fauentem.*]Sic ille:Nempè,quia per actum reflexum, ſupra dubium ſpeculatiuum ſub ortū ex dubia lege,ſeu præcepto, poteſt volūtas ratione poſſeſsionis libertatis, determinatum aſſenſum imperare, quo iudicet licitū ſibi eſſe durāte dubio illo ſpeculatiuo,partē minus tutā amplexari. Vt benè ait Ioann. Sanch. *in ſelect.diſp.42.n.9.*[Poteſt(inquit)dubitās,an comederit,Sacram Euchariſtiā ſuſcipere,ſi depo

nat

nat dubium practicum iudicans, quod hic, & nunc ſibi liceat ſuſcipere, quantumcũque perſeueret in dubio ſpeculatiuo. Patet concluſio, ex eo quod melior ſit conditio poſsidentis nõ ſolum in materia iuſtitiæ; ſed etiam aliarum virtutum.] Sic ille plures citans. Quod ſi ſpeculatiuè dubitans nolit, aut ignoret principium ad practicum hoc iudicium concipiendum, dubiam conſcientiam habebit, ideoque mortaliter peccabit, ſi tutiorem partem non ſequatur. (Nec aliud euincunt fundamenta Philaleti, & Cellæ Dei.) Quia permanente cõſcientia dubia, id eſt, nullo adſtante iudicio (ſaltem probabili) de licita electione, ſeu quo aſſentiatur, non eſſe peccatum hic, & nũc operari, vrget præceptum certum naturale ſequendi tutiorem partẽ; ne ſe committat periculo peccandi; quod apertum peccatum eſt: nõ quidem præciſè, quod oriatur ex dubio de lege, ſit nec ne lata? Quia hæc non eſt, quæ tunc obligat, ſed certa alia lex cognita; nempè: Non licèt facere id, de quo practicè dubitatur, quod ſit malum. Quam aperte violat, qui ſic dubitans facit, vt multis probat Terillus *quæſt.* 18. a *fol.* 274. Nam ad non peccandum, neceſſariũ eſt habere iudicium, quo quis ſibi ſuadeat, non eſſe peccatum, quod vult facere, vt ex communi Doctorum conſtat; & tradit Vazquez 1. 2. *diſp. 66. num. 52. & prædixerat, diſp. 65. cap.* 1. *num.* 2. & 3. benè adnotans, quod cum ob extrinſeca principia (adde tu, & ob poſſeſsionem libertatis in dubio legis) habeat quis in ſingulari determinatum aſſenſum, quo iudicet, hoc ſibi nõ eſſe malum, idem omnino in vniuerſali iudicare debet, quia nequit non idem cum eiſdem circunſtantijs in vniuerſum, & in ſingulari iudicare. Nil verò obſtat, quod per intrinſeca principia, abſque extrinſecis conſiderata, ſit aliquis dubius in vniuerſum, v.g. *an pingere in die feſto, ſit opus ſeruile?* Et per conſequẽs, an ſub lege de non faciendo opere ſervili, in diebus feſtis comprehendatur; & tamen, quod per extrinſeca, aut per poſſeſsionem libertatis, fiat certus in vniuerſum illud non eſſe peccatum, iuxta ſuperius dicta. Quia per hunc aſſenſum non manet conſciẽtia dubia, licèt dubium ſpeculatiuum compatibile cum iudicio practico permaneat, quod contingere poſſe, non eſt dubium; vt docent communiter Doctores ex quibus vt ſuprà triginta refert, & ſequitur, *part. 2. tit. 9. ſ. 50. nu. 2831. fol.* 440. Dubio enim ſpeculatiuo permanente, an res quam poſsides ſit tua: Stat benè iudicium practicum de licita retentione ratione poſſeſsionis. Quod certũ omnino eſt: dubitanti autẽ de honeſtate actionis, vel omiſsionis, vt hic, & nunc in his circunſtãtijs exequẽdæ, ſeu de licita electione, poſt omnes rationes conſideratas, tàm directas, quàm reflexas, ni hoc dubium ex nouo fundamento deponat, impoſsibile eſt, vitare peccatum; quia hoc dubium practicum eſt incompatibile prorſus cũ aſſenſu, quo iudicetur *hic, & nunc licitũ eſſe operari*: ſunt enim contradictoria: & hoc dubium eſt, quod conſcientiam dubiam conſtituit: ſecus verò dubium, quod ex principijs directis, ſeu intrinſecis præciſè conſideratis, reſultat. Hoc enim non dubium practicum, ſed ſpeculatiuum eſt, vt conſtat ex dictis. Quod cũ iudicio practico componi poteſt. Sic, & benè tradit P. Ouiedo 1. 2 *tract. 5. controu. 4. punct. 1. nu.* 3. [Hoc, inquit, practicum iudicium haberi non poteſt, quovſque ignorantia, quã dubium ſpeculatiuum includit, fiat invincibilis; id eſt, quovſque quantum in ſe fuerit, ad veritatem cognoſcendam, præſtiterit: ex tali enim dubio oritur obligatio veritatis indagandæ, circa exiſtentiam, aut non exiſtentiam præcepti; vel iuxta illud operandi. Quapropter, qui negligit dubium ſpeculatiuum deponere, tenetur operari iuxta legem, de qua dubitat, & in hoc ſenſu intelligenda eſt regula illa, *in dubijs tutior pars eſt eligenda.*

10 Sic ſubditũ dubitantem, ſit nec ne, licita res, quam ſuperior præcipit, poſſe dubium practicè deponere, formando iudicium practicum, quod ſibi liceat rem præceptam exequi, non obſtante dubio ſpeculatiuo; & ideo teneri obedire, ſuſtinet, centum Doctoribus citatis, Ioann. Sanchez *in ſelectis, diſp. 33. num.* 37. & ante illum P. Thomàs Sanchez *ex communi, lib. 6. ſumm. cap. 3. num.* 3. Quia operari, inquit, cum dubio ſpeculatiuo, nulla prorſus eſt culpa, quoties ratio aliqua vrget ad contrarium iudicium practicum formandũ, qualis eſt poſſeſsio ſuperioris. Quod explicat Leſsius *de iuſtitia, lib. 2. cap. 41. dub 9. num.* 76 dicens, ſubditum dubitantem, an ſit licitum hoc facere. [Hoc dubium, ſi poteſt, conſideratis omnibus circunſtantijs, & principijs practicis, teneri deponere, & dubium tunc non perſeuerat practicè. Ita Azor. Sanchez. Palao.] Sed ſpeculatiuè, nẽpè an per ſe abſque iſtis circunſtantijs, & cõſideratis principijs proprijs ſit licitum: practicè autem conſtat, eſſe licitum, & prudenti iudicio talis iudicatur. Sic ille, & benè. Hoc enim vltimo iudicio conſcientiã practicè dubiam deponit, & ſolum dubium ſpeculatiuum perſeuerat, in quo nulla eſt repugnantia, vt ſupra probavi. Nam cũ diuerſum ſit obiectum iudicij practici habentis alia motiua, quibus caruit dubium ſpeculatiuum, rectè poteſt formari iudicium practicè dictans eſſe licitam electionem obiecti, de quo ex vi principiorum directorum nequiuit formari. Quamuis enim obiectum non iudicetur, ſecundum ſe licitum, per actum, iudicatur tamen per alios eſſe licitum, vt eſt ratio operis hic, & nunc; vt ex Caietano, Nauarro, Paſqualigo, & Spinulà, tradit Bardi *in ſelectis, lib. 11. q. vnica*, contra candidum Philaletum, *num. 16. &* 17.

11 Objicit ſecundo Cella Dei, poſſeſsionem libertatis eſſe de ſubiecto non ſupponente, & ideo nunquam allegari poſſe. Nam lis, inquit, non eſt de poſſeſsione libertatis phiſicæ, ſed moralis; ac proindè nō debet ſupponi poſſeſsio libertatis moralis, quando de hac eſt controuerſia, ſit nec ne? [nec ego (inquit) hanc poſſeſsionem anteà habui contra legem, ſed à principio ſumus in lite.] Reſpondeo primò huic obiectioni ſatisfactum iam eſſe 1. *part. ſelect. quæſt. 6. §. 5. num. 34.* vbi eam obtrudit Baronius, & iam diu Candidus Philaletus, in *diſput. de opini. praxi*. Et Proſper. Fagnanus *in cap. Ne innitaris, num.* 211. euidentemque habet inſtantiam in materia iuſtitiæ, in qua titulo poſſeſsionis phiſicæ formatur iudicium certū de licita retentione rei, de qua dubitatur, an ſit aliena? Ergo titulo poſſeſsionis libertatis phiſicę formari poterit de licita electione obiecti. Quia poſſeſsio libertatis, in qua naſcimur, ex natura rei nobis fauet, quandiù nō probatur amiſſa, lex autem non habet poſſeſsionem, niſi probetur. Nec dubia contra certam prævalere poteſt. Reſpondeo 2. ante ſufficientē intimationem, ſeu applicationem legis, homines habere poſſeſsionem moralem ſuæ libertatis, quia poſſunt abſque peccato vllo, omnia illa exequi, quorum, vel non eſt ſufficienter propoſita, vt ipſemet Cella Dei fatetur *lib. 4. q. 6. fol. 574. verſ. Hinc.* Et ſanè dubitari non poteſt, priùs eſſe dari hominem, quam lege vlla obligari, & certiſsimum eſt, hominem ex ſua natura liberum eſſe moraliter ad electionem obiecti cuiuſvis, quandiu eius libertas non probetur limitata, & coarctata lege aliqua, lex enim, vt ſupra dixi, ex communi Doctorum, nullam poſſeſsionem habet, niſi probetur. Quapropter dum dubia manet, voluntas perſeuerat in plenißima poſſeſsione dominij, circa quæcumque obiecta, nec ab ea deturbari debet (vt ait P. Eſparça *de actibus humanis, quæſt. 23. art. 3.* niſi pari euidentia conſtet, vſum huius dominij aliqua lege ſibi reſtringi. Vndè fit litem revera eſſe, an poſſeſsio illa, quæ prius natura (vt dici ſolet) ante legem propoſitam, & intimatam, in homine datur, & in qua omnes naſcimur, ceſſet per dubium legis ſuperueniēs? Quia legem non eſſe, & non eſſe ſufficienter propoſitam, ſunt termini æquiualentes, vt fatetur ipſemet Cella Dei, *fol.* 422. Cum ergo, vt ſufficienter propoſita, ſeu, vt obligans, ſit poſterior natura rationali, cui intimatur, vt obliget, nil obſtat, legem eſſe æternam, & hominem in tempore, vt prioritate naturæ præcedat, cum plenißima poſſeſsione libertatis, tàm moralis, quam phiſicæ, ad intimationem legis, per quam ſufficienter factā reſtringatur; ſecus vèro permaneat, & ita ſe habeat, ac ſi nulla eſſet in mente diuina, naturalis, nec diuina lex. Hanc doctrinam multis illuſtrauit, R. P. Fr. Antonius de San Pedro, Generalis Ordinis Ciſtercienſis in Epiſtola ad Illuſt. Caramuelem, quæ extat *tom. 4. Theolog. fundam. in dialexidi non certitudine, num. 745. fol. 253. & ſeq.* In qua multis cum ipſo probat veriſsimā hanc eſſe propoſitionem: *Homo eſt liber ab obligatione vitandi actionem, quandiù non probatur actionem eſſe prohibitam lege, & hanc libertatem poſsidet, ſi non probatur lex*, addens probationem debere eſſe certam, quia homo eſt reus libertate ſpoliandus: probatio autem contra reum debet eſſe certa, & indubitata, quod in foro externo omnes fatentur. Idem autem in vtroque iudicandum, quando externum non innititur falſæ præſumptioni docet ex cōmuni Doctorum, Sanchez *lib. 1. ſummæ capit. 10. num. 11.*

12 Denique objicit Vincentius Baronius: ſi poſſeſsio libertatis ſufficeret ad dubium ſpeculatiuum deponendum practicè, quando ex opinionibus hinc indè militātibus ſuboritur; locum habere non poſſet deciſsio Innocentij Pontificis in capite *Inquiſitioni*, in quo cum cōſultus fuiſſet, quid facere deberet coniux, qui poſt matrimonium bona fide contractū, vtrinque opinaretur de impedimento, reſpondit. *Cū conſcientia pulſat animum, ex credulitate probabili, & diſcreta, quamvis non euidenti, & manifeſta debitum quidē reddere, vir, aut vxor poteſt, ſed poſtulare non debet.* Ergo quando cōtrariæ ſunt opiniones, alia pro lege, alia pro libertate pugnans, neceſſarium putauit Pontifex ſeruandam eſſe illam iuris regulam, *indubijs tutior pars eſt eligenda*, ideoque reſolvit debitum reddendum marito poſsidenti, ne iniuſtè illi negetur, non vero poſtulandū, quia non petere ab omni culpa liberum eſt, contra autem, ſi petat, periculo deficiendi contra ſextū decalogi præceptum exponitur.

13 Reſpondeo 1. Hoc iuris caput extra rē nobis objici, quia in capite *Inquiſitioni* non erant vtrinque opiniones contrariæ, alia pro lege, ſeu impedimento matrimonij, alia pro non exiſtentia illius, ſeu pro libertate petendi debitum, ſed alter coniux probabiliter credebat poſt ſecundas nuptias bona fide cōtractas, primum maritum eſſe ſuperſtitem, non verò credebat probabiliter oppoſitū, & tunc poſtulare debitum non poſſe, decidit Innocentius. Locum ergo non habet obiectio ex capite *Inquiſitioni*, in caſu de quo diſputatur, nempè an concurrentibus hinc indè contrarijs opinionibus alia pro lege, alia pro libertate poſsimus dubium ſpeculatiuum, quod generant, practicè deponere, ratione poſſeſsionis libertatis.

14 Reſpōdeo 2. per euidentem inſtantiam contra Baronium, & ſequaces, quia ipſi conſtanter aſſerunt hoc Axioma Iuris, *in dubio melior eſt conditio poſsidentis.* Locum habere in materia iuſtitiæ, ac proindè poſſeſſorem bonæ

fidei

Digitized by Google

fidei ſpeculativè dubitantem; an res, quã poſsidet, ſit ſua, poſſe ratione poſſeſsionis licite retinere, & illa prohibito vti. Ergo cum materia huius capitis *inquiſitioni*, ſit iuſtitiæ, & vxor eſſet poſſeſſor bonæ fidei, poterat in dubio ſpeculatiuo, an vir, quem poſsidet, ſuus eſſet, dubium hoc practicè deponere, & debitum non ſolum reddere, ſed etiam petere. Confirmatur. Quia vxor erat in poſſeſsione debitum ex iuſtitia petendi, ergo ſine ratione certa, & indubitata, nõ poterat ſua poſſeſsione privari. Poterat ergo, & tenebatur reddere ratione poſſeſsionis, quæ erat viro, & poterat petere ratione poſſeſsionis petẽdi ex iuſtitia, quæ ipſimet vxori erat. Quomodo ergo Pontifex, vnum ei concedit, & alterum negat? Quid ad hæc.

15 Igitur vt caput *inquiſitioni* plenè, & perſpicuè intelligas, conſule quæſo doctiſsimum Patrem Sanchez *lib. 2. de matr. diſp. 41. num. 46. & 47.* Vbi efficaciter probat *reſolutionem Pontificis* fuiſſe, coniugem, qui bona fide ad ſecundas nuptias tranſierat, & poſtea, ex probabili credulitate dubitare, ſeu opinari incepit primũ coniugem viuere, poſſe debitum reddere, non verò debere poſtulare: nempè ante adhibitã diligentiam ad aſſequendam veritatem, *ea tamẽ*, inquit Sanchez, *ſufficienter adhibita poſſe reddere, & petere. Quia poſſeſſor bonæ fidei (qualis eſt coniux, qui bona fide ſecundo contraxit) ſi dubitat rem eſſe alienam, & facto ſufficienti examine, nequit dubium vincere, poteſt non tantum rem detinere, ſed illa etiam vti.* Ergo vti poterit matrimonio non ſolum reddendo, ſed etiam petẽdo, ſi præmiſſo ſufficiente examine, dubius adhuc maneat, ſine evidentia de vita prioris coniugis, & ſi cũ credulitate probabili. Ita expreſsè tradunt apud Sanchez vbi ſupra M. Sotus. M. Martinus de Ledeſma. M. Ludovicus Lopez, & Manuel Rodriguez dicens: eam reputaſſe probabilem Victoriam, Canum, Peña, & Gallo, & alios, quos ſequitur ibi ipſe Sanchez. Quibus adde Cardinalem de Lugo, *tom. 1. de iuſtit. diſp. 17. ſect. 4. num. 88.* & Dianam *3. part. tr. 4. reſ. 295.* vbi pro ſe adducit Valentiã, Reginaldum, Coninch, & Villalobos, & P. Antonium Perez, *tom. de iuſt. tr. 2. diſp. 2. cap. 4. n. 83.* & Caramuel *tom. 4. Theol. fundam. in dialexi de non certitudine, n. 541.* Vide etiam Patrem Sãchez, *diſp. 42. n. 8. & diſp. 44. n. 2. & 4.* vbi cum M. Petro de Soto, M. Martino de Ledeſma, & alijs, quos citaui *1. p. ſelectarum tr. 1. q. 6. n. 17.* id verum cenſet, licet poſt adhibitam diligentiam, veritate non inventa, coniux putet probabilius matrimonium ſecundum eſſe invalidum, & nullum poſſeſſorem bonæ fidei eſſe ſpoliandum, niſi certum moraliter ſit rem, quam poſsidet eſſe alienam: conſtat ex dictis, p. 1. Select. tr. 1. q. 9. à numero 17. & me citato defendit nouiſsimè Illuſt. Caram. vbi ſup. n. 709. & tradunt apud illum Trullenc, Diana, Layman, & videtur D. Auguſt. lib. de fide, & operib. cap. 7. & refertur, cap. ſi virgo 34. q. 1.

16 Notat etiam Sanchez *diſp. 41 num. 46. & 47.* diligentiam, pro veritate adinveniẽda, ſolum debere præmitti, quando ſit ſpes inveniendi, quando autem moraliter eſſet impoſsibile, adhibita diligentia, poſſe vinci dubium, [tunc, inquit, poteſt coniux reddere, & petere, quia fruſtra ea diligentia adhiberetur. Et invincibilis ignorantia eſt, quæ ſufficienti diligentia vinci non poteſt, licet veritas non innoteſcat.]

17 Prohibuit ergo Pontifex coniugi dubitanti, ſeu opinanti de impedimento matrimonij, debitum poſtulare, ante adhibitam diligẽtiam pro veritate invenienda: tũ quia nec opinionem probabilem ſpeculativè de morte primi coniugis habebat, nedum iudicium practicè probabile de vſu matrimonij: Tum quia ante adhibitam diligentiam, an vir, cuius poſſeſſionem habebat, eſſet ſuus, eſſe illi non poterat opinio practicè probabilis pró libertate poſtulandi. Si enim illa conſulenti adeſſet, alia eſſe poſſet Pontificis deciſsio, ſicut in alijs caſibus de conflictu opinionum hinc inde militatium.

18 Ex quibus fit ex capite *inquiſitioni*, nil concludi poſſe contra noſtram, & communem ſententiam, quia ſolum aſſerimus, quod concurrentibus duabus opinionibus contrarijs, alia pro lege, alia pro libertate, licitum eſt fauenti libertati adhærere. In capite autem *inquiſitioni*, non erat conflictus duarum opinionum, quarum vna affirmaret impedimentũ, negante altera; aut quarum vna defenderet licitũ eſſe petere debitum, altera repugnãte. Sed nulla circa licitum vſum matrimonij vertante, conſultus fuit Pontifex, quid facere debere cõiux, cui poſt contractum bona fide ſecundum matrimonium, eſſet probabile iudicium ſpeculatiuum de vita primi coniugis: cui Pontifex iure optimo reſpondit, non poſſe in his circuſtantijs debitum petere: nempè ante adhibitam diligentiam pro veritate invenienda, vt ſupra explicuimus. Alias ſi vterque coniux de impedimento credulitate probabili opinaretur, vel dubitatet, neuter poſſet vllo vnquam tempore debitum petere, & conſequenter, ne periculo proximo peccati manerent expoſiti, tenerentur à thoro ſeparari, quod intolerabile foret. Ergo veritate non inventa poſt adhibitam prudentẽ diligentiam, vterque coniux poteſt debitum reddere, & petere, perſeuerante dubio ſpeculatiuo de impedimento matrimonij.

§. III.

Ob inſufficientem legis promulgationem conſcientia dubia poteſt deponi.

19 Nil apud Doctores certius legẽ non ſufficienter promulgatã non obligare, quod ita evidens putauit D. Thomas 1.2. *q.90. art.4.* vt expreſsè tradiderit, promulgationem eſſe de ipſa legis eſſentia. Sed quidquid de hoc ſit: ratio naturalis id demonſtrat, quia lex non applicata, & hominibus incognita, nequit illis eſſe regula humanarum actionum, cum autem per promulgationem applicetur, vt per cognitionem illis innoteſcat, & ſecundum illã operentur, conſequitur plane abſque ſufficienti legis promulgatione, per inde ſe habere debere, ac ſi nulla eſſet lex. & ita fatetur Cella Dei, *lib.3.q.8.ſſ.4. verſ. videtur vero.* [Nam lex, inquit, non ſatis promulgata, non eſt ſimpliciter promulgata, lex autem non promulgata, neque realiter quidem, & in ſe obligat, nec magis violatur, quam ſi non eſſet.] Quòd antea prædixerant Sanchez, Suarez, Henriquez, & alij, quos citatos ſequitur Illuſtr. Caramuel, lib. 4. Theol. fund. dialexi de non certitudine, art. 9. n 698. *Nam legem*, inquit, *neſciri, & legem non eſſe idem eſt.* Vnde probat repugnare *peccati materialis conceptum.* Quia præceptum quod alicui imponitur illi notificatur [& lex quæ non obligat non eſt lex, & quæ non eſt lex, nec formaliter, nec materialiter violari poteſt.]

20 Ex quibus efficax ſumitur argumentum ad deponendam conſcientiam dubiam, quando ex conflictu cõtrariarum opinionum, quis dubitat ſpeculatiuè, quænam illarum ſit vera; an quæ pro lege? an quæ pro libertate pugnat? Argumentum eſt huiuſmodi: nulla lex obligat, niſi fuerit ſufficienter propoſita, & applicata, ſed quoties authores probatæ authoritatis opinionibus diſſident, an hoc, vel illud obiectum prohibitum ſit, lex non eſt ſufficienter propoſita, & applicata; ergo quoties opinionibus diſſident, non obligat. Diſcurſus rem evincit: maior eſt evidens ex terminis, quam cum D. Thoma tenent omnes Theologi in materia de legibus. Minor probatur authoritate ferè omniũ Theologorum aſſerentium licitũ eſſe amplecti opinionem probabilem minus tutam, relicta tutiori, & probabiliori militante pro lege, omnes enim conſequenter cenſent, ex hoc conflictu opinionum vrgens argumentum deſumi ad aſſerendum non eſſe ſufficienter propoſitam, dũ probabili opinioni pro libertate locum relinquit: & in terminis ita tradit P. Suarez 1.2. *diſp. 12. ſect.6. n.8. & tom.5. in 3. partem, diſp. 40. ſect.5.* Quem ſequuntur P. Salas *tom.1. in 1.2. tr.8. diſput. vnic. ſect.6. n.4.* ibi: [Quando eſt probabile iudicium, quod nulla ſit lex præcipiens, vel prohibens actionem, talis lex non eſt ſufficienter propoſita, & promulgata hominis; ergo non obligat.] Et P. Thomas Sanchez *in ſumm. lib.1. cap.10. num.32.* [Quia nemo, inquit, obligatur legi, niſi illi ſit ſufficienter propoſita, at quando poſt ſufficientem diligẽtiam manet quis dubius, an ſint lex, & præceptum. non ſunt illi ſufficienter propoſita ergo.] Sic ille, pro ſe citans Enriquez, & alios. Quod multis probat Baldelus *in Theolog. morali. libr. 4. diſp.8. num.7. & 8. & diſp.9. num.1.* & ſequitur P. Antonius Perez *tract.2. de iuſtit. cap.4. num.90.* vbi ſic. [De ratione legis, & præcepti (nempè ſiue humanæ, ſiue diuinæ) eſt promulgatio, cum in eius definitione hæc ponatur: debet igitur lex ſe manifeſtare, vt non poteſt facere, niſi ſuam exiſtentiam probet.] Et conſequitur Doctor Ioannes Ioſeph Garſi *cent.2. cap.84. num.8.* [Quando eſt probabile iudicium, quod non eſt lex prohibens aliquam actionem, quãuis in contrarium ſit iudicium probabilius, lex non eſt ſufficienter promulgata. Quia lex ſufficienter promulgata eſt certa.] Sic ille. Quibus adhæſit Patritius Sporer *in Tyrocinio Theologiæ moralis, cap.4. num.72.* ibi. [Lex nõ ſufficienter propoſita, & intimata, non obligat ſecudũ omnes.] Quos ſequitur Thomas Hurtado *tom.9. reſol. Moral. tract.11. cap. 7. num. 232.* & Pater Terillus *quæſt.23. num.14.* & ſequentibus.

21 Ratio à priori eſt, quam citati Doctores tradunt; nimirum, quia ad ſufficientem promulgationem legis requiritur, vt quiſque morali certitudide agnoſcat (vt inquit Hurtado) obligationem ſibi annexam à lege præfixam, quæ operatur applicata ſubiecto, vt cæteræ cauſæ: ergo cum poſt ſufficientem adhibitam diligentiam, maneat idem dubium ſpeculatiuũ, an talis lex extet, non cenſetur ſufficienter promulgata, & applicata: nequit enim affirmari obligationem morali certitudine agnoſci. Addit Terillus, promulgationem aliquibus ſaltẽ euidenter debere innoteſcere. [Promulgatio, inquit, debet eſſe ceremoniarum manifeſta ſubditis, vt aliqui ſaltem eorum euidenter ſciãt, & legem latam, & tali ceremonia fuiſſe manifeſtatam; immò debet eſſe adeo manifeſta, tamque liquido divulgata, & certa eius notitia, vt magnam ſubditorum partem latere non poſsit, niſi ipſi culpabiliter ad ea, quæ fiunt, nolint advertere.] Ergo, cum hæc promulgatio non interueniat, quoties Doctores graues opinionibus diſſident, ſignum euidens, aut valdè vrgens eſt, aut legem non eſſe, aut non eſſe ſufficienter propoſitam. In his enim quæſtionibus de iure naturali, vel diuino, in quibus nil à Supremo Eccleſiæ capite, nil à fidei tribunalibus eſt deciſum, Theologi docti, & pij ſunt quaſi iudices à Deo conſtituti, à quibus cæteri indocti, aut rudes, & illitterati, legum, & præceptorum notitiã participare poſ-

ſint,

Digitized by Google

ſint, & debeant. Cui [illegible] Deuteronomij 17. quod ad doctrinam morum apprime quadrat: [*Si difficile, & ambiguum apud te iudiciũ eſſe proſpexeris, inter lepram, & non lepram; ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, venieſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæres que ab eis, qui iudicabũt iudiciũ, veritatem, &c. ſequeriſque ſententiam eorum.*] Ergo, cum fere omnes Theologi docti, & pij, & in facultate morali verſati, & pro reſolvendis caſibus conſcientię à Deo electi, conſtanter proclamant, legem non eſſe latam, aut non eſſe ſufficienter promulgatam, quoties Doctores probatæ authoritatis opinionibus diſsident, eorũ ſententiam vnuſquiſque tuto ſequi poterit, & conſcientiam dubiam ex hoc fundamento deponere.

22 Nec video, qua ratione huic diſcurſui contrauenire poſsit Antonius Cella Dei; cum ipſemet, *lib. 4. quæſt. 6. §. 2.* hanc regulam ad eã deponẽdã, his verbis ſtatuat. [Quoties quis ita ſua nõ inuẽtione, poteſt rectè dicere, & exiſtimare: *Si fuiſſet, ſanè inueniſſem; per non inuenire; inueniri veritatem, nam dicitur, ſi fuiſſet inveniſſem, non inueni; ergo non eſt.* Quæ verba ad rem noſtram ſic applica: ſi fuiſſet lex, tot Doctores graues inueniſſent, cum contentioſsè, pro, & contra, diſputauerint; ſed non inuenerunt, ergo non eſt. Vel ſaltem non eſt ſufficiẽter publicata. Argumentum rem euincit, & ad conſcientiam dubiam deponendam ſufficere, nequit prudenter dubitari.

23 Obijcit Cella Dei *lib. 3. quæſt. 8. fol. 413.* falſum prorſus eſſe leges, de quibus inter Doctores graues, eſt deſsidium, fuerint, nec ne latę? Non eſſe ſufficienter intimatas, ſeu propoſitas ad obligandum: quia, ſi id verùm eſſet, hoc haberent hæretici effugium, & ſimiliter infideles, vt opiniones contra fidem probabiles eſſe tuerentur, ipſiſque ſatis eſſe probabiles in materia Religionis ad ſalutem, ſicut in materia morum ad non peccandum. Nec vrgeri poſſent lege aliqua naturali, vel diuina, de quibus inter ſuæ ſectę patronos, & Doctores Chatholicos deſsidium eſt: reſpondebunt enim, non eſſe ſatis propoſitas ad obligandum, & ideò vtriuſque partis fundamentis præuiſis, aſſenſum ſuſpendere, aut ſectę ſuæ magis, adhærere. Reſpondeo, ex dictis ſupra, ſatis commune eſſe apud Theologos, leges non ſufficienter propoſitas non obligare, quia Deus neminem obligat ad ea, de quibus prudenter dubitatur eſſe præcepta, aut probabiliter creditur non eſſe: ſi enim hoc voluiſſet, id ipſum nobis expreſsiſſet. Contra leges autem non ſatis promulgatas, non magis peccari, quam contra leges non conditas; ideoque nec materialem violationem earum dari, dicit Cella Dei ipſe, *fol. 427.* Verbis ex illo ſupra datis.

24 Et de hæreticis expræſsè loquens P. Antonius Terillus *quæſt. 4. num. 14. fol. 52.* adnotauit, plures opiniones in ſe improbabiles, quales ſunt hæreticorum contra fidei myſteria; eſſe poſſe probabiles quo ad imperitos, qui ſolum perceperunt authoritatem, & rationes ſuæ hæreſi fauentes, non verò contrarias, & veras fidei Catholicæ: proptereaque ſubnectit: [Probabiliter, & prudenter exiſtimant vera eſſe, quæ a ſuis maioribus didicerunt; qui quidem ſunt hæretici materiales tantum, & in ſuo errore irreprehenſibiles.] Cui ſatis conſonat Cella Dei ipſe, *lib. 1. quæſt. 13. fol. 134.* dicens: [Doctrina, quæ alicuius, ex aliqua ignorantia ſatis ordinaria, putatur vera, vel probabilior, eſt ei tuta.] Talis autem, vt in plurimum videtur eſſe doctrina hæreticorum apud imperitos ex ipſis. Imo addit recentior iſte, *lib. 2. q. 18. in fine.* [Indocti inuenta authoritate ſiſtere in illa poſſunt, nec debẽt vlterius procedere.] Quod tantum verificari poteſt de inuenta veritate, aut opinione, vt minimum probabili. Negari autem non poteſt, plures hæreticos imperitos, ex aliqua ignorantia ipſis ſatis ordinaria in authoritate doctiſsimorum ſuæ ſectæ ſiſtentes doctrinam oppoſitam fidei putare veram, *erit ergo ipſis tuta*, in doctrina huius recẽtioris, nempè ſufficiens, vt a peccato formali contra fidem excuſentur, eo quod myſteria fidei non fuerint illis ſufficienter propoſita. Sed modus hic loquendi mihi diſplicet, quia non eſt confundenda probabilis opinio cum errore, cuius certitudinem habemus ex reuelatis: Ideo melius loquitur Honoratus Fabri *Dialog.* 1. dicens: [Quod quando opinio non habet firmum fundamentum, cum error ſit, non eſt dicẽda alicui tuta, nec probabilis, nec excuſare à peccato; ſed ignorantia inuincibilis, qua laborat. Certiſsimum enim eſt, propoſitionem affirmantem hæreſim, aut aliam infidelitatis ſpeciem non eſſe opinionem probabilem, nec reddi poſſe probabilem, quantalibet qualiumcumque hominum authoritate, eſt enim certitudo in cõtrarium.] Hæc eſt ſententia communis Theologorum, quos ſequitur Bernardus StubroKius, *in notis in diſſertationem Theologicam de probabilitate, §. 5. fol. 64.* [Idẽ, inquit, omnes Doctores verè Catholici docẽt, puerum ſcilicèt baptizatum, hæreſim ab his, a quibus in rebus fidei inſtituitur, ſibi propoſitã credere ſine peccato, modo ſcilicèt (quod re vera omnes ſupponunt) inuincibili laboret ignorantia. Sic in his Regionibus, quibus nullũ fidei Catholicæ lumen affulget, multos ignorantia inuincibili teneri conſtat, ac proindè eſſe materialiter dumtaxat, vt vocant, non formaliter hæreticos.] Quæ ſententia eſt D. Thomæ 2. 2 *quæſt. 10. artic. 1.* & fuſe tradit Victoria *relect. de Indis Inſulanis, concl. 1. & ſeq.* Idẽque ſentit Conradus, Almainus, Vega, Alphon-

phonſus de Caſtro, Petrus de Soto, & alij, quorum ſententiam ſequitur P. Vazquez 1.2. *diſp.* 120 *cap.* 3. *num.* 8. dicens: Manifeſtis Auguſtini teſtimonijs probari, ſubnectens, *num.* 9. ſi alicui circa fidem, & Religionem, quam ipſe profitetur, dubitatio aliqua ſubrepat, ſuæ conſciẽtiæ videbitur ſatisfeciſſe, ſi maiores ſuos, quos ipſe exiſtimat eſſe peritiores, adierit, & de illa dubitatione conſuluerit: quamuis enim in ſuo errore ipſum confirmet, ignorãtia inuincibilis circa fidei myſteria illi erit, ita vt culpæ non imputetur.

25 Reſpondeo ſecundò ad obiectionẽ, argumenta noſtræ fidei, quæ illam euidenter credibilem faciunt, reddere euidenter incredibilia, quæ pro hæreſi, vel infidelitate à ſectarijs allegantur; ideoque improbabiles eorum opiniones oſtendunt, & errores eſſe conuincunt: licet ipſi ex defectu ſufficientiæ propoſitionis, hæc ignorent, ſiue vincibiliter, ſiue inuincibiliter, vt contingere poteſt: eoque vnice noſtra cum ipſis diſputatio dirigitur, vt fidei noſtræ veritatem, & ſuæ falſitatẽ illis perſuadeamus. Reſpondeo tertio, quod in his, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem, *vt credere Deum eſſe, & remuneratorem eſſe*, nulla opinio, nullus error, & ſi inuincibilis excuſare poteſt, quin illa ignorans damnetur, (vt alibi probauimus) quia opinio, & inuincibilis error non ſupplent neceſſaria neceſſitate medij, vt per ſe notum eſt: ideoque minus benè paritas prætenditur inter probabile in materia Religionis ad ſalutem, & probabile in materia morũ ad non peccandum. Si verò ſermo eſſet de his tantum, quæ in materia Religionis neceſsitate ſolius præcepti neceſſaria ſunt, eſſet quidem omnimoda paritas; ideoque cõmuniter Theologi aſſerunt, tàm infideles, quam hæreticos inter ipſos natos, & enutritos, quibus fides noſtra non eſt ſufficienter propoſita, non peccare non credentes: laborant enim ignorantia inuincibili præcepti.

26 Denique retorqueo argumentum, & inquiro à recẽtiore noſtro, quid faciet infidelis, aut hæreticus, cui argumenta illi propoſita, ad myſteria ſuadenda, non appareant grauiora, quam ſuę ſectæ? quandoquidem, vt ipſe paſsim proclamat, intellectus tantum poteſt aſſenſum præſtare parti contradictionis, pro qua grauiora ipſi apparent fundamenta; ſecus neceſſariò, ſi æqualia, ſuſpendit aſſenſum? Quid inquam, faciet, ſi appareant æqualia? Quid ſi ſuæ ſectæ grauiora ipſi repræſententur? Nequibit profectò myſterijs noſtræ fidei aſſentiri, & hac poterit excuſatione ſe protegere, & ab obligatione credendi ſe eximere: Ita ne verò? Quid ad hæc? Igitur apertiſsime patet, diſcurſum de licito vſu opinionis probabilis, quoties ex diſsidio inter Doctores, inſufficienter proponitur lex, non reddere difficiliorem conuerſionem hæreticorum, & infidelium, cum doctrinam ipſius Authoris negantis poſsibilitatem aſſenſus parti æquæ, aut minus probabili apparenti. Vidè doctiſsimum P. Ioannem de Cardenas *in ſelectis diſput. tract.* 1. *diſp.* 15. *cap.* 4. *art.* 4. *num.* 209. *fol. mihi* 204. Vbi hoc ferè argumentum à Baronio contra probabilitatis obiectum, in ipſum met ingenioſè retorquet.

27 Obijcit 2. Deum ſatis promulgaſſe legem ſuam, olim per Patres, & Profetas, nouiſſimè autem per filium, & poſteà per ſancta Cõcilia, per Pontifices, Sanctos Patres, & Theologos: & hanc ſanctam legem ſingulorum cognitionibus eſſe ſingulis applicatam. *Sic fol.* 423. & 424. Reſpondeo ex ipſo, legem naturalem: *Non promulgari, non acceptari; ſed purè applicari media ratione, quæ ſua vnicuique eſt regula ſubordinata, & applicans.* Vndè euidenter deducitur, rectè componi, quod Patribus, & Profetis fuerit ſufficienter applicata, & alijs per ipſos, & tamen decurſu temporis, legis naturalis notitiam apud aliquos abolitam fuiſſe, vel obſcuratam. Et ſanè quo ad aliquas concluſiones certiſsimum eſt: quia nec concilia, neque Pontifices, eam hactenus, vt certam propoſuerunt; nec Patres, nec Theologi conuenerunt; ſed in contrarias opiniones hìnc indè circa plura, quæ ad legem naturalem pertinent, abierunt: In quibus eorum diſsidium dubiam, & in certam legem nobis reliquit. Et quidem, ſi ad præcepta poſitiua, ſiue naturalia, ſiue diuina, deueniamus; ab experientia certum eſt, ſatis longo tempore nos viuere cum inuincibili eorum ignorantia: Imò, & aliquorum (*vt vſuræ, mendatij, & ſimplicis fornicationis*) ruſticos plures, per totam vitam laboraſſe. Et ſaltem id eſſe poſsibile, docent cum D. Thoma, plures Theologi, quos citaui 1. *part. ſelect. tract.* 1. *quæſt.* 6. *num.* 47. non ergo fuerunt illis ſufficienter applicata (ſicut nec modo hæreticis pluribus) myſteria noſtræ fidei; ne dum infidelibus in remotiſsimis Indiarũ partibus enutritis. Hi ergo, ex defectu applicationis, ab aliquibus legis naturalis, vel diuinæ præceptis exempti erunt; & in poſſeſsione ſuæ libertatis moralis, donec lex ſufficienter illis applicetur permanebunt.

28 Hoc ſolido fundamento ductus, qui authoritate D. Thomæ pro vna parte, & authoritate D. Bonauenturæ, pro contraria præmetetur; ideoque dubius ſpeculatiuè de veritate maneret, poſſet formare iudicium, tutum ſibi eſſe partem, quam maluerit, eligere. Cuius contrarium tenet Cella Dei *lib.* 2. *quæſt.* 20. *ſ.* 2. *verſ. Septimo ſequitur*, exemplo adhibito in alijs æqualis authoritatis Doctoris. [Per incõſiderationem (inquit) opponere aliquis poteſt videri irreuerentiam, & ſuperbiam, ſi quis dicere in aliquo dicto, tuto ſtari nõ poſſe, v.g. Caietano qui in eo dicto habet ſibi cõtrarium, v.g.

Victoriam; quem ea in re ſupponamus non eſſe minus ſapientem; nam id nulla eſſet irreuerentia erga Caietanum; ſed potius contrarium eſſet contemnere Victoriam ſine iure, & ratione vlla.] Verùm id approbare non poſſum, nec eſt cur approbet ipſe, quia, vt non inuitus fatetur *lib. 4. quæſt. 9. fol. 587.* ſi quis fecit ſufficientem diligentiam, vt ſciret legem, & non inuenit. [Per hoc ipſum habet, vel cõuincens, vel magnum fundamentum de eius non exiſtentia, & ſic tollitur æqualitas:] Quæ nam rogo, diligentia ſufficiens, ad ſciendam legem fieri poteſt maior, quam duos Eccleſiæ Doctores conſuluiſſe? Si ergo iſti non conueniant, qui hac facta ſufficienter diligentia, legem non inuenit, per hoc ipſum habebit conuincens, vel magnum fundamentum de eius non exiſtentia, vel ſaltem de non ſufficienti promulgatione, & hoc argumẽto poterit cõſcientiam dubiam deponere, quoties ob æqualitatem authoritatis Doctorum, vel rationũ, maneat ſpeculatiuè dubius: in quo nulla interuenit Doctoris alicuius irreuerentia, vel contemptus, quando quidem, manente dubio ſpeculatiuo circa exiſtentiam legis, de qua contrariè opinantur Doctores, ob inſufficientem publicationem legis, non obligare iudicatur.

§. IV.

Ob ignorantiam inuincibilem veritatis conſcientia dubia deponi poteſt.

29 QVando ex conflictu contrariatũ opinionum, de cuiuſvis determinata veritate dubitatur, ignorantiam invincibilem veritatis interuenire, eſt communis Doctorum ſententia ex D. Thoma *2 ſententiarum, diſt. 22. quæſt. 2. art. 2. vbi ſic:* [*Si talis ſit ignorantia, cui nullo modo admiſceatur ratio culpæ ex eo quod ignorantia eſt, ſic excuſat in toto, ſicut ignorantia inuincibilis, & ignorantia particularis, adhibita tamen debita diligentia.*] Diſsidium autem inter viros probos, & doctos, arguete apud illos ignorantiam veritatis, *cui nulla admiſcetur ratio culpæ, ex eo quod ignorantia eſt*, nemo niſi temere diſſentire poteſt, *excuſat ergo in toto, ſicut ignorantia inuincibilis*. Sed tamen expreſsiora verba, inuenies 1. 2. *quæſt. 76. art. 2.* vbi extãt, quæ ſequuntur: *Propter negligentiam, ignorantia eorum, quæ quis ſcire tenetur, eſt peccatum: non autem imputatur homini ad negligentiam; ſi neſciat ea, quæ ſcire non poteſt. Vndè horum ignorãtia inuincibilis dicetur, quia ſtudio ſuperari non poteſt. Et propter hoc talis ignorantia, cum non ſit voluntaria, eo quod non eſt in poteſtate noſtra repellere eam, non eſt peccatum.* At qui ignorãtiam veritatis, ex diſsidio inter graues Doctores circa exiſtentiam legis ſubortam; non eſt in poteſtate noſtra repellere, ergo non eſt peccatum. Quid apertius. D. Thomam ſequitur Sylveſter *in ſumm. verbo ignorantia num. 5.* vbi ſic ait. [Ignorantia non affectata eſt duplex, quia quædam eſt inuincibilis, id eſt humano ſtudio inſuperabilis, ſiue, quia nullo modo ſuperari poteſt, vt ea, quæ eſt in pueris, & amentibus: ſiue quia ſuperari poteſt, ſed cum maxima difficultate, vt in ſenſu debilibus. Vndè ſecundum Verucc. dubitans, & conſulens viros doctos falſo conſulentes, laborat ignorantia inuincibili.] Hæc Sylveſter, quæ magis explicat *nu. 8. quæſito 3.* vbi ſic. [Tertio quæritur, vtrùm ignorantia ſit peccatum? Et dicit D. Thomas, ibi (nempè 1. 2. *quæſt. 76. art. 2.*) quod nulla ignorantia inuincibilis, id eſt ſtudio, inſuperabilis eſt peccatum, quia non eſt voluntaria: nec imputatur ad negligentiã, ſi quis neſciat, quod ſcire non poteſt ſimiliter, nec ignorantia vincibilis, ſi ſit eorum, quæ quis ſcire non tenetur, eſt peccatum; ſed ſolum ſi ſit eorum, quæ quis ſcire tenetur: quia quicumque negligit habere, vel facere, quod facere, vel habere tenetur, peccat peccato omiſsionis: vndè talis ignorãtia eſt peccatum ratione negligentiæ licet priuatio ipſa ſcientiæ ſecundum ſe non ſit peccatum.] Quod magis iterum explicat ex D. Thoma *num. 9. quæſt. 4.* vbi ſic: [Quarto quæritur, vtrum ignorantia excuſet a peccato ex toto, & dico, quod hic non quæritur de excuſatione à peccato in ordine ad leges humanas, ſed in ordine ad legem diuinam, & forum conſcientiæ. Ad quem intellectum intelligo reſpondere S. Thomam ſecunda ſecundæ (lege prima ſecũdæ) vbi ſuprà *artic. 3.* ſic virtualiter dicentem: Ex duobus contingere poteſt, quod non totaliter excuſet a peccato; primo ex parte rei ignoratæ, quia ſcilicet aliquid ignoratur, quod ſcitum retraheret à peccato: & tamen aliquid ſcitur, per quod cognoſcitur illud eſſe actum peccati: ſicut ſiquis percutiat patrem ignorans eſſe patrem, & ſciens eſſe hominem, quod ſufficit ad rationem peccati, &c. Secundo ex parte ipſius ignorantiæ, quia ſcilicèt ipſa eſt volũtaria, vel directè, ſicut cum quis ſtudiosè vult neſcire: vel indirectè, ſicut cum quis propter laborem, vel alias occupationes negligit addiſcere illud, quo retraheretur à peccato, & quod ſcire tenetur, & poteſt: quia talis negligentia facit ignorantiam eſſe voluntariam, & peccatum. Si verò ſit talis ignorantia, quæ omnino ſit inuoluntaria, ſiue quia eſt inuincibilis, ſiue quia eſt eius, quod quis ſcire non tenetur, omnino à peccato excuſat. Hæc ex illo.] Hac tenus M. Sylveſter.

30 Ignorantiam inuincibilem eodem modo explicãt alij Thomiſtæ. Doctiſsimus M. Pardo *tom. 1. Theologiæ Moralis, cap. 2. quæſt. 12. §. 2. num. 5.* ſic ſcribit [Probat D. Thomas 1. 2.

quæſt.

quæſt.76. art. 2. quia ignorantia inuincibilis dicitur, quia ſtudio ſuperari non poteſt, &c. D. Thomam ſequuntur Sylveſter (attende) & omnes Thomiſtæ.] Sic ibi, *Et tom. de pænitentia, q.3. de contritione. dub. 3. nu.* 23. ait, cum Petro de Soto [Iudicium probabile, cum bona fide, & diligentia debita, facere ignorantiam facti, vel iuris, vel vtriuſque, eſſe inuincibilē.] Et magis ad rem noſtram, *tom.* 2. Theologię Moralis, *cap.* 33. in appendice contra Caramuelem, §. 1. *num.* 22. loquens de opinionibus contrarijs probabilibus inter Doctores bonæ notæ, inquit. [Probabilitatem extrinſecam deſeruire poſſe, vt operantes, & errantes inuincibiliter excuſentur à peccato.] Et *tom.* 1. *cap.* 1. *quæſt.* 4. *ʃ.* 3. *num.* 12. Excuſat à peccato amplectentem opinionem minus tutam æque probabilem contrariæ. Cuius rationem reddit, [quia quæſita veritate, quantum potuit, ſi in re erret, inuincibiliter ignorat.] Ex quo capite ſequentem minus tutam, & etiam minus probabilem, excuſat à peccato M. Martinus de Ledeſma *in* 2.4. *quæſt.* 8 *art.* 4. *fol.* 68. Nempè quia ex diſsidio Doctorum infertur, vel talem opinionem eſſe veram, [vel qui hanc, inquit, ſequuntur opinionem, excuſantur ignorantia inuincibili?] Quibus conſentit M. Araujo *in deciſionibus moralibus, tr. de ſtatu ciuili, diſp.* 9. *aſſerto* 3. *nu.* 16. Vbi approbat opinionem Sylveſtri. Quibus adde M. Bartholomæum de Ledeſma *in ſumm. tract. de pœnitent. vbi de confeſſione, difficult* 4 *ʃ. Tertia cõcluſio*, ibi: [Aliquando propter ignorantiam inuincibilem, quam quis habet, ſequi poteſt opinionem, quæ tamen re vera eſt contra ius naturale, & diuinum: nam quandocumque ſunt duæ opiniones contradictoriè de eodem, alteram veram, alteram falſam eſſe oportet. Quia tunc non liquido conſtit, qui eiuſmodi opinionem ſequitur, excuſatur propter ignorantiam illam.] Et M. Hyacinthum Donatum *in additionibus ad practicam, tom.* 4. *tract.* 7. *quæſt.* 70 vbi ait: [Eſſe ignorantiam inuincibilem, cum præceſſerit cogitatio de re opinabili, & adhibita fuerit omnis diligentia ad inquirendam veritatem, non fuit inuenta.]

31 Thomiſtas citatos ſequuntur ex noſtris viri doctiſsimi P. Thomas Sanchez *libr.* 2. *de matrim. diſp.* 41. *num.* 46. ibi: [Inuincibilis, inquit, ignorantia eſt, quæ ſufficiente adhibita diligentia, vinci non poteſt, licèt veritas non innoteſcat.] Et P. Suarez *tom.* 5. *in* 3. *part. diſp.* 40. *ſect.* 5. *num.* 13. *in fine*, vbi probat, ignorantiam, quæ ex conflictu contrariarum opinionum generatur, cum poſt adhibitam diligentiam, ad expellendam ſpeculatiuam dubitationem, permaneat; in voluntariam eſſe, & ideo practicè nullum eſſe periculū peccati.] Quia ita, inquit, ignorat, vt non potuerit ignorantiam depellere, ergo inuincibiliter ignorat: ergo hic, & nunc non obligatur tali præcepto; ergo nulli periculo ſe exponit, ſic operando.] & infra *num.* 14. [Nam ſi quis non dubitaret, an talis actio hic, & nunc ſibi ſit peccaminoſa, parum refert, quod dubitet, an talis actio ſecundum ſe, ſeu materialiter ſumpta peccaminoſa ſit.] Nempè, quia hoc dubiò non obſtante, vt prædixerat ibidem: [Hic & nunc eſt certus ſe non obligari præcepto,] ductus ratione infra ſubijcienda. Quod multis ſuadet Terillus *de probabilitate, quæſt.* 23. *num.* 109. *& ſeq. à fol.* 448. [In omni, inquit, materia, apud Theologos diſcuſa, & propter argumēta hinc inde probabilia, adhuc dubia, datur formaliſſima ignorantia talis legis, illaquè eſt planè inuincibilis.] Nempe (vt prædixerat) quia [poſt propoſitionem obiecti, per diligēs ſtudium, ſuperari, & vinci non poteſt.] Et fol. 449. *verſic. Huc collimant Authores*, dicit eſſe communē. [In tali, inquit, caſu lex inuincibiliter ignoratur. Non eſt opus Authores citari, quia ratio hæc ab omnibus cõmuniter affertur.] Sic vbi ſupra. Vide etiam illum, *quæſt.* 16. *num.* 3.4. & 86. & *quæſt.* 23. *num.* 110. *fol.* 449. Vbi ait, opinionem probabilem includere ignorantiā inuincibilem [Non eſt opus, inquit, recentiores recenſere, quia res eſt nimis certa, & eadē veritas ab antiquis agnita, & vnanimiter tradita fuit. Qui expreſsè agnoſcunt ignorantiam inuincibilem in opinione: hi ſunt Franciſcus Victoria, Conradus, Sylveſter, Adrianus Maior, Cordoba, Angelus, S. Antoninus, Panormitanus, Nider, & alij.] Quos ſequitur Baldellus *de conſcientia, lib.* 4. *dub* 8 *n.* 7. Idem tradit Doctor Garſi *cent.* 2. *cap.* 84. *num.* 10. ibi: [Quiſquis opinionem verè probabilem ſequitur (etiamſi adſit in contrarium opinio probabilior) ſequitur id quod inuincibiliter creditur eſſe verum, & licitum, &c. Quia opinio probabilior non tollit ignorantiam inuincibilem veritatis, &c. Cum relinquat rem incertam, & obnoxiam falſitati, & diſſonantiæ à ratione, & lege æterna.] Sic ille.

32 Ratio à priori huius ſententiæ eſt ſuperius attacta; nam quoties dubium, quod procedit ex concurſu duarum opinionum probabilium, eſt ſtudio inſuperabile; ignorantia malitiæ eſt inuincibilis, quia poſt diligentiam adhibitā, vel adhibendam, ferè nullus eſt, qui veritatē aſſequi vnius partis, alteram de falſitate conuincendo, ſibi promittere poſsit; ergo prudenter iudicare quiſque, etiam doctus, poterit, veritatem inuincibilē non eſſe, ac proinde, aut legem non eſſe, aut ſufficienter publicatam non eſſe; ideoque in concurſu opinionum contrariarum probabilium, ſiue facti, ſiue iuris, poſſe quālibet prohibito eligere. Quo iudicio deponitur conſcientia dubia, manente dubio ſpeculatiuo circa veritatem rei, de qua diſputatur, vel circa exiſtentiam legis. Et ita ſen-

ſentit P. Antonius Perez in opere de Iuſtitia, *tract. 2. de reſtitut. diſp. 2. cap. 4. nu. 94.* Vbi ſic. [deponitur practicè dubitatio ſolum per illud iudicium, quo fit, vt neſciamus eſſe aliquid illicitum formaliter.] Quid autem ſit aliquid eſſe illicitum formaliter explicat, ibi, his verbis: *eſſe illicitum formaliter, eſt aliquid eſſe in noſtra poteſtate, & ita propoſitū à ratione, vt eo ipſo quod fiat, erit malum, & contra rationem.*]

33 Sed obijcit Cella Dei *lib. 4. quæſt. 6. in fine, fol* 575. [Omnes veritatem moralem inuenire poſſunt.] Quod magis explicat *fol.* 594 inquiens. [Ex noſtro defectu prouenire, quod non inueniatur.] Legas, quæſo, illum ibi, *§. 4. & lib. 3. quæſt. 1. & 2.* vbi ſic fatur: [Si enim præcepta Dei ſeruauiſſemus, nec legem naturalem, nec diuinam ignoraremus, atque adeo ignorantia, quam in hoc caſu particulari patimur in pœnam peccati, nos a peccato non excuſat, quando opinio minus tuta eſt falſa, quantumvis nobis non ſolum probabilior; ſed & moraliter certa, abſque vllo conſcientiæ remorſu appareat, & talis iudicetur.] [Forte, inquit, *fol.* 356. veritatem non inuenio, quia non quantum debeo, in charitate affectus ſum: fortè ex defectu proprię cognitionis, quia maiora viribus audeo: quia ſanctos libros non colo; quia Deum non oro; quia conſcientiam nō mundo, & animam; fallor, ac deficio.] Similem obiectionem fecerat VvendroKius apud Terillum infra citandum. [Si quis (ait VvendroKius) Deum oret, vt poteſt, & debet, veritas rei ipſi manifeſtabitur.]

34 Huic obiectioni aliud reſpondere non libet, quàm quod Caramuel doctiſsimo Fagnano aſſerenti *in cap. Ne innitaris, n.* 112. Omnes poſſe habere moralem certitudinem (nempe directam) de rerum honeſtate. [Dignetur (inquit Caramuel) Dominus Fagnanus moralium certitudinum librum ſcribere, & plus gloriæ apud omnes acquiret, quā hactenus vllus, ſui ingenij vi potuit obtinere; imò totam Eccleſiam ſibi abſtrictam habebit.] Sic Caramuel Fagnano. Et ſic ferè VvendroKio reſpondet Terillus, *quæſt. 20. num.* 14. ibi: [Si veritas, inquit, eſt adeò facilis, cur VvendroKius? Cur Ianſeniſtæ contrariæ ſententiæ fautores non ſubſcribūt integrum tractatum reſolutionum moralium, vt ita nobis veritatēs hactenus ignotas reuelent? Certè nil Deo glorioſius, nil ad propriam illorum famam, nil ad noſtrā vtilitatem conducibilius præſtare poterūt.] Hæc pro ſolutione reponat Cella Dei, qui ſi tractatum veritatum moralium ſcribere dignatus fuiſſet, maiorem apud omnes gloriam comparaſſet, quam libro ſuo de recta doctrina motū. Ex quo, dum rectam regulam eruere quærunt, obliquam eliciunt, quia ad rigidiores opiniones, ſi probabiles ſint, omnes adſtringit; & nulla eſt opinio benigna apud ipſum, quæ niſi vera, quātumvis nobis probabilior, & moraliter certa, à peccato poſsit eximere. Quo nil apud Theologos, à veritate magis alienum, & apertè falſum dixit Suarez 1. 2. *diſp. 12. n. 9. in fine.* Vt alibi animadverti. Et ſanè ſi veritatē moralem omnes, qui orent, inuenire poſſunt, quis dubitet (vt benè vrget Terillus) Sanctū Thom. D. Bonauenturam, Scotum, Suarez, Sanchez, alioſque pijſsimos viros orationi deditos, feruenter Deum deprecatos, vt in ſuis reſolutionibus a vero non aberrarent; & tamen, etſi ſinguli prudenter, quidquid tradiderint, affirmauerint; in ſuis tamen opinionibus ſæpiſsimè diſcrepant, & contrarias tuētur: Et nec illi peccarunt reſolvendo quæſtionem in fauorē partis minus tutæ; nec peccant, qui eorum authoritate freti, id opere complent, quod licitum eſſe illi tradiderunt. Ergo ſufficiens diligentia pro veritate inueniēda haberi debet, quam viros doctos, & probatæ authoritatis pro parte minus tuta, alijs reclamātibus feciſſe conſtet, nec ad vlterius inquirēdum, vtpote fruſtra, debet obligari.

35 Ita docui 1. *part. ſelect. q. 6. n.* 22. cū Thoma Sanch. *lib. 2. de matrim. diſp. 41. nu. 47.* & cum Victoria *in relectione de Indis Inſulanis, num.* 33. vbi inquit, [ad ignorantiam inuincibilem ſatis eſt, quod fecerit humanam diligentiā ad ſciendum.] Quis autem negare poterit humanam diligentiam feciſſe, qui peritiſsimos Theologos cōſuluit, qui voce, vel ſcripto propter diuerſitatem opinionum, veritatē inuenire non poſſe fatentur. Et ita expreſſè tradit Terillus *de probabilit. q. 23. n.* 110. [Quia ille, inquit, inuincibiliter ignorat, qui poſt omnē diligentiam, quam adhibere tenebatur, non potuit ad veritatem rei peruenire, & homo, qui poſt debitam diligentiam inuenit rationes (vel authoritatem) probabiliter ſuadentes Deū tale obiectum non prohibuiſſe, non tenetur vlterius inueſtigare, & quærere veritatem; quia teneretur ad impoſsibile, nec ad maiorem probabilitatem quærendā obligatur, quia illa inuenta, adhuc maneret in inuincibili ignorantia diuinæ legis.] Sed omnino videndus Illuſtriſsimus Ioannes Caramuel *lib. 4. Theologiæ fundamentalis in Dialixi de non certitudine epiſtola de poſſeſſionis regula, q. 8. fol.* 355. Vbi ſic ait: [Debent profectò fieri diligentię, vt cognoſcatur veritas, quandiù probabilis affulget ſpes: Vbi enim eius cognitio impoſsibilis creditur, ceſſat omnis diligentias exhibendi obligatio. An aliquando viri, qui profitemur litteras, veritatis notitiā deſperare debemus? (Reſpondeo) ſæpiſsimè, niſi prudētia deſit, &c. Occurrunt aliquando quæſtiones, (& tales ferè ſunt, quæ probabiliter deciduntur, & vtrinque rationes, & authores præſeferunt,) profectò indiſſolubiles, in quibus imprudenter ſperaretur certa veritatis cognitio.] Sic Caramuel.

Hæc doctrina pro indoctis nullam poteſt dubitationem admittere: ſed vt nec viri etiam docti ſcrupulis angantur, obſeruare placuit, quod de ignorantia antecedente ad omnem actum voluntatis, tradit Pat. Vazquez 1. 2. *diſput.* 117. *num.* 2. [Hæc, inquit, dicitur inuincibilis, vocatur etiam probabilis. Inuincibilis quidem, quando nulla diligentia humana impediri potuerit: probabilis verò, quia licet potuerit vinci, non tamen debuit, eo quod probabili ratione ſic iudicatum fuit, vltra quod nullus debet inquirere, quæ etiam, vt ait Corduba, eadem ratione dici poteſt inuincibilis, quia licèt potuerit ſuperari aliquomodo, tamen ea diligentia, quam debeat adhiberè, non potuit, eo ipſo, quod non debuit.] Hactenus Vazquez. Et infra *diſp* 124. *cap* 2. *num* 7. [Dicendum, inquit, diligentiam ſufficientem ad ſciendum, vtrum ſit lex, an non, eam eſſe, cum quis interrogat peritos in ea re, vel aliam adhibet prudentem diligentiam. Quæ verò ſit prudens diligentia arbitrio prudentis relinquitur.] Et *diſp* 120. *cap.* 2 allegat Conradum in libro de Contractibus, *quæſt.* 100. *concl.* 2. inquientem eo tantum excuſari aliquem ab ignorantia an cuius rei, de qua dubitat, quod cōſulit peritiores in ea arte, & eorum ſequitur Conſilium. Quod ſi obijcias de hoc ipſo poſſe à me dubitari, an ſufficientem diligentiā præmiſerim? reſpondet Eminentiſsimus Cardinalis Palauicinus *tom.* 1. *in* 1. 2. *diſput.* 9. *ſect.* 4. [Quod ego ſim certus, ſi puto ſecundum lumen, & iudicium, quod habeo, ſufficientem eſſe illam diligentiam, quam adhibui.] Quæ viris etiam doctis ad deponendam conſcientiam dubiam deſeruire poterant. Vt omittam, vix vnquam prudenter ſperari poſſe veritatem inueniendam, quando grauiſsimi Doctores, poſt ſtudium plurium annorum, eam non inuenerunt, ſed poſt longam diſputationem ſemper manet probabile, legem non exiſtere, vel obiectum a Deo non eſſe prohibitum.

ʃ. V.

Quid contra ſuperius dicta ſenſerit Cella Dei.

36 INtegrum huius doctiſsimi Recētioris volumen *de recta doctrina morū* ſemel, & iterum euolui, & in quātum pro meo tenui captu, ex ipſo colligere potui, plane ſentit, ignorantiam legis, & malitiæ obiecti, quæ interuenit, quando opiniones probabiles contrariæ de eodem obiecto, ſub eiſdem omnino circunſtantijs, concurrunt, non eſſe ignorantiā inuincibilem, ſed vincibilem: tum in cauſa, quia in nobis fuit vitare peccata, in quorū pœnam ignorantiam patimur: Tum, quia ex defectu diligentiæ debitæ ad veritatem inueniendam, non inuenimus. Ideoque, quoties opinio negans exiſtentiam legis, vel præcepti (quæ minus tuta vocari ſolet) fuerit coram Deo falſa, nos à peccato excuſare non poterit. Duplex iſta cauſa, Recentioris iudicio, ignorantiā vincibilem reddit, quam fere omnes Theologi ex concurſu opinionum probabilium reſultātem inuincibilem eſſe dicunt. Ideo neceſſarium eſt in præſenti ex profeſſo illas examinare. Primā in hoc, §. ſecundam in ſequenti, ne prolixitas faſtidium pariat.

37 Igitur quod ignorantia contracta in pœnam peccati, non excuſet à peccato, tradit expreſsè pluribus in locis *libr.* 3. *quæſt.* 2. *&* 3. *& lib.* 4. *quæſt.* 1. Cuius verba, licet ſuperius relata, placet in hoc loco iterum repetere. [Si enim, inquit, præcepta Dei ſeruauiſſemus, nec legem naturalem nec diuinam ignoraremus, atque adeo ignorantia, quam in hoc caſu particulari patimur in pœnam peccati, nos a peccato non excuſat, quādo opinio minus tuta eſt falſa, quantumvis nobis nō ſolum probabilior, ſed & moraliter certa, abſque vllo conſcientiæ remorſu appareat, & talis iudicetur.] Hæc ſæpius inculcat, *fol.* 367. *&* 362. *&* 534. *&* 537. & alibi. Vndè conſequenter, *lib.* 4. *fol.* 594. *quæſt.* 9. *ʃ.* 4 ait: [Qua propter dicendum videtur per accidens eſſe, ac nobis voluntariam frequentiam dubitationum: per ſe vero loquendo, nullam eſſe, circa ius naturale, & diuinū in obligatorijs; rarā autem circa ius humanum. Quod dictum pendet ex tradendis infra, nam dicturi ſumus, legem naturalem, ac diuinam ſemper eſſe inuenibilem: ſiue eius ignorantia ſemper ſit culpabilis, ſiue non, de quo ibi: Humanam etiam eſſe inuenibilē ſaltem plerumque: Ergo, quod ignoretur, vel de his dubitetur, defectus noſter eſt.] Quæ verba ſatis exprimunt, eius mentem eſſe, non dari ignorātiam inuincibilem legis naturalis, nec diuinæ, vel ſaltem ſe dubitare, quod detur. Quod ſatis expreſſerat *lib.* 2. *quæſt.* 12. *fol.* 268. *verſ. Quod autem*, ibi: [Sed, ſi dari poteſt ignorantia inuincibilis alicuius legis Dei (quod examinabitur in controuerſia de ignorantijs) tunc excuſabitur à peccato,] *& lib.* 4. *quæſt* 6. *fol.* 573. [vt *part.* 2. vel oſtendetur, vel proponetur, omnis lex naturæ, & Dei, id eſt Dei, & Dei, eſt inuenibilis per ſufficientem diligentiam, ſiue eius ignorantia ſit ſemper, vel non ſemper culpabilis, de quo ibi.] Itaque iuxta mentem huius Recentioris ignorantia legis, vtpotè contracta in pœnam peccati commiſsi, nō inuincibilis, ſed vincibilis eſt. Quam concluſionem ex profeſſo perſuadere tentat in 2. *part.* non dum typis data, ad quod adducit omnia ſcripturæ loca, quibus hæretici abutuntur ad probandum, ignorantiam inuincibilem non excuſare à peccato, eo quod in pœnam peccati originalis fuerit con-

Digitized by Google

contracta; ideoque in cauſa æque, ac originale nobis imputatur, à quibus multum diſtat Cella Dei; tum, quia de ſola ignorantia in pœnam peccati actualis contracta ipſe agit; tum, quia volũtariam, & vincibilem eam eſſe, ex hoc capite contendit.

38 Hæc doctrina maxim opere mihi diſplicet, eamque impugno primo authoritate D. Auguſtini, pluribus in locis, aſſerentis, vel diſtinguentis, ignorantiam, quæ eſt peccatum, ab ea, quæ eſſe in pœnā peccati, at qui ſola ignorantia, quæ eſt peccatum, non excuſat à peccato: ergo ex eo, quod contracta fuerit in pœnā peccati, non deducitur non excuſare a peccato. Quod enim in pęnā peccati fuerit immiſſa, a ſolo Deo dependet, nec creaturæ imputari poteſt ad culpam, ſi nulla præcedente illius præuiſione peccauit: quia nil volitum, quin præcognitum. Maior, & minor huius diſcurſus ſunt expræſsè Diui Auguſtini, & D. Thom. Igitur D. Auguſtinus *in Enchiridio cap. 20. & 21, & lib. 3. de libero adbitrio, cap. 19. & epiſt. 105. ad ſixtum aliquanto poſt medium.* Sic ait. [Ac per hoc inexcuſabilis eſt omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, ſiue qui nouit, ſiue qui ignorat; quia & ipſa ignorantia in eis, qui intelligere noluerũt, ſine dubitatione peccatum eſt, in eis autem, qui non potuerunt, pœna peccati.] Plinè diſtinguens pœnam peccati à peccato, vt notat Pat. Vazquez 1. 2. *diſp. 120. cap. 3. num. 8.* Minor traditur à D. Thom. *quodlibeto 8. art. 15.* vbi ait: [Quando error conſcientiæ non habet vim abſolvendi, ſeu excuſandi eſt, quando ſcilicèt, ipſe error peccatum eſt, vt cũ procedit ex ignorantia eius, quod quis ſcire tenetur, & poteſt.] Et in *diſputatis*, aliquam ipſius ignorantię futuræ præuiſionem, vt ipſa peccatum eſſe poſsit, expræſsè requirit. Vide illum *quæſt. 3. de cauſa peccati, art. 7. ad 9.* vbi ſic: [Dicendum, quod licet ignorans non cognoſcat illud, quod ignorat, cognoſcit tamen, vel ignorantiam ipſam, vel id, propter quod non refugit ignorantiam, & ita ignorantia poteſt eſſe peccatum voluntarium.] Quod magis explicat *art. 8.* dicens: [vnde ſi eodem actu aliquod ſit ignoratum, & aliquid ſcitum, poteſt eſſe voluntarium, quantum ad id, quod eſt ſcitum; ſemper tamen eſt involuntarium, quãtum ad id, quod eſt ignoratum.] Ergo iuxta D. Thomam, nequit eſſe ignorantia ipſa peccatum; quando (vt ex illo ait Sylveſter, verbo ignorantia, Quæſito 4.) ipſa non eſt voluntaria, vel directè, vt cum quis ſtudioſè vult neſcire, vel indirectè, ſicut cum quis propter laborem, vel alias occupationes negligit addiſcere, quod tenetur, & poteſt ſcire: quia ad peccatum requiritur voluntarium. Ignorantia ergo nequit eſſe peccatum, quando nulla prorſus præceſsit cogitatio circa illam. Quod benè expendit Pat. Amicus *tom. 3. diſput. 25. ſect. 5. numer. 122.* dicens: [Ignorantiæ vulnus, ita accipit recta fides, vt nulla ratione imputetur ad culpam ignorantia, quæ antecedit noſtram voluntatem, & per ipſam tolli non poteſt, ſeu in poteſtate noſtra non eſt illam excutere, &c. Quia quod ex ignorantia antecedenti fit, non eſt volitum, neque in ſe, cum non ſit cognitum; neque in cauſa, quæ eſt ipſa ignorãtia: quam minimè volumus; cum minimè illã cognoſcamus.] Ergo, quando peccator furtum commiſit, & nec dubitatio vlla, nec ſcrupulus circa ignorantiam aliorum præceptorum hac de cauſa incurrendam, ſe ſe illi obtulit, nequibit illorum ignorantia ex hoc eſſe illi volũtaria, ac proindè, nec peccatum. Nam vt optimè, ait Vazquez 1. 2. *diſp. 120. capit. 4. numer. 12.* [Fieri quidem poteſt, vt ignorantia infligatur ob peccata præcedentia, quæ fuerunt in noſtra poteſtate, at non ideò certè dicetur ipſa fuiſſe in noſtra poteſtate, niſi aliqua notitia, aut dubitatio circa illa in nobis præceſſerit.] Quam non ſtuduerit expellere conſulendo peritiores, vel alia de cauſa probabile ipſi videatur non eſſe mortale, vt ipſa ait ſuprà, *& diſp. 107. cap. 3. in fine.*

39 Confirmatur ex doctrina ipſius Angelici Præceptoris 1. 2. *quæſt. 73. artic. 8. vbi* loquens de nocumento, quod ſequitur ad actum peccati (qualis eſt ignorantia in eius pœnam immiſſa) ſic ait: [Quandoque nocumentum non eſt præuiſum, nec intentatum, & tunc ſi peraccidens ſe habeat ad peccatum non aggrauat peccatũ directè.] & infra, [huiuſmodi nocumentũ pęnale, ſi peraccidens ſe habeat ad actum peccati, & non ſit præuiſum, nec intentum, non aggrauat peccatum.] At qui omnis malitia voluntaria in cauſa aggrauat peccatum, in quo præuidetur, vt malitia homicidij præuiſa in ebrietate, ergo cum malitia actus ſubſequentis ignorantiam, neque ipſamet ignorantia, quæ peraccidens ex ſola voluntate Dei ſubſequitur actum peccati furti, non aggrauent peccatum antecedens, non ſunt in illo voluntaria, ac proinde nullomodo. Quibus facit, quod tradit ipſe D. Thomas *quæſt. 15. de veritate ad decimum.* His verbis: [Dicendum, quod antequam ratio delectationem perpendat, vel nocumentum illius, non habet interpretatiuum conſenſum, etiamſi non reſiſtat.] Ergo quando ratio non perpendit nocumentum ignorantiæ conſequuturæ peccatum in pœnam illius, nequit, nec interpretatiuè quidem, dici illam velle: non ergo illi imputari poteſt.

40 Inſuper probatur, quia ignoratia eſt peccatum, propter negligentiam inquirendi, quæ quis ſcire tenetur, & poteſt, vt tradit ipſe Angelicus Doctor 1. 2. *quæſt. 76. artic. 2.*

Et ante illum Auguſtin. *lib. 3. de libero arbitrio, cap. 22.* vbi docuit, illam ignorantiam ſolum culpæ poſſe imputari, quam aliquis debita diligentia non ſtuduit expellere. At qui ille, qui furtum commiſit, nulla occurrente cogitatione, nec dubitatione, nec ſcrupulo, circa obligationem inquirendi, nec circa materiam, aut legem; nullum peccatum negligentiæ contraxit, in non inquirendo legẽ ad alios actus pertinentem. Ergo ignorantia illius nequit illi ad peccatũ imputari. Minor probatur ipſiuſmet D. Thom. verbis ibidem. [Negligentia, inquit, ſecundum quam ignorantia eſt peccatum, cõtinetur ſub prædicta definitione peccati. (Nẽpè tradita *quæſt. 71. art. 6.* *d eſt dictum, factũ, vel concupitum.*) in quantũ prætermittitur aliquid, quod debuit dici, vel fieri, vel concupiſci ad ſcientiam debitam adquirendam.] Sed qui nullam habuit cogitationem circa præceptũ audiendi ſacrum, v. g. quando furtum commiſit, nec circa debitum inquirendi, an dies feſtus occurreret, nequit illi ad culpã imputari omiſſio huius diligentiæ. Ergò neque ignorantia ſubſequens, nec omiſsio aſsiſtendi ſacro, quia prorſus ignorat eſſe diem feſtum.

41 Quapropter ignorantiam non poſſe eſſe vincibilem, nec culpabilẽ, niſi aliqua cognitio, vel dubitatio, vel ſcrupulus occurrat de obligatione; tradunt, & benè, S. Bonaventura, Alexander, Albertus Magnus, Henricus, Gerſon, S Antoninus, Caietanus, & Armilla, quos refert, & ſequitur Pat. Vazquez *1. 2. tom. 1. diſput. 107. cap. 3. num. 6. & diſput. 123. capit. 2.* Pat. Salas *1. 2 tract. 3. diſput. 4. ſect. 5. num. 8. & tract. 13. diſp. 8 ſect. vltima. num. 87.* Thomàs Sanchez *lib. in decalog. capit. 16. num. 21.* Suarez *de cenſuris, diſp. 4. ſect. 8. numer. 18.* Layman *lib. 1. tract. 2. cap 4. num. 6.* Eſcobar *in Theolog. Moral. tom. 1. ſect. 2. Problema 17. numer. 111.* Zambertus, *in deciſ. Bononienſib. anno 1641. caſu 1.* & alij apud ipſos. Quos ſequitur Pat. Antonius Perez *tract. 2. de reſtitutione. diſput. 2. cap. 4. num. 95.* vbi ſic. [Nunquam adverſarij euincunt aliquem peccare ex ignorantia, quin ipſe iudicauerit inconſiderationem, aut negligentiam, incuriamve ſciẽdi eſſe illicitam.] Sic ille, & alij cum Vazquez vbi ſupra, qui teſtatur ſe a D. Thom. didiciſſe *de veritate quæſt. 15. artic. 4.* Quam vltra citatos ſequuntur Diana, Tancrus, Ægidius, Caſtro Palao, Corduba, Sylveſter, Leander à Sacramẽto. Quorum doctrinam eſſe hodie in Schola communem, & tam claram, *vt poſsit certiſsimè demonſtrari* ait omnes referẽs Illuſtr. Caramuel. *in Theolog. fundam. tom. 4. dialexidi. Non certitudine, num. 85. epiſt. 4.* repugnat enim legem omnino incognitam obligare. Sic omnes citati, & innumeri alij. Qui conſtanter aſſerunt, neceſſarium eſſe, vt quis peccet mortaliter, quod conſideret opus eſſe malum, vel adeſſe malitiæ periculum, vel ſcrupulum ſaltem habere, nec ſufficere cognitionem virtualem, ſeu interpretatiuam. Quia ſi nunquam venit in mentem, nunquam malum deliberatè operatur, cum fieri non poſsit, quod voluntas in malum conſentiat, niſi intellectus illud præcognoſcat. Ergo cum ille, qui commiſit peccatum furti, nil cogitauerit circa præceptum audiendi Sacrum, ſed omnino oblitus, miſſam non audiuit, nequit contra hoc præceptum diliquiſſe. Nec de peccato tranſgreſsionis tenetur ſe accuſare. Quantumvis dicatur in pœnam furti, Deum immiſiſſe ignorantiam precepti audiendi ſacrum, vel occurrentis diei feſti.

42 Ratio à priori eſt, quia ignorantiam eſſe vincibilem, vel invincibilem, non habet a voluntate Dei, ſed ab hominis voluntate nolentis directè, vel indirectè fugere, ſeu vitare ignorantiam; alias poſitis ex parte creaturę omnibus intellectus, & voluntatis actibus, ad peccatum furti commiſſum requiſitis, & omnino invariatis; Deus pro ſuo nutu efficeret, immittendo ignorantiam in pœnam peccati, quod actus ſubſequentes eſſent peccatum, qui ſublata præcisè voluntate Dei, & manente ignorantia, peccatum non forent: quod videtur efficere Deum Authorem peccati. Nullatenus ergo antecedens admittendum.

§. VI.

Efficacia alia argumenta ab abſurdo.

43 IMpugnatur inſuper Cella Dei, quia ſi ignorantia immiſſa in pœnam peccati præcedentis, non excuſaret à peccato ſubſequenti; ſequeretur eum, qui peccato actuali ſe contaminauit, ſi Theologus ſit, vel Canoniſta etiam doctus, ſe exponere periculo peccandi mortaliter, quoties iuxta ſuam opinionẽ pro libertate, conſilium, v. g. ad non reſtituendum preſtiterit. Ratio eſt, quia forte ſua opinio eſt falſa, & huius ignorantiam patitur in pœnam peccati; tum, quia pœnam ignorantiæ ſibi eſſe remiſſam, ignorat omnino; & cum ipſe immemor prorſus ſit de peccato commiſſo, (vt poteſt contingere) & de obligatione illud retractandi, eſt modo omnino impotens pellere ignorantiam, & peccatum præcedens retractare: Vndè licet probabiliter, imò, & moraliter certo ſe iudicet in ſtatu gratiæ, ſi opinio pro libertate ſit coram Deo falſa, nõ excuſabitur à peccato, ratione ignorantiæ, vtpotè vincibilis in cauſa. Ergo peccabit læthaliter conſulendo iuxta illã. Et ſimiliter, nec a peccato immunis erit proximus, qui conſilium amplectens, non reſtituat, ſi forte ipſe peccatum aliquod actuale antea commiſerit, in cuius pœnam ignorãtiam Deus permiſsit. Quia non reſtituit rem alienam; nec ignorantia eum excuſat a peccato, quia illam patitur in pœnam peccati.

44 Addo, & conſulendo, etiam pro lege, ſeu opinione ſtrictiori, maximum etiam Theologum quandoque peccaturum. Quia, ſi hæc opinio ſtrictior, & rigidior falſa ſit, ſuo conſilio erit cauſa moralis damni grauis reſtituentis, vtpotè quem re ſua, quam nõ debet, ſe expoliare cogit: a quo damno illato, ignorantia, vtpotè vincibilis in cauſa, nequibit Theologũ excuſare; ac proindè mortaliter peccabit. Vndè fit quomodolibet peccaturum, ſiue iuxta benignam, ſiue iuxta rigidam opinionem conſilium præſtet, quia cum laboret ignorantia vincibili veritatis in pœnam peccati, ſi iuxta benignam ab obligatione reſtituendi excuſet, exponitur periculo inferendi graue damnum tertiæ perſonæ, cui pecunia forte debetur: Si verò iuxta ſtrictam ad reſtitutionem obliget, ſubit periculum grauis nocumenti proximo conſulenti inferendi. Ergo ſiue conſilium pro vna, ſiue pro altera parte contradictionis præſtet, nequibit miſer Theologus à peccato graui liberari. Quid abſurdius? Hoc argumentum idem prorſus euincit de cõfeſſarijs, qui in aliquod mortale inciderunt, & non dum retractarunt. Idem de iudicibus, qui iuxta ſuam opinionem ipſis probabiliorem, vel moraliter certam: falſam verò coram Deo, abſque vllo cõſcientiæ remorſu, ſententiam ferunt, ſiue enim ab obligatione ſolvendi eximant, ſiue ad ſolutionem obligent, nequibunt non vni, vel alteri parti litiganti, graue damnum inferre, ac proindè, nec a culpa læthali eximi, vtpotè qui ignorantia excuſari non poſſunt, cum vincibilis in cauſa fuerit.

45 Et quod mirabilius, non ſolum peccabunt Theologi, & confeſſarij conſiliũ præſtantes, iuxta opinionem ſtrictiorem, coram Deo falſam, licèt ipſis moraliter certam; ſed ipſe etiam, cui reſtitutio fiat, grauiter peccabit accipiendo, ſi peccato aliquo læthali poſtea non retractato, ſe contaminauerit. Quia hic, & nũc accipit rem alienam, & iniuſtè, cum ipſi non debeatur: neque ignorãtia excuſari poteſt, quia eſt ipſi voluntaria in cauſa. Quod verũ eſſe poteſt, licet confeſſarius, Theologus, vel iudex nunquam peccauerint, qui, & ſi in hoc caſu nõ fuerit immiſſa ignorantia in pœnam peccati illorum; in pœnam tamẽ peccati illius, cui facta fuit reſtitutio, vnuſquiſque illã patitur; ergo recipiens pecuniam reſtitutam credens ex ignorantia iſta vincibili in cauſa, quod ipſi debeatur, cum ſecus res ſe habet, peccabit læthaliter. Vnde fit, reſtituentem ex cõſilio Theologi peccaturum mortaliter, ſi non reſtituat, & accipientem pecuniam reſtitutã peccare mortaliter recipiendo. Ille, quia conſcientiã erroneam, vi conſilij à confeſſario præſtiti cauſatã, ſequi tenetur: Iſte, quia accipit rem alienam ex ignorãtia vincibili, quod ipſi debeatur. Omnes illationes ſuperius deductæ legitimæ videntur, ſi ignorantia vincibilis ſit, (vt contendit recentior noſter) quæ comitatur opinionem, non ſolum probabilẽ, imò & moraliter certã Theologo, confeſſario, vel iudici, eo quod in pœnã alicuius peccati actualis, ſiue ipſorũ, ſiue illius cui reſtitutio eſt facienda, ignorantia fuit contracta; licet nullus ipſis conſcientiæ ſit remorſus, nec modo ignorantiam pellere poſſint.

46 Inſuper principij huius falſitas, non leui fundamento, videtur inferri ex definitione Innocentij X. in Bulla *cum occaſione* contra Cornelium, expedita, *anno* 1643. pridie Kalendas Iunij, in qua ſic habetur. [Hãc propoſitionem: *aliqua Dei præcepta hominibus iuſtis volentibus, & conantibus, ſecundum præſentes, quas habẽt vires, ſunt impoſſibilia, deeſt ijs illis gratia, qua poſſibilia fiant*, temerariam, impiam, blaſfemã, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & vt talem damnamus.] Hæc Innocẽtius. Qui licet loquatur de ignorantia contracta in pœnam peccati originalis, quam inuincibilem in nobis eſſe, & tamẽ à peccato actuali non excuſare, garriebant hæretici: ex præfata vero definitione, ſic ad rem noſtram argumentũ confici poteſt. Qui ex propria, & aliorũ doctiſſimorum, piorũ, & prudentum opinione probabiliori, vel moraliter ipſi certa, cenſet, abſque vllo cõſcientię remorſu, non teneri reſtituere (licet re vera hæc opinio corã Deo eſſet falſa) nequit ſecundum præſentes, quas haberet, vires, adimplere ex obedientia præceptũ reſtituendi (demus præceptum adimplendi ex hac formali virtute) Ergo aliquod præceptum huic homini iuſto eſſet tunc impoſſibile, illiq; deeſſet gratia, qua poſſibile fieret. Antecedẽs probo, quia huic homini eſt impoſſibile velle reſtituere ex hoc motiuo, *quod Deus id ipſi præcipiat, vel ne Deum offendat*. His enim actibus cogitatio requiſita ipſi deficit, quia nullã habet de obligatione, ſeu præcepto, nec de offenſa Dei. Ergo moraliter eſſet ipſi impoſſibile adimplere hoc præceptum, ſed ſola eſſet ei libertas phiſica retinendi, vel elargiendi liberaliter pecuniã, qualis eſſet, ſi euidenter ſibi conſtaret nullo ſe præcepto adſtringi. Sic autem in præſenti ſe habet, qui immemor omnino peccati præteriti; & nullo ſtudio potens ſuperare ignorantiam, quã in pœnam peccati patitur, cum nullum ſit illi principiũ ad inquirendum. Quia ſi ex ignorantia præfata ſe grauiter obligatum credat ad talem actionem, & illam omittat, peccabit mortaliter, quia conſcientia ligatur, ſi vero efficiat, peccabit etiam; quia ignorantia, vtpotè in pœnam peccati præteriti, nequit illum excuſare. Quod eſt contra D. Thomam 1. 2. *quæſt. 76. articul.* 2. vbi involuntariam dicit eſſe ignorantiam, *cum non eſt in noſtra poteſtate repellere eam*, & ideò non eſſe peccatum, cuius verba dedi ſupra, §. 4.

Digitized by Google

47 Secundo probatur abſurditas principij quia ſi ignorantia abſque vlla eius præuiſione eo, quod in pœnam peccati præcedentis contracta ſufficit, vt hic, & nunc non excuſet a peccato, licèt illam patiēs, nequeat modo explodere; ſequitur indè primò, eum, qui peccauit, teneri ſtatim ad contritionem, vel confeſſionem, ad vitanda peccata, quibus ex ignorātia committendis aliter expoſitus manet. Si enim in ſtatu peccati permaneat, pluries poſteà per ignorantiam peccabit, cum probabile ſit in pœnam peccati illam paſſurum. Sequitur 2. omnes aliquando teneri ad electionem opinionis improbabilis: ſi enim non conterantur, & opinio libertati fauens ipſis probabilior, & moraliter certa (coram Deo tamen falſa) occurrat; peccabunt læthaliter, eam eligendo: ergo tenebuntur ad electionem opinionis cōtrariæ fauentis præcepto, quæ tamen ipſis improbabilis eſt: tum quia, cui pars vna contradictionis eſt moraliter certa, altera eſt improbabilis, ſecundum omnes: Tum, quia, ſecundum Cella Dei, duplex opinio contraria nequit eſſe ſimul probabilis, atque adeo, qui vnam approbar, aliam reprobat. Sequitur 3. eum, qui primo die nauigationis Breuiarium in mare proiecit, quo ſua culpa impotentiam phiſicā contraxit recitandi in diebus ſequentibus, peccare poſtea mortaliter, quoties non recitet, & ſi immemor ſit omnino peccati commiſſi: ſequela probatur; quia ſicur ignorantia eſt vincibilis, ſecundum adverſarium, quia in radice potuit vinci, ita impotentia hæc auferibilis dici debet, quia in radice potuit auferri, ſeu impediri. Sequelam hanc dignam cenſura plures iudicabunt, quia Sacerdos iſte in his circunſtantiis, ſecundum præſentes, quas habet, vires, nequit recitare. Audi Terillum *quæſt. 16. aſſert. 2. num. 13. fol. 207.* [Dicere ergo, quod imputabile, mere propter libertatem in cauſa, ſit illud, quod neceſſario oritur à cauſa, quam nūc non poſſum rollere, ſed olim potui; eſt propoſitio hæretica, ſi ſenſus ſit, illud nūc dici, & eſſe peccatum, cuius malitia de nouo imputetur.]

48 Igitur peccata ignorantiæ, vel ex ignorantia, de quibus in præſenti agitur, ſi aliqua huius generis hoc nomen ſortiātur, ſolùm denominatiuè erunt talia, quia nec nouam imputabilitatem habent, nec dignitatem nouæ pœnæ, ſed tota imputabilitas, & pœnæ dignitas continetur in peccato præterito. In quo tamen (iuxta principia huius recentioris) neſcio quomodo imputari poſsint, nec quomodo augmentum imputabilitatis ipſius peccati præteriti creſcat, cum nulla præceſſerit præuiſio; ſed ignorantia dicatur peccatum, quia ex peccato nata eſt, & actus illam ſubſequentes peccatum dicantur, quia ignorantia, & ſi inuoluntaria, ex qua procedunt, denominationē peccati, quia in eius pœnā inflicta, ſortitur. Hoc autem non eſt dicere, eſſe verè peccatum, ſed denominari, quia effectus fuit illius, & ſi non præuiſus. Quod expreſſit D. Auguſtinus *lib. 3. de lib. arbit cap. 19* vbi ſic [Non ſolum peccatum illud dicimus, quod propriè vocatur peccatum, &c. Sed etiam quod iam de huius ſupplicio conſequatur, neceſſe eſt.] Huic aſſertioni apprime quadrat definitio Concilij Tridentini *ſeſsion. 5.* in fine, contra nonnullos huius poſtremi ſæculi hæreticos, vbi ſic habetur. [Hanc concupiſcentiam, quā aliquando Apoſtolus peccatum appellat, ſancta Synodus declarat Eccleſiam Catholicam nunquam intellexiſſe peccatum appellari, quod verè, & propriè in renatis peccatum ſit; ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat.] Hæc obſecro ad ignorantiam nullo modo ante præuiſam, applica.

§. VII.

Opinio probabilis pro libertate, licèt falſa, non continet vincibilem ignorantiam ex defectu diligentiæ debitæ, ad veritatem inueniendam.

49 Contra hanc concluſionem militare videntur plura Antonij Cella Dei loca, *fol. 284.* [Deus veniens ad nos ipſe, & homo factus, de ſua lege pleniſsimè inſtituit.] & *fol. 575.* [omnes veritatem moralem inuenire poſſunt.] Et *f. l. 594.* loquens de lege naturali, & diuina, imò, & de humana, inquit. [Quod ignorentur, defectus noſter eſt.] Cuius rationē tradiderat *fol 573.* dicens: [Omnis lex naturæ, & Dei eſt inuenibilis per ſufficientem diligentiam, ſiue eius ignorantia ſit ſemper, vel non ſemper culpabilis, de quo parte ſecunda.] Quod autem, ſuo indicio, ſemper ſit culpabilis, probatur, quia vt talis non ſit, neceſſariū eſt, quod prudenter. ſibi quiſque perſuadeat, ſufficientem diligētiam adhibuiſſe ad veritatem inueniendam, alias temere electionem faciet, & culpę imputabitur praxis opinionis, ſi contingat coram Deo falſam eſſe vt ipſe tradit *fol. 553. & 563.* & explicat *fol. 572.* & ſequentibus. At qui difficilimum eſt, de ſufficienti diligentia adhibita, ſibi perſuadere, adhuc probabiliter. Ergo difficilimum, quod ignorantia non ſit ſemper culpabilis.

50 Difficultatem huius perſuaſionis ipſemet valdè ponderat, *lib. 4. quæſt. 6. fol. 673.* [Verum hoc, inquit, opus, hic labor eſt, quod quis coram Deo ſibi perſuadeat, ſe ſatis extitiſſe diligētem.] Et merito: quia ad hoc ipſe exigit, quod quis ſibi perſuadeat, [ſe legē Dei dilexiſſe; nam qui non diligit, non ſatis quærit, & ſe mandata Dei quæſiuiſſe, & ſic etiam ſuper docentes ſe, & ſenes intellexiſſe.] [Certè (ſubnectit) etiam maximi ſancti timuerunt peccata ignorantiæ, & ex ignorantia. De qua par-

parte ſecũda.] Quapropter *fol. 574. verſ. Hinc:* prudenter, omnes exhortatur, his verbis. [Tu autem vide, & conſidera, nam iudicãdi ſumus, quanto fundamento ſtatuas: Ego ſufficientem diligentiam feci, tantum quærere debui, tantũ quæſiui. Pauci hoc tuto probabilitate poſitiua, & non certitudinaliter dicere poſſunt.] Expendas quæſo, quam difficilè ſit, ipſomet teſtante, iudicium probabile concipere de ſufficiente diligentia adhibita, ad inueniendam veritatem. Si enim *pauci probabiliter, quin certo id iudicare poſſunt.* Siſte pauliſper, & conſidera, ſit ne aliquis, qui certum iudicium habere poſsit de ſufficienti diligẽtia à ſe adhibita; tum quia, vt ipſe ait, *fol. 356.* [Quantitatem huius diligentiæ certa, & infalibili menſura nobis nota, taxare, credo impoſsibile.] Tum, quia in diligentia ſufficienti adhibenda, ex pluribus capitibus deficere poſſumus. [Fortè, inquit, veritatem non inuenio, quia non quantum debeo, in charitate affectus ſum. Similiter, etiam eſt in docendo, & ſpeculando: fortè (exclamat) ex defectu propriæ cognitionis, quia maiora viribus audeo, quia ſanctos libros non colo, quia Deum non oro, quia conſcientiam non mundo, & animam; fallor, ac deficio.]

51 En, quot recenſeat hic author capita, ex quibus diligentia eſſe poſsit inſufficiens. En quot ſint, in quibus ſe non defeciſsè certus quiſque eſſe debeat, vt poſsit iudicium certum concipere de ſufficienti diligẽtia præmiſſa, vt indè excuſari poſsit à lethali, ſi opinio benigna falſa coram Deo fuerit. Quod ibidem in ſimili magis exprimit dicens: [Nam ad hanc certitudinem neceſſe eſt me certum eſſe in ſtudio ſalutis, ac in ſolicitudine æternorum, nil à me omiſſum, in orando Deo, in mũdando corde præter nimium fuiſſe nihil.] Sed quis rogo, hanc certitudinem habet? *Quis eſt hic, & laudabimus eum.* Si ergo pauci poſſint probabiliter iudicare ſufficientem diligentiam pro inuenienda veritate adhibuiſſe, quin, & certo id iudicent, & in quantum ex dictis colligitur, nullus id certo iudicare poteſt. Quis ſuadere ſibi poterit iudicium probabile habere de ſufficientia diligentiæ, vt opinionis benignæ vſus, ſi falſa ſit, ipſi ad culpam non imputetur? Nullus profecto.

52 Hæc & alia huius recentioris teſtimonia vnum ex duobus euincunt, aut ipſum teneri cum communi Doctorum defendere, inuincibilem interuenire malitiæ ignorantiam, quoties inter Doctores probatæ authoritatis fuerit opinio probabilis negans exiſtentiam legis; aut debere concedere, nos ſemper obligari ad opinionem ſtrictiorem. Primam huius dilematis partem mordicus ipſe negat, vt vidimus. Ad ſecundam ergo concedendam, iuxta ſua principia adſtringitur: Quod licèt [minimè id ſequi] dixerit *lib. 1. q. 6. fol. 61.* Oſtendo ſic, Vt opinio benigna, ſeu fauens libertati excuſet a peccato, ſi fortè coram Deo falſa ſit, opus eſt, quod illam amplectens, timere non debeat de ſufficientia diligentiæ adhibitæ pro veritate inuenienda, vt ipſe tradit *lib. 4 quæſt. 9 §. 4. fol. 595.* ibi: [Si quis autem ita beatus erit, qui de omiſsione diligentiæ iure timere non debeat, is per ipſam non inuentionem veritatis, poterit dubitationem ſoluere.] At qui omnes timere debent de ſufficientia diligentiæ adhibitæ, vt ipſemet prædixerat, fol. 587. his verbis: [Quoad ſufficientiam diligentiæ, vt ſupra quoque dictum eſt, quiſque timere debet, ſe non feciſſe ſatis, quia plerumque in ſtudio æternorum deficimus.] Ergo in principijs huius recentioris, nemo poteſt concipere iudicium probabile de ſufficienti diligentia adhibita pro veritate inuenienda: Ergo ſi opinio benigna falſa ſit, nunquã a peccato excuſabitur; tenetur ergo ſemper ad regidioris electionem.

53 Vrgetur, quia nos *plerumque* deficere, inſufficienti diligentia adhibẽda, ſæpè ipſe repetit *fol. 574. 587. & 595.* ibi: [At ſi quis ſibi videtur ſatis quę fuiſſe, & tamen nil certi inuenit, dictum eſt ſupra, nos in eo plerũque deficere.] & *fol. 593. verſ. Nos:* [Periculũ, inquit, eſt probabile, ne deficiamus laxando, & auferendo, non autem reſtringendo, & addendo.] At qui vtraque contradictionis pars nequit eſſe ſimul probabilis, in ſententia huius Neoterici, vt tradit *fol. 250. 256. & 275.* Ergo nõ eſt probabile nos effeciſsè ſufficientem diligentiã. Ergo certiſsimum eſt nos peccare per defectum diligentiæ, quoties opinionem benignã nobis probabiliore, re tamen ipſa falſam, amplectamur, niſi de qualibet in particulari occurrente, exceptionem habeamus, quod pro inuenienda veritate ſufficientem in hoc caſu diligentiam adhibuerimus, vt ipſe docet *fol. 254. & ſequentibus.* At qui iudicium certũ efficere de hac exceptione, non eſt vndè proueniat, de indè nullum eſt nobis principium ad probabile concipiendum; ergo. Probatur, nam quando obiectum eſt reuelatum, nec euidenter cognitum, nequit aſſenſus, iuxta principia huius recentioris, habere probabilitatem poſitiuam, & realem, quin nitatur hoc fundamẽto: [*Plerumque, aut ferè ſemper cõtingit.*] Hoc autem principium: *Plerumque contingit, nos efficere ſufficientem diligentiam, ad inueniẽdam veritatem,* non eſt probabile, ſed contrarium, vt ipſe tradit locis ſupra citatis; ergo non eſt nobis principium ad efficiendum iudicium probabile de exceptione, in hoc caſu particulari.

54 Dices ex Cella Dei, omnes, qui verè diligentes ſunt in cura animæ poſſe efficere iudicium probabile de ſufficiente diligentia adhibita in quolibet caſu particulari. [Sed

ta

tamen,(inquit, *fol. 357. verſ. Ex dictis*) probabile iudicium facere poſſum, ſi verè diligens ſum in cura animæ.] Sed quidem, cum omnes iure timere debeant de omiſsione diligentiæ, cuius oppoſitum requiritur ad probabilitatem iudicij in ſententia huius Doctoris,) non eſt facilè concipere iudicium probabile de ſufficientia diligentiæ, & quod in hoc caſu particulari hæc vltima regula, non patiatur exceptionem; nam licèt verum ſit, eos, qui animæ curam habent, plerumque efficere ſufficientem diligentiam, non eſt facilè probabiliter iudicare de ſemetipſo, licet animæ cura habeat, quod exceptionem in hoc caſu non patiatur, quia, vt ipſemet teſtatur *fol. 574. verſ. Hinc in fine* verbis alibi datis. [Pauci hoc tuto probabilitate poſitiua, & non certitudinaliter dicere poſſunt.] Qua propter omnes piè exhortatur dicẽs: [Vide quanto fundamento ſtatuas, ego ſufficientem diligentiam feci, tantũ quærere debui, tantum quæſiui.]

55 Præter quam quod, quis, rogo, poterit prudenter de ſe ipſo iudicare: *Ego verè diligens ſum in cura animæ?* Ad hoc enim opus eſt hoc de ſe iudicium concipere: *Ego nil prætermiſsi in ſtudio ſalutis, in ſolicitudine æternorum, in orando Deo, in mundando corde, legem Dei dilexi, mandata eius quæſiui*, vt conſtat ex pluribus huius authoris locis. Hoc enim iudicium Phariſæi potius, quam Publicani videtur, paucisſimique, & perfectiſsimi viri perſuadere ſibi poterunt de ſufficientia diligentiæ in cura animæ; & conſequenter hi tantum poterunt efficere iudicium probabile de ſufficienti diligentia præſtita ad inueniendam veritatem. Cæteri vero, qui hanc curam non habuerint, (quales plerumque ſunt homines) ad ſtrictiores opiniones eo ipſo tenebuntur, & mortaliter delinquent, ſi benignas quantumvis ipſis, & grauiſsimis Theologis probabiliores (coram Deo tamen falſas) eligant. Imò, & ſi re ipſa verè, fuerint, quia non habentes curam animæ, ex parte ſua ſe exponunt periculo eligendi falſas, nec iudicium probabile efficere poſſunt, de ſufficienti diligentia adhibita pro veritate inuenienda, quia probabile eſt, ipſos plerumque deficere, & non eſt probabile, plerumque illam efficere; prout neceſſarium erat, iuxta opinionem recentioris ad probabilitatem, quæ ſecũdum ipſum, eſſe non poteſt, quin fundetur in hoc principio, *plerumque, aut ferè ſemper contingit*, vt conſtat ex dictis.

56 Addo indubitanter, omnes, iuxta diſcurſum Cella Dei, peccaturos, ſi opinionem minus tutam ſequantur, quoties falſa coram Deo ſit. Ratio eſt: quia, vt ipſe recentior ſæpiùs proclamat [Omnis lex naturæ, & Dei eſt inuincibilis per ſufficientem diligentiam.] Sic *fol. 573. 575. 594. & alibi*, Ergo qui non inuenit, non fecit ſufficientem diligẽtiã. Eſt euidẽs conſequentia. Sed quicumq; verè non fecit, nõ habet iudicium probabile, quod fecerit. Ergo quicunque non inuenit, peccat mortaliter ex defectu ſufficientis diligentiæ. Quod autem iudicium probabile de ſufficienti diligentia non concipiat, probatur euidenter, ex principijs recentioris tenaciter defendentis, iudiciũ probabile probabilitate poſitiua, ſeu probabilitate conſcientiæ, prout requiritur ad excuſandũ à peccato, tale non eſſe, quin ſit verum, ſic *fol. 275. & lib. 3. quæſt. fol. 395. & 397.* ibi: [In re, nulla eſt ratio probabilis falſa, loquendo de probabilitate poſitiua, & reali.] Atqui iudicium de ſufficienti diligentia præſtita, quado re ipſa ſufficiens non fuit, eſt falſum: ergo non eſt probabile. Sed quoties veritas non inuenitur, opinio, re ipſa falſa eſt, ergo non fuit præſtita ſufficiens diligentia. Ergo quoties quis amplectatur opinionem minus tutam, re ipſa falſam, grauiter peccabit, quantumvis ipſi nõ ſolum probabile, aut probabilius, ſed etiam moraliter certum ſit, ſufficientem diligen. iam adhibuiſſe: quia hæc maior probabilitas, aut certitudo (in eius ſententia) ſi phiſica eſt, non vera, & à culpa mortali non excuſat, vt ipſe ſæpè tradit. Videatur *fol. 268. 274. 344. 395. & 425.* & alibi, vbi de iudicio probabili ſic diſcurrit. Qua propter ipſe *fol. 362. & 534.* planè fatetur eum, qui in hoc caſu particulari verè ſufficientem diligentiam nõ fecit, vt noſceret, an in illo veritas deficiat, peccare poſſe mortaliter, peccato ignorantiæ, ſequendo opinionem benignam; licèt ſibi probabiliorem, & moraliter certam, non ſolum circa licitum, ſed qua cenſeat actum eſſe obligatorium, vt cònſtat ex his, quæ tradit, tum *fol. 362.* citato, tum *357. verſ. Iam autem, & fol. 537.* Ideoq; & maxime ſanctos timuiſſe peccata ignorantiæ, vel ex ignorantia, non ſemel alibi tradit. Vide illum *lib. 4. quæſt. 6. fol. 673.* Ergo, ſi opinio probabilis inter Doctores probatæ authoritatis, ignorantiam inuincibilem non contineat, ſed hoc ſub dubio relinquatur, planè ſequitur ex principijs huius Doctoris, omnes teneri ad opiniones ſtrictiores. Quod ipſe merito negat. Eſſet enim intolerabile, vt fatetur *lib. 1. quæſt. 6. fol. 61.* & ante illum Eminentiſsimus noſter Cardinal. Pallauicinus, *1. 2. diſp. 9. q. 4. artic. 2. num. 12.* [Lex, inquit, per quam iubemur facere omnia optima, eſſet peſsima, & inobſeruabilis, ac perpetua cauſa delicti, & damnationis. Sic etiamſi induceretur opinio, qua ſemper teneremur facere illam actionem, quæ in agendo ſecutior eſt, etiam à tranſgreſsione materiali, hæc opinio non ſolum non eſſet tutior, ſed magis expoſita periculo frequentis tranſgreſsionis formalis, qua tutior eſt oppoſita.] Sic Eminentiſsimus vir, cuius ſententia maximè commendatur verbis Sylveſtri Magiſtri Sacri Palatij, *verbo Confeſsio 1, num. 3.*

quæſt

Digitized by Google

quæſt. 2. vbi ſic. [Licèt ſit tutius, v. g. ſtatim habita opportunitate confiteri, quam differre, nõ tamen tutius eſt tenere, quod ſic obligemur, quia viri timorati haberẽt maximas occaſiones peccandi.] Sic ille, & plures.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm liceat eligere opinionem minus tutam, minuſque probabilem, relicta tutiori, & probabiliori?

1 DE hac quæſtione latiſsimè egi 1. *p. ſelect. tr. 1. q. 5. & 6.* vbi notaui opinionem probabiliorem illam eſſe, quæ grauioribus nititur fundamentis, & minus probabilem, quæ minus grauibus, ſufficientibus tamen ad aſſenſum prudentem, iuxta ſuperius dicta *quæſt. 1.* Tutiorem dicimus, quæ periculum, tàm formalis peccati, quàm materialis excludit; minus tutam, quæ periculum tantum formalis. Peccatum formale eſt illud ratione cuius, ſi graue ſit, homo auertitur a Deo, inimicus eius fit, & dignus pœna æterna conſtituitur. Peccatum verò materiale, vel materiale peccati, illud eſt, & dicitur, quod nil horum importat, propter ignorantiam inuincibilem malitiæ, quæ hominem ab his omnibus immunem reddit, nec enim tali actione Deus offenditur, nec homo vlla pœna dignus efficitur. His poſitis.

2 Quæſtio his temporibus celeberrima eſt, an licitum ſit, eligere opinionem probabilem fauentem libertati, quæ ideo benigna dici ſolet, relicta probabiliori, & tutiore fauente legi, & præcepto, quæ propter eà rigida, & ſtricta nuncupatur. Plures de hac materia prodierunt tractatus, quos Sinnichius, Vvendrokius, Merenda, Candidus Philaletus, Iulius Mercorus, Proſper Fagnanus, Vincentius Baronius, Gonnet, & Antonius Cella Dei contra communẽ opinionem paucis ab hinc annis ediderunt. Alij ad tutiorem ſemper obligantes, alij ſolũ, quando probabilior; alij etiam, quando æque probabilis, alij ad tutiorem, niſi cõtraria moraliter certa ſit, adeo, vt improbabilem tutiorem relinquat. Contra omnes copioſè egi, loco ſuprà citato, vbi *quæſt. 5. & 6.* probaui, non eſſe obligationem eligendi tutiorem opinionem, etiam probabiliorem. Pro qua ſtitiſſe D. Bernardum *conſtat ex lib. de præcept. capit.* 20. Vbi ſic ait: *Tutius tuam ſine dubio ad id, quod putaſti melius, ſequutus eſt conſcientiam, quam ſi in priori bono, & loco conſcientiam permaneres, quamquam ſecurè id poſſes.* Ergo qui cognoſcit quænã ſit tutior, & melior, ſeu probabilior opinio, poteſt *ſecurè* contrariam minus tutam, minuſque bonam amplecti. Non ergo ad tutiorem tenetur, licèt ſit probabilior. Quod autem talis obligatio non ſit, ſi opinio tutior ſit minus probabilis, apertiſsimè demonſtraui contra Iulium Mercorum, & Vincentium Baronium, ex communi Doctorum ſententia, & quod magis, viginti expreſsis D. Thomæ teſtimonijs, quibus ipſe opiniones minus tutas, ſibi tamen probabiliores, elegit. Inſuper contra eoſdem, quos nouiſsimè ſequutus eſt Antonius Cella Dei, ibidem probaui, in caſu æqualis probabilitatis, licitũ eſſe amplecti opinionem minus tutam, idque tradidiſſe celebriores noſtræ ætatis Dominicanos M. Araujo, & M. Prado dicentem, hanc concluſionem inter Thomiſtas fuiſſe communem.

3 Denique *quæſt. 6.* efficaciter probaui, licitum eſſe vſum opinionis probabilis, relicta tutiori, & probabiliori, pro qua ſuprà octoginta adduxi Doctores: inter quos, ex D. Thomæ diſcipulis M. Bartholomæum de Medina, M. Thomam Villar, M. Petrum de Ledeſma, M. Dominicum de Soto, M. Bañez, M. Candidum, M. Ioannem Nider, M. Acatium de Velaſco, M. Baptiſta, M. Didacũ Aluarez, M. Bartholomæum de Ledeſma, M. Gregorium Martinez, M. Ludouicum Lopez, M. Serrã, M. Gallego, M. Tapia. Quibus adde ex antiquis M. Turrecremata *tom. 6. regiſtri lib. 4. ſumm. cap. 17. fol. 114. & 115.* vbi ait: [Auditores diuerſorum Magiſtrorum nullomodo peccant, ſi quemcumque tenentium contrarias opiniones ſectentur, in materijs ab Eccleſia non definitis.] Et ex modernis Reuerendiſsimum P. P. M. Ioannem a S. Thoma olim Primarium Complutenſem, & Regis Catholici Philippi IV. à confeſsionibus 1. 2. *quæſt. 18. diſp. 12. art. 3.* vbi ſic ſcribit: [Quod attinet ad conſcientiam probabilem, eſt vnica regula certa, licere ſequi conſcientiam, & ſententiam probabilem, dummodo de eius probabilitate conſtet practicè, & prudencialiter non ſolum ſpeculatiuè. Quia probabilitate practicà ſtante, licèt oppoſitum appareat probabilius, & tutius, licitè poteſt talem conſcientiam ſequi. Hanc regulam cenſeo generalem, & vniuerſaliter veram pro omnibus actionibus moralibus.] Hactenus M. Ioannes à S. Thom. quem ſequutus eſt M. Caſalas ex eodem Ordine Prædicatorum, *in candore Lilij, reflexione* 4. approbato à Commilitone ſuo Vincentio Baronio, & ſi poſtea per ſacram Indicis Congregat. prohibito.

4 Eamdem ſententiam ſubſtinent ferè omnes Doctores noſtræ Societatis, & aliorum ordinum, quos ad centum, & quadraginta recenſet P. Antonius Terillus *tom. integro de conſcientia probabili, quæſt. 22.* & ad centum octoginta, & nouem protrahit P. Ildephonſus Antonius Saraſa, *part. 2. ſuæ artis, tractat. 4. §. 5. num. 30. & 31. fol. 33.* Quibus adde doctiſsimũ P. Ioannem de Cardenas in *ſelectis, tra. 1. diſp. 15. cap. 5. artic. 16. à num. 42.* & ſutilem Patrẽ An-

Antonium Perez *tr.1.de iuſt.& iure,diſput.4. cap.2.* vbi ſic,[aliquando opiniones verſantur circa eam quæſtionem vtrũ liceat iudici hoc facere,aut illud, hanc ſententiam proferre, aut non proferre:In hoc caſu nulla eſt peculiaris difficultas. Poteſt enim iudex non minus, quam in alijs rebus ſequi opinionem minus probabilem:nam licet poſsit iudicare ex probabiliori opinione ſe peccare, ſi non proferat talem ſententiam, tamen propter probabilitatem oppoſitæ opinionis, poteſt ſuſpendere hoc iudicium; qua ſuſpenſione facta non poterit peccare.]Idem ſentit *cap. 3.num. 56. & cap.4.num.59.& num.68.* Cui adiunge, Ioannem Ioſeph.Garſi Doctorem Valentinum, & Canonicum Segoruicenſem *in cent.2.cap.* 84. Et in hanc ſententiam tandem venit Iulius Mercorus *3.part.Baſis Theologiæ Moralis,art. 7.& 8.* vbi totus eſt in ſuadendo in aliquibus caſibus,eſſe licitum ſequi opinionẽ minus probabilem,minuſque tutam,nempè quoties aliqua ratio adſit *ex motiuo extrinſeco authoritatis Doctorum poſſeſsionis.* Quod ipſe putat ſufficere ad conſtituendam certam opinionem, quæ a principijs intrinſecis, minus probabilis iudicatur contraria pro lege. [Et quia plura, inquit,ſunt motiua extrinſeca,quæ operationes noſtras poſſunt moraliter certificare,vt authoritas Doctorum,exẽpla maiorum,præſumptiones,titulus poſſeſsionis, legitima conſuetudo,tolerantia ſuperiorum in lege humana; ideò ſæpius poteſt accidere caſus,vt poſsit admitti in praxi vſus opinionis minus probabilis,quę fauet libertati,relicta probabiliori oppoſita,quæ fauet præcepto.] Hæc Mercorus. Quibus nobis conſentire videtur, nam, vt in præcedentibus probaui,ſemper concurrit aliquis ex prædictis titulis, ratione cuius opinio minus probabilis directè,ideſt,ex principijs directis,& proprijs,ex principijs indirectis probabilior quoad praxim euadat.

5 Hæc opinio tot pro ſe habet fundamenta,tot grauiſsimos Doctores, vt Pat. Breſerus *lib.3.de conſcientia,cap.6.num.75.* non dubitauerit dicere[eſſe moraliter certam,] & Pat. Ioann.de Cardenas,vbi ſupra addit, [eſſe verã, & omnino certam.]Quibus conſonat P. Bardi *in ſelectis lib.11.quæſt. vnic.* Vbi pluribus pro ea citatis,concludit,tantæ eſſe authoritatis.[Qui cuiuſcumque hominis intellectum rectè diſpoſitum mouere poſſunt, & ideo non ſolum tutam,& probabilem, verum etiã moraliter certam opinionem hanc reddunt, & probabilitatẽ oppoſitæ, ita minuunt,vt hodie poſt talium Doctorum ſenſum,parum probabilitatis inuoluat, imò penſatis rationibus, quas prædicti authores adducunt, videtur ipſa ſententia oppoſita conſtituta veluti in confinio improbabilium]Sic Bardi, & nouiſsimè F. Antonius Terillus in tractatu eruditiſsimo de conſcientia probabili, in eius fronte hæc habet.[In quà,quà ratione,quà authoritate irrefragabili, vſus cuiuſvis opinionis practicè probabilis demonſtratur eſſe licitus.] Et poſt diligẽter diſcuſſa omnia,quibus aduerſarij hac tempeſtate,contra hanc communem opinionem ab vtuntur,concludit *quæſt. 22. aſſert.4. & 5.fol.391.num.*212. [Tanta eſt authoritas pro benigna ſententia, vt illa etiam directè ſumpta, ſit humano modo moraliter certa, nec propter paucíſsimorũ oppoſitionẽ nuper enatam,à tali gradu certitudinis directæ deturbari,aut debeat,aut poſsit,&c. Iam his omnibus inſpectis, ſi ſola authoritas inſpiciatur, imprudens eſt, qui propter paucíſsimorũ taliter errantium, in ſtatu quæſtionis,eam indubiũ reuocat.]Et iterum *fol.399.num.*224 [Si loquamur de ſententia(contraria)in ſenſu, quẽ primo aſpectu præ ſe fert,quatenus dicit parẽ, aut minorem probabilitatem directam non ſufficere & non poſſe per argumẽta indirecta, & reflexa euadere probabiliorem, & ad conſcientiæ ſecuritatem ſufficere.Dico ſententiam illam vniuerſaliter ſumptam eſſe penitus improbabilem, quia euidens eſt, quod homo in multis caſibus, tuta conſcientia poſsit ſequi partem minus tutam,& directè minus probabilem,&c.Præterea euidens eſt,quod præponderans authoritas pro ſententia benigna abũdè ſufficiat ad conciliandam illi maiorem probabilitatem extrinſecam,quam quæ fauet oppoſitæ:itaque dicere illam non ſufficere ſaltem his,qui non tenentur rationes ponderare, ad prudenter formandam conſcientiam excuſantem,eſt euidenter improbabile,& falſum.]Hactenus doctiſsimus P. Terillus,vbi ſupra: & iterum *q.26.n.61.fol.*534. [Sententia,inquit, rigida vniuerſaliter ſumpta nõ eſt intrinſece probabilis,& quomodocumque ſumatur, paruam probabilitatem obtinet. E cõtra benigna ſententia ſumme probabilis eſt,& humano modo moraliter certa,vt conſtat ex dictis.] Sic Terillus,poſt diſcuſſa,& ad trutinam vocata omnia fundamenta, quibus Mercorus, Baronius, VvendroKius,& Fagnanus ad ſingularem ſuã ſententiam rigidam intrudendam inſudarunt, contra fere omnes Doctores, qui centum, & quinquaginta ab hinc annis ſcripſerunt. Quibus laudabiliter ſuum poſſent hi Recentiores iudicium ſubijcere ; nam vt libenter concedit Philaletus de *op.in praxi*, *fol.* 80. [Poſſumus opinionem,quam habemus ex motiuis intrinſecis deponere,propter authoritates in cõtrarium tam validas,vt anteferamus pondus earum noſtris motiuis.]Quod cõfirmat ex Theodoſij edicto, quod refert Cardinalis Baronius anno Domini 435. Quod ſic habebat.[Vbi diuerſæ ſententiæ proferuntur, potior numerus vincat authorem, vel ſi numerus æqualis ſit, eius partis præcedat authoritas, in qua excel-

len-

Digitized by Google

lentis ingenij vir Papinianus emineat, qui, vt ſingulos vincit, ita cedit duobus.] Quibus facit M. Canus *lib. 8. de locis, ca. 4.* vbi ſic: [Si ergo in re, quæ olim inter ipſos etiam Scholaſticos Theologos controuerſa fuerat (nempè de infuſione gratiæ, & virtutum in Baptiſmo) opinio concors iuniorum tanti apud Patres in Concilio fuit, &c. Scholæ igitur communem conſenſum non niſi imprudenter, & temere reijciemus.]

6 Et in particulari in ſententiam Mercori *in Baſi Theologiæ Moralis, artic. 12. & 3. part. art. 14.* Et Vincentij Baronij locis ex illo tráſcriptis *1 part. ſelectarum, quæſt. 5. & 6.* & aliorum aſſerentium, eſſe obligationem eligendi tutiorem opinionem, ſi probabilis ſit. Inſurgit Antonius Terillus *quæſt. 22. & fol. 399. num. 224.* Vbi inquit eam non ſolum eſſe improbabilem, ſed euidenter falſam. [Eſt improbabilis, quia omnes, tam antiqui, quàm Recètiores Theologi vnanimiter illam reijciunt: Et pauci illi, qui nuper eam inuexerunt, non ſunt tantæ authoritatis, vt in re ſingulari, pro qua probanda, nouas rationes validas nõ attulerunt, ſuæ poſſint ſententiæ probabilitatem cõciliare: Et euidenter falſa, quia rationes demonſtratiuæ, & authoritates irrefragabiles euidenter euincũt oppoſitum, vt ſupra viſum eſt.] Haetenus Terillus.

7 His tamen non obſtantibus Antonius Cella Dei, contra tot Doctorum phalangem, laruato nomine prodijt anno 1670. romo integro, quem inſcripſit [de recta doctrina morum.] In quo Mercoro, & Baronio morem gerens, totis nixibus eis adhæret, ſuadere contédens non eſſe licitum amplecti opinionem fauentem libertati; ſed tutiorem ſemper ex præcepto eligendam, ſi probabilis ſit. Atque adeo nec minus, nec æquè probabilem eſſe eligibilẽ; nec eſſe poſſe rectam regulam morum; eaque firmitate, ac tenacitate huic ſententiæ adheret, vt authoritas omnium ferè Theologorum non ſufficiat contrariam ſibi tutam efficere, nec alijs tutam eſſe poſſe contendit. Ideoque contra omnes, hoc ſuperbo argumento loricatus in arenam deſcendit, *libr. 1. quæſt. 1. fol. 347.*

8 *Si intelligentiſſimus author clamaret, & iuramento obteſtaretur, ſententiam aliquã communem non eſſe tutam*, non eſt tuta reputanda, donec poſt nouam diligentiam, & inueſtigationem eius veritas comprobetur. *Atqui ego* (inquit *lib. 3. quæſt. 18. fol. 524.*) *rẽ per multos annos examinaui, & hoc dico, & teſtor, & Deus ſcit, quod non mentior: nil vnquam mihi viſum eſt euidentius*, quam eam, nempè opinionem, æque, aut minus probabilem *regulam morum non eſſe.*] Ergo. Huic tamen grauiſſimæ inſtantiæ aliud reſpondendum non occurrit, quam quod ipſe reſpondit, *lib. 3. q. 8. fol. 416.* [Omnes, inquit, profectò homines ſumus, & experimento didici ſummis ingenijs tallas ſuas opiniones, quaſi diaphanas, quæ viſum non impediant, apparere, alijs inſtar opacorum ſunt corporum, quæ viſum omnem adimant.] Sic intelligentiſsimo Cella Dei circa ſuam opinionem contigit, ſic poſtea mihi, & alijs.

9 Dixi Antonium Cella Dei conuenire cũ Mercoro, & Baronio, in negãdo licito vſu opinionis benignæ, minus aut æquè probabilis contrariæ, quod tenent pauci alij apud ipſum, *lib. 1. quæſt. 5 §. 1. fol. 56.* ſed quidem omnibus rigidior ipſe eſt, dum contra omnes addit opinionem fauentem libertati, etiam moraliter nobis certam, ni vera coram Deo ſit, non excuſare à mortali, nec eſſe probabilem probabilitate conſcientiæ. Sic loquitur *fol. 249. & 268. & 274. & alibi.* Et ſane cum Baronij, & Mercori opinio intolerabilis viris doctis viſa fuerit, eo quod maiore probabilitate non contẽta certitudinem moralem veritatis ad vſum opinionis minus tutæ exigebat; qualis, rogo, videbitur opinio noſtri Cella Dei, qui nec hac certitudine contentus opinionem eſſe veram requirit, vt à peccato poſsit eximere, eo principio ſuperius impugnato ductus, de peccato indiligentiæ, ſeu omiſsionis diligentiæ debitæ ad inueniendam veritatem, ratione cuius, ignorantiam vincibilem, quando non inuenitur, ferè ſemper, iuxta ſua principia, interuenire cenſet, quam tamen cæteri inuincibilem ludicant, quoties opinioni probabili, ne dum probabiliori, & moraliter certæ quoad nos admiſceatur. Hanc vero dari poſſe dubitat Cella Dei. Sed ſi dari poteſt, inquit, aliqua ignorantia inuincibilis alicuius legis Dei; tunc excuſabimur a peccato, non propter probabilitatẽ, nec propter maiorem probabilitatem, neque propter certum, ſed propter inuincibilitatem, & inuoluntarietatem ignorantiæ, vel erroris.] Sic locis ſupra citatis. Et præcipuè *lib. 2. quæſt. 12. verſ. Quod autem, fol. 268.*

§. Vnicus.

10 Licitum eſt amplecti opinionem practicè probabilem relicta tutiori, & probabiliori. Ad huius veritatem ſuadẽdam ſupponendum eſt, opinionem minus probabilem in præſenti vocari, quæ conſideratis tantum principijs intrinſecis talis reputatur. Quod non tollit, quod ab extrinſecis, ſeu ex alijs titulis probalior euadere poſsit: quin & moraliter certa, vt inquit Mercorus, *part. 1. artic 14. fol. 39. verſ. Reſpondetur*, & *art. 40. verſ. Ex his.* [Sunt inquit, plura media extrinſeca, & huiuſmodi ſunt, authoritas Doctorum vſus conſuetudo poſſeſsio, tolerantia, & ſimilia.] Quo poſito, concluſionem ſic probo. Licitum eſt, ſecundum omnes Doctores, tam antiquos, quàm

quam modernos, quos citaui 1. *part. tr. 1. quæſt. 5. §. 4.* eligere opinionem minus tutam probabiliorem tutiori; ſed quoties aliqua opinio ex principijs intrinſecis eſt probabilis, illico euadit probabilior ex alijs ſuper additis, nempè: *In dubio meliorem eſſe conditionem libertatis poſsidentis: in dubio legis, aut non eſſe legem, aut non eſſe ſufficienter promulgatam, in cõcurſu opinionum probabilium inuincibilem malitiæ ignorantiam interuenire.* Et inſuper euidens eſt ferè omnes Theogos, qui à centum, & quinquaginta retro annis floruerunt, vniuerſitates omnes, Religiones, Epiſcopos, & Summos etiã Pontifices, in pluribus decretis hanc ſententiam ſequutos fuiſſe. Ergo, quicumque habet opinionem practicè probabilem, circa licitam electionem alicuius obiecti, ſi principia ſupra memorata ſuperaddat, eo ipſo habebit opinionem ſimpliciter, & abſoluté probabiliorem pro honeſtate electionis, vel ſaltem pro eius à peccato immunitate, quæ poſsit eſſe regula morum. En, qua ratione ipſemet Cella Dei nobis cõſentire debeat, & re ipſa conſentiat, *lib. 3. quæſt. 1. §. 2. fol. 337.* dum ait: [Communis ſententia eſt tenenda, & dicendũ ſufficere probabile, & opinionem probabilem pro regula conſcientiæ.] Cum onere tamen, (vt infra explicat) attendendi, an in hoc ſingulari caſu a veritate deficiat. Quod nemo negare poteſt. Quandoque enim circuſtantiæ occurrẽtes opinionem ſpeculatiuè probabilem, practicè improbabilem relinquunt. En, quo fundamento opinio æque, aut minus probabilis circa honſtatem operationis, quæ ex principijs directis, non magis, ſed vel æque, aut minus ſe habeat ad verum, quam ad falſum; euadere poſsit recta regula obiectiua morum, vt fuſſius infra explicabitur, vbi de certitudine iudicij practicè ad licitè operãdum. En, quomodo obiectum, quod ex vi rationum directè ſuadentium, v. g. *Pingere in die feſto, non eſſe opus ſeruile*, ſolum erat æque, aut minus probabiliter licitum oppoſito; euadit probabilius, eſſe licitum cuicumque, ex vi rationum indirectè probantium, qui, omnibus conſideratis, hoc iudicium format: *Probabilius eſt licitum eſſe pingere in die feſto.* Ad hoc enim neceſſe non eſt, quod obiectũ ipſum, *nempe, id non eſſe opus ſeruile*, probabilius appareat, ſed ſufficit, quod retento dubio, ſeu minori probabilitate huius partis, poſsit intellectus ex adiunctis alijs principijs, & rationibus indirectè probatiuis, iudicare probabilius eſſe, quod tale obiectum licitè eligi valeat. Quibus facit Terillus *quæſt. 21. num. 33.* Vbi ſic ait: [Quando dicimus eũ, qui omnibus inſpectis, credit vtramque partẽ contradictionis eſſe directè æque probabilem, poſſe prolibito ſectari minus tutam; id nõ aſſerimus præciſsè ex vi motiuorum directorũ quæ ille, omnibus penſatis, in [illegible] ſecundo reputat æqualia, ſed maximè ex vi argumentorũ indirectè, & reflexe probantium, & incomparabiliter præualentium omnibus, quæ in contrarium afferri poſſunt.]

11 Huic diſcurſui ſolum reſiſtere poteſt Baronius, qui cum Mercoro cenſet, [non poſſe opinionem tutam fieri, niſi in euidentiam euadat, vel adhæreat legi.] Sic inquit in manuductione, *fol. 17.* Cæterũ 1. *part. quæſt. 5. §. 4.* Euidenter oſtendi, hunc authorem ſibi non conſtare, quia opiniones plures minus turas, quia probabiliores præciſsè, abſque vlla euidentia, ipſemet quandoque ſequutus eſt. Recole ibi dicta. Vide etiam Terillum *quæſt. 20. num. 19.* Vbi adnotat, & apertis tabulis demonſtrat, Proſperum Fagnanum, qui his Doctoribus cõſenſerat, oppoſitum poſtmodum tenuiſſe.

12 Denique, vt noſtro etiã Cella Dei morem geram, aſſumere ex illo placet duo ſolida principia: aliud, quod iecit *lib. 3. quæſt. 18. fol. 523* dicens: [Profecto regula bona eſt, quod quis viuat, & operetur iuxta ſententiam omnium ferè Authorum ſuæ ætatis, eo quod cõmuniſsimæ ſententiæ raro fallant, ac deficiant.] Aliud *ex lib. 3. quæſt. 1. & ſeq.* [Quod ſi poſt ſufficientem, ſeu prudentem diligentiam, non conuincatur regulam iſtam in caſu particulari, de quo agitur, deficere, bona, & probabilis, & a peccato prorſus excuſans habeatur.] Et *fol. 678. verſ. Ob hanc*, ait, quod intellectus cogitur a voluntate prudenter ad opinãdum, quando ſufficienter quæſita fuit veritas, nec eſt vlterius inquiribilis. Atqui poſt fortiſsimos clamores, tàm ipſius Cellæ Dei, quàm Baronij, & quorumdam recentiorum, (quos refert *lib. 1. quæſt. 5. §. 1. fol. 56.*) contra licitum delectũ opinionis probabilis practicæ, etſi minus tutæ, minuſque probabilis cõtraria, doctiſsimi alij, qui poſtea ſcripſerũt, cõſtanter aſſerũt regulã illam communem, in hoc caſu particulari nõ deficere, quia præmiſſo examine fundamentorum, quæ ab aduerſarijs obtruduntur, nil contra iſtam communiſsimam ſententiam conuincens inuenerunt; ergo licitũ eſt eligere opinionem practicè probabilem minus tutam, relicti tutiori, & probabiliori.

13 Hanc opinionem pluribus ſuaſi, 1. *part. ſelect. quæſt. 6.* Ex quibus vnum reproducam argumentum. Impoſsibile eſt ratione erroris, dari peccatum in operatione voluntatis circa licitum exiſtimatum; quin ſit peccatum in ipſo errore. Vt conſtat ex D. Thom. *In ſecundo diſtinct. 22. quæſt. 2. art. 2. & Quolibeto 8. artic. 15.* Sed quãdo aſſenſus eſt probabilis, id eſt, prudenter imperatus circa licitum, licet ſit corã Deo falſus, nullum in hoc errore datur peccatum Ergo nec in operatione voluntatis, ratione erroris.

14 Dices; quando probabile tantum iudicium datur de honeſtate obiecti, ſimul apparet

pro-

Digitized by Google

probabilior illius malitia; ergo iſtius propoſitio fortior erit ad cōſtituendam actionem malam, quàm probabile iudicium ad efficiendam licitam. Reſpõdeo: Cum iudicio probabili circa licitum non comparí iudicium probabilius circa illicitum; quia ſunt contradictoria: ſed maiorem apparentiam motiuorum allicientium ad aſſenſum oppoſiti; ac proindè proponentium prudentiorem fore: Cum autē ad non peccandum ſufficiat prudenter operari, & ſi nō prudentius, verè datur dictamē ad non peccandum requiſitum. Imò nec poterit nocere, quod propter maiorem apparentiam motiuorū partis contrariæ ſponte habeatur iudicium de maiore illius probabilitate, quia nec hoc pugnat cum dictamine abſolutè aſſerēre eſſe licitum, quod eligit, licèt minus prudenter eligat, quā ſi oppoſitum. Quæſtio autem præſens non de perfectiori, ſed de bono, vel de ſufficiente ad vitandam culpam procedit.

QVÆSTIO VII.

Quomodo rudes, & illitterati de opinionis probabilitate iudicium ferre poſſint.

1 CVm in ſuperioribus dixerimus, licitū eſſe opinionem probabilem ſequi relicta tutiori, & probabiliori ex principijs intrinſecis; reſtat modo examinare, quo fundamento illitterati homines poterunt iudicium concipere de probabilitate opinionis: nam, cum a principijs intrinſecis illam percipere non valeant, ſi illis aliundè non detur iudicium ferre, nequibunt ex alijs ſupperadditis clarioribus, & vniuerſalioribus, ad maiorē illius probabilitatem concipiendam, aſcendere. Et quidem indoctos, & illitteratos authoritate extrinſeca aliorum contentos eſſe debere, tradit Auguſtinus *lib. de quantitate animæ, cap. 7.* vbi ſic ait: [Aliud eſt, cum authoritati credimus, aliud, cum rationi. Authoritati credere magnum compendium eſt, & nullus labor: imperitiores homines, ſi ratione velint verum comprehendere, ſimilitudinibus rationum facillimè decipiuntur. His ergo vtiliſsimum, excellentiſsimæ authoritati credere.] Et iterum *lib. de vtilitate credendi, cap. 11. in fine.* [Si quis diligenter conſideret plurimum inter eſſe, vtrū ſe ſcire quis putet, an, quod neſcire ſe intelligit, credat aliqua authoritate commotus, profecto erroris, & inhumanitatis, atque ſuperbiæ crimen vitabit.]

2 Antonius Cella Dei adeo ſtrictè circa iudicium de probabilitate diſcurrit, vt fere omnes ad ſtrictiores, & rigidiores opiniones eligendas conſtringat; ſentit enim in caſu à Doctoribus ventilato, & in libris paſsim ex-perto, in quo hinc indè diuiſi ſunt Doctores, nequire indoctos de opinionis benignæ probabilitate iudicium ferre, imò nec Doctores, qui inter opiniones neſciunt diſcernere, quænam grauiora fundamenta à ratione; vel ab authoritate habeat. [Quia omnis impotens hæc diſcernere (inquit *fol. 106.*) temerè, ac illicitè, vel conſulit, vel operatur.] Quam autem pauci ſint, quibus de his iudicare datum, notiſsimum eſt, nec ipſe dubitat: nam à iudicādo de probabilitate opinionis minus, aut æque probabilis, vel probabilioris excludit (*fol. 107. & 430.*) Theologos omnes moralis ſcientiæ à principijs intrinſecis ignaros, qui hiſtoricam tantum cognitionem habent opinionum, nempè, quid in hac quæſtione Caietanus, quid Suarez, & alij ſenſerint? [Quia nec centum contra centum (inquit *fol. 563.*) faciunt probabilem opinionem; ſed rem propriſsimè dubiam relinquunt.] Vndè hi omnes ad tutiorem ex præcepto eligendam tenentur.

3 Hinc à iudicio de probabilitate opinionis benignæ, ſeu minus tutæ, excludendi ſunt omnes, qui Theologiæ moralis eam tantum notitiam habent, quæ communiter comparatur ex lectione fundamentorum, & Doctorum, quæ in Silveſtro, Ledeſma, Villalobos, Diana, Leandro à Sacramento, Ioann. Machado, & in alijs Summiſtis, aut Collectoribus opinionum referantur, citatis vndique authoribus pro vnaquaque illarum. Nam cum altera tantum ſit probabilis (vt hic author ſe demonſtrare dicit) & neque ex fundamentis, quorum maiorum grauitatem lector percallere nequit, nec ex numero, & qualitate Doctorum, quæ plerumque ignorat, noſcere poſsit, quænam ex illis ſententijs ſit probabilis, an rigida Scoti, & diſcipulorum, an benigna Diu. Thomæ, & Thomiſtarum; nequibit, niſi temere, benignam conſulere, vel iuxta illam operari; tenebitur ergo ad tutiorem in conſilio, & in praxi amplectendam. Nam, qui inter opiniones non diſcernit, quænam contrariam ratione, vel authoritate extrinſeca ſuperet, verè manet dubius, in ſententia huius Doctoris. Quapropter *fol. 213.* inquit, ad reſoluendos caſus conſcientiæ, omnes non bonos Theologos ipſius ſcientiæ moralis ignares, eſſe ineptos. Et *fol 425.* Excludendos eſſe à iudicando de probabilitate opinionis, qui per ipſam Theologiam moralem neſciunt, [quæ ratio ſit grauis, quæ leuis, an author, etiam grauis, in ea opinione particulari lapſus ſit an grauiter dixerit.] Ideoque ad rigidam opinionem manebit adſtrictus. Expende quot ex hoc capite adſtringentur.

4 Et, quod mirabilius, adſtrictiorem opinionem repebitur quicumque, licet Do-

Doctorem aliquem,ex viris magni nominis, conſultum, pro benigna reſpondentem inuenerit. Ac proinde recentior ille cōſulrationes fere omnes inutiles prorſus reddit;tùm, quia Parochi conſilium non ſufficere ad liberandum parochianum à peccato, ſi opinio, quam conſulit.coram Deo falſa ſit,plane affirmat ipſe,*fol.8.& 575.*Tùm,quia licet vir cōſultus doctiſsimus ſit,& talis communiter reputatus,tamen,qui conſilium petit,ex vna parte non callet grauitatem fundamētorum,quibus nititur,& ex alia ignorat, an ille tantæ ſit authoritatis,tātaque ſciētia morali praditus, vt ſuperadditus alijs Doctoribus partis benignæ,conſtituat authoritatis exceſſum,vt vel ſic opinio benigna contrariam probabilitate vincat. Secus enim prorſus ignorabit (ſicut in caſu Theologi hiſtorici) an eius opinio indè probabilis euadat, vt fatetur ipſe Recentior, *fol.563.*[Nam ſemper,inquit,ſumus in æqualitate,quæ dubium efficit in additione authoritatis,& authorum,ſi vel æqualia vtrinque addas,ſiue tu omninò ignores inæqualitatem.] Tùm,quia ipſemet Cella Dei,*fol.154.& 155.* nos edocet [eam conſultationem eorum hominum in tali materia,in talibus circunſtantijs,omnibus eſſe neceſſariam pro cōſcientia, per quam ſcilicet conſultationem, fere ſemper habeatur veritas.] Quod magis explicat, *fol.595.*dicens debere eſſe Illuſtriſsimorum Doctorum,[qui (ſubnectit)verè pauci ſunt.] Adde,& rari extra Curiam Regum,& vniuerſitates;& in his forſan pauciores,vtpotè ſcholaſticis magis diſputationibus, quā moralibus dediti.Quid ergo de alijs erit,qui inCiuitatibus, oppidis,aut pagis habitant,vbi horum Illuſtriſſimorum Doctorum, vel vnus rariſsimè, aut nunquam plerumque verus inuenitur. Nam etiam ſi libris opinionibus moralibus refertis abundent , exceſſum tamen fundamentorum inter opiniones,vel authoritates inter Doctores,prorſus ignorāt.Ergo iſti omnes,vtpotè in dubijs,ad ſtritiorem,ſeu tutiorem opinionem adſtringentur.Non inficiabitur CellaDei.Iam quot hæc obligatio comprehendit?ſere omnes quidem.

5 Ex quibus concluditur,vel ſententiā huius authoris non eſſe veram, vel fatendum viā claudere conſultationibus,& Doctorū hominum authoritatē,etiam in rebus,quæ ſub opinionibus verſantur,nil ad pacandas conſcientias deſeruire Sed,ni fallor,ipſemet hanc ſententiam temperauit,*fol 595.l.4.q.9.§.4.* vbi poſtquam notauit dubios eſſe in vita Chriſtiana caſus frequentes,cū frequens videatur opiniones vtrinque contrarias, ac fermè æquales inuenire, [quod, inquit,naſcitur ex indiligentia noſtra,in cognoſcenda lege ,& ex tempore in ſtudio virtutum.] Poſt hæc , inquam,tradit ad decidendos eiuſmodi caſus, ſufficere Illuſtriſsimorum Doctorum authoritatem; [eorū ſcilicet,qui plerumque veri inuenti ſunt, nec in caſu particulari,de quo dubitatur, exceptionem particularē habent. Quoties enim ab aliquo huiuſmodi,qui verè pauci ſunt, aliquid tractatum aſſertumque inuenitur, neq; exceptionē habet,vel nouæ legis,vel realiſsimæ rationis de nouo inuētæ,aut excitatæ nil fermè amplius timere,vel dubitare licet.]Nempè de veritate ſententiæ.Si ergo Doctor iſte conſultus,quia Illuſtriſsimus;ideſt,magni nominis eſt & quia plerumque verus habetur , ſufficit ad electionē opinionis benignæ,tametſi homo illitteratus ignoret,an ſuperadditus alijs,qui eā ſententiā tenent,authoritate ſuperet contrariam,cur quilibet alius ex magni nominisDoctoribus,qui pro illa citantur, ad id non ſufficiet?Ideo expreſsè ita fatetur Mercorus *p. 1. art.14.verſ.Et quidem*,vbi ait : [ſi qui debet operari,eſt rudis,facilè poteſt certificari,(nempè de probabilitate opinionis)conſilio cōfeſſarij,vel proprij Parochi,vel alterius viri docti,& probi, quorum authoritas ſufficit,vt tutò operari poſsit , ſicuti Doctores communiter docent exD.Thom.*quodlibet.3.art.8.* Si eſt doctus,& iam habet aliquam rationem probabilem de operis honeſtate, poterit certificari, aliquali adhibita diligentia, ſcilicet , ex conſideratione principiorum moralium, aut à Doctoribus inquirendo.]Hæc Mercotus.

6 Sententia ergo Cella Dei in vno tantū caſu veritatem continet:nempe , quando pro opinione benigna vnus,vel alter author reperitur, cuius authoritas ignota eſt; tunc enim nullus,qui ex ratione,qua ducitur,eius probabilitatem eruere nequeat,poterit de illa indicium ferre,vt benè tradit ipſe Cella Dei,*li. 1. q.10.fol.113.* Neque poterunt, qui ſola relatione opinionum præla fatigant. Quia authores purè hiſtorici opinionū,qui nec inter fundamenta grauia,& leuia ſciunt diſtinguere;& quibus de grauitate authorum, quos citatos legunt,nil conſtāt , non habent vndè opinionem illam probabilem cenſere poſsint , quia nec à principijs extrinſecis, quod authorum grauitas ſit illis prorſus ignota , neque ab intrinſecis,cum illa non calleant : qua propter temere, & illicitè, eius praxim conſulent, vtpote ignorantes , an practice probabilis ſit. Maximè cum hac tempeſtate , indocti etiam homines ad opuſcula edenda mirum in modum propendeant , & ſæpè leuiter , & per transenam rem tractent , & parvi momenti rationibus ſæpè ducantur. Qua propter probabile reputari non debet , quod à quocumque authore moderno typis datum reperitur , niſi aliunde eius probitas, & præexcellens peritia , publica fama , aut aliundè nota ſit , vt benè inquit Terillus *quæſt. 6. numer.25.*

Si

7 Si verò author citatus, vel conſultus talis ſit, tuta conſcientia quiſque poterit benignæ eius opinioni adhærere, licet alij pro contraria militent. Aliàs cōſultationibus non eſſet aditus. Qua propter ad probabilitatem extrinſecam opinionis ſufficere authoritatem vnius grauis Doctoris, eſt communis Doctorū ſententia, quos adduxi, eorum fideliter excriptis verbis, 1. *p. tract.* 1. *q* 4 *num.* 2 & *ſequentib.* & præcipuè pro rudibus & illitteratis, *num.* 11. Quos ſequitur P. Terillus *q.* 6. *num.* 16. dicens: hanc ſententiam probari conſenſu omnium, tùm recentiorum, tùm antiquorum, vt Diui Antonini, Alberti Magni, & Caietani: & efficaci ratione, quia indoctus non ſolum poteſt prudenter acquieſcere conſilijs talis viri, ſed niſi imprudenter, dubitare nequit de veritate reſolutionis datæ, cum nullum ſufficiens fundamentum ad id habeat. Quod ſequitur Nauarrus in manuali, *cap.* 27. *num.* 288. dicens: [In foro conſcientiæ ad effectum nō peccandi ſufficit eligere pro vera eius opinionem, quē merito cenſemus idonea ad id ſcientia, & conſciētia præditum.] Conſilium autem Parochi, vel confeſſarij, niſi exceptionem hac in parte patiantur, ad hoc ſufficere ſatis conſtat ex verbis Iulij Mercori, *p.* 1. *art.* 14. ſuprà ſcriptis, & ex Araujo, *in deciſionibus moralibus, diſp.* 9. *de ſtatu ciuili, aſſert.* 1. & ex his, quæ nos adduximus *q.* 4. *citata* 1. *p. n.* 11. Non melatet, Antonium Cella Dei *fol.* 68. *verſ. Quod ſi non*, & *fol.* 573. *verſ. Sequitur*, Parochi conſilio diffidere. Quod intelligendum de Parochis indoctis; quales quādoque præ commeatuum inopia, in aliquibus pagis eſſe ſolent: de aliorum verò ſcientia, & probitate dubitare, quæ ſufficiat, ad determinandam ſaltem, & cognoſcendam authoritatem Doctoris pro benigna ſententia militantis, aut negate eſſe ſufficientē ad concipiendum iudicium de illius probabilitate, non niſi temere fieri poſſet.

8 Eſt hic aduertendum, opinionem illam, pro qua grauis author tres, aut quatuor Doctores doctrina præſtantes, aut vnum præ eminentem, citat, licèt ipſe eis non conſentiat, probabilem ab extrinſeco haberi poſſe, ſi talis author publicè habeatur fidelis in ſuis citationibus: ſecus, ſi infideliter ſæpè citet, (quod aliquā do contigit docto Machado) quia authoritas viri grauis fideliter referētis moraliter certos nos reddit, illos talem opinionem docuiſſe, & aliundè, ſine graui fundamento in illam conueniſſe, temere diceretur, dum ex alio capite non euincatur.

§. I.

9 Rogabis, quid dicendum, ſi caſus occurrens non fuerit à Doctoribus ventilatus. Communis Doctorum ſententia affirmat vnius viri docti authoritatem ſufficere, vt partem benignam ſequi poſſimus Vide me ipſum vbi ſupra, vbi innumeros, *quæſt.* 4. §. 1 *num.* 2. citatos inuenies, qui difficiliora docent nēmpè vnius Doctoris inſignis authoritatem in caſu, etiam ventilato, poſſe contra omnes, qui illum præceſſerunt, opinionem probabilem efficere. Quos nouiſſimè ſequitur Doctor Carſi *in quæſtionibus moralibus, cent.* 1. *ca.* 91. *num.* 6. *vbi ait.* [Vnius authoris grauis dictum eſt ſufficiens fundamentum opinionis probabilis; cui ſine temeritate poteſt quis aſſentiri, & in opere adhærere, vſque ad viginti quatuor authores (pro hac parte) refert Angelus Verricelli, & innumeros allegat Paſqualigus, *deciſ.* 360. *nu.* 5.] Quibus pro rudis, & imperitis conſentit Azor, *tom.* 1. *lib.* 2. *capit.* 17. §. *Quartò quæritur.*

10 Alij verò Doctores diſſentiunt, Ioann. de Saura in voto Platonis, *Præludio* 9. [Inſignis, inquit, alicuius Theologi authoritas probabile facit argumentum. Quod intelligendū eſt, de ſententia negatiuè ſingularis Doctoris, cui cæteri non contradicunt, nec aſſentiūtur, quia de ea non egerunt; ſi autem ſit ſingularis contrariè, quàm cæteri reiiciunt; parum probabilitatis affert, niſi efficaci fulciatur ratione.] Quibus conſentit Diana *p.* 7. *tr.* 1. *reſ.* 23. *n.* 12. Et P. Vazquez 1. 2. *diſp.* 62. *cap.* 4. *n.* 17. his verbis: [ſi opinio vnius tantum Doctoris, & ſingularis, ex proprijs fundamentis conſiderata, mihi non probatur, ſed oppoſita, & eam video tātum niti authoritate vnius Doctoris, non videtur mihi cenſenda probabilis ad hunc effectum, vt ſecundum illā prudenter poſſim operari contra propriam, & communem omnium ſentētiam.] Hæc Vazquez. Quem ſequitur M. Araujo *in deciſionibus moralibus, diſp.* 9. *de ſtatu ciuili, aſſert.* 1. *n.* 4. Qui expreſsè loquuntur pro viris doctis, qui rationes opinionis ſingularis vnius Doctoris expēdere poſſunt. Pro rudibus verò, & illitteratis ſecus tenent, quia ipſemet Araujo, vbi ſupra *nu.* 6. contrarium expreſsè affirmat, dicēs ſufficere, quod eiuſmodi homines authoritatē percipiant, licèt non reſolutionis rationem. [quia ruſticus præſumir, confeſſarium, vel Parochum probum, & peritum, non ſine ratione, moueri; & ſi eam nō percipiat]Et P. Vazquez *diſp.* 62. *citata, cap.* 8. *n.* 42. excuſat ruſticum, qui authorem doctum, & probum, cuius doctrinæ, & moribus merito fidere debet, in operando ſequitur, eius ſententiæ ſe accomodans Illiteratus enim colligere poteſt ſingulare iudicium, quo credat ſibi etiam licere, quod iudicat licitum eſſe probo, & docto viro.

11 Nihilominus pro viris etiam doctis, & litteratis, hanc ſententiam tenui, *tr.* 1. *quæſt.* 4. §. 3. quando doctor ille ſingularis tanti ingenij, tantæq; doctrinæ, prudentiæ, & probitatis eſſet, vt meritò iudicaretur eius authoritas

Digitized by Google

æquiualere authoritati pluriũ, vt benè docent Angelus, Boſsius, & Breſſerus ibi citati. Et ita apertè ſentiunt communiter Doctores, tũ qui abſolutè id affirmant *q.4. citata n.2.* Tùm, qui expreſsius qualitates Doctoris, & opiniones determinant, vt P. Tamburin. *lib.3. in decalog. c.3.§.3.n.5. vbi ſic.* [Tunc ſolum purò ſufficere vnum, tamet ſi contra innumeros Doctores id doceat, quando idem eſt doctus, rem ex profeſſo tractat, firmãque rationem pro ſe habet, nec apparet contra ipſum aliquid conuincẽs, ita Azor, Vazq. & alij.] Quibus adhæret nouiſsimè P. Terillus *q.6.n.16. & 36. fol.81.89. & 90.* dicẽs eſſe communem, & admiſſam ſententiam, ſi Doctor ſolidè reſpondeat omnibus in contrarium allatis, & noua, tantique momẽti pro ſua opinione afferat, vt apta ſint ad mouendum virum peritum, & prudentem, & abſque paſsione iudicantem. Verum harum qualitatum, & conditionum cognitio viris tantũ valdè doctis conuenire poteſt, & hi tantum poterunt, illis cognitis, ſingulari ſententiæ cõtra cõmunem adhærere. Sed an res ita ſemper ſe habere debeat, vt nũquã valeant ſola authoritate nota, abſque rationũ notitia, illius ſentẽtiam ſequi; exploratũ non eſt; affirmãt aliqui; ſed contrariũ ego tenui, loco ſuprà citato *numer.10.* ſi præexcellentis Doctoris ſit. Si enim Patris Gabrielis Vazquez, vel Suarez, aut R. P. M. Ioannis à S. Thom. foret authoritas, non minus me cogeret, quam Platonis Ciceronẽ, vt ipſe teſtatur, *lib.1. Thuſc. Quæſt.* ibi: *Vt enim rationem nullam Plato afferat (vide quid homini tribuam) ipſa authoritate me frangeret.*

12 Nullatenus tamen audiendus M. Gonet *in diſſertatione Theologica de probabilitate, art 6. in ſolutione tertiæ obiectionis*, dũ inquit: Non ſolum authoritatem vnius viri docti, & probi reſpectu hominis idiotæ ſufficere, ſed etiam aliquando alterius etiã ruſtici, aut muliereculæ teſtimonium; verba eius ſunt: [Si puer aut puella ruſtica dubitet, an aliquid licitum ſit, & parochum, & confeſſarium adire non valeat, poteſt Interrogare parentes, & eorũ conſilium tuta conſcientia ſequi.] Sic Ille, cuius ſententia in dubio iuris, quando parentes ruſtici ſunt, improbabilis omnino eſt, quia eorũ cõſilium inſufficiens prorſus eſt ad dubiũ prudẽter deponendũ: ſecus erit in dubio facti, v.g. an hodie ſit dies feſtus, vel non, & in ſimilibus.

13 Contra aſſertionem noſtram de authoritate vnius præcellentis authoris ſufficiẽte ad cõſtituendam opinionem practicè probabilẽ, vt tuta cõſcientia eam ſequi poſsimus, acriter inſurgit Cælla Dei *l.1.q.7.ʃ.2.* dicens, hoc vno aſſerto prædictum authorem grauem non ſolũ æquari, ſed præferri Romano Pontifici, & conciliis Generalibus. Abſurdum hoc, quo ad primam partem probat, quia præfati Doctoris authoritas ea eſt, in noſtra ſententia, vt ſufficiat ad formandum dictamen certũ de non peccato, & de rectitudine operationis. Ergo tãta eſt, quanta Romani Pontificis, & Concilij Generalis. Probatur conſequentia, quia hæc maior eſſe non poteſt, quàm quod eam ſequentes, impoſsibile ſit peccare, & rectè operemur.

14 Nec facit, inquit, diſparitas, quod ſummus Pontifex in doctrina fidei, & morum errare nequeat, ſecus Doctor quilibet, quãtũuis grauis. Nam ideò, inquit, hæc infallibilitas per ſpecialem Spiritus Sancti aſsiſtentiam promiſſa eſt Pontifici, quia ſi ipſe errare poſſet, cues, & Eccleſia periclitarentur. Ex quo multipliciter noſtræ ſentẽtiæ falſitas inferri videtur. Primo, nam cũ quilibet Doctor particularis, quãtumvis grauis, poſsit errare, nequibũt non periclitari, qui eius fallibili authoritate regãtur. Secundo; quia ſine indefectibilitate in doctrina nequit ſubſiſtere certitudo vitandi culpam Si enim poſſet, [nulla, inquit, ſupereſſet ratio tribuendi Romano Pontifici, aut Eccleſiæ infallibilitatem in ipſa doctrina.] Quia hæc ſolum ordinatur, tanquam ad finem in rectã directionem operationum, & morum. Ergo cum nulli authori infallibilitas in doctrina conceſſa ſit, nullius authoritas ſufficiet ad rectam directionem; vel ſi ſufficiat, æqua erit illi cum Romano Pontifice authoritas.

15 Imò, & maior, quia author grauis ſe ſolo ſufficit, ideſt, ſolo concurſu generali indiget ad eos effectus. Papa autem, & Eccleſia magnis priuilegijs, & promiſsionibus Inſuper author grauis etiam quãdo errat, tàm tutò à peccato liberat, quàm Pontifex, dum certò, & infallibiliter, verũ dicit. Ergo authoritas Doctoris grauis excedit authoritatem Põtificis Iſtius enim ſolum eſt ad rectè dirigendum in veris, illius verò authoritas extẽditur ad rectè etiam in falſis dirigendum.

16 Cæterum: argumentum, quod multũ probat, nil probare, axioma commune eſt. Præfatum enim ſuadet, nullum Doctorem, nec Auguſtinum, nec D. Thomã, neque vtrumque ſimul ſufficere ad efficiendam opinionem probabilem probabilitate conſcientię cõtra alios Doctores, qui eos præceſſerunt; quia nec alter, nec vterque infallibilem authoritatem habet. Ergo hæc non requiritur ad certò eximendum à peccato: alias nec plures ſimul Doctores, nec Tribunalia Sanctæ, & Generalis Inquiſitionis Romanæ, & Hiſpanæ, neq; prouincialia Cõcilia ſufficerent. Ergo ad hos effectus, nẽpè, vt ſit recta regula morum, & certos nos reddat de non peccato, longè minor authoritas ſufficit, nec requiritur infallibilis. Quod nos edocuit Auguſtinus, *lib. de vtilitate credendi, cap. 12.* vbi ait: [ſapientis dictum recta regula eſt, quam qui ſequitur benè agit.] Adde, & ipſum Cællã Dei *l.4.q.9.§.4.* expreſsè cõcedere Illuſtriſsimi Doctoris autoritatẽ ſufficere ad ſecuritatẽ cõſciẽ-

tiæ,

tiæ ſi in caſu particulari nõ habeat exceptionẽm, quod fallatur, *& lib. 3. q. 1. fol. 343.* aſſeruit, rationem probabilem etiam falſam, *eſſe regulam humanorũ actuũ, ſi quando erratur; error eſt inuincibilis*. Non tamẽ, ideò dicemus talem rationem probabilem eſſe regulam infalibilẽ: quamvis certiſſimum ſit, errorem inuincibilẽ à peccato excuſare. Quapropter audiendus nõ eſt dum, *lib. 3. q. 14. §. 6. verſ. Iam de reliquis*, in hæc verba prorrupit. [Quid autẽ eſt eſſe regulam morum infallibilem? Vtique non aliud niſi eam ſequendo peccari non poſſe.] Quibus non ſolũ veritati, ſed ſibimet cõtradicit, alijs in locis aſſerens prædictam rationem probabilem falſam, non habere probabilitatem cõſcientiæ. In quo etiam à veritate deficit, & cõtra omnes Theologos, quorum ſtrictius loquẽtes, alij ad rationẽ probabiliorem, alij ad tutiorẽ, pro cõſciẽtiæ ſecuritate confugerunt: quas tamen fallibiles eſſe compertum eſt.

17 Dico ergo, regulam infallibilem morum plus importare, quam rectam directionem, & impoſſibilitatem peccandi; nẽpè exclutionem cuiuſcũque erroris in intellectu, & omnis malitiæ in voluntate, tam materialis, quã formalis: & inſuper huius certitudinem eſſe de fide. Quæ infallibilitas ſolum competit authoritati Summorũ Pontificum, è Cathedra definientium, & Concilijs Generalibus. Licet autẽ verum ſit, hac ſupremam autoritatem, in alijs inferioribus, non reperiri; verùm etiam eſt nõ eſſe neceſſariam ad excuſandũ a peccato operantes ſecundum rationem probabilem, vt cõcedit ipſe Cella Dei ſequentibus ipſius opinionem probabilem, illo principio *de plerumque contingenti*, innixam; etiam in caſu quo à veritate deuiat, ſcilicet poſt ſufficientem prudẽti iudicio diligentiam adhibitam ad inquirendũ, an in hoc particulari caſu ſit falſa. Sicut etiã apud omnes veriſſimum eſt, excuſari à peccato ſubditos obedientes præceptis aliorum Superiorum inferiorum Pontifici, & rectè operari, eorum directionem ſequentes, quamvis compertum ſit (vt bènè ipſe ait *lib. 3. q. 14. §. 6.*) Nullum eorum habere authoritatẽ infallibilem, nec tradere, infallibilem regulam morũ, & poſſibile eſſe illos errare in re præcepta: quo non obſtante præceptũ, nõ ſolũ à peccato nos reddit immunes, ſed illi obedire tenemur, niſi (vt ipſe iure cẽſet) ſit magna, & particulariſſima probatio, quod in hoc caſu particulari præcipiant contraria voluntati, & legi Dei. Quæ quidẽ probatio, quoad inferiorũ mãdata poſſibilis eſt. Sicut ergo authoritas Prælati inferioris, licet non ſit infallibilis, eſt tamen ſufficiens ad rectè dirigendum, & ad certo nos excuſandos à peccato, etiã in falſis, quin æquet, nedum ſuperet, Summi Pontificis authoritatẽ, ſed longe inferior, & fallibilis ſit; ita ſimiliter, & authoritas doctiſſimi, & probatiſſimi Theologi, cui vbi ſuprà conceſſimus, poſſe efficere opinionem probabilem contra alios, qui illum præceſſerunt. Et cui, abs re ſatis, ad illius effectus infallibilem authoritatem neceſſariam eſſe, iactauit recentior.

18 Infallibilitas ergo Summo Põtifici ex aſſiſtentia Spiritus Sãcti promiſſa ſolum eſt neceſſaria, tùm vt in rebus ad ſalutem neceſſitate medij requiſitis, nõ erremus (in his enim error etiam materialis, & inculpabilis ab æterna damnatione non liberat.) Tùm, vt in alijs, quæ ſunt de ſola neceſſitate præcepti, nullus error, Pontificis declaratione præmiſſa, poſſit irrepere. Ad peccatum verò certo euitandum, nẽpè quia ex inuincibili errore, aut ex certo cõſciẽtiæ dictamine de licito, vel honeſto, electio procedat, vel ad hoc, quod ex ſuppoſitione erroris inuincibilis, impoſſibile ſit peccari, infallibilis authoritas neceſſaria non eſt. Alias ſequẽtes opinionem probabiliorẽ; imò & moraliter certam cum infallibilis veritatis nõ ſit, peccare poſſent, & dãnari. Idcoque nulla tuta aſſignari poſſet via non ſequentibus tutiorem opinionem. Cuius oppoſitũ tenet ipſe Cella Dei, & omnes Theologi, ſi vnũ, vel alterũ excipias.

19 Adde, exceſſum illum, quem vnius grauis Theologi authoritati cõuenire, ſupra Pontificis authoritatem, recentior noſter põderauit, ſimilem eſſe illi, quẽ homo dicitur habere reſpectu potentiæ, & Sanctitatis Dei, nempè, quia homo poteſt benè, & male agere, Deus vero benè tantum: homo poteſt virtutes fidei, ſpei, obedientiæ, humilitatis, & pœnitẽtiæ habere, Deus autem non poteſt. Qui quidẽ exceſſus nõ auget, ſed diminuit hominis potentiã, & ſanctitatem. Quãvis ergo ſic res ſe habeat, quoad vim argumenti a recentioribus iactatã, quid indè contra nos? Addo inſuper, Summum Pontificẽ, authoritate ipſi diuinitus conceſſa in rebus ad fidẽ, & mores pertinentibus, declaraſſe, ignorantiã inuincibilem excuſare a peccato; ac proinde ex hoc fidei principio, mihi infallibile eſt eum, qui ex opinione probabili includente errorem inuincibilem (qualis à ſuis defenſoribus cõmuniter defenſatur) certo iudicat, per vltimum dictamen, ſibi licere huius, vel illius obiecti electionem; in illa non peccare. Itaque Eccleſia non ſolum poteſt infallibiliter nos inſtruere de veritate rerum ſecundum ſe, ſed definire, quid ex ſuppoſitione erroris inuincibilis contingat. Quod Theologi etiã ratione naturali ducti, ſecluſa Eccleſiæ determinatione, nos edocuere. Semper tamen ſub controuerſia remanet, an authoritas Doctoris ſcientia, & probitate præſtantis poſſit efficere practicè probabile ſuum aſſertum contra alios qui ipſum præceſſerũt. Quod cũ affirment plures viri doctiſſimi, & conſequẽter ab authoritate extrinſeca probabile ſit, ſufficiens nobis fundamentum eſt ad ita ſentiendum.

Digitized by Google

20 Dices: Deū nobis præcipere *cap. 26. Deuteronom.* eius mādata cuſtodire, ex toto corde, & ex tota anima. Ergo quantū poſſumus, & in nobis eſt Sed qui vnius Doctoris, quantumvis probi, & docti conſilium, ſeu opinionē, contra cæteros, ſequitur, aliter facit. Ergo. Reſpondeo primo, hunc ſcripturæ locum, primum tantum corticē cōſiderato, æquè militare cōtra ſequētes opinionē pluriū Doctorū probabiliorē, ſed minus tutā, nā cum poſsit amplecti cōtrariam tutiorem, & ſi minus probabilem, non cuſtodit mandata Dei in quātum poteſt. Vndè omnes fere Theologi, cum ad tutiorem eligēdam non obligent, reſpondere tenentur, hunc ſcripturæ locum ad litteram, continere conſilium operandi perfectiori modo, non verò præceptum. Sic communiter explicant primum charitatis præceptū, *diliges Dominū Deum tuū ex toto corde tuo, & tota anima tua*, cum D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 184. *art.* 3. *ad* 2. [Non eſt, inquit, tranſgreſſor præcepti, qui non attingit ad medios perfectionis gradus, dummodo artingat ad infimum.] & paulò antea, [trāſgreſsionem præcepti euadit, qui quocumque modo perfectionem diuinæ dilectionis attingit.] Non ergo requiritur ad cuſtodiendum præceptum, quod perfectiori modo nobis poſsibili adimpleatur. Sic de præceptis certis, ſcripturæ loca Doctores interpretatur: de alijs vero, de quibus nulla datur certitudo, ſed prudenter iudicari poteſt non exiſtere, quod teneamur obedire, nullo ſcripturæ loco probari poteſt.

21 Obijcies contra nos militare D. Chriſoſtomum *Homilia* 44. *in caput* 23. *Matthæi*, vbi cenſet ad ſecuritatē conſcientiæ non ſufficere vnius Doctoris authoritatem. *Quid ergo, inquit, ignorans populus excuſabilis erit? Abſit*,] & infra, præmiſſo exemplo quærentis meliores veſtes, & pretio viliori: ideoque non tantum vnum negotiatorem, ſed plures ad eas inueniendas gyrantis, proſequitur. *Quomodo non oportet populum circuire omnes Doctores, & inquirere, vbi ſyncera veritas Chriſti venundatur, & vbi corrupta eſt, & omnium confeſſiones cognoſcere, & veriorem eligere, pluſquam veſtimentum?* Reſpondeo primo. Si Chryſoſtomus agnoſceret obligationem cōſulendi omnes Doctores, in ſingulis opinionibus, planè agnoſceret ſecuritatem conſcientiæ eſſe moraliter impoſsibilem; quia prædicta conſultatio moraliter impoſsibilis eſt, & infructuoſa, quia ſolum viri docti veriorem opinionē poſſunt cognoſcere. Reſpōdeo ſecundo: D. Chriſoſtomum, (& patet ex contextu Homiliæ) loquutum fuiſſe de Catholicis habitantibus in populis, in quibus erant aliqui Sacerdotes hæretici, quorum conſilium fugiendum inſtruebat: *Non poteſt, inquit; eis eſſe excuſatio cōdemnationis ignorantia veritatis, quibus fuit inueniendi facultas, ſi fuiſſet quærendi volūtas, &c. hæretici Sacerdotes claudunt ianuam veritatis.* Hactenus Chriſoſtomus, cuius verba, nil contra noſtram ſententiam continent. Loquimur enim de Doctore Catholico pio, & docto, in re opinabili, cuius ſententia nil conuincens contra ſe habet, neque ex ſcriptura, neque ex ratione. Cuius contrariæ veritas inveniri non poteſt.

§. II.

Grauis obiectio contra ſuperius dicta diſſoluitur.

22 Diximus in præcedentibus duplicē opinionem contrariam eſſe poſſe ſimul probabilem, ex principijs directis, & nō ſolum viros doctos, qui à principijs intrinſecis benignæ opinioni adhærent, iudicantes eſſe veram, ſed rudes etiam, & illitteratos, qui ex aliorum authoritate probabilem eſſe credunt poſſe illam eligere. In hoc autem aſſertū inſurgunt Candidus Philaletus *de opinionum praxi, quæſt. 5. per tot. præcipuè fol. 84. & 85.* & alij aſſerentes ad licitè operandum requiri iudicium de veritate opinionis, & non ſufficere de probabilitate iudicare: & quamvis intellectus iudicare poſsit; imò, & certo ſciat, vtramque opinionem contradictoriè oppoſitam eſſe probabilem, iudicare tamen nequit vtramque eſſe veram. Quia diuerſum quid eſt vnum ab alio, vt optimè notat Cardin. de Lugo *diſp. 20. de fide, ſect. 1. num. 14.* quam, eius excriptis verbis, ſequitur Mercorus *2. part.* Baſis *art. 1.* & Philaletus *fol. 51.* atqui intellectus ſolū poteſt iudicare, alteram eſſe veram, & conſequēter contradictoriā eſſe falſam: Ergo licet vtraque probabilis ſit, hoc non ſufficit ad quamlibet pro libito eligendam; ſed eam tantum eligi poterit, quæ vera iudicatur, non altera, de qua intellectus iudicare non poteſt eſſe veram; ſed eſſe probabilē, eo quod à viris doctiſsimis, vt vera defendatur. Reſpondeo ad licitè operandum, ſufficere iudicium proprium de probabilitate ſententiæ alienæ: nec aliud reperitur, vt in plurimum, in operantibus, qui Theologiæ Moralis principia non percalluerint. Quorum innumeri ſunt. Imò neque in viris doctis, qui Doctorum iudicio ſe ſubmittunt, & tamen hos prudēter operari, nemo eſt qui dubitet: ergo ad prudenter operandum, ſufficit iudicium de probabilitate opinionis. Ergo, & ad honeſte operandum. Quapropter, ait P. Cardenas *in ſelectis, diſp. 15. cap. 4. art. 6. num. 246* [Ego valdè miror quod Fagnanus, & Baronius ſine probatione aſſumant tāquam principium certum, quod non ſufficiat iudicium de probabilitate opinionis ad dirigendam conſcientiam.]

23 Hanc concluſionem conceſſo antece-

den-

dente.putat eſſe euidentem Philaletus *fol.*7. Antecedens autem probatur ex ipſo,quia alio qui vix liceret operari,propter incertitudinem rerum practicarum. Hoc fundamento probat ipſe ſufficere iudicium probabile de veritate, & æquè probat de iudicio certo de probabilitate.Nec video cur iudicium probabile de veritate,quod falſum eſſe poteſt,ad hoc ſuficiat; non vero iudicium certum de probabilitate: quidquid contra paſsim reclamet. Nam vt ipſemet fatetur *de opin.praxi, fol.*16. [.Siſtendo in probabili tantum aſſenſu de honeſtate rei, non poteſt negari formido,ac proinde periculum (efficiendi illitum); quis enim(inquit)vnquam negauerit illum, qui habet probabilem aſſenſum,quod in duello vincet, non ſe exponere periculo.] Ex quibus ſic arguo : non obſtante hoc periculo, poteſt licitè operari, vt ipſe concedit;nempè quia ex alio principio, tanquam ex medio generali, *fit nomo certus de non peccato,& non poſſe errare*, quod Iudicium, inquit ipſe, *fol.*9.& 10. *Eſt certum, & infallibile à virtute prudentiæ elicitum, quo hæc virtus in obiecta fallibilia infallibiliter rēdit*.Ergo ſimiliter,licet iudicium de probabilitate opinionis,ſeu honeſtatis electionis obiecti,cum eius in honeſtate,aut cum opinionis falſitate, compatibile ſit, ideoque ſiſtendo in illa tantum,negari non poſſet periculum efficiendi rem materialiter inhoneſtam, tamen ex alijs principijs,& medijs generalibus, poterit quis certificari,ſe nō peccare in eius electione Tale autem dicimus eſſe vltimum iudicium practicum reflexum,quo nullo errore vincibili præcedenti,iudicat intellectus in his circunſtantijs,licitum eſſe opinionem alienā amplexari. Quod veriſsimum certum,& euidens eſſe,infra demonſtrabo, & tale eſſe defendit ipſe Philaletus.

24 Pręterquam quod, tàm Philaletus vbi ſuprà, quàm cæteri Doctores,qui ad licitè operandum requirunt iudicium de honeſtate obiecti,nil aliud exigunt,quàm iudicium de honeſtate electionis obiecti, ſeu quod operaturus prudenter iudicet,*ſibi licitum eſſe operari*: Hoc autem iudicium,vt cōſtat ex toto hoc tractatu concedimus omnes,qui vſum opinionis benignæ licitum aſſerimus,ſiue æque,ſiuè minus probabilis ſit ex principijs directis.(Quantumvis detur intellectum ex vi horum principiorum manere ſuſpenſum circa honeſtatem obiecti, quando motiua ſunt æquaiia; & ſolum poſſe aſſenſum dare parti grauioribus innixæ fundamentis, ſeu iudicare de probabilitate vtriuſque opinionis.) Ergo in ordine ad praxim omnes conuenimus, ſi paucos excipias, qui ad tutiorem materialiter,ſi probabilis ſit, ſemper obligant:(nempe Iulius Mercorus, & Vincentius Baronius,quos citaui 1.*part.quæſt.*5.§.4 Quibus adhæſerunt Guillielmus,Vvendrokius *in notis ad epiſtolas Prouincialis*,& noſter Antonius Cella Dei *in toto ſuo opere de recta Doctrina morū*,& duo Iuriſcōſulti Dominus Proſper Fagnanus,& Antonius Merenda) Quia Philaletus iudicium probabile,quod requirit ad licitè operandum,ipſe explicat *diſp. de opin.praxi,fol.*108.his verbis : [Quia iam eſt dictum,vt quis prudenter,& rectè operetur, debet habere probabile iudicium quod[licitū ſit illud,quod operatur;hoc eſt iudicium practicum vltimum,quod dubium continere non debet.]Nos autem,ſi de vltimo ſit ſermo, non ſolum iudicium probabile,ſed moraliter certum exigimus:quod etiam ipſe exigit, *fol.*14. cum communi Doctorum.

25 Ex eius verò aſſertione, *fol.*108. Evidenter deducitur,eos actus præuios ad licitè operandum ſufficere,quibus inſtructus intellectus aſcendere queat ad iudicium ,ſiue probabile,ſiue moraliter certum de honeſtate operationis,& quo iudicet licitum ſibi eſſe, quod operatur;ſeu licitam ſibi eſſe electionem talis obiecti. Idemque iudicium ferendum de opinione Cellæ Dei, cum eiſdem ferè principijs, ac Philaletus inſiſtat. Ergo in caſu dubij ſpeculatiui de honeſtate,vel inhoneſtate obiecti, quod reſultat ex principijs tantum directis à ratione,& ab authoritate conſideratis, poterit intellectus ex reflexis formare hoc Iudicium, Quando *diſsidium eſt inter Doctores; aut rationes vtrinque graues apparent pro vtraque parte contradictionis, vel non eſt lex prohibens, vel non eſt ſufficienter propoſita: ac proinde non obligat, ſed licitum eſt nobis noſtram libertatem poſsidentibus benignam ſententiam ſequi*. Quod quidem ex terminis iudicium certo probabile;imò & euidens eſt Si enim quando præcedit dubium ſpeculatiuum circa licitum,datur his actibus locus, potiori iure dabitur, quando intellectus iudicat,vtramq; opinionē eſſe probabilē,ſiue æquè ſiue vnam magis alia.Ideò ita expreſsè tenet Pat. Vazquez 1 2.*diſp.*62.*cap.*3.*num.*10.& *cap.*4. *num.*14. & cum Baldello,Breſero, Paſqualigo, & alijs tradit P.Bardi *de conſc.diſp.*4.*cap.*15. *num.*5. & *in ſelectis,lib.*11.*quæſt.vnic.num.*18.& 21. P.Ripalda *de fide diſp.*6.*ſect.*5 *num.*50.P.Ioan. de Cardenas *de prob.tr.*1.*diſp* 15.*cap.*4.*numer.* 246 & alij,quos ſequitur Bernardus Stubrokius *in Notis,diſſert.de probabil.fol* 76. dicēs: [Potro illud dumtaxat dubium actionem inficit,quo dubio(practicè)de illius honeſtate,aut de probabilitate obiecti propoſiti, non tamen illud,quo dubito de obiecti veritate.]

26 Igitur licet demus intellectum ſuſpendere aſſenſum, quando opiniones apparent æquè,aut inæqualiter probabiles,nec poſſe aſſentiri æquè,aut minus probabili (vt contendunt Philaletus,& Cella Dei)imò nec probabiliori(vt ſomniauit Mercorus)nil indè ſequitur

Digitized by Google

tur contra vſum opinionis probabilis benignæ; ſiquidem alia ſunt nobis principia reflexa, quibus non ſolum ad iudicium probabile de honeſtate electionis, in his circumſtantijs, ſed ad moraliter certum de licita obiecti electione aſcendere poſſumus. Vt omittam, tam Philaletum *de opinionum praxi, fol.* 117. quā Cella Dei *lib.* 3. *quæſt.* 4. *§.* 5. *in fine, fol.* 478 loquētes de ſubdito, cui cōtra propriam opinionem aliquid præcipitur (inquit) poſſe, & teneri obedire eam deponendo: *Siue vlterius iudicium ſuum concordet cum iudicio ſuperioris, quod ad perfectionem pertinet, ſiue nil prorſus iudicet de materia præcepti.*] Ergo, vt ſubditus licitè operetur rem præceptam, non eſt opus iudicare illam ſecundum ſe licitam eſſe, ſed ſufficit talem à ſuperiore cenſeri, & probabile eſſe apud graues Doctores, ſicut ergo arbitrium ſuperioris, ex motiuo obedientiæ poteſt ſubditus tuto ſequi; ita & ex motiuo humilitatis poterit quiſque, Doctorum arbitrio ſe ſubijcere, ſuſpendendo proprium iudicium circa rem ſecundum ſe.

27 Inſuper licèt vnā opinio, ex principijs directis appareat nobis minus probabilis, quā contraria; v.g. quæ aſſerit *licitum eſſe pingere in die feſto*, nō impedit alia nos adiungere principia reflexa ſupra memorata, quibus conſideratis, probabilior nobis appareat (vt ſæpè dixi) quam negatiua, vel aliud vniuerſalius, quale eſt iſtud: *Licitum eſt ſequi opinionem practicè probabilem apud Doctores, qualis eſt affirmans licitum eſſe pingere in die feſto.* Quod principiū ferè omnium Theologorum authoritate cōprobatum eſt. Ergo quicumque ſequitur opinionem minus probabilem relatè ad aliquas circumſtantias, ſequitur abſolutè probabiliorē relatè ad alias, & in his poteſt aſſentiri honeſtati obiecti, vt ſubſtat electioni, licet in alijs nō poſſet. Ergo fruſtra laborant hi recentiores in quæſtione phyſica de potentia intellectus, quā do euidentia obiecti non cogitur, ſed per voluntatis imperium guberna ndus eſt. Quæſtio enim moralis, de qua agimus, ab illa potentia non dependet. Quidquid contra ſenſerint præfati recentiores, quos ſequuntur Mercorus, & Gonet.

28 Sed abſque vrgente ratione, tum quia quando vtraque opinio æquè probabilis militat pro lege, poteſt intellectus in ſententia Baronij, quam maluerit amplecti: & tamen ex principijs directis, vt ipſe fatetur, neutri poteſt aſſentiri. Ergo ſufficit, quod ex reflexis cognoſcat poſſe quamlibet earum licitè amplexari. Quod iudicium dicimus nos neceſſario requiri, ad vſum opinionis minus tutæ; tū quia Authores ferè omnes, quos ipſemet Cella Dei congerit, *lib.* 2. *quæſt.* 2. *fol.* 221. *& in Appendice, quæſt.* 2 *fol.* 651. negantes intellectui poteſtatem aſſentiendi opinioni æquè, aut minus probabili, ipſi, inquam, ſunt præcipui patroni opinionis benignæ liberum delectum cuiuſuis concedentis. Antecedēs patet, quia Authores, quos allegat ſibi conſentientes, ſunt Pat. Vazquez 1.2. *diſp.* 62. *cap.* 3. *num.* 9. *& diſp.* 67. *cap.* 1. *num.* 4. P. Thom. Sanch. *lib.* 1. *in decalogum, cap.* 10. *num.* 4 P. Laym. *lib.* 1. *tract.* 1. *capit.* 5. *§.* 2. *num.* 5. P. Leſſius *tom. poſthumo de actibus humanis, quæſt.* 17. *art.* 16. P. Suarez 1.2. *tract. de actibus humanis, diſp.* 10. *ſect.* 1. Hos autem Authores tenaciter defendere, & militare pro vſu licito opinionis probabilis minus tutæ, æquè, aut minus probabilis, nemo ignorat, & paſſim pro hac parte ab alijs, & ab ipſiſmet aduerſarijs, referuntur. Quibus adde doctiſſimum Patrem Antonium Perez *tract.* 1. *de iuſtit. diſp* 4. *cap.* 5. *nu.* 204. vbi aſſerit, valdè probabile eſſe iudicantem aliquam partem contradictionis probabiliorem, non poſſe contrariæ aſſenſum præſtare. Et *cap.* 3. *num.* 41. rationem reddit; quia. [Videtur eſſe valdè ſtultū dicere verum eſſe id, quod omnibus penſatis dicenti, videtur eſſe minus probabile.] Et tamen ipſemet Author certiſſimum putat licere amplecti opinionem minus probabilem, quoties inter Doctores bonæ notæ eſt quæſtio, liceat necne aliquid agere, vt videre licet apud ipſum, *cap.* 3. *citato, num.* 56. *& cap.* 4. *num.* 59. *& num.* 68. Ergo communis Doctorum opinio nō dependet à quæſtione phyſica, de facultate, quæ ex imperio voluntatis, detur, vel non detur in intellectu, ad aſſentiendum parti æquè, aut minus probabili. Quidquid enim in quæſtione phiſica reſolveris in moralis præiudicium non cedit. Ideoque, vſque ad hæc tempora nullus illam præmiſit, vt neceſſariam ad punctū vſus opinionis probabilis benignę; quaſi impertinentem iudicantes. Quod benè aduertit P. Salas 1.2. *tom.* 1. *tract.* 8 *ſect.* 6. dicens: Sicut poſſumus amare minus bonum etiam cognitum, vt talè, ita & aſſentiri propoſitioni minus probabili cognitæ, vt tali; ſed hoc parum (inquit) refert ad præſentem controuerſiam, quæ intelligitur de ſequela in praxi.] Eodem modo loquitur P. Ouiedo 1.2. *tract.* 5. *de conſcient. controuerſ.* 3. *punct.* 2 *num.* 18. vbi ſic: [Hic nonnulli diſputant, an intellectus ex imperio voluntatis poſsit præbere aſſenſum opinioni, quā minus probabilem iudicat? Quæſtio hæc ad rē moralem nil conducit. Cum enim, vt homo licitè operetur, & habeat prudens iudiciū, quo dicat: hic & nunc hoc mihi licet, neceſſarium non ſit ſupponi iudicium, quo veritati opinionis aſſentiatur, ſed ſufficiat iudicium, quo aſſentiatur illius probabilitati, nil refert ad vltimum iudicium, in quo conſiſtit conſcientia, qua actiones honeſtæ reguntur, iudicium circa veritatem opinionis poſſe, aut non poſſe haberi.] Hactenus ille. Nihilominus à quæſtione phyſica examinanda non abſtinebo.

Quid

Digitized by Google

§. III.

Quid de poteſtate phiſica intellectus ſenſerint Doctores?

29 INtellectũ ex imperio voluntatis poſſe aſſentiri parti æquè aut minus probabili cõtrariã, eſt cõmunis Doctorum ſententia, contraComitolum,Philaletum,Mercorum,Baronium,& Cellam Dei, quos ipſe congerit, vbi ſupra *lib.2.q.7.* & (quod mirabile dictu eſt) de ſingulari ſua ſententia ſubnectit, *fol.* 231. eſſe [omnium,quos ſciam, præter Valentiam, authorũ Societatis grauiorum.]Cæterum aperte fallitur. Quia opinionem ad ſtruentem libertatem phiſicam opinandi, inter æquè aut minus probabilia,defendunt communiter noſtri Doctores,& *perſpicuam eſſe*, dicit Honoratus Fabri, *dialogo* 2. Item pro ea ſtare *communem plurimorum, & optimorum poſtremi huius ſæculi authorum conſenſum*, ait P. Eſparça, *in Apendice ad q.de licito vſu opinionis probabilis, art.*158.addens adeò certum id eſſe, *vt de hoc controuerti, ni proteruè, non poſſit.*& *art.*105. prædixerat communem Doctorum ſententiam eſſe,libertatem immediatam nobis eſſe ad opinandum vnam, vel alteram partem contradictionis,prout libuerit,quoties adſunt, & habẽtur in promptu rationes dubitandi pro vtraque parte contradictionis; tametſi rationes vnius partis ſint efficaciores,& maioris momẽte,quam rationes partis oppoſitæ; & à fortiori ſi æqualis. Quæ quidem libertas dici ſolet *ſpecificationis* ad diſtinctionem libertatis exercicij, quæ conſiſtit in poteſtate aſſentiendi, vel ſuſpendendi aſſenſum. Sententiam,inquit,affirmatiuam eius modi libertatis (immediatæ ſpecificationis,) tenent communiter omnes, qui nobiſcum conſentiunt quoad vſum licitũ opinionis minus probabilis, & minus tutæ; vt neceſſe non ſit ſingulos ſeorſim recenſere.] Et de communi inter Doctores,teſtatur P. Cardenas In ſelectis,*diſp* 6.*cap.*6.*art.*1.*num.*80.

30 Et ſanè rem hanc magis ſupponunt, quam diſputant Theologi, D.Thomas 2.2.*q.* 1.*art.*4.[Alio modo intellectus aſſentit alicui, quia non ſufficiẽter moueatur ab obiecto proprio, ſed per quamdam electionem (attende) voluntariè declinans in vnam partem magis, quam in aliam: & ſi quidem hoc ſit cum dubitatione, & formidine alterius partis,erit opinio;ſi autem ſit cum certitudine, abſque tali formidine,erit fides.]Et prædixerat ſatis clare 1.2.*q.*18.*art.*6. ibi: [Sunt autem quædam apprehenſa,quæ non adeò conuincunt intellectũ (ſicut prima principia) quin poſsit aſſentire, vel diſſentire, vel ſaltem aſſenſum, vel diſſenſum ſuſpendere, propter aliquam cauſam; & in talibus,aſſenſus ipſe,vel diſſenſus in poteſtate noſtra eſt,& ſub imperio cadit.] Quod iam diu iuuenis docuerat *lib.*3.*Ethicorum. lect.*18. *ante medium* his verbis. [Quia operabilia ſunt contingentia,non cogitur ratio ad aſſentiendum huic,vel illi,ſed in poteſtate habet homo, quod aſſentiat vni, vel alteri parti contradictionis, ſicut accidit in omnibus probabilibus.] Ex quibus euidenter concluditur, iuxta Diuum Thomam, poſitis pro vtraque parte contradictionis motiuis aſſentiendi, poſſe intellectum,ex imperio voluntatis, vni,vel alteri aſſentiri,vnam,vel alteram eligere,ac proinde non ſolum eam,quæ efficacioribus rationibus, ſed etiam oppoſitam,quæ æqualibus, aut minus efficacibus.Si enim ſententiaRecentiorum eſſet vera,nunquam daretur in voluntate electio;nec intellectus vni vel alteri aſſentiri poſſet,quia motiua,vel ſunt æqualia, & tunc neutri parti aſſentire poteſt,ſed neceſſario(vt aiũt) aſſenſum ſuſpendit.Vel ſunt inæqualia,& tunc ſoli probabiliori:ergo nunquam verificaretur doctrina Diui Thomæ tot locis expreſſa;de poteſtate aſſentiendi vni,vel alteri ex imperio voluntatis.

31 Eſt vero notandum,motiuum aſſentiẽdi parti æquè, aut minus probabili, non ſe habere ex parte intellectus, ſed ex parte voluntatis imperantis aſſenſum. Vt benè advertit ipſe Doctor Angelicus, *quæſt.* 14. de veritate *art.*2. dicens. Quod quando motiua, propter apparẽtem eorum æqualitatem, movent ad vtrãque partem; & quoties intellectus non poteſt à ſe ipſo determinari; quia obiectum non eſt euidens.[Determinatur per voluntatem, quæ eligit aſſentire vni parti determinate, & præcisè propter aliquid, quod eſt ſufficiens ad mouendum voluntatem, non autem ad mouendum intellectum,vtpotè quod videtur bonum vel conueniens huic parti aſſentire; & ita eſt diſpoſitio credentis, vt cum aliquis credit dictis alicuius hominis, quia videtur decens,vel vtile.]Hac tenus Angelicus Doctor,quibus de illius mente dubitare non licet,nec niſi extortam expoſitionem adeò perſpicua loca admittere poſſunt.Vnde conſtat quam ad rem ſcripſerit Caramuel,*tom.* 4. *Theologiæ fundamentalis in Prodromo in Dialexim num.* 30. *in fine, fol.*25. [Prudentia igitur in probabilium opinionum delectu, non quæ ſunt probabiliores, ſed quæ vtiliores,inveſtigat:&, ſi vtiliores ſint minus probabiles, has ſciens, & volens eligit, relinquens illas,quas fatetur multis, & multis vicibus eſſe probabiliores.]Sic ille.

32 Ex quibus inferes, quantum contrarietur ſuo Magiſtro,Iulius Mercorus 2. *part. Baſis, art.* 17. Vbi non contentus dicere intellectum non poſſe aſſentiri parti æque, aut minus probabili contraria,ſubnectit: nec poſſe aſſentiri opinioni probabiliori, concurrente minus probabili:in quo aſſerto,non ſolum Angelic

Doct

Doctori, ſed omnibus Theologis opponitur. Imo, & ſibi ipſi. Quia *art.* 24. ait Paganum, cui, *vt probabilior proponatur opinio* aſſerens non eſſe licitum ſequi fidem Hæbraicam, ſed ſectandam Chriſtianam; *& altera minus probabilis*, dicens licitum eſſe amplecti fidem Hæbreorũ; teneri adhærere *opinioni probabiliori*: falſo ergo & inconſequenter affirmat intellectum nequire aſſentiri *opinioni probabiliori, dum oppoſita apparet probabilis*. Quod evidenter falſum eſt. Quinimo, & æquè, vel minus probabili poſſe intellectum, ex imperio voluntatis, aſſentiri, cenſuit locis ſuprà datis D. Thomas, vt vidimus: & hoc tanquam indubitatum ſupponit Sanctus Parens Ignatius, *in epiſtola de obedientia*, eum ſequutus: ibi enim ait Sanctus Patriarcha [in rebus, in quibus cognitæ veritatis evidentia vim illi (intellectui) non infert, poteſt voluntatis pondere, in hanc potius, quam in illam partem inclinari.] Ideoque noſtram ſententiam Thomiſtæ communiter amplectuntur. Caietanus 1.2.q.65.*art.*4. M. Ioannes a Sancto Thoma 2.2.*diſp.*3.*art.*1. & alij. Et ex noſtris fere omnes. P. Ludouicus de Torres 2.2.*diſp.*22.*dub.*1. dicens eſſe communem ſententiam, & ſibi certam, & expreſsè doceri à D. Thoma. Et P. Eſparza *in Appendice ad q. de vſu licito opinionis æquè aut minus probabilis, art.* 118. ait eſſe D. Thomæ, & D. Auguſtini; & communem Doctorum in materia de fide. P. Bardi, *tract. de conſcientia, diſp.*4.*cap.*9.*num.* 17. *& cap.*10.*n.*6. *in Selectis, lib.*11.*q. vnica*, §.9. vbi eſt epiſtola obedientiæ S. P. Ignatij, id conſtare aſſerit.

33 Non me latet Antonium Cella Dei in *Appendice, q.* 5. §. 4. *fol.* 683. reſpondere S. Ignatium eius modi libertatem non agnoviſſe; ideoque [tres (inquit) rationes præbet, quibus ſubditus ad idem cum ſuperiore ſentiendum promoueatur] fateor: ſed non dixit Sanctus Patriarcha ad id eſſe neceſſarias, ſed vtiles. [Vobis (dixit) tria nominatim propono, quæ ad obedientiam iudicij comparãdam multũ iuuant] poteſt ergo abſquè earum conſideratione idẽ, quod ſuperior, ſubditus ſentire; licet non ea alacritate, qua, ſi eas conſideraſſet. Poteſt ergo intellectus, ex imperio voluntatis, parti æquè, aut minus probabili apparenti conſentire. Idque Sanctiſsimus Parens indubitatum cenſuit, quando evidentia veritatis non cogit intellectum ad vnam partem contradictionis.

34 Eamdẽ ſententiam, vt certam alij ſupponunt. P. Granado 2.2.*tract.* 2. *diſp.*3.*ſect.*3. *num.*10. [Ad primam confirmationem, concedo euenire poſſe, vt quantum eſt ex vi modi, quo fides proponitur, interdum nõ minus prudenter ſe gerat quis, dum credit falſam ſectam, quam dum credit myſteria fidei, nec id eſt cõtra excellentiam noſtræ Religionis; cum ea vere habeat alia motiua excellentiora, quibus evidenter ab omnibus ſectis diſcernatur] & cõſonat *tract.* 3. *diſp.* 4. idemque tradiderat 12. *tract.*12.*diſp.*4.*ſect.*3.*n.*20.

35 P. Oviedo 1.2.*tr.*2.*controu.* 5. *punct.*2. *num.*31. ibi: [eo ipſo quod intellectui proponatur vnum obiectum formale ſufficiens ad aſſenſum, & aliud ad diſſenſum ſufficiens; haret inter vtramque, donec à voluntate determinetur ad vnum actum potius, quam ad alium, per imperium, cui intellectus deſpotice obedit, hac in re: ita communiter Doctores. in quibus Valentia, *q.*12.*p.*5. ait, in noſtro arbitrio poſitum eſſe, vt relicta vna opinione, quam probabiliorem putamus, & cui adhæremus; poſsimus amplecti aliam, quæ iudicio noſtro ſit minus probabilis, idque ſine vlla noua ratione.] Sic ibi; & iterum *tr.*5.*controu.*3. *punct.*2.*num.* 18. poſtquam dixit quæſtionem hanc ad rem moralem nil conducere, ſubnectit. [In re tamẽ purè philoſophica breuiter aſſero, voluntatem poſſe imperare aſſenſum circa opinionem minus probabilem, quia probabilitas ſufficiens eſt fundamentum, vt volũtas poſsit aſſenſum imperare, quod non impedit maior probabilitas ad oppoſitum, ſiquidem maior illa probabilitas intellectum non conuincit, ſed relinquit indifferentem ad aſſentiendum, vel non aſſentiendum obiecto magis probabili; qua propter voluntas, quæ poteſt cohibere aſſenſum circa hoc obiectum, poteſt illũ imperare circa aliud, ſi alias ſint fundamenta, quæ per ſe ſint ſufficiẽtia, vt intellectus poſsit determinari per imperium voluntatis ad talem aſſenſum. Nec poteſt dici hoc fundamentum, videlicet probabilitas vt duo, non eſſe ſufficiens fundamentum in præſentia probabilitatis vt quatuor, ad hoc vt intellectus poſsit per imperium voluntatis determinari ad aſſenſum; etiamſi, ea abſente, probabilitas vt quatuor ex ſe ſufficiens ſit; quia poſt quam voluntas libere voluit non acquieſcere maiori probabilitati, perinde ſe habet, ac ſi non eſſet reſpectu minoris probabilitatis, cui neque quidquam virtutis imminuit, vt ratione illius voluntas poſsit imperare aſſenſum.] Hæc Oviedo, cui adde Patrem Ioannem de Salas 1.2. *tom.*1.*tr.*8.*diſp. vnic.* *q.* 12. *num.*118. vbi ſic: [Pro libito poteſt quis aſſentiri cuicumque opinioni, quam probabilem iudicat, & aſſenſum circa vtramque ſimul cohibere.]

36 Cardinalis de Lugo, *tom. de fide, diſp.* 10.*ſect.*1.*num.*11. [Cõfirmatur ſolutio, exemplo voluntatis, cui aliquando proponitur obiectum ſolum ſub ratione boni, & tunc voluntas neceſſario amat, aliquando proponitur, vt bonum, cum aliqua ratione mali, & tunc voluntas eſt indifferens: poteſt tamen pro nutu illud amare propter bonitatem; vel odio habere propter malitiam. Sic ergo intellectus manet indifferens ad aſſenſum, vel diſſenſum, quando obiectum proponitur cum ſpecie veri & falſi: Cæterum quia ipſe intellectus non eſt liber; nõ

poteſt

Digitized by Google

poteſt determinare ſuam indifferentiam: poteſt tamen determinari a voluntate, vt aſſentiatur, vel vt diſſentiatur: ad vtrumque enim habet motiuum ſufficiens.] Idemque tradiderat *tom. de pænitentia, diſp. 16. ſect. 2. num.* 58. Et tenet expreſsè, *tom. 2. de iuſt. diſp. 37. ſect. 10. n.* 118. vbi ſic: [Cum æquali probabilitate prudenter poteſt iudicare veritatem eſſe pro vna parte; & licet exponat ſe periculo aberrandi a vero, non tamen poteſt vitare illud periculum, ſine alio æquali periculo, quod eſt in parte contraria.] Idemque dicendum aſſerit, *num.* 120. licet altera pars ſit minus probabilis. Et *tom. 1. de iuſtitia, diſp. 14. ſect. 2. nu.* 22. prædixerat, eum, qui poteſt iudicare de probabilitate obiecti, poſſe directè per aſſenſum opinatiuum iudicare ipſum obiectum. Et ante illum P. Leſius *de iuſt lib. 2. cap. 29. dub. 4. num.* 37. ibi: [quando dubium eſt poſitiuum, tunc vtrique ſuppetunt argumenta ad probabiliter opinandum vtramuis partem cum formidine de oppoſito.]

37 Eamdem ſententiam vt indubitatam ſupponit P. Ripalda, *tom. de fide. diſp. 6. ſect. 6. n.* 61. *&* 62. Et multis illuſtrat P. Antonius Terillus *de opin. prob. q. 8. fol.* 108. *& ſequent.* & vt probabiliorem ſequitur Suarez 12. *diſp.* 10. de *actibus imperatis, ſect. 1. nu.* 5. vbi ſic. [Dico 4. quando intellectus nō habet evidētiam de aliquo obiecto, poteſt moueri a voluntate ad ſpeciē actus, id eſt ad aſſentiendū, vel diſſentiēdū. Eſt etiā D. Thomæ (*nempe* 1. 2. *q.* 17. *art.* 5.)] Idem aſſerit tomo de fide *diſp. 6. ſect. 6. nu.* 5. dicens. [Primo ergo dico: actū fidei eſſe liberū, non ſolum quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpecificationem. Ita colligitur ex ſcripturis dicentibus, poſita prædicatione Evangelii, *quoſdam credere, quoſdam non credere*, quæ eſt indifferentia quoad ſpecificationem: illud enim *non credere* ſignificat poſitiuum diſſenſum. Ita habetur Actor 17. *in fine, & cap.* 28. *& Marci vltimo.*] Sic ibi; nullum pro contraria ſententia authorem referens: eamque ſufficienter euincit ex citato loco Actorum 17. ex quo colligitur, poſt myſteria fidei ſatis ad credendum propoſita, poſſe intellectum eis aſſentiri, vel iudicium ſuſpendere, vel etiam diſſentire, ſi velit, & ſuo errori adhærere, vt conſtat ex verbis illis: *cum audiſſent reſurrectionem mortuorum* (a Diuo Paulo Areopagitis prædicatam) *quidam quidem irridebant* (in diſſenſum) *quidam vero dixerunt audiemus te de hoc iterum* (en ſuſpenſionem iudicij) *quidam verò viri adhærētes ei crediderunt* (en aſſenſum fidei.) Certiſsimum autem eſt motiua, quæ efficiunt credibilia myſteria noſtræ fidei, longè ſuperare in apparentia veritatis motiua hæreſum, & errorum; quam motiua opinionis probabilioris motiua æquè, aut minus probabilis opinionis. Ergo maius, & verò ſimilius motiuum non elidit, nec tollit minori vim ſufficientem admouendum, licèt exercitium difficultet, quatenus retrahit in actu primo ab aſſenſu, parti æquè, aut minus probabili præſtando. Ideò cum Doctoribus citatis nouiſsimè conſentit P. Ioannes de Cardenas *in diſputationibus ſelectis, diſp. 15. cap. 4. art. 6. num.* 270. *& art.* 7. 8. *& 9 num.* 302. *& ſequentibus*; licet limitet in quæſtione facti, quando motiua ſunt æqualia & ſimilia; cui cōſentit P. Eſparza, vbi ſuprà: addens idem tenendum in quæſtione iuris, ſi fundamentum alterius partis contradictionis evidenter, & manifeſte, atque omnino indubitanter iudicetur eſſe maius.

38 Verum nulla diſtinctione facta inter quæſtionem de facto, & de iure, nec inter motiua ſimilia (nempè ab æquali authoritate) nec inter diſsimilia (nempè à rationibus diuerſis, & ſi æqualis ponderis) nec quando ante omne iudicium, motiua vnius partis apparent evidēter maiora; poſſe intellectum alterutri contradictionis parti, ſiue æquè, ſiue minus probabili abſolutè aſſentire; non ſolum eſt communis ſententia Doctorum, vt conſtat ex citatis, & ſupponunt fere omnes Theologi, dum malitiā iudicij temerarij explicāt (vt videre licet apud Card. de Lugo, *tom. 1. de iuſt. diſp. 14. ſect.* 2.) cū D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 60. *art. 2. in corpore*; vbi ſic ait. [Cum aliquis de his iudicat, quæ ſunt dubia, vel occulta, propter aliquas leues coniecturas, ſic dicitur iudicium ſuſpicioſum, vel temerarium.] Sed eam ſolidis fundamētis nouiſsime probat P. Antonius Terillus *de probabilitate, q.* 7. 8. *& 9* vbi diffusè omnia, quibus Philaletus, Iulius Mercorus, Vincentius Baronius, & Cella Dei locis ſuprà citatis; ad contrariam ſtruendam, ducuntur, ſtrenuoſè, & ingenioſsè eneruat. Quod ante illum præſtitit contra Vvendrokium in notis *fol.* 92. Bernardus Stubrochius *in diſſertat. probabilit. fol.* 75. *&* 78. Cuius ratio à priori eſt, quia voluntas habet dominium in actus aliarum potentiarum ſibi ſubiectarum, ideoque, ſicut quando ex parte ſui obiecti proponitur ratio boni, & mali, poteſt in illud tendere amore, vel odio: ita, quando ex parte obiecti intellectus concurrunt rationes, aliæ pro veritate, aliæ pro falſitate; poteſt imperare aſſenſum, vel diſſenſum. Hinc Hæreticus in eodem inſtanti, quo myſterium eſt ſufficienter propoſitum, ad actum fidei, voluntariè diſſentiens grauiter peccat, quia grauem irreuerentiam, & iniuriam diuinæ authoritati irrogat. Sic etiam ex prauo erga proximum affectu ex leuibus indicijs iudicium temerarium concipitur. His, & alijs communem ſententiam probant Theologi. Quæ, quia ad quæſtionem Philoſophicam pertinent, & Theologiæ moralis ſtudioſos, qui Scholaſticæ operam non dederint, confundere poterant, ommittere conſultò decreui: omnibus enim tam doctis, quàm indoctis ſufficiens fundamentum

Digitized by Google

tum ad noſtram concluſionem eſſe debet, maiorem communis opinionis probabilitatem, & omnimodam ſecuritatem de non peccato in vſu opinionis æquè, aut minus probabilis practicè, ab his Principijs Phiſicis non dependere. Quia licet demus omnium, quos citaui, ſententiam non eſſe veram, adſunt tamen intellectui principia alia reflexa, quibus pars vna probabilior redditur alia, vt benè ait Terillus, *quæſt.23.num.144 in fine*. [Itaque (inquit) impoſsibile eſt, vllam dari opinionem directè probabilem de honeſtate alicuius obiecti, quin electionis honeſtas ſit probabilior ipſius in honeſtate; ſi argumenta tam directa, quàm reflexa vtrique parti fauētia inſpiciantur.] Cenſetque adverſarios allucinari non diſtinguentes inter probabilitatem directam, & indirectam. [Quā, inquit, ſi animadvertiſſent, forſan nobis conuenirent: quia ſolum aſſerimus, licitum eſſe ſequi opinionem directè minus probabilem: quia ex argumentis reflexis cognoſcimus obiectum illud hic, & nunc, prout nobis repræſentatur, eſſe licitum, & per conſequens, & eius electionem.] Vide quæſo Terillum, *quæſt.23.aſſertion.2.*

39 Sed maioris claritatis gratia ad rem noſtram dico, potentiam phiſicam intellectus ad aſſentiendum parti, quæ minus efficacibus fundamentis nititur, non eſſe neceſſariam ad electionem opinionis. Primo, quia, vt ait Caramuel vbi ſuprà *num.29.fol.23.* [Aliud eſt gubernare mentem, & aliud voluntatem. Non eſt homini liberum iudicare eſſe minus veriſimile, quod maiorum rationum efficacia ſuadetur, aut quod plerumque in Academijs à viris eruditis defenditur: at eſt homini liberum eligere in praxi illam ſententiam, quæ eſt minus veriſimilis, atque ideò dicitur minus probabilis. Electio hæc actus voluntatis eſt, & non efficit, vt intellectus aliter iudicet, quam iudicabat. Nam poteſt & ſolet homo prudens eam ſententiam eligere, quam cognoſcit eſſe minus probabilem.] Secundo, quia benè ſtat intellectum nequire ex principijs directis iudicare, licitū eſſe pingere in die feſto: quia motiua ſuadentia eſſe opus ſervile, præponderant, ita vt nequeat huic parti aſſentiri, & tamen reflexè cognoſcens, eſſe inter Doctores bonæ notæ diuerſas opiniones, alteram altera probabiliorē circa idem met obiectum; & rurſus etiam eſſe inter Doctores controuerſiam, an liceat eligere quam minus probabilem ex duabus quis iudicat? rectè, inquam, ſtat iudicare probabilius, licere eligere opinionem minus probabilem, propter efficaciora motiua ſibi propoſita. Quibus poſsitis probabilius cenſet, licitum ſibi eligere opinionem tuentem licitum eſſe pingere in die feſto, ob authoritatē Doctorum ita exiſtimantium: cum tamen ex principijs directè probatiuis, vt dixi, iudicium ſuſpēderit. Ex quibus evidenter conſtat, ad rem præſentem nil conducere, quod intellectus poſsit, vel non poſsit parti æquè aut minus probabili ex principijs directè probatiuis, aſſenſum præſtare.

40 Quæſtio ergo illa philoſophica de poteſtate phiſica intellectus, ſi illi negetur, ad aſſentiendum parti, quam minus, aut æquè probabilem cenſet, in vno tantum caſu ad electionem opinionis minus probabilis obſtare poterit; nempè quando quis minus probabilem cēſeat noſtram & communem opinionem de licito vſu cuiuſvis. Hic enim, ſi aliunde iudicet intellectum non poſſe huic parti aſſentiri, ſed dubium prorſus manere; & ex nullo ex principijs a nobis iactis ad deponendam conſcientiā dubiam poſſe iuuari ad formandum dictamen, nec authoritatem extrinſecam Doctorum ad hoc deſervire poſſe; hic, inquam, cum practicè dubitet, nequibit ad praxim opinionis fauentis libertati devenire, niſi illam probabiliorem iudicet cōtraria. Sed quis, niſi proterue id ſentiet? Si autem ita ſenſerit, & eius etiam ſentiet, Sentiat: Quid contra nos?

§. IV.

Difficili obiectioni fit ſatis.

41 OBijcit Cella Dei, *libr.2.q. 30. à fol. 318.* teſtes æquales numero, & dignitate, qui contradictoria de viſu deponunt, nil probant, ſed ſe vicisſim eliduntː reſque vi teſtiū relinquitur omnino dubia [quin ex eo præciſè poſsit iudex fidem, ſeu aſſenſum dare vlli partium, nec ad ſententiam procedere.] Quod probat *ex cap. in noſtra, de teſt. & atteſt.* Ergo motiua omnino æqualia, & Doctores æqualis authoritatis ſe ſe vicisſim etiam elident, remque in eo ſtatu relinquent, ac ſi nullum pro ſe motiuum haberet; Doctorem nullum. Reſpondet P. Ioannes de Cardenas in Selectis, *diſp.6.cap.6.num.80.* in quæſtione de facto id verum eſſe, ſecus in quæſtione de iure. Verba eius ſunt. [In quæſtione de facto, motiua vtrimque æqualiter probabilia relinquunt quæſtionem omnino ſub dubio, atque adeò non dant probabilitatem cuilibet parti. Scio communiter authores oppoſitum aſſerere. Apud me autem concluſio tradita eſt veriſſima.] In quæſtione verò iuris contrarium tenendum eſſe, ait Cardenas *num.99.* quod non aliunde in hoc loco, quam ab experientia probat. Diſputatione *verò 15.art. 8.* diſparitatem reddit. Quia res facti cōſiſtit in indiuiſibili ſpeculatiuè, & practicè; quod ſecus eſt in rebus iuris, quia rerum agendarum ratio eſt valdè obſcura, ob multiplices, & varias circunſtantias; vnde fit eſſe poſſe pro vtraque parte contradictionis rationes humanæ menti acommodatas, quarum neutra omnino infirmet, aut elidat

Digitized by Google

dat oppoſitam. Vndè provenit, ob motiua rationum omnino æqualia, non auferri poteſtatem aſſentiendi, pro libito voluntatis, vni parti contradictionis, præ alia: Ob teſtimonia verò omnino æqualia, omnino auferri; quia vnum teſtimonium, contradicente altero æquali, non eſt ſufficiens fundamentum, vt in eo nitatur intellectus ad affirmandam rem facti. Quod comprobat iudicio Salomonis in concurſu, & occurſu teſtimonij contradictorij duarum meretricum ſuper filio litigantium.

42 Sententiam Patris Cardenas comprobare videtur Diui Auguſtini authoritas, *libr. de principijs Rethoricis*, *cap.* 8. quam adducit, & exagerat Cella Dei, *lib.* 4. *quæſtion.* 4. §. 5. ad probandum irrationabile eſſe pro altera parte ſentire, quando æqualitas authorum vtrinque datur. [Nam cum eadem vtrinque dicuntur (inquit Auguſtinus) & nulla re, nec parva quidem dicernuntur; eiuſmodi plegma (id eſt controuerſia) propter æqualitatem vtriuſque partis ſtatum implicat.] Quod explicat exemplo duplicis adoleſcentis, qui ſe invicem accuſarent de adulterio ex eiſdem prorſus cauſis, nempè adoleſcentiæ, ſpecioſitatis propriæ vxoris, & vicinitatis. In quo caſu, pro vna parte contra aliam decidere, irrationabile cenſuit Auguſtinus. Ergo, quando æqualitas datur teſtium nequibit intellectus vni parti contra alteram aſſentiri.

43 Sed quidem, nec iura, nec authores aliud intendunt, nec probant, quàm iudicem nequire externe proferre ſententiam in fauorem vnius partis, condemnando alium, quin probationes, ſeu teſtes inæquales ſint, vel numero, vel dignitate. Quia in dubio nemo eſt condemnandus, & dum res eſt dubia, & vtrinque probabilis, non debemus inclinare in eam partem, quæ eſt contra proximum, vt benè ait Pater Salas 1. 2. *tom.* 1. *tract.* 8. *diſput. vnica*, *sect.* 4. *numer.* 42. in cauſa enim dubia, proferre certam ſententiam damnationis, peccatum eſt, [quia iudex non ſequitur opinionem practicam probabilem, ſed ſpeculatiuam, quod iſte verb. grat. delictum commiſſerit; & diſcordat à conſcientia practicè certa aſſerente neminem eſſe puniendum, niſi certo eius delictum probatum fuerit.] Quod tradit etiam Lugo, *tom.* 1. *de iuſt. diſput.* 16. *sect.* 5. *numer.* 100. Hoc eſt quod iura clamant: non verò quod intellectus, quando motiua vtrinque ſunt æqualia, & probabilia, nequeat ſpeculatiuè aſſentiri vni parti præ alia ex imperio voluntatis. Sicut manus poteſt bilancem, ex vi ponderis, in æquilibrio exiſtentem, in partem, quam maluerit, incli-nare. Et ad rem noſtram iura faciunt; quia in foro externo, quando teſtes omnino æquales contraria deponunt, ſententia ferenda eſt in fauorem poſſidentis, vt decernitur, *cap. ex litteris de probationibus, ibi: Quod ſi ambarum partium teſtes ſint æquè idonei, poſſeſſoris teſtes præferuntur, cùm promptiora ſint iura ad abſoluendum, quam ad condemnandum, vbi Gloſſa. Quod hic dicitur & in ſimilibus, locum habet, in dubijs, & obſcuris.* At qui, vt ſuprà probaui, poſſeſſio in dubio legis; aut quando motiua ſunt vtrinque æqualia, & probabilia, ſtat pro libertate; ergo quando authores numero, & dignitate æquales pro vtraque parte contradictionis pugnant, cùm ſint æquè idonei; pro libertate ferenda eſt ſententia. Vrgetur quia in dubio tàm iuris, quàm facti, fauendum eſt reo, per regulam 11. *iuris in* 6. vbi dicitur. *Cum ſunt paria iura obſcura reo fauendum eſt potius, quam actori.* Poſſeſſor autem libertatis, ait Prado, *tom.* 1. *quæſt.* 9 §. 1. & 2. [Semper eſt reus, quia ipſe non poſtulat, ſed ab ipſo poſtulat actor.] Dubium facti dicitur, quando probationes ſunt vtrinque æquales, licet probabiles, quod contingit, *quando ſunt teſtes contrarij pro actore, & reo æquales numero & qualitate*, vt ait Tuſchius *litt. P. concluſ.* 798. Iuris autem dubium eſt, quando vtrinque ſunt fundamenta æqualia, & probabilia, quid præcipiat ius in tali caſu? an lex ad illum extendatur, vel non extendatur? Vulgo enim, ait Leſsius, *libr.* 2. *de iuſt. capit.* 29. *dub.* 2. *dicimus dubitare, quamdiu in neutram partem certi ſumus.* Licet probabiles pro vtraque parte contradictionis ſint opiniones; & in quamlibet illarum poſsit intellectus ex imperio voluntatis inclinari. Ergo cum voluntas ſe habeat vt reus, contra cuius libertatem, vi legis dubiæ, agatur, voluntati fauendum eſt. Et ita expreſsè tradit Thomàs Hurtado, *tom.* 1. *reſ. Mor. tract.* 3. *capit.* 3. *reſ.* 19. *fol.* 109. [Vndè (inquit) ſit, quod ſi tres viri graues mihi dicant conceſſum eſſe priuilegium ad aliquod faciendum, & alij tres, vel plures affirmant tale priuilegium non fuiſſe conceſſum; quæ opiniones ſunt circa factum; poſsim eligere quamvis partem] & infra [Hæc ſit regula generalis, quotieſcumque opinio facti ſequitur ex diuerſa opinione iuris, aut principiorum alicuius ſcientiæ, aut artis, licitum eſt quamcumque opinionẽ facti ſequi.]

44 Ad authoritatem D. Auguſtini, reſpondeo eſſe apertam diſparitatem; quia in caſu ab illo propoſito eadem prorſus motiua, pro vna parte allegata, vel vtriuſque adoleſcentis adulterium probabant, vel neu-

trius; quia vtriuſq; vxor erat ſpecioſa,&vterque adoleſcens intra eandē domū habitabat. Qua propter vtriuſque adulterium ex vi probationis partium probatū manebat, vel iudicium omnino ſuſpendi debebat. In noſtro autē caſu fundamenta, quæ probant veritatē vnius partis, non probant veritatem alterius, ſed falſitatem, & è contra. Inſuper vtramque partem implicat eſſe veram, non verò implicabat vtriuſque adulterium. Nulla ergo eſt paritas. Cū ergo vnaquæque pars contradictionis ſuos in noſtro caſu graues habeat authores; quorum alij ad vnius aſſenſum; alij ad alterius vehemēter alliciant; poterit intellectus ex imperio voluntaris ex motiuo ad illam pertinente, cui maluerit aſſenſum præſtare, vt conſtat ex D. Thoma, vbi ſuprà.

45 Verum cum ſolutio, alijs caſibus non quadret: reſpondere poteris. Quod quando teſtes omnino æquales numero, & dignitate, contraria de viſu deponunt, verb. grat. alij Petrum heri hora tertia coram ipſis occidiſſe Matriti Ioannem; alij Petrum tota die cum ipſiſmet compluti extitiſſe; cum evidens ſit hos, vel illos formaliter mentiti, nullus eorum eſt certæ & indubitatæ authoritatis, ſed cuiuſvis authoritas eſt dubia, quod ex depoſitione contraria evidenter conſtat, & nullius authoritas manet probabilis, quia teſtificatio in re hac contradictoria probabilitatē cuiuſvis depoſitionis deſtruit, & cum quæſtio ſit, quis veritatem dicat; & in iudicio de rebus, tantum agatur id vnum, vt attingatur veritas, ſi nec iudicium certum, nec probabile de illa formari poſſit, & nec de probabilitate illius, ne quit, niſi iudicio temerario, iudicari hos teſtes verum dicere, & alios mentiri; imò nec probabile id eſſe: quia non eſt fundamentum deficiente authoritate, cui hoc iudicium inniti poſſit. Authores verò opinionum æquiparandi non ſunt teſtibus; quidquid contra intendat Cella Dei *ſuprà quaſt. 19. citata, §. 2. fol. 321.* Quia licet illi poſſint falli, & evidens ſit vnum vel alterum contradictoriè opinantes quoad iudicium directum, & ſpeculatiuum re ipſa falli, quia aliud affirmat pingere in die feſto eſſe opus ſervile, aliud negat, quæ ſunt contradictoria: Eorum tamen authoritas ex probitate, & ſcientia ex alijs nota coalleſcens non dubia ſed certa eſt, nec ex contrarietate opinionum deſtruitur, ſed nobis certum eſt vnumquemque grauibus ſuo iudicio fundamentis inniti, quæ virum doctum; & in facultate morali verſatum vehementer alliciunt ad iudicium rei, de qua agitur; idque de vtriuſque opinionis Doctoribus verè & prudenter eorum attenta authoritate iudicamus, ideòque vniuſcuiuſque aſſertionem eſſe probabilem.

46 Qua propter licet quando vtrinque ſint motiua probabilia ad aſſenſum rei, poſſit intellectus ſuſpendere aſſenſum, cum nemo teneatur ad aſſenſum, aut modum aſſentiendi, in quo exponat ſe periculo errandi; nulla tamen eſt neceſsitas talis iudicij ad operandum, quia ſicut abſque illo poteſt voluntas eligere partem tutiorem, ex eo quod certum aliunde ſit, in illius electione nullum eſſe peccatum, ita ſimiliter poteſt minus tutam, ex eo quod aliunde probabile ſit, verb. grat. *pingere in die feſto non eſſe opus ſervile*, & certum omnino, quod ex hoc iudicio prudenter imperato aſcendit intellectus per actus reflexos, ad iudicium verum vltimum practicum, quo iudicat licitum eſſe pingere in die feſto, vt infra explicabimus, & docent communiter Doctores. Teſtimonium verò teſtium contraria deponentium de viſu, ſecus ſe habet, quia alterum mentiri formaliter, nobis certum eſt; & conſequenter nequiret ex atteſtatione dici, vnumquemque illorum prudenter imperare ſuum aſſenſum, vel diſſenſum; neque habere fundamenta, quibus vir probus, & doctus ad illum præſtandum moueri poſſit. Ideòque nullum eſt nobis argumentum, quo niti poſsimus ad iudicandum probabile eſſe, eius teſtimonium eſſe verum. Qua propter tenemur ſuſpendere aſſenſum, ſi periculo notabili errandi, quod perfecta prudentia evitat, nos exponere nolimus. Quæ quidem iudicia neque in ſtatu innocentiæ, neque in Beatiſsima Virgine fuiſſent, nec ſunt in Angelis, circa obiecta, quorum evidentiam non habent: ſicet c è poſſint modalia, quæ non rem ipſam affirmant, ſed quæ enuntient attentis motiuis probabilibus, probabile eſſe rem ita ſe habere, quæ veriſsima ſunt. Et quæ, ſi de rebus ad mores pertinentibus ſint, ſufficiunt, vt ad alia iudicia vltima practica, & certa de vſu licito opinionis intellectus poſſit aſcendere.

47 Hæc concluſio eſt communis inter Theologos, qui licitum eſſe concedunt amplecti opinionem extrinſece probabilem libertati fauentem, quin obligent inquirere, & diligentiam facere ad ſciendum, an pro contraria tot militent Doctores numero, & dignitate pares. Quod neceſſarium eſſet ad ferendum iudicium, ſicut in iudice ad ferendam ſententiam, quando ſcit vtrimque eſſe idoneos teſtes, & ignorat, quot, & quantæ authoritatis ſint: ex quorum cognitione ſententia ferenda, an reus abſoluendus? an condemnandus? in quæſtione de facto

de-

dependet; iuxta caput *ex noſtra de teſt. & atteſt.* ex quo paritatem ad authores opinionum à teſtibus deſumendam, Cella Dei contendit. Quod quidem nec ipſe, credo, admittit; alias nec ipſius nec alterius magni nominis Theologi fauorabile conſilium, alijs contradicentibus, poſſet ad praxim deſeruire; quia ſemper ignorat, qui conſilium petit, an hic Theologus dignitate contradicentes ſuperet; ſicut & an maior numerus, illo ſuperaddito, in fauorem libertatis conſletur. Quo innanis prorſus, & ſuperflua redditur conſultatio; Authores ergo non ſunt teſtibus æquiparandi.

48 Ex quibus planum, fit adverſariorum obiectionem ſolum concludere, teſtes omnino æquales numero, & dignitate conſtituere dubium facti ſecundum iura; ſiue intellectus poſſit, ſiue nequeat ex imperio voluntatis alteri contradictionis parti aſſentiri; dubio autem facti ſpeculatiuo permanente, prohibitum eſt iudici ſententiam ferre, ideòque ipſi certum eſt practicè, non poſſe illam pronunciare in fauorem vnius præ alio, ſed in criminalibus reum non eſſe condemnandum, & in ciuilibus rem diuidendam, aut ſortes mittendas, vt docent Salas 1. 2. *diſput. de conſcientia.* Sayrus, Salonius, Baldellus, quos ſequitur Thomas Hurtado, *tom. 1. tract. 3. cap. 3. reſ. 22. & ſtatuitur in l. & hoc Tiberius. D. de hæredibus inſtituendis, & lege Titius. D. ad Trebellianum.* Vide plura apud Hurtado ſuprà *fol.* 128. *à num.* 307. Dubio autem facti ſpeculatiuo perſeuerante, poteſt quis certus eſſe, quod non habeat obligationem conſcientiæ. Sic qui dubitat ſpeculatiuè, an votum emiſerit, quod eſt dubium facti, non tenetur practicè ad votum; quia poſſeſſio libertatis certa vincit dubij incertitudinem. Vt docent communiter Doctores, quos citatos ſequitur Thomas Sanchez, *tom.* 1. *ſumm. lib.* 1. *cap.* 10. *à numer.* 34. & Ioannes Sanchez in Selectis, *diſput.* 43. *numer.* 1. Ideòque iudicat, ſibi licitum eſſe contra dubium votum operari, non minus, ac ſi certus eſſet illud non emiſſe. Ergo ex dubio facti quod reſultat ex contradictoria depoſitione teſtium ocularium quo ad iudices, nequit argumentum deſumi ad alia dubia facti ſpeculatiua, quæ aliunde non impediunt iudicium practicum de licita operatione voluntatis.

49 Ideò optimè Cardinalis de Lugo, *tom.* 1. *de iuſt. diſput.* 16. *ſect.* 5. *numer.* 100. ſic ſcribit. Vnde apparet diſcrimen huius probabilitatis verſantis circa ius ab illa, quæ verſatur mere circa factum; nam quando factum non plenè probatur; non eſt probabile, quod reus poſſit condemnari; cum leges numquam reum permittant condemnari; niſi delictum, vel debitum plenè probetur; non probatur autem plenè, & ſufficienter ad ſententiam, quando licet duo, vel tres teſtes id teſtificentur, alij tamen teſtes contrarium teſtantur; per hos enim eliditur, vel minuitur illorum teſtificatio, atque ideò non manet probatio ſufficiens requiſita ad probationem plenam; & ad condemnationem. At verò quando probabilitas verſatur circa ius, iam manet probabile, leges actori fauere, atque ideò iudex probabiliter iudicat; reum eſſe condemnandum; quia opinio probabilis quæ creditori fauet; & eius authores docent, in his circumſtantijs, & non obſtante opinione contraria, probabile, imò & verum eſſe, quod ſententia debeat pro actore, ſeu creditorem præferri. Alioquin, ſi hoc non dicunt, non habet creditor pro ſe opinionem probabilem, quod eſt contra id, quod ſupponitur. Sic ille.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum ad licite operandum requiratur iudicium moraliter certum de non peccato?

1 NEgant nonnulli, quos citaui 1. *p. ſelectarum quæſt.* 6. *§.* 6. *num.* 35. quos nouiſſimè ſequitur Antonius Cella Dei, *libr.* 3. *quæſt.* 2. *& ſequentibus, fol.* 347. & 351. Verum contraria ſententia eſt communis Doctorum; quos ſequutus ſum loco ſuprà citato, & plures adduxi, inter quos Patrem Suarez 1. 2. *diſput.* 12 *ſect.* 3. *numer.* 2. vbi ſic ſcripſit. [Dicendum primo, vt voluntas ſit recta, neceſſarium eſſe, vt ſequatur iudicium conſcientiæ practicè certum de honeſtate obiecti, & actionis. Ita Doctores omnes. D. Thomas, Caietanus, Adrianus, Nauarrus, Cordoua. Ratio omnium eſt, illud Eccleſiaſtici 13. *Qui amat periculum peribit in illo.* Ergo, vt homo moraliter rectè operetur, oportet excludere omne dubium, & periculum malitiæ. Hoc autem non fit, niſi iudicio certo, ſaltem practico.] Hæc Suarez. Cuius ſententiam ſequuntur Pater Granado 1. 2. *controu.* 12. *diſput.* 3. *ſect.* 3. & 4. Pater Oviedo 1. 2. *tract.* 5. *controu.* 1. *punct.* 2 *num.* 11. & *ſeqq.* Honoratus Fabri de opinione probabili; qui ſexaginta Doctores pro hac parte adducit. Quos ex illo refert Pater Terillus de *probabilitat. quæſtion.* 3. præter omnes Summiſtas, quos pro hac ſententia militare affirmat. Quibus adde Patrem Cardenas, in *Select. diſput.* 15. *capit.* 4. *artic.* 5 & Iulium Mer-

Mercorum *part.* 1. Baſis *artic.* 10. vbi ſic ait: [dicendum eſt, certitudinem ſaltem moralem neceſſariam eſſe ad rectitudinem operationis, ita Medina, Suarez, Salas, & Leſſius, & eſt ſententia communis, imò aliqui exiſtimant eſſe de fide propter illud ad Romanos 14. *omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, vbi Gloſſa, [fides noſtra vult, vt homo agat hoc, quod benè intelligit eſſe agendum, & peccatum eſt, quod aliter fit, quam probatum eſt.] Ita Innocentius Tertius in *Decret. de præſcript. cap. Quoniam.* Gratian. 28. *quæſt.* 1. *§. Ex his* ex D. Ambroſio, & Auguſtino, idem docet Sanctus Thomas in citat. loco Apoſtoli, *& quodlibet.* 8. *articul.* 13.] Hactenus Mercorus. Cui conſentit Candidus Philaletus *tract. de opinion. probabili*, *fol.* 14. dicens, eſſe ſententiam Ariſtotelis, D. Thomæ, Caietani, & aliorum.

2 Ratio noſtræ, & communis ſententiæ eſt, nam qui licitè operatur reducens ad praxim opinionem benignam, certus eſt, non peccare, ſi enim probabile tantum ſibi eſſet, probabile relinqueretur oppoſitum; debet ergo habere iudicium moraliter ſaltem certum de non peccato. Confirmatur ex Patre Cardenas, *diſput.* 10. *numer.* 75. *& diſput.* 15. *capit.* 4. *articul.* 5. *numer.* 238. Nemini licet ſe exponere periculo probabili peccandi; ſed qui operatur ſine certitudine de honeſtate operationis, hic, & nunc exercendæ, ſe exponit periculo probabili peccandi. Ergo nemini licet operari ſine tali certitudine. Maior eſt certa; minor probatur, nam quod eſt tantum probabile, poteſt non eſſe verum a parte rei, & ſicut eſt probabile, quod non peccabo eliciens talem operationem, eſt etiam probabile, quod peccabo. Ergo non ſum tutus a peccato. Secundo probatur, quia dictamen rectæ conſcientiæ eſt dictamen prudentiale à virtute prudentiæ elicitum; ſed dictamen prudentiale debet eſſe certum certitudine ſaltem morali excludente formidinem, quod opus non ſit honeſtum, vt ex Ariſtotele docent communiter Doctores. Quia prudentia, cum ſit virtus intellectualis, non poteſt eſſe opinio. Ergo dictamen deſerviens ad rectam operationem debet eſſe moraliter ſaltem certum de non peccato. Ac proinde, vt quis rectè operetur, requiritur ita certo credere ſe rectè operari, vt non habeat formidinem de oppoſito, nedum poſitiuum, & formale dubium. Cui facit; quod cum Suarez ait Oviedo vbi ſuprà *numer.* 12. nempè, quod actus prudentiæ dirigens actum bonum non debet iudicare opus in ſe eſſe bonum, & conforme legi, ſed hic & nunc prudenter apparere bonum & legi conforme. Qua propter concludit Oviedo [iudicium practicum, quo quis dicit *hic & nunc hac actio mihi eſt licita, & honeſta*, evidens eſt.] Hanc ſententiam multis illuſtrat Eminentiſſimus Cardinalis Sforcia Pallauicinus, *tom.* 1. *in* 1. 2. *diſput.* 9. *ſect.* 4. vbi ſic ait: [Hæc cognitio non ſolum eſt metaphiſicè infallibilis, ſed metaphiſicè evidens. Si enim non haberet hanc evidentiam eſſet coniungibilis cum aliqua formidine oppoſiti; atque adeò cum hoc actu: *Fortaſsè hic, & nunc id non placet, ſed diſplicet Deo, ac proinde fortaſsè hic, & nunc per hunc actum ego pecco.* Sed operari cum hac formidine eſſet intrinſecè malum; ergo operari ſine conſcientia metaphiſicè evidenti eſt intrinſecè malum.] Sic ille.

3 Nec pro contraria parte militant Vazquez 1. 2. *diſput.* 62. *cap.* 5. & Sanchez in ſumm. *libr.* 1. *capit.* 9. *numer.* 16. qui pro illa citari ſolent, vt notaui ex Oviedo, & Bardi 1. *part. tract.* 1. *quæſt.* 6. *num.* 36. Hi enim Doctores non loquuntur de vltimo conſcientiæ dictamine, ſed de aliquo alio præuio, alioquin ſibi contradicerent, vt ex ipſorum verbis infrà adducendis conſtabit. Et benè notant Pater Arriaga, *tom.* 5. *diſp.* 23. *ſect.* 2. *ſubſect.* 2. Iulius Mercorus, 1. *part. Baſis art.* 11. Pater Cardenas *in Selectis, diſp.* 10. *numer.* 37. *& diſp.* 15. *cap.* 4. *artic.* 5. *numer.* 235. & Honoratus Fabri *dialogo* 2. *de opinione probabili fol.* 29. *&* 30 dicens: [Hos authores pro certo habere, ſe non peccare, dum opinionem probabilem ad praxim deducunt; habent ergo iudicium moraliter certum, neque de hoc vllam formidinem habent; putant verò non requiri certum iudicium circa nudam veritatem obiecti, cui probabiliter aſſentiri ſufficiens eſt, vt in eius electione non intervenire peccatum certum ſit. Solum ergo negant, iudicium ſpeculatiuum, ſiue vniuerſale, ſiue ſingulare præcedens debere eſſe certum.] Sic ille, cum alijs citatis, quibus conſentit P. Terillus, *quæſt.* 13. *num.* 7.

4 Sed ad rei evidentiam, ipſe de ſemetipſis loquantur, P. Thomas Sanchez *in ſumm. libr.* 6. *cap.* 3. dicit; [Deum ſolum obligare ad operandum cum morali certitudine, qualis in opinione probabili reperitur.] *& numer.* 6. ait: [ex probabilibus rationibus formari iudicium prudens, & practicè certum] *lib.* 1. *de matrim. diſp.* 69. *nu.* 9. dicit: [In moralibus ad operandum, hæc dicitur certitudo, cum ſatis ſit, vt quis tuto operetur, opinionem probabilem amplecti.] Et iterum

idem

Digitized by Google

Idem tradit *lib.2.de matrim.diſp.45.num.4.* Audiatur etiam Vazquez *opuſc. de reſtitut. cap.6.ſ.3.dub.5.num.85.* [Quiſque, inquit, poteſt probabilem partem ſequutus accipere illud, de quo ſunt diuerſæ opiniones, an ſit contra iuſtitiam, vel non? vt in contractibus mutui, & emptionis, &c. Et parum refert dicere, quod exponitur periculo accipiendi, quod ſuum non eſt; quia eſſe debitum, aut non eſſe illi debitum ex contractu, non eſt examinandum in ordine ad rem ipſam in ſe, ſed, vt ſubeſt iudicio prudentum: (attende) innititur enim, vt alibi diximus, concluſio, quæ docet licitè fieri hunc contractum, propoſitionibus practicis, quarum veritas ſumitur in ordine ad iudicium prudentum, & rectam rationem, vel ſi alicui ſpeculatiuæ innitatur, illa eſt euidens: vnde concluſio eſt certa, quia præmiſſæ ſunt certæ moraliter in ordine ad rectam rationem, vel ſpeculatiuè euidentem. Et de hoc alias diximus.] Hæc Vazquez. Vnde conſtat, dictamen vltimum dicens: *Licitè fieri hunc contractum* eſſe concluſionem certam ex præmiſſis moraliter certis, aut euidentibus deductam; quod modo intendimus. Vnde cum 1. 2. *diſp.62. cap. 5. numer. 26.* aſſeruiſſet, poſſe aliquem rectè operari cum aſſenſu tantum probabili, etiam ſi habeat formidinem oppoſitæ partis: vt conſtaret, non eſſe loquutum de iudicio vltimo, ſed de alio præuio; hanc ſuæ concluſionis rationem reddit. [Certum eſt, neminem debere tutiorem partem eligere.] Ergo ad licitam operationem hoc iudicium certum præcedere autumat, *quod non debet partem tutiorem eligere, ſed quod minus tutam eligendo, certum eſt non peccare*: licet primum iudicium formidinem de honeſtate actus non excludit. Nam, vt ait Vicentius Baronius *p. 1. Theolog. Moral. diſp. 2. ſect. 2. ſ. 1.* qui prudenter agit, neque ignorat, nec dubitare poteſt, opus ſuum licitum eſſe. Quod apertè conuincitur ex Ariſtotele 6. *Ethicorum* vbi prudentiam definit eſſe rectam rationem agibilium, & ex Auguſtino *lib. octogintarum quæſtionum*, dicente eſſe cognitionem rerum ſperandarum, & fugiendarum, in quo verum dicit Baronius: fallitur verò, dum ex opinione probabili pro libertate; per actus reflexos cognita, putat deueniri non poſſe ad hoc iudicium vltimum, & dictamen de agendis, excluſa omni dubitatione, & formidine peccati. Et ſanè, cum ipſemet, vt alibi notaui: & 1.p. *Selectarũ, tract. 1. quæſt. 5. fol. 42.* oſtendi, plures opiniones minus tutas probabiliores tantum, & non moraliter certas ſequutus fuerit, vellem ego, nos edocuiſſet, qua ratione ex opinione tantum probabili concipere potuerit iudicium vltimum firmum, & certum de honeſtate operationis, ſeu de non peccato; [ſi enim; (vt inquit,) ab hoc certo iudicio *longiſſimè* abeſt opinio, quæ libertati fauet, minor aut par probabilitas erit illi, quæ ſalutem, & officiũ in tuto ponit.] Longè ſaltem a certo iudicio erit opinio, licèt probabilior. Ac proinde nequibit ex illa certum formari iudicium de honeſtate operationis.

5 Difficultatem hanc; ſui oblitus, ſoluit Baronius, *articul. 3. ſ. 1. fol. 172.* vbi in ſpeculatiuis hunc aſſenſum repugnare cenſuit, ſecus in practicis. [Non poteſt, inquit; negari non licere ſubdito detrectare militiam, quamvis ius belli ſit dubium: ſed inquies, qui fieri poteſt, vt concluſio certior ſit principio; cum quidquid habet neceſſitatis, aut virium, à principio, vnde oritur, mutuò accipiat.] Cui difficultati reſpondet: [id veriſsimum eſſe de progreſſu ſcientiarum, & aſſenſu ſpeculatiuo, iam monuimus: ſecus eſt de agendis, quorum iudicium ex prudentia complentum eſt: & omnibus attentis ſtatuit, quid pro tempore, facto ſit opus] Hæc quæſo pro opinione æquallis, vel minoris probabilitatis reponat Baronius. Quem imitari tenebitur D. Proſper Fagnanus, ſimilis inconſequentiæ reus; quia cum in toto ſuo opere totus fuerit in negando vim cuiuſcumque opinionis probabilis, vel probabilioris minus tutæ, eo quod; qui habet opinionem probabilem affirmantem actum eſſe licitum, neceſſariò habet ſuſpicionem, hoc eſt, formidinem, quod actus ſit illicitus, (ſic numer. 95. & 96.) Poſt hæc tamen ſibi non conſtans, in pluribus caſibus concedit licitum vſum opinionis probabilioris: ſic numer. 225.228. 345. 448. & 449. Debet ergo ex aliis principiis iudicium vltimum moraliter certum concipere, quia impoſsibile eſt intellectum, dum parti minus tutæ adhæret, non formidare de eius veritate.

QVÆSTIO IX.

Quibus præmiſſis innitatur concluſio certa, & euidens de vſu licito opinionis practicè probabilis?

1 CVm plures Doctores non ſolum iudicium moraliter, & practicè certũ, ſed videns etiam de licito vſu opinionis benignæ, ſi minus probabilis, ad licitè & honeſtè operandum debere præcedere autument; non leuis difficultas eſt, in aſſignandis præmiſſis, ex quibus deducendum. Nam, cum opinio practicè probabilis non ſit principium certum, & euidens de honeſtate, aut

non prohibitione obiecti, ſed probabile tantum: videtur manifeſtū, nequire ex illo pluſquam probabilem concluſionem deduci; vtpotè quæ debiliorem partem, iuxta regulam concluſionum, ſequitur. Qua propter vltimū iudicium practicum certum, & evidens eſſe, dicit *eſſe impoſsibile* Cella Dei *lib. 3. q. 1. fol. 351. & ſeq.*

2 Cæterum communis Doctorum ſententia nullam in hoc iudicio formando difficultatem agnouit; quia licet ex opinione probabili, ſeu præmiſsis probabilibus, concluſio certa, & euidens nequeat deduci, poteſt tamen ex actibus alijs reflexis, certis, & evidentibus, ſuperadditis, habentibus pro obiecto principia ipſa tantum probabilia. Qui enim habet aſſenſum aliquem, euidenter noſcit per actum reflexum ſe illum habere, tametſi aſſenſus ille falſus ſit. Quia certitudo, & euidentia actus reflexi non deſumitur à veritate directi, ſed ab eius exiſtentia; vt ex terminis notum eſt. Ergo ſimiliter actus reflexi circa iudicia probabilia, certi & evidentes eſſe poterunt, licet illa nec evidentia, nec certa ſint. Et ex reflexis certa, & evidens concluſio deduci poterit.

§. I.

Triplex rei demonſtratio.

3 Hinc facilè demonſtratur intentum hoc ſyllogiſmo: quicumque ſequitur opinionem practicè probabilem, nō peccat; ſed opinio hæc D. Thomæ, & diſcipulorum eius (aut Scoti, & aliorum Doctorum, de quorum peritia, & probitate non dubitatur) eſt opinio practicè probabilis; ergo qui illam ſequitur, non peccat. Maior huius ſyllogiſmi, inquit Cella Dei ipſe *ſuprà fol. 351. mihi tàm certa & euidens eſt, quàm certum, & euidens eſt, licitum eſſe vſum humanum legum, & ſcientiæ moralis.* Minor eſt etiam moraliter evidens, ob authoritatem extrinſecam nobis videnter notam, tot, tantorumque Doctorum, qui eam a principijs intrinſecis veram iudicant, & quis, inquam, aliud mutire audebit? Quis inficiari poterit eſſe practicè probabilem probabilitate conſcientiæ, opinionem, quàm tot, tam grauesque Doctores, veram eſſe nos edocent; aut cui, vt probabiliori, aſſenſum determinatum præſtant? licèt ipſi forſam decipiantur, quod ſoli Deo notum eſt. Et ita concedit ipſemet Recētior *lib. 3. q. 1. fol. 343.* dicens [alicui, vel aliquibus Doctoribus rectè ſtatur, & creditur in doctrina morum, licet in aliquo falli poſsint.] Ergo prudenter illis creditur; ergo concluſio ex præiactis præmiſsis deducta, certa, & euidens eſt.

4 Progredior inde, & pro vno graui Doctore pio, & docto, magnique nominis tradita. Sic arguo: probabilis eſt probabilitate conſcientiæ opinio, quam talem eſſe teſtantur viginti viri probi, & in re morali valdè periti, hæc enim evidenter eſt probabilis probabilitate extrinſeca; ſed opinionem vnius viri probitate, & peritia præditi, & in Theologia morali multum verſati, ſuprà viginti viri probi & in re morali multum verſati, affirmant eſſe probabilē probabilitate conſcientiæ, (ſi aliunde non conſtet a cæteris vt improbabilem, & falſam eſſe reiectam; aut ab aliquo Tribunali fidei prohibitam) ergo talis opinio probabilis eſt probabilitate coſcientiæ. At qui evidens eſt vſum ſimilis opinionis eſſe licitum, vt concedit ſuprà Cella Dei, ergo.

5 Maior propoſitio ex terminis apparet evidens. Nam quiſque prudenter ſe fidit iudicio viginti hominum, in arte ſua peritorum, qui plerumque verum dicunt; & in hoc caſu particulari exceptionem non habent, quod decipiantur: Imò & vni, vt addit ipſe Recentior *fol. 342.* [Quilibet prudenter (inquit) ſe fidit Medico, & Chirurgo, qui plerumque in plurimum rectè curant, nec tunc adeſt exceptio, &c. Et ſic in rebus moralibus, in humana fide, in contractibus, in emptionibus, & venditionibus. Et ſuprà humanum modum eſt, plus in omnibus velle, in doctrina morali.] Sic ille & benè. Nam vt ait Pater Salas. 1. 2. *tom. 1. tract. 8. diſput. vnica, ſect. 5. numer.* 44. [Prudentia, & humilitas eſt plurium ſapientiorum, diligentiorumque iudicio, ſuas actiones ſubijcere, & conformare, vt colligitur *ex cap. Prudentia de officio delegati, & cap. de quibus, diſtinct.* 20. Nauarro *cap. 2. numer.* 286. & 289.] Cui facit Pater Bardi in *Selectis, libr.* 11. *quæſt.* 1. *§. 4. fol.* 551. [Prudentia enim, inquit, dictat vt noſtrum proprium, & præſertim in moribus iudicium relinquamus; aliorumque prudentum arbitrio adhæreamus.] potuiſſetque pro ſe adducere Sanctum Parentem Ignatium, in epiſtola de obedientia, id nos edocentem. Ergo quilibet prudenter ſe fidit viris pluribus probis, & doctis aſſerentibus opinionem vnius viri probi, & docti, & in re morali multum verſati, practicè probabilem eſſe, probabilitate conſcientiæ, quando in caſu particulari, de quo agitur, non datur exceptio. Sed hæc opinio ſingularis, verb. grat. docens: *Hunc contractum eſſe licitum:* habet pro ſe authorem Caietanum, aut Sotum, aut Vazquez, aut Sanchez, aut æqualis authoritatis Doctorem, & in ea nullus habet exceptionem, quod fallatur; ergo hæc opinio

eſt

eſt practicè probabilis probabilitate conſcientiæ; ergo eius vſus licitus eſt. Vtraque conſequentia eſt moraliter certa, & euidens. Vndè Candidus Philaletus de opinionum praxi, *fol.* 54. ait nos non opinari eſſe probabilem aliquam opinionē; *ſed ſcire eſſe probabilem, quando ſcimus habere rationem aliquam non leuem, & habere inſuper authores ſatis graues.*

6 Vrgetur ad hominem ex his, quæ ipſe Cella Dei tradit de authoritate extrinſeca, *fol.* 342. *verſ.* Quartò. Vbi ſic: [Omne probabile ab extrinſeco eſt, ſine vllo vitio, & defectu credibile, ergo neque erit defectus in voluntate.] Sed ab extrinſeco probabile eſt, quod viginti Doctores probi, & docti teſtantur; ergo ſine vllo defectu in intellectu eſt credibile, & ſine vllo in voluntate optabile. Confirmatur ex ipſo. [Quia voluntas, inquit, non regulatur immediatè per legē Dei in ſe, ſed per illam applicatam humana ratione, quæ proindè habet rationem regulæ, & voluntas rectè, prudenterque ſe acommodat rationi probabili.] Ergo volutas rectè, prudenterque ſe acommodat authoritati, ab extrinſeco reddenti probabilem vſum huius opinionis probabilis aſſerentis, *hunc contractum eſſe licitum*, & recte, prudenterque ſe acommodat rationi probabili, qua eius defenſores ducuntur ad opinandum, quæ ſine vllo vitio, & defectu, ob eorum authoritatē, eſt credibilis. Nec refert quod poſsit eſſe, aut quod in re ſit falſa, ſi tamē inuincibiliter putatur vera, vt planò concedit ipſe Cella Dei, cum P. Vazquez 1. 2. *quæſt.* 58. *cap.* 2. cuius ſententiam ibi laudat. [Illud, ait Vazquez, in re debet dici naturæ humanæ conuenire, aut diſconueniens eſſe, quod per rationem probabilem, & diligentem proponitur, ſiue in re ita ſit, ſiue non. Rectè igitur D. Thom. in hoc articulo dixit, rationem eſſe regulam humanarum actionum.] Quibus ex Vazquez fideliter excerptis, ſubiungit ipſe: *Hæc rectè Vazquez, ſi quando erratur, error eſt inuincibilis.* Sic ibi, *fol.* 343.

7 Ex quibus duplex alia demonſtratio conficitur. Prima. Quicumque ſequitur regulam humanarū actionum, prudenter operatur; ſed quicumq; ſequitur rationem probabilem, (*ſiue quod, per illam proponitur, ſit ita, ſiue non*) quando error eſt inuincibilis, ſequitur regulam humanarum actionum, ergo prudenter operatur; ſed ſic ſe habet ſequens opinionem ob authoritatem extrinſecam practicè probabilem, ergo, licet in re falſa ſit, non peccat. Vtraque concluſio eſt euidens. Hoc fere diſcurſu vtitur Candidus Philalethus de *opinionum praxi*, *fol.* 20. Vt hanc concluſionem probet, & iudicium certum ex prudentia elicitum interuenire ſuadeat. [Quicumque (inquit) in eligendo, ſeu in agendo, ſequitur dictamen rationis, certum eſt hunc honeſtè agere, & ſine peccato; ſed qui probabile iudiciū ſequitur, ſeu opinionem recte agendi, ſequitur dictamen rationis; ergo certum eſt hunc honeſte agere, & ſine peccato.] Sic ille, dicens hoc argumentum *ſatis demonſtratiuè concludere*, quia maior eſt euidens, & ſimiliter minor ex aprehēſione terminorum: nam dictamen rationis aliud non eſt, quam illud, in quod inclinatur ratio per aſſenſum, quid ſit faciendum, vel non? Cui conſonat P. Cardenas *in ſelectis, tract.* 1. *diſp.* 15. *cap.* 4. *art.* 5. *nu.* 128. & 129.

8 Demonſtratio ſecunda ſit. Quicumque operatur præmiſſa conſultatione, & conſilio plurium virorum, ex peritis in arte, vt medicorum in medicina, & Theologorum moralium in ſua facultate, ſiue iſti errent, ſiue non; non peccat; prudenter enim iudicat ſe poſſe illis fidere; ſed ego hic, & nunc celebrando hunc contractum, ita operor, ergo non peco. Huic ſyllogiſmo, nil; quod ſatis faciat, reſpondit Recentior, *fol.* 354. eſt enim aperta demonſtratio ex ipſius principijs deducta, quando quidem, ſi forte detur error; inuincibilis eſt.

9 Vrgetur, qui operatur, quod per rationem probabilem proponitur, *ſiue in re ita ſit ſiue non*, prudenter operatur, ſed actus prudens (id eſt à virtute prudentiæ elicitus) eſt verus: ergo vero iudicio cenſet, ſe poſſe acōmodare opinioni, quam viri pij, & docti veram, aut probabilem iudicant, ergo licitè illi ſe acommodat; vtraque concluſio eſt euidens. Nam prduentia, aut ex Ariſtotele, ait Cella Dei *lib.* 3. *q.* 3. *fol.* 377. eſt virtus intellectualis, ac proinde practicè vera, [de euius ratione (ait ipſe) & eſſentia eſt veritas, tàm formalis, quàm materialis] actus ergo ille, quo intellectus prudenter iudicat licitum eſſe opinioni grauium Doctorum, qui exceptionem non patiuntur, ſe conformare, veriſsimus eſt: non enim affirmat honeſtum eſſe obiectum opinionis ſecundum ſe, ſed vt tale per illam repræſentari, & apparere viris probis, & valdè peritis, quorum proindè iudicio prudenter ſe fidere poteſt. Qui quidem actus dirigens voluntatem, vt imperet aſſenſum opinionis aliorum, prudentiſsimus eſt, & veriſsimus, licet forte aliorum opinio ſit falſa: quia actus iſte non affirmat eſſe verā; ſed eſſe licitum ſe illi in operando conformare, ſi enim falſa fuerit, error eſt inuoluntarius, & inuincibilis.

10 Itaque quamvis demus Doctores opinantes *hunc contractum non eſſe vſurarium*, errorem inuoluntarium pati, non tamen tu erras, dum iudicas licitum tibi eſſe eorum iudicio tuum ſubmittere, & id operari, quod illi

illi eſſe licitum,te edocent:vt benè P. Cardenas, *ſup.nu.*230. Quia opinio probabilis non eſt regula operationum,quatenus a parte rei eſt vera,ſed quatenus proponitur intellectui, vt probabilis. Hoc enim iudicium non affirmat contractum non eſſe vſurarium ſecundū ſe,ſed vt repræſentatum viro irreprehenſibiliter iudicanti,ob grauitatem motiui propoſiti. Sic ſubditus prudenter exequitur, quod ſuperior pius,& doctus propriæ, vel alienæ opinioni probabili innixus,illi præcipit, licet re ipſa prohibitum ſit, (& quod peccato imputaretur alteri, cui lex naturalis fuiſſet ſufficienter applicata.) Nam quamuis ſuperior inuincibiliter erret, non tamē errat ſubditus, dum iudicat ſibi licitum eſſe obedire in re præcepta ſecūdum probabilem opinionem; quia ad hoc concipiendum iudicium, vtpotè prudens(& quod a ſubdito ex præcepto ſuperioris concipi debet.) non eſt neceſſe iudicare contractum ſecundum ſe non eſſe vſurarium; ſed non videri talem ſuperiori, ex opinione probabili,eius executionē præcipienti,& ideo vt ſubeſt eius præcepto non eſſe prohibum. Quod optimo exemplo confirmat P. Leſsius de iuſt. *lib.2.cap.19. dub.4. num.33.& 36.* Nempè illius, qui non iudicando proximum eſſe probum,& innocentē, in quo eſſet periculum erroris, iudicat, affectu interno,& externo,tāquam probum tractandum: *quod, inquit, iudicium eſt verum, cuius ratio eſt, quia iuſtitia poſtulat, quod in dubio nemo condemnetur criminis.* Qua propter nil eſt, quod veritatem actus reflexi oppugnet,nec quod à prudentia elicitum non eſſe, perſuadeat. Vide Terillum *q.3.num.18. fol.*183.& Granado 1 2. *trat.12.diſp.3.ſect. 3.n.* 2.14.& 16. Quem ſequitur P. Bardi *in ſelect. lib.11.q.vnica,§.4.num.17.fol.*545. dicens: [munus prudentiæ eſt iudicare hic, & nunc veriſimiliter, ideſt, probabiliter licitum.] Quod in præſenti contingit imperanti aſſenſum.

11 Quod ſi adhuc inſtes, neminem operari poſſe iuxta opinionem aliorum, quin eā iudicet veram,& eius obiectum ita eſſe. Reſpondeo id non eſſe verum. Quia licèt actus eliciti à prudentia ſint neceſſariò veri,nō eſt eadem ratio de imperatis. Quod hoc exemplo iterato euinco. Si tres Epiſcopi teſtarentur definitum eſſe aliquod Myſteriū, & aliàs communi æſtimatione ſapiētes, & ſancti haberentur. Quicūq; minus doctus non poſſet, niſi timere, diſētire; ſed credere teneretur, ac proindè prudenter iudicaret ſe in his circūſtantiis, debere aſſenſum illis præſtare, vt cū Valentia, Tannero, Coninch,& Granado tenet Ripalda de fide *diſp.7.in fin.num.*95. dicens: [eis refragari, homini ſaltem ruſtico, eſſe euidenter imprudens.] Hoc ergo iudicium verum eſſet,& à prudentia elicitum,& tamen aſſenſus imperatus,falſus foret, quia non eſt tale myſterium definitum. Ergo rectè ſtat actum prudenter imperatum falſum eſſe. Confirmatur exemplo concubitus Iacobi cum Lia, quam deceptus à Labane ſocero, vxorem inuincibiliter reputans, abſque peccato cognouit, ergo prudenter Socero credidit,& tamen hic aſſenſus, *hæc eſt mea vxor,* fuit falſus: ergo rectè etiam ſtat prudenter imperari aſſenſum opinionis alienæ,& tam. falſum eſſe,& ita fatetur Cella Dei ipſe *lib* 2.*q.9.fol.*236. ibi: [Vir grauis,& fide dignus tibi aliquid refert? Credis? Nil prudētius.] Prudentiſsimè ergo imperari poteſt aſſenſus, licèt fortè falſus: idque pluribus probat Ripalda vbi ſuprà *ſect.*6 per totam, & *ſect.7. num.*95. citato. In quo immorari non eſt neceſſe. Vide Caietanum 2.2. *quæſt.*60. *artic.*4. *verſ. ad euidentiam*, vbi rem hāc ſic explicat. [Recolendum eſt; quod intellectus practicus in moralibus dupliciter cōcurrit, vt cognoſcens,& vt dirigens,& quod non eodem modo verus eſt, vt cognoſcens, & dirigens; ſed diuerſo. Nam vt cognoſcens verus eſt per conformitatem ad rem cognitam, ſicut intellectus ſpeculatiuus. Ab eo enim quod res eſt, vel non eſt, oratio dicitur vera, vel falſa. Sed vt dirigens verus eſt per conformitatem ad appetitum rectum, vt dicitur *in* 6. Ethicorum.]

§. II.

Concluſio ex dictis.

12 QVæ hactenus diximus, euidenter concludunt eſſe moraliter certum,& euidens vltimū iudicium practicum, de vſu licito opinionis benignæ probabilis ab extrinſeco, ſiuè directè probabilior, ſiue minus probabilis ſit, quā contraria. Quia eſt concluſio deducta ex duplici præmiſſa moraliter certa, & euidenti, nempè: quod liceat vti opinione probabili practicè, probabilitate conſcientiæ; & quod hæc ſingularis opinio, quam ſequor, ob authoritatem extrinſecam talis ſit. Ex quibus per actum reflexum euidenter cognoſcitur, non eſſe peccatum in operādo. Et confirmatur, quia vt benè ait Eſparça *in appendice ad quæſt. de vſu licito opin. probab.* [certitudo, & totalis infalibilitas propria prudentiæ reducitur ad vltimum dictamen conſcientiæ, qua reflexiuum eſt,& dictat, vel præcipit electionem ex ſupoſitione præuia conſultationis: quæ poteſt eſſe falibilis.] Quod priùs dixerat Ripalda de *fide prob.6.ſect.7. num.* 80. ibi: [Iudicium euidens prudentiæ non debet eſſe neceſſariò directum per principia intrinſeca,& immediata honeſtatis, ſed ſufficit indirectum, ac reflexum per principia extrinſeca,& mediata, quod ſupoſita probabilita-

et,

te, dictet euidēter, honeſtum eſſe abſque euidentia operari, vt plerumque contingit benè moraliter agentibus.] Quod *num.* 83. iterum explicat: dicens [iudicium prudentiæ, ex quo oritur affectus honeſtus, prudens, & meritorius apud Deum, imperans aſſenſum circa reuelationem non exiſtentem (quando ea proponitur à Parocho, æquè credibilis, ac reuelatio re ipſa exiſtēs) oriri ex ſola apprehēſione probabilitatis, ſeu ſuadibilitatis immediatæ rei. Quod multis probat, *diſp.* 15. *ſect.* 1. *num.* 4.

13 Si verò concluſio certa à principijs intrinſecis elicienda ſit, viri tantum doctiſſimi, & in re morali multum verſati eam eruere poterunt, hoc diſcurſu. Quiſquis efficit, quod principijs intrinſecis, & extrinſecis, & omnibus circunſtantijs inſpectis, iudicat prudenter non eſſe prohibitum, non peccat; ſed ego omnibus circunſtantijs inſpectis prudenter iudico; hunc contractum non eſſe prohibitum. Ergo illum efficiens non pecco. Hoc vltimum iudicium eſt certum, & euidēs ſi præmiſſæ conſtiterint. Quod autem vtraque præmiſſa euidens ſit, facilè probatur, & de maiori non eſt, nec poteſt eſſe cōtrouerſia. Minor autem conſtat, quia illa eſt actus reflexus, quo quis doctus cū ſit, ſuum actum directum probabilem introſpiciens, euidenter experimentaliter cognoſcit, elicitum fuiſſe ex motiuo vehementer alliciente virū doctum, & probū, & in re morali valdè verſatum, ad aſſenſum talis obiecti; ideoq; prudenter imperatum fuiſſe: eſt ergo euidens concluſio, ſeu dictamen vltimum practicum. Hoc ſatis explicuit D. Thom. 3. *p. q.* 9. *art.* 3. dicēs: [Opinio ex ſyllogiſmo dialectico cauſata eſt via ad ſcientiam, quæ per demōſtrationem adquiritur, qua tamen adquiſita, poteſt remanere cognitio, quæ eſt per ſyllogiſmum dialecticum.] Poteſt ergo opinio probabilis eſſe via ad actum euidentem, ſeu cōcluſionem reflexam, qua quis certo, & euidenter cognoſcit electionem talis obiecti eſſe ſibi licitam,

14 Quod mirum tibi non accidet, ſi aduertas, actum reflexum experimentalem, & euidentem habere pro obiecto opinionem, ſeu iudicium directum probabile; non verò, vt premiſſam, ex qua inferatur; ex ſe enim illa euidentiam habet, apprehenſis motiuis directi, & circunſtantijs in quibus prudenter imperatur. Quo diſcurſu omnes vti poſſunt, etiamſi principia intrinſeca non percalleāt. Vide Terillum *quæſt.* 13. *num.* 36. *& ſeq.* & P. Salas 1. 2. *tom.* 1 *tract.* 8. *diſp. vnic. ſect.* 3. *num.* 30. *fol. mihi* 1187. *& ſect.* 17. *num.* 160. *fol.* 1235. vbi de hoc iudicio reflexo. [Actio (inquit Salas) non honeſtatur ex iudicio probabili, quod ad licitum formatur, ſed ex alio iudicio reflexo, quo intelligo licitū eſſe ſequi opinionem probabilem, etiamſi non ſit propria, nec probabilior.] Eſt præterea poſſibile aliud iudicium, quod ante vltimum iudicium certum, & euidens formari poteſt per actus exprimentes, *aut legem non eſſe, aut non fuiſſe ſufficienter propoſitam: Et in dubio meliorem eſſe conditionem poſſidentis*, quas circunſtantias actus directi nō attigerant, & illis adiutus intellectus probabilius iudicat licitū eſſe opinionem probabilem amplecti, relicta tutiori probabiliori. Quod quidē iudicium reflexe cognitum, multum etiā deſeruit ad fundādum vltimum dictamen certum, & euidens de non peccato, quamvis neceſſarium ad hoc nón ſit. Quibus conſonat Ripalda *tom. de Fide, diſp.* 6. *ſect.* 6. *num.* 78. vbi ait: [Euidentia reflexa cum ſola probabilitate directa haberi poteſt, ex eo euidenti principio, quod honeſtum, & prudens eſt, ſectari opinionem probabilem,] & ante illum Suarez 1. 2 *tract.* 3 *diſp.* 12. *ſect.* 5 *nu* 8. vbi ſic: [Quotieſcumque eſt opinio probabilis hanc actionem non eſſe malam, vel prohibitam, vel præceptam, poteſt aliquis formare conſcientiam certam, vel practicam conformem tali opinioni. Quamvis enim materiæ morali non conueniat certitudo veritatis, ſed ſola probabilitas; cōuenit tamen certitudo bonitatis in electione, vt ex Ariſtote, & D. Thom. firmat Caram. vbi ſupr. *numer* 27. *fol.* 21.

15 Ex quibus deducitur eum, qui opinionem probabilem ſequitur, poſſe habere ex principijs reflexis iudicium certum, & euidens de nō peccato, licet opinio ipſa, ſeu aſſenſus ex principijs directis conceptus ſit actus formidoloſus de exiſtētia obiecti, v. g. opinio, ſeu aſſenſus directus, quo quis iudicat, hunc contractum non eſſe prohibitum, certus non eſt; ſed formidinem partis contrariæ admittit, & tamen vltimum iuditium ex principijs reflexis èlicitum certum, & euidens eſt, vt probaui. Vide Honeratum Fabri, *Dialogo* 1. *fol.* 7. Clara hæc ſunt, & talia eſſe probat Eminentiſsimus Cardinalis Sforcia Palauicinus, *tom.* 1. *in* 1 2. *diſp.* 9. *ſect.* 4. [Eſt, inquit, euidens. Eſt enim primum principium practicum, quod vnicuique licet facere id, quod omnibus penſatis ſibi licitum videtur. Quippè non habemus aliam regulam proximam liciti, vel illiciti, quam lumen intellectus datum nobis à Deo.

§. III.

Quid obyciat Cella Dei.

10 NIhilominus hunc diſcurſum ſe percallere non poſſe, fatetur non inuitus Cella Dei, *fol.* 361. [Nos, inquit, ex maiori, & ferè nunquam fallente probabilitate, neſcimus eam certitudinem, & euidẽtiam elicere. Quia tota menſura prima actuũ noſtrorum eſt Lex Dei: & arbitramur nos ſic ſolum poſſe eſſe certos de non peccato actus noſtri, nec plus, nec minus, ſicut certi ſumus illum non eſſe contra legem Dei] ſic ille. In quem, & ſimiles ſic inuehitur doctiſsimus P. Honoratus Fabri in opere *de opinione probabili, Dialogo 7 fol. mihi* 148. [Mirum, inquit, mihi accidit, anti probabiliſtas nunquã hoc intellexiſſe, vel potiùs diſsimulare. Neque enim vtriuſque iudicij idem obiectum eſt. Iudico probabiliter verum eſſe obiectũ, iudico certò prudentem eſſe aſſenſum; iudico etiam certò prudentem, & rectum eſſe vſum; vndè ex certa probabilitate, certa prudẽtia, tum probabilis aſſenſus, tum recti vſus conſequitur, vel potius iudicij practici, quo iudico rectum eſſe vſum.] Qui iterum exponit, *fol.* 153. & ſæpè alibi, contra nollentes capere diſtinctionem obiecti actus ſpeculatiui, ſeu opinionis, ab obiecto actus practici, vt de facto contigit Cellæ Dei.

17 Sed rogo: vnde ipſi certum, & euidẽs ſit, licitum eſſe vſum ſuæ opinionis probabilis practicè pro libertate, vt aſſerit, *fol.* 351. his verbis. [Tàm certa, & euidens eſt veritas huius propoſitionis, quàm certum, & euidẽs eſt licitum eſſe vſum humanarũ legum, & ſcientiæ moralis.] Cum tamen certiſsimum ſit, quòd opinio hæc falſa eſſe poſsit, & legi Dei contraria, vndè, quæſo, hanc certitudinem, & euidentiam elicere ſciuit? non ex præmiſſis probabili, ergo ex alijs certis, & euidentibus. Ergo vltra præmiſſas directas, ſeu iudicia probabilia, & formidoloſa circa contractus, vel alia obiecta, quorum honeſtas, ſecundum ſe conſiderata, non eſt certa, dantur aliæ præmiſſæ reflexæ certæ, & euidentes, ex quibus euidenter deducitur vſum opinionis probabilis benignæ (licet forſan ex errore inuoluntario falſæ) nón eſſe prohibitum, nec contra Legem Dei, ex quibus certi reddimur de non peccato in eius vſu, licet certi non ſimus de veritate opinionis probabilis, nec ſciamus contractum materialiter non eſſe malum. Conſequentia eſt aperta, & euidenter euincit, Cellam Dei ipſum, quando opinionem probabilem minus tutam ad praxim reducit, certum eſſe de non peccato, ſic diſcurrendo: *Certum, & euidens, mihi eſt licitum eſſe vſum opinionis probabilis A, ſi minus tutæ, ſed vſus huius opinionis, & eſt opinionis probabilis, etſi minus tutæ. Ergo certũ eſt, & euidens mihi eſt licitum eſſe; ergo certum, & euidens me in hoc non peccare.* Vndè concluditur, hunc Recentiorem falsò ſcripſiſſe, *fol.* 403. [In tantum quis ſcire, & exiſtimare poteſt, ſe non contrahere malitiam formalem, nec plus, nec minus, in quantum ſcit, & exiſtimat nõ incurrere malitiam materialem.] Hoc enim prorſus falſum eſt, quia ipſi Cellæ Dei certum, & euidens eſt, vſum opinionis benignæ practicè probabilis eſſe licitum, & tamen ipſe non ſcit certò, & euidenter, non incurrere malitiam materialem; quia non ſcit hac certitudine, quod opinio probabilis ſit vera; ſi enim in re ſit falſa, nequit electio ſui obiecti non eſſe materialiter mala, cum obiectum eius materialiter, & ſecundum ſe malum ſit.

18 Inſuper ſic in illum inſurgo, vel cum probabili iudicio directo de honeſtate contractus, excluditur certò periculum malitiæ formalis electionis, vel non? Si primum, per actum reflexum de tali iudicio, habebit certitudinem practicã de honeſtate electionis, & ſe operari ſine periculo malitiæ formalis: ſi ſecũdum, ergo qui ſequitur opinionem probabilem benignam, quantumvis practicè probabilem, exponitur periculo malitiæ formalis. Quæ an vitetur, ſolus Deus ſcit. Ergo quicumque eam amplexatus fuerit, anxius ſemper eſſe debebit, an lethaliter peccauerit, ſi enim malitiam materialem contraxerit, & formalẽ incurriſſe neceſſe erit, & ideo ſi abſq; contritione, vel cõfeſsione decedat, in æternum peribit: & cum nequeat non dubitare de malitia materiali, nequibit non de formali: ſicut nequit eſſe certus de vitanda formali, quin etiam de materiali; vt vult recentior iſte. Sed fallitur. Quia ad certitudinem de defectu malitiæ materialis, neceſſarium eſt iudicium certum, quod obiectum nulla ſit lege prohibitum, quod, vbi deficit euidentia, vel diuina fides, dari non poteſt. Ad certitudinem vero de defectu malitiæ formalis in electione ſufficit iudicare prudenter, vel obiectum nulla lege prohibitum eſſe, vel legem non eſſe ſufficienter intimatam; quod quidem veriſsimum, & prudentiſſimum eſt, & ex doctorum diſsidio euidenter deductum.

19 Inſtabis: malitia materialis abit in formalem, quando eſt voluntaria. Atqui quando eſt opinio probabilis pro lege, idque ab operante non ignoratur, eſt voluntaria electio obiecti probabiliter prohibiti, ergo eſt operanti imputabilis tranſgreſsio legis diuinæ, ſi re ipſa opinio ſit falſa. Reſpondeo

pri-

Digitized by Google

primo: huic argumento, etiamſi opinio ſit re ipſa vera, omnes reſpōdere teneri: quia cū poſsit eſſe falſa, eo ipſo quod opinio tantum ſit probabilis, (licet alias quoad nos moraliter certa foret) cognoſcit operaturus, quod poteſt coram Deo eſſe falſa: ergo nunquam opinionem fauentem libertati licebit eligere, quia cum aliqualis cognitio malitiæ obiecti præcedat, malitia materialis tranſibit in formalem: cum ſit electio obiecti à principio intrinſeco cum cognitione.

20 Reſpondeo ſecundò, hanc obiectionem contra fere omnes Thologos militare: certum enim eſt licitum eſſe eligere opinionem minus tutam, ſi probabilior ſit contraria (quidquid vnus, vel alter reclamet) vt pluribus ex Diuo Thoma exemplis fideliter excerptis probavi *1. part. q. 5. §. 3. & vt ait M. Prad. tom. 1. q. moral. tract. 1. q. 3.* [Fuit ſemper hæc concluſio communis, & in terminis tenent ſanctus Antoninus, Sotus, & communiter Thomiſtæ, & interpretes D. Thomæ.] Atqui ſequentes opinionem minus tutam, & probabiliorem benè noſcunt contrariam Scoti, & aliorum pro lege eſſe probabilem, & indiferentem, vt ſequatur transgreſsio materialis legis: ergo ſi hæc verè detur, illi imputabitur, vtpotè voluntaria à principio intrinſeco cognoſcente ſingula. Minor eſt omnium, quia cum maiore probabilitate compatitur falſitas, vt ait Ariſtoteles *8. Topicorum ca. 4. paulò poſt principium. Nil enim, inquit, prohibet alicui videri, quæ non ſunt, magis quam vera.* Vndè ortum habuit commune illud axioma, *multa falſa ſunt probabiliora veris.* Ergo malitia materialis, ſi forte detur, erit operanti voluntaria, ergo tranſibit in formalem. En tuum argumentū, quod nullius Theologi mentem antea torſerat.

21. Idemque retorqueri poteſt in Cella Dei, & Baronium, quia licet vterque neget vſum opinionis fauentis libertati, quando opinio cōtraria pro lege manet probabilis. Verum tamen Cella Dei contentus eſt opinione probabili minus tuta. Et cùm reflexe cognoſcatur ab operante poſſe ſubeſſe falsò, non poteſt non voluntarium illi eſſe periculum incurrendi malitiam materialem, quæ proinde in formalem tranſeat. Inſuper cum moralis certitudo de honeſtate obiecti, (quam ſecum ferre debere opinionem fauētem libertati, vt eius vſus liceat, contendit Baronius) compati poſsit cum falſitate, nequibit, ſi falſa ſit, non imputari homini malitia materialis, quam re vera vitaſſet, ſi certum elegiſſet; nempè opinionem pro lege, & dimiſiſſet incertum, ſcilicet opinionem pro libertate. Omnes ergo tenentur obiectioni factæ reſpondere.

22 Pro omnibus ergo ex communi Theologorum ſententia reſpōdeo, malitiam materialem non tranſire in formalem, quando operatio eſt a principio intrinſeco cognoſcente ſingula, per actum repugnantem cum ipſa malitia formali: vt in re præſenti contingit, quia, vt ſit volūtaria, requiritur, quod poſsim, & debeam illam vitare. Non autem debeo: nam qui operatur ex opinione probabili, certo, & euidenter cognoſcit ſe nō peccare, quia prudentiſsimè iudicat ſe non teneri lege, quæ vel non datur, vel non eſt ſufficienter intimata. Ac proinde, qui credit probabiliter legem non ſubſiſtere, etiamſi oppoſitum probabile ſentiat, non exponitur periculo peccandi, nec oppoſitum eſt probabile. Quia probabilitas contrariæ ſententiæ eſt tantum ſpeculatiua, nullum habens influxum in actū, qui procedit ex dictamene conſcientiæ iudicantis hic, & nunc licitum eſſe operari. Periculum autem, cui exponitur eſt periculum mali phiſici, vt benè ait M. Prado *tom. 1. Theologiæ moralis, cap. 1. q. 4. §. 3. nu. 16* ex Magiſtro Baptiſta, & alijs. [Eſt, inquit, periculum mali phiſici non periculum mali moralis. Et hoc periculum poteſt ſubire homo, ſine vllo peccato: quia idem periculum eſt, cum ſequitur homo opinionem probabiliorem, quia cum nō ſit infallibilis, poteſt eſſe falſa.] His ſimilia inuenies apud Vazquez *1. 2. diſp. 62. ca. 9.* & apud Patrem Antonium Perez *tract. 2. de reſt. diſp. 2 cap. 4. num.* 101. & 102. vbi ſic: [in dubio de exiſtentia legis potius eligenda eſt ea pars, quæ dictat licere contra legem dubiam agere. Nūquam enim ſumus magis à violatione legis liberi, quam tunc, quando nobis perſuademus nos lege non teneri. Potius enim is, qui dicit legem obligare, ſe exponit periculo peccandi, fortaſsis enim peccabit, qui hoc ſibi perſuaſit, qui autem dicit legem non obligare peccare non poteſt.] Dices poſſe facere materialiter contra legem, ergo propter hoc periculum debet omittere actionem, de qua dubitat vtrum ſit contra legem materialiter: Reſpondeo hoc periculum eſſe exiguum, ſi conferatur cum periculo imminente, ex eo quod nobis perſuaſſerimus legem dubiā obligare in omni euentu: quis enim hominum tam duram legem ſeruaret? Leges igitur naturales, & etiam poſitiuæ, ſibi proſpicientes, & ne paſsim violentur formali violatione, debent potius permittere, vt nulla ſit obligatio eas ſeruandi. Quod autem aliquando contingat dubitationem perſeuerare, & materialiter violari legem, non eſt tāti momenti, vt conferri poſsit, cum periculo, & malis, quæ timeri poſſunt ex lege vniuerſali ſeruandi legem dubiam. Vndè efficaciſsimè refutatur contraria opinio. Lex permittens agere contra legem dubiam in propoſito

euen-

euentu,& naturæ conuenientior, quàm lex prohibēs. Ergo nulla eſt lex naturalis,& prohibens,ſed permittens. Conſequētia eſt perſpicua,antecedens verò probatur. Nam;ſi lex naturalis prohibens agere contra legem dubiam in propoſito euentu, eſſet conuenientior,ideò eſſet,quia præueniret magis pericula violandi leges, & earum authoritatem contēnendi. At contrarium accidit,vt vidimus.]Sic ad rem noſtram diſcurrit doctiſſimus vir Antonius Perez.

23 Huic ſolutioni non facilè diſſentiet Cella Dei,quia *lib.3.q.2.§.5.fol.361.* docet defectum certitudinis, nempè ſpeculatiuæ, circa res,vt ſunt in ſe,non reddere operationem vituperabilem,quia periculum, inquit, falendi eſt remotum, vt omnia pericula de raro contingentibus. Pericula autem remota non tenemur cauere,nec ſumus vituperabiles in illis non cauendis. Quod igitur ipſe de periculo remoto falſitatis actus ſpeculatiui probabilis prudētiſsimè tenet, id ipſum alij Theologi communiter verum putant de periculo falſitatis, cui opinio probabilis eſt obnoxia, quia illi præponderat veritas actus ſpeculatiui reflexi circa probabilitatē actus opinatiui directi,certo cognitā, vtpotè per actum experimentalem certificantem intellectum de efficacia apparentiæ motiuorum ſuadētium aſſenſum:ratione cuius opinio probabilis,quando in re falſa eſt, eodem modo influit in dictamen practicum conſcientiæ,ac ſi res forent, vt cognitioni ſubſtant. Qua propter periculum illud falſitatis ſpeculatiuæ opinionis probabilis, non tenemur vitare:Nec ſumus vituperabiles in illo non cauendo,quia prudēter iudicamus, nos non obligari lege,quam ex motiuo vehemēter allicientè,cenſemus,vel non exiſtere,vel non eſſe ſufficiēter intimatam,ideoque certum eſſe nos non peccare. Videatur Sanctius *in ſelectis,diſp 42.num.12.*

24 In hoc autem diſſentimus Cellæ Dei, qui poſt ſuperius dicta concludit. [Honeſte ergo operari poſſumus ex dictamine conſcientiæ,& ex conſcientia probabili. Poſſumus dico. Nam non repugnat nos peccare operando cum conſcientia, quæ nobis probabilis,imò certa etiā videatur,ſed non ſit.] In hac,inquam parte, cum illo non conuenimus,certum reputātes in operatione procedente ex conſcientiæ dictamine, vt à nobis explicato,peccatum repugnare. Quod & ab ipſo concedi debere contendimus, & ipſius verbis loco ſupra citato comprobamus, quia,vt probet non eſſe neceſſarium dictamen certum ad non peccandum ſequendo opinionem probabilem minus tutam, hac vtitur ratione:[propter hęc pericula remota nempè efficiendi rem,quam poſsibile eſt eſſe lege prohibitam,operari nolle,eſſet indiſciplinati,ac nimium timidi.] Ergo velle tūc operari eſt viri diſciplinati & prudentis. Ergo qui operatur ex opinione apud Doctores claſsicos probabili prudenter operatur. Eſt euidens. Atqui operationem eſſe prudētem, & eſſe peccaminoſam repugnat, vt ipſe probat *lib.3.q.3.fol.368.& ſequentibus.* Ergo cum per actum experimentalem reflexum certo cognoſcat ſe prudenter operari, certo etiam cognoſcit ſe non peccare. Quia,vt Baronius,ait *1.part.Theologiæ moralis, diſp.2. ſect.2.§ 1.*[qui prudenter agit, nec ignorat, nec dubitare poteſt, opus ſuum licitū eſſe.] Ad hoc enim non requiritur,quod opus eliciendum ſit re ipſa bonum,ſed quod ſit conforme appetitui recto,id eſt,quod conducat aduitandum malum morale,vel conſequendum finem bonum. Cum autem poſito errore inuincibili circa res ipſas, v.g. quod contractus A,ſit iuſtus:dictamen ſubſequens prudentiæ veriſsimè affirmet in his circunſtantijs eſſe conforme naturæ rationali illum exequi,nequit,qui exequitur, dubitare opus ſuum licitum eſſe.

25 Nec dici poteſt,non poſſe cognoſcere certo opinionem eſſe probabilem. Nam vt ſupra notauimus ex Philaletho *fol.54* nos non opinamur eſſe probabilem opinionem, ſed ſcimus eſſe probabilem, quando ſcimus habere rationem aliquam non leuem, vel authores ſatis graues. Nec valet dici actum voluntatis non elici prudēter,quando re ipſa eſt materialiter malus,vt contendit Cella Dei ſuprà *quæſt.3.* Nā prudentia non eſt virtus intellectus ſpeculatiui, cuius veritas cōſiſtit in cognoſcere,ſed practici, cuius veritas conſiſtit indirigere ad actum conformē appetitiui recto;id eſt, rectæ intentioni finis, vt tradit D.Tho.*1.2.q.57. art. 5. & 2.2.q. 60.art.4* & ibi diffuſe Caietanus. Quamvis autem intellectus ſpeculatiuus erret iudicās eſſe bonum,quod re ipſa tale non eſt,non errat practicus iudicans eſſe conforme rationi id velle, quod tale inuincibiliter iudicatum eſt. Non ergo prudentiæ repugnat actus voluntatis materialiter malus, præcedente actu erroris inuincibilis obligationis, quo intellectus ſpeculatiuus iudicet,quæ nō ſunt ac ſi re vera eſſent,quo poſito prudentia veriſsimè dictat licitum eſſe voluntati velle hic & nunc talem contractū celebrare. Hoc enim dictamen nullum errorem continet, illudque ſubſequitur electio voluntatis honeſta, ſeu abſque vlla formali malitia. Cui tamen materialis non repugnat. Quia forſan lege aliqua abſoluta nobis ignota eſt re vera prohibita, & ſi per accidens ex ſuppoſitione erroris inuincibilis,v.g. de obligatione [illegible] pro ſalute proximi, cadat ſub

præ-

præcepto. Ergo malum phiſicum ad voluntatem pertinēs non repugnat prudentiæ, ſicut nec imperare malum phiſicum intellectus ſpeculaui, nempè actum falſum, quod illi ſæpè contingit, quando dubia interprætari iubet in meliorem partem, vt ex charitate tenetur. Quod tradit D. Thomas q. 60. *citata, art.* 4. & Caietanus, ibi: Dices cum Cella Dei, appetitum rectum eſſe voluntatem exequendi omnia, quæ iuſsit re ipſa Deus, & ea vitandi, quæ prohibuit: ac proindè ferri ad bona, & mala re ipſa talia, & quæ aliter ſe habent, non eſſe ex prudentia. Reſpondeo ad hæc ferri appetitum rectum, quando vt talia ſubſtant cognitioni, ſecus quando intellectus circa illa inuincibiliter errat, quia tunc in illa, vt poſt diligentiam adhibitam apparent, appetitus rectus fertur.

§. IV.

Aliæ obiectiones Cellæ Dei, contra ſuperius dicta de certitudine iudicij.

26 Obijcit primò. Actus nequeunt eſſe certi, & euidentes, ſi obiecta illorum incerta ſunt, & in euidentia; ſed obiectum vltimi dictaminis eſt opinio, v.g. aſſerens hunc contractum non eſſe prohibitum, quæ incerta, & ineuidens eſt, ergo & vltimum dictamen conſcientiæ incertum etiā, & in euidens erit. Sic arguit *lib.* 3. *q.* 18. *fol.* 525. *verſ. Hoc nunc.* Idemque argumentum præmiſerat, *quæſt.* 2. *fol.* 343. Reſpondeo per inſtantiam. Qui opinatur, poteſt reflexe euidenter cognoſcere, ſe opinari. Ergo licet obiectum actus reflexi non habeat certitudinem, & euidentiam actus vitalis affirmantis, vel negantis; ipſe tamen actus reflexus eam habere poteſt, eſt indubitabile. Diſtinguo igitur maiorem, & aſſero nullum actum poſſe eſſe certum, & euidentem, quin eius obiectum ſit certum, & euidens in eſſe obiecti, id eſt, quin ſit tale, quale repreſentatur: quod poteſt contingere, quamuis tale obiectum, in eſſe actus vitalis affirmantis quidquam aliud, nec certitudinem, nec euidentiam, ſed falſitatem habeat; ſic Cardinal. de Lugo *tom. de fide diſp.* 5. *ſect.* 1. *num.* 16. ibi: [Reſpondetur iudicium vltimum practicum (& ſuo etiam modo apprehenſiones, ſi quæ ſunt illud præcedentes) non eſſe probabile, ſed euidens; quippe quod ſemper eſt intuitiuum, vel connexum neceſſariò cum intuitione, eſt enim reflexum ſupra ſtatum, quem obiectum vltimo habet in intellectu de præſenti, quem ſtatum præſentem intueri homo poteſt per actum reflexum, quare non poteſt probabile eſſe, quia cognitio intuitiua nōn eſt probabilis.] Sic Eminentiſsimus Lugo, & ſic alij communiter. Quod paſſim tradit Candidus Philalethus *de opinion. praxi.* Vide *fol.* 61. 62. & 77. 78. & 123. à *fol.* 172. in editione Cremonenſi, anno 1646.

27 Obijcit ſecundo, *fol.* 347. dictamen fundatur in antecedentibus cognitionibus, quæ probabiles ſunt tantum; ſed ex probabilibus nequit elici dictamen certum, & euidens, quia per regulam concluſionum nequit eſſe certior illis; ergo prorſus videtur impoſsibile formare conſcientiam certam, & euidentem in materia ſolum probabili. Reſpondet Philalethus, *fol.* 11. ex medio probabili; quale eſt iudicium dictans *pingere in die feſto non eſſe opus ſeruile*, ſolum poſſe quem opinari probabiliter ſe rectè agere [eſſe tamen aliud medium generale, complectens omnes materias, quod ego non pecco, quotieſcumque ſequor dictamen rationis, ex quo ſub infero. At modo (pingens in die feſto) ſequor dictamen rationis, igitur non pecco.] Sic ille; & benè. Reſpondeo ergo, facile ex dictis, cognitiones, ex quibus tanquam ex præmiſsis elicitur dictamen certum, & euidens, eſſe certas, & euidentes, vt demonſtraui, non enim ſunt ipſa opinio probabilis. Quia hæc non eſt præmiſſa, ſed obiectum præmiſſarum, quæ præmiſſæ certò, & euidenter ſupra ipſammet opinionem reflectunt, eiuſque exiſtentiam, & vſum licitum certò, & euidenter enuntiant. Si diſcurrunt P. Ioannes de Cardenas *in diſput.* 15. *capit.* 4. *artic.* 11. *numer.* 328. 351. *Terillus de probabilitat. quæſt.* 13. & Pater Honoratus Fabri *Dialogo* 1. *fol.* 14. vbi ſic: [Vis ſeriem conſequentiarum; certum eſt opinionem illam, quæ vltimam ab illo contractu ablegat, eſſe probabilem; igitur certum eſt prudentem aſſenſum ei præberi; igitur certum eſt illam opinionem prudenter hic, & nunc elegi: igitur certum eſt prudentem eſſe illius vſum: igitur certum eſt actionem illam, qua vſum exequor; id eſt, qua talem contractum ineo, eſſe prudentem: igitur hæc prudens actio fundatur in probabilitate illius opinionis, vel potius in certitudine probabilitatis, non quidem proximè, & immediatè, ſed mediatè, ac remotè, proximè verò in illo vltimo iudicio practico, quod conſcientiam conſtituit.] Hæc ille. Et bene.

28 Obijcit 3. *fol.* 348. concientia poteſt errare, vt tradit Diu. Thom. *quæſt.* 17. *de veritate, art.* 2. Sed ſi vltimum dictamen in materia ſolum probabili eſſet certum, & euidens, errare conſcientia non poſſet. Ergo: Diſtinguo maiorem, poteſt errare quoad dictamen non vltimū concedo, quo ad dictamē vlti-

vltimum practicum, ſubdiſtinguo. Si error penalis ſit vincibilis, concedo. Si inuincibilis, nego. Et ſimiliter minorem. Quia tantum aſſerimus eſſe certum, & euidens dictamen vltimum, quando penultimum probabile eſt, vel vt probabile proponitur, ac proinde ſi falſum, inuincibiliter errat. Explicatur diſtinctio, duplex dictamen in conſcientia conſiderari debet, (vt conſtat ex dictis ab Honorato Fabro, & tradunt communiter Doctores) aliud remotum, & directum, quod elicitur ex principijs directè probantibus, v. g. hunc contractum non eſſe vſurarium, nec prohibitum: quod quidem iudicium, ſi errorem vincibilem contineat, nempè ſtudio, & diligentia ſuperabilem, non erit probabile, ſed erroneum in ſe, & peccatum. Si verò præfatum iudicium probabile ſit, & ideò ignorantiam inuincibilem falſitatis inuoluens, licet erroneum impropriè dicatur, propter falſitatem, non tamen eſt peccatum, & deponi non debet (vt aſſerit Diu. Thomas *q. 17. de veritate, art. 4. ad 4.*) de iſto agitur dictamine directo, & remoto. Quod ſpeculatiuum vocamus, non aſſerimus eſſe neceſſario certum, & euidens, repugnat enim certitudo, & euidentia cum falſitate, vt ex terminis patet. Dicimus verò (vt cum pluribus loquamur) ab hoc iudicio conſcientiam dominationē ſortiri. Vocatur enim recta, ſi verum, & erronea, ſi falſum, vincibilis, vel inuincibilis, iuxta qualitatem ignorantiæ, licet propriè loquendo, non ſit dicenda conſcientia erronea, ſed probabilis, quia iudicium, licet falſum, non eſt erroneum, niſi quādo abſque rationabili motiuo, ſeu fundamento concipitur, vt benè ait Honoratus Fabri *Dialog. 1. fol. 9* & opinionem probabilem, & ſi falſam, *inepte vocari errorem*, ait Pater Eſparza *in Appendice, art. 162.*

29 Verum vltra hoc remotum, & directum iudicium probabile, datur aliud proximum, & vltimum practicum deductum ex actibus reflexis habentibus pro obiecto iudicium illud directum, & certo, & euidenter enuntiantibus contractum illum fuiſſe in mente directè, & prudenter repræſentatum, vt licitum. Quod ita eueniſſe veriſsimum eſt, licet iudicium directum prudenter imperatum, falſum eſſe, ex errore inuoluntario, & inuincibili contingat. An vero conſcientia, prout iudicio, & dictamine vltimo conſtituta, dicenda ſit erronea; nec ne? licet quoad primum talis dicatur; quæſtio de nomine erit; vt conſtat ex dictis; cæterum ſi preſſe loquendo ſit, non erroneam, ſed rectam appellabimus in poſterum: quia conſcientia propriè ſupponit pro vltimo dictamine immediatè dirigente voluntatem ad operandum, quod ſi verum, ne dum certum, & euidens, impropriè dicetur erroneum, vel, conſcientia erronea, ſi verò, impropriè loquendo, erroneam dici velis, ab errore, & ſi inuoluntario, & inuincibili iudicij ſpeculatiui, directi, & remoti; quod vt obiectum reflexe cognitum fundat iudicium certum, & euidens de honeſtate operationis: ſit ei ſo?

30 Doctrinam hactenus traditam tenet expreſsè Cardinal de Lugo *tom. de fide diſput. 5. ſect. 1. num. 20.* vbi ſibi ſic obijcit [dices: qui operatur cum conſcientia erronea, obſeruando, vel violando præceptum falſum, quod ſibi fingit; non poteſt habere iudicium vltimum certum, aut probabile, ſed falſum, & erroneum, & tamen meretur operando, iuxta illud iudicium. Ergo non requiritur iudicium euidens, immò nec, verum ad prudenter operandum. Reſpondetur facilè, eo caſu, iudicium vltimum veriſsimum eſſe, & prudentiſsimum: nam licet aliquod iudicium præcedens fuerit falſum, quo falſo iudicatur præceptum obligare, & ideo dicatur eſſe conſcientia errans: Poſito tamen illo iudicio, & quod homo ob ignorantiam, vel inaduertentiam ſuam, non inuenit viam euadendi obligationem legis veriſsimum, & certiſsimum eſt hominem hic, & nunc obligari ad ponendum opus illud, & hoc iudicium elici poteſt etiam à prudentia infuſa, & deſeruire ad meritum etiam ſupernaturale.] Quid clarius? Quid verius? cui conſonat Honoratus Fabri *Dialog. 1. de prob. fol. 14*

31 Obijcies 4. Ex Vvendrochio *in diſſe. 1. de prob. ſect. 2. pagin. 5.* Qui incertus eſt, an rem illicitam fecerit, certus eſſe non poteſt, ſe non peccaſſe; ſed qui opinionē probabilem benignā eſt ſequutus, id fecit, quod probabiliter tantum putabat eſſe licitum, ergo certus non eſt, id quod fecit, non eſſe illicitum, ergo certum non eſt ſe nō peccaſſe.] Hoc argumentū æquiualenter inculcat Cella Dei, *fol. 361. 403.* & alibi, ſed facilem ſolutionem habet. Nam cum incertitudine, & ſola probabilitate de honeſtate obiectiua contractus, ſtat certitudo, & euidētia de honeſtate electionis illius: quia ad hanc ſufficit voluntari, per aſſenſum prudenter imperatū, proponi, vt licitam. Nam voluntas tendit in obiectum, vt propoſitū, & applicatū per voluntatem, non in illud, vt eſt in ſe. Qua propter ad argumentum diſtinguo maiorem. Qui incertus eſt, an rem illicitam ſecundum ſe fecerit, quæ tamen, vt licita hic, & nunc dictamine vltimo practico certo propoſita fuit non poteſt eſſe certus non peccaſſe, nego: qui incertus eſt, an illicitam, vt propoſitam

ſe-

feceris, concedo. In præſenti vero caſu, certus quis eſt, non fuiſſe rem propoſitam, vt illicitam; ſed quam per actum reflexum euidentem cognoſcit ex motiuo probabili fuiſſe vt licitam iudicatam, & dictamine vltimo practico certo licitam eſſe eius electionem. Diſtinguo etiam minorem, ſed qui opinionem probabilem benignam ſecutus eſt, id fecit, quod probabiliter tantum putabat eſſe licitum: per actum remotum, & directum, concedo. Quod probabiliter tãtum licitum putabat per vltimum actum, ſeu dictamen ex principijs reflexis elicitum, nego. Per hunc enim cognoſcit certo, & euidenter eſſe licitam electionem obiecti, quod prudenter honeſtum, aut non prohibitum iudicatur, licet ſecundum ſe quale ſit, ſoli Deo ſit notum. Ideoque certus eſt ſe non peccaſſe, & ſi non ſit certus obiectum fuiſſe ſecundum ſe honeſtum: *Sic in cap. inquiſit.44. de ſentent. excomm.* definitur, vxorem poſſe licitè debitum reddere, & ſi dubiter de valore matrimonij, *& in cap. quid culpatur 23. quæſt.* 1. traditur ſubditum à Principe vocatum ad bellum licite bellare, & ſi dubitet de honeſtate operis præcepti. Ergo licet non ſimus certi de honeſtate obiecti, poſſumus tamẽ ex alijs principijs certi eſſe de honeſtate formali electionis illius, ac proinde certi non peccare. Hinc in Vvendrochium, & ſequaces, ſic irrumpit Terillus *quæſt. 21. nu. 32. fol. 312.* [in hoc tàm Vvendrochij, quàm aliorum nobis aduerſantium error conſiſtit, quod nunquam reflectant ad honeſtatem operationis, ſed ſolum figant mentem in honeſtate obiectiua operis ſecũdum ſe. Similiter ſolum conſiderant, quod ex principijs directis vniuerſalibus inferri poſſet de honeſtate operis ſecundum ſe, nũquam autem reſpiciunt ad principia ſynderesis reflexu; & quid ex illis concludatur de honeſtate huius particularis electionis, de qua tamen tota diſputatio vnice procedit.]

§. V.

Conſectarium primum.

32 Ex hactenus dictis infertur, falſam eſſe ſententiam Cellæ Dei *lib. 3. q. 2. §. 4. in fine*, aſſerentis, eum, qui probabiliter, & prudenter, omnibus inſpectis, ſe iudicat, per abſolutionem ſacramentalem, rectè diſpoſitum ad communionem, quantumvis hoc ſibi probabilius ſit; nequire eſſe certum ſe non peccare communicãdo. [Qui certus, inquit, non eſt de ſua diſpoſitione, certus eſſe nequit de ſuo nõ peccato, in actu ſuſceptionis: nam tota ratio peccati, vel non peccati, ſumitur ex digna, vel non digna ſuſceptione; & eſt tota ratio legis; nec eſt vna lex, de digna ſuſceptione, & alia lex de non peccato. Ergo ſic eſt certum non peccatum, ſicut eſt certa digna diſpoſitio. At de digna diſpoſitione non datur certitudo, ergo neque de non peccato.] Hęc ille, ſed aperte fallitur. Hic enim actus reflexus: *Mihi licet communicare, licet certus non ſim de ſtatu gratiæ, per abſolutionem à peccatis, veriſsimus eſt.* Alias nemini liceret ad Euchariſtiam accedere, quia nemo pluſquam probabile iudicium, de ſtatu gratiæ cõparare poteſt: nam, vt ait Trident. *ſeſſ. 6. cap. 9. Quilibet, dum ſe ipſum ſuamque propriam infirmitatem, & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare, & timere poteſt.* Igitur per principia reflexa (licet certus per directa non ſit de diſpoſitione) poteſt certus euadere de ſuo non peccato, in actu ſuſceptionis. En ſyllogiſmus. *Qui prudenter iudicat ſe iuſtificatum, poteſt abſque lethali Euchariſtiã ſuſcipere, ſed ego me iuſtificatũ prudenter iudico; ergo abſq; lethali poſſum Euchariſtiam ſuſcipere.* Maior, me iudice, de fide eſt. Minor cognitio experimentalis euidens. Ergo euidenter ſcio me non peccare in actu ſuſceptionis, licet certitudinem de diſpoſitione, ſeu de ſuſceptione in ſtatu gratiæ, non habeam. Eſt euidens diſcurſus, cui ſuffragium tulit Candidus Philalæthus *de opin. probab. fol.* 10. [& patet, inquit, vt certus ſit quis non peccare, ſufficere, quod ſequatur probabile iudicium honeſte agendi in hac, vel illa materia: quia alioqui requireret à nobis Deus impoſſibilia. Nam habere certum iudicium in particulari de omnibus agibilibus impoſsibile eſt.] Ergo ſufficit probabile iudicium de diſpoſitione ſufficienti, vt quis certus maneat de non peccato in communione.

33 Secundò impugnatur, quia rectè ſtat, ſuſceptionem dignam ſecundum ſe non eſſe, (vt ſi in peccato mortali, cuius non eſt conſcientia, ſed omnimoda obliuio) & tamen non eſſe peccaminoſam, ſed abſque vllo peccato id contingere; vt euenit, quoties datur error inuincibilis circa ſtatum gratiæ. Quod iſte Recentior non diffitetur, nec poteſt: ergo abſque certitudine de ſtatu gratiæ, ſtare poteſt certitudo de non peccato. 3. Quia ſi probabile iudicium de ſufficientia diſpoſitionis ſit falſum ex errore in voluntario, ideoque non detur digna ſuſceptio, nõ propterea indigna erit, nec prohibita ſic accedẽti, quinimò penitẽti per Sacramẽtũ pęnitẽtiæ ſic diſpoſito rectè cõſulimus

communionem; & negare conſilium hoc fore licitum, nefas eſſet, alias nulli conſuli poſſet ad euchariſtiam accedere, quia ſic omnes ſumere, aut nunquam poſſunt. 4. Quia ad non peccandum in actû communis, Deus ſolum exigit iudicium probabile de ſtatu gratiæ, quia non obligat ad impoſsibile, ergo, qui cum tali iudicio accedit, certus omnino eſt legem Dei non violate, ſed adimplere; Ergo certus omnino eſt de non peccato. Non eget probatione. Æquiuocatio Recentioris in eo ſtat, quod concluſionem de non peccato, quæ certiſsima eſt, deduxit ex hac præmiſſa, *ego accedo ad Euchariſtiam in ſtatu gratiæ*, de qua non eſt, certitudo, ſed ſola probabilitas; ſecus verò eſt de licito acceſſu ad Euchariſtiam, quia non ex hac præmiſſa deducitur, ſed ex alijs certis, vna de fide, & altera euidenti; vt oſtendi ſyllogiſmo ſuprà conſtructo, vel poteſt aliter ſic diſcurrendo: *Certum eſt non peccare in actu communionis, qui accedit cum ea ſuaſsione diſpoſitionis, ſeu dignitatis, quam Deus ab homine exigit ad communionem; ſed Deus ſolum probabilem ſuaſsionem exigit. (Alias ad impoſsibile obligaret, præcepto annuæ communionis) ergo certum eſt non peccare in actu communionis, quicũque probabili uaſsione de diſpoſitione, ſeu dignitate ad communionem accedit. Sed ſic ego accedo, ergo certum eſt me non peccare.* Diſcurſus rem euincit, & methaphiſice certum reddit hominem de licito acceſſu. Ergo quamuis quis certus non ſit de ſua diſpoſitione obiectiua, nec de ſtatu gratiæ, certus eſſe poteſt, & de facto eſt, de ſuo non peccato. Et ſanè ſi res non ita ſe haberet, tutius eſſet, nõ communicate, quia in omiſsione extra tempus præcepti, certum eſt non eſſe peccatum, in actu vero communionis non dati, certum non eſſet; ſed potius periculum malitiæ formalis, quæ incurratur, nec niſi ſoli Deo notum foret.

§. VI.

Conſectarium ſecundum.

34 Educitur ſecundo, conſcientiã erroneam inuincibilẽ (demus quoad vltimam etiam dictamen ſic appellandam) non ſolum ſufficere ad declinandum à malo, vt probant, ſed etiam ad faciendum bonum. Iuxta illud *declina à malo, & fac bonum*. Hoc tamen negat mordicus Cella Dei *lib 3.q.4.* ſed contra communem, & veram Doctorum ſententiam apud Ouiedo 1 *2.tract.5 controu.2.part.1.nu.4.verſ. Obſ.* & apud Tetillum *de prob.q.16.num.6.* vbi ſic ait [Theologi omnes rite ſentientes, vna cũ D. Thoma in affirmatiuam conſpirant] eandẽ tenet Suarez *1.2.diſp.12.ſect.4.nu.8.* Thomas Sanchez *lib.1.ſummæ, cap.11.num.17.* Vazquez 1.2.*diſp.60.num.9.& 10.* Azor *to. 1.lib.2.cap.8.quæſt.vltim.* Salas *1.2.tract.8. diſp.vnic.ſect.3.num.20.& 22* Reginald. *lib.13.cap.8.ſect.2.num.71.& 72.* Coninck *lib.2.quæſt.23.prop.1.* Almainus *lib. 1. mor. cap.4.* Iulius Mercorus *1.p Ba. s Theolog mor. art 6.* ad obiectiones, *fol.14* Honoratus Fabri *Dialogo 1.fol.14.* Cardinal de Lugo *tom. de fide, diſp.5.ſect.1.num.20.* verbis ſupra datis, Candidus Philalethus *de opinionum praxi, pag.12.* & alij communiter. Qui vnanimiter aſſerunt erroneã conſciẽtiam inuincibiliter dictantem aliquid eſſe honeſtũ, quod re vera tale non eſt, conſtituere honeſtam electionem talis obiecti, ſicut è contra, ſi dictaret eſſe peccatum, quod non eſt, in honeſtam efficeret.

Quibus rem certam iudicans conſentit Ripalda, *tom. de fide, diſp 6.ſect.6.nu.64.* ibi: [Honeſtas poteſt probabili cognitione proponi, & ſic propoſita amari propter ſe. Vndè etiam aſſenſus (imperatus) poteſt eſſe prudens, quia omnis affectus virtuoſus, & honeſtus prudens eſt, ab eoque affectu prudens aſſenſus. Itaque ſicut plures actiones externæ re ipſa obiectiue Imprudentes, poſſunt ex pietate, & affectu virtuoſo amari honeſte, & prudenter, quia ex errore apprehendũtur prudentes, & honeſte, & propter honeſtatem apprehenſam amantur. Ita eſto aſſenſus fidei, ſolum probabiliter cognitus, qua honeſtus, & prudens, non ſit obiectiue honeſtus, & prudens, fiet tamen prudentet, & honeſte, quia ex errore honeſtus, & prudens proponitur, & propter honeſtatem propoſitam, affectu honeſto amatur.] Sic ille vbi ſupra, & *num.70.* hanc eſſe communem ſententiam teſtatur, dicens: [omnes virtutes pertinentes ad voluntatem ſuam perfectionem, & honeſtatem haurire ex honeſtate tantum probabiliter apparenti, quamuis re ipſa non exiſtente.] Quod iterum tradit *diſput.15. ſect.1.numer.6.* dicens [negari non poteſt affectum fieri poſſe ſalutarem, & meritorium circa obiectum re ipſa falſum, & non honeſtum, propoſitum tamen iudicio falſo, honeſtum, & verum.] Et pluribus exemplis confirmat. Vide illum *de ente ſupernaturali, diſput.62.numer.38.* vbi addit; vt actus ſit moraliter bonus, non requiri quod dictamen prudentiæ præcedat, ſed quod ipſe ſit conformis regulis prudentiæ. Quod eſt valdè notandum.

35 Ratio à priori cõmunis, & veræ ſentẽtiæ eſt: quia obiectum non ſpecificat actũ, pro

vt

Digitized by Google

vt in ſe eſt, ſed vt proponitur per intellectum vt expreſsè docet D. Thom. *in 2. diſt. 33. ar. 3.* Ergo cum inuincibiliter proponatur, vt honeſtum, ſic actum ſpecificat. Hinc ſi homini proponatur, vt obligatorium, ex miſericordia mendacium, ad ſubueniendum proximo periclitanti, & ex hoc fine mentiatur, actum miſericordiæ eliciet. Et cum euidens ſit in his circunſtantijs eſſe ſimpliciter obligatum ad electionem mendacij, euidens etiam erit, eſſe bonam, quia nemo ad malum obligari poteſt. Idque ſatis conſtat ex Ariſtole 2. *phiſ. text. 31. & 5. Methaph. cap. 3.* inquiente, non differre: *Vtrùm finis ſit bonum verum, an apparens*, & rectè quidem. Quia ſicut in actu miſericordiæ nil refert ex parte obiecti materialis, quod indigentia, quæ ſubleuari intẽditur, ſit vera, vel apparens; vt qui dat eleemoſynam illi, quem putat pauperem, faciat verum actum miſericordiæ; ita ſimiliter ex parte obiecti formalis parũ refert, quod honeſtas obiecti ſit vera, vel apparens. Ergo electio mendacij ex fine miſericordiæ, erga proximum periclitantem, aut ex fine adimplendi præceptum charitatis, & obediendi mandatis Dei, erit abſque dubio bona, & meritoria. Quia obſeruatio præcepti ex motiuo honeſto, ſi ſubiectum ſit iuſtum, meritoria eſt, vt conſtat ex Tridentino *ſeſſ. 6. cap. 10.* dicente, *per obſeruationem mandatorum nos creſcere in iuſtitia*. Eſt autem certiſsimũ, in circunſtantijs erroris inuincibilis de graui obligatione mentiendi, dari præceptum, & ſi violetur; peccatum graue cõmitti. Aduertit autem Iulius Mercorus vbi ſuprà, eũ, qui mentiretur credens mendacium in his circunſtantijs eſſe honeſtam, non mereri ex ipſo mendacio, ſed ex actu voluntatis eligẽtis mendatium ſibi apparens honeſtũ; ſed (vt benè notat Terillus *q. 15. n. 9.*) peraccidens denominaretur meritoriũ denominatione ſumpta ab actu intrinſice bono terminato ad illud, tanquam ad rem apparenter honeſtam. Præſens autem quæſtio tota eſt de honeſtate electionis, quidquid ſit de obiecto ſecundum ſe, vt alibi diximus: Ideo nil de modo loquendi curandum.

36 Secundò probatur; electio mendacij ex fine honeſto, inuincibiliter exiſtimata honeſta, & obligatoria, non eſt mala: Ergo (in opinione D. Thom. negante actus indifferẽtes in individuo) bona eſt: patet, quia non datur medium: antecedens eſt mihi ex terminis euidens; quia malitia actus deſumitur à malitia obiecti, aliquo modo propoſita per intellectum, alias eſt, quaſi nõ eſſet. Præter quã quod dicere malè moraliter operari, & dignum eſſe ſuplicij, qui inuincibiliter iudicans ſe grauiter obligatum ex præcepto Dei ad mentiendũ, mentiretur, vt ſatisfaceret præcepto, & Legi Dei; tutum non eſt, ſed graui cenſura dignum. Probatur aperte, quia ſecũdum omnes Patres, & Theologos, Religioſus, qui rẽ præceptam à ſuperiori exequitur, honeſte obedit; licet ſuperior ex ignorantia inuincibili rem alias prohibitam præcipiat: ergo error inuincibilis vere ſufficit ad faciẽdum bonũ confirmatur ex D. Thom. 1. 2. *q. 19. art. 6.* vbi ait: [Manifeſtum eſt quod illa ignorantia, quæ cauſat involuntarium, tollat rationem boni, & mali.] Atqui ignorantia inuincibilis malitiæ mendacij cauſat involuntarium: Ergo tollit ab eius electione rationem mali: ergo eius electio, cum nec mala, nec indifferens ſit, (in opinione Diu. Thomæ) bona à fortiori erit.

§. VII.

Obiectionibus ſit ſatis.

37 OBijcit primò Cella Dei, Diu. Thom. 1. 2. *q. 19. art. 5. n. 6.* inquirens: *Vtrùm voluntas concordans rationi erranti ſit bona?* Reſpondit negatiuè; ergo noſtra, & communis ſententia repugnat aperte D. Thomæ. Reſpondeo D. Thom. ſolum negare voluntatem concordantem rationi vincibiliter erranti eſſe bonam, quia in errore ipſo peccat: ac proinde nequit ratione illius à peccato excuſari. Quando enim ratio errãs vincibilis eſt, impoſsibile eſt, quod obiectum ſit cognitum tantum, vt bonum; ſed etiam eſt cognitum aliquo modo, vt malũ, in illa ipſa notitia, qua fuit cognita, & voluntaria negligentia cognoſcendi illud, vt malum. Ad quod explicandum deſeruit doctrina S. Dioniſij; quod bonum debeat eſſe ex integra cauſa, & malũ poſsit eſſe ex quocumque defectu. Quando verò ratio errans inuincibilis fuerit, nullibi dixit D. Thomas, voluntatem illi concordantem non eſſe bonam, ſed oppoſitum. Sic illum explicant Thomàs Sanchez *libr. 1. ſumm. capit. 11. numer. 17.* Salas 1. 2. *tom. 1. tract. 8. diſput. vnica, ſect. 3. num. 26.* Vazquez 1. 2. *diſp. 60. cap. 3. num. 9.* & alij communiter.

38 Inſtat Cella Dei, hanc expoſitionem non cohærere cum doctrina D. Thomæ, quia propoſito argumento illo communi: *Voluntas concordans rationi erranti, tendit in id, quod ratio iudicat bonum, ſicut diſcordans à ratione tendit in id, quod ratio iudicat malum; ſed diſcordans à ratione etiam errante eſt mala. Ergo concordans rationi etiam erranti eſt bona.* Reſpondit. [Ad primũ: *dicendum, quòd ſicut Dionyſius dicit in 4. cap. de Diuinis nominibus*, bonum cauſatur ex integra cauſa, malum autem ex ſingularibus deffectibus: *Et ideo ad*

hoc quod dicatur malum id, in quod fertur voluntas, ſufficit ſiue quod ſecundum ſuam naturam ſit malum, ſiue quod apprehendatur, vt malum: ſed ad hoc quod ſit bonum, requiritur, quod vtroque modo ſit bonum.] Ergo non ſufficit, vt ſit bonum, quod inuincibiliter tale apprehendatur, & iudicetur; ſed requiritur, quod ſecundum ſe obiectum ſit bonum, vt eius electio bona ſit.

39 Reſpondeo primò Diu. Thomam in hac ſolutione non tam ad electionis bonitatem, quàm ad illius obiectum reſpexiſſe: vt cōſtat ex his verbis, *& ideo ad hoc, vt dicatur malum id, in quod fertur voluntas,* hoc enim, vt dicatur malum, ſufficit quod ſecundum ſe tale ſit, vel quod apprehendatur. Sed tamen bonum abſolutè nunquam dicitur, licèt vt tale apprehendatur, niſi ſecundum ſe bonum ſit. Cæterum electio, vt ſit bona, ſufficit, habeat obiectum inuincibiliter iudicatum bonum, licèt ſecundum ſe tale non ſit; nec hoc negat Diu. Thomas. Reſpondeo ſecundò: diſcrimen, quod Diu. Thomas in hoc loco conſtituere poteſt, inter actum bonum, & malum; in hoc conſiſtere, quod ad malum ſufficiat, quacumque ratione, ſiue errore vincibili, ſiue inuincibili, obiectum apprehendi, vt malum, licet aliàs ſecundum ſe ſit bonum. At verò vt actus ſit bonus, non ſufficit quacumque ratione obiectum, vt bonum apprehendatur: ſi enim ſecundum ſe malum ſit, licet errore vincibili bonum iudicetur, eius electio bona non erit. Hanc expoſitionem colligo ex ipſo ibidem: vbi inquirens, *articul.* 6. citato. *Vtrùm voluntas concordans rationi erranti ſit bona.* Reſpondit: *Iſta quæſtio eadem eſt cum illa, qua quæritur, vtrùm conſcientia erronea excuſet. Hæc autem quæſtio dependet ab eo, quod ſuprà dictum eſt de ignorantia, &c. Manifeſtum autem eſt, quod illa ignorantia, quæ cauſat inuoluntarium tollit rationem boni, & mali, non illa, quæ inuoluntarium non cauſat.*] Ergo reſolutio quæſtionis principalis: *Vtrùm, voluntas concordans rationi erranti ſit bona?* dependet ex qualitate erroris, ſi enim eodem modo eſſet reſpondendum, quando error eſſet inuincibilis, ac quando vincibilis; abs re quidem ad diſtinctionem, & differentiam erroris reduceret D Thomas quæſtionis reſolutionem, & falſo dixiſſet *dependere ab eo, quod ſuprà dictum eſt de ignorantia.* Ergo ſicut Diu. Thom. ex diſtinctione ignorantiæ reſpondit illi quæſtioni: *Vtrùm conſcientia erronea excuſet?* nempè excuſare, quando eſt inuincibilis, ſecus ſi vincibilis. Ita dū reſpōdit quæſtioni noſtrę, quā dicit eſſe eandē: *An voluntas cōcordans rationi erranti ſit bona?* eadem prorſus diſtinctione intelligendus: nempè, eſſe bonam, ſi rationi inuincibiliter erranti concordet, ſecus ſi vincibiliter erranti. Vndè infertur eandem apud D. Thomam concluſionem eſſe: *Voluntas concordans rationi inuincibiliter erranti non eſt mala,* ac talis voluntas *eſt bona.* Alias non reſpondiſſet titulo quæſtionis. Nam cum articuli titulus ſit. *Vtrum voluntas concordans rationi erranti ſit bona?* reſpōdit: *Si ſit error, qui cauſat inuoluntarium excuſat, vt voluntas concordans rationi erranti non ſit mala.* Ergo vel non reſpondit quæſtioni, vel idem prorſus apud illum eſt, talem voluntatem non eſſe malam, ac eſſe bonam. De cuius veritate non dubitabit, qui benè nouerit, Sanctum Doctorem non admittere actus indifferentes in indiuiduo, ac proindè rectè valere conſequentiam, *non eſt mala hæc voluntas, ergo eſt bona.* Hanc Diu. Thom. expoſitionem, vt indubitatam magis ſupponit, quam ſuadet Vazquez 1.2. *diſput.* 2. *quæſt.* 14. *par.* 5. *in fine.* Confirmatur expoſitio: quia ſi quis ex apprehenſione ſupernaturalis bonitatis obiecti, quæ incapax eſt falſitatis, vel ex iudicio ſupernaturali veriſimilitudinis honeſtatis obiecti, quod tamen in re bonum non eſſet, illud propter honeſtatem amaret; actum quidem honeſtum eliceret, quia cognitio iudicans obiectum apparere bonum, eſſet formaliter vera, vt benè ait Ripalda *de ente ſupernaturali, diſput* 62. *numer.* 6. Ergo vt voluntas ſit bona, non requiritur quod obiectum ſecundum ſuam naturam ſit bonum.

40 Obijcit 2. Cella Dei. Actus concordans rationi inuincibiliter erranti eſt bonus? Ergo conſcientia erronea inuincibiliter eſt conſcientia recta; nam implicat in terminis aliquid fieri rectum per conformitatem ad nō rectum. Sic vbi ſuprà *fol.* 351. Reſpōdeo primò, in memoriam illi reuocando ſentētiam Patris Vazquez 1.2. *diſp.* 58. *capit* 2. ab ipſo Cella Dei laudatam. in eodem *lib.* 3. *q* 1 *fol.* 343. [Quia humana diligentia (ait Vazquez) non poteſt omnia ſine errore aſſequi, & abſque vlla culpa, aliquando apprehenditur, vt bonum, quod malum re ipſa eſt, &c. Illud in re debet dici naturæ conueniens, aut diſconueniens eſſe, quod per rationem probabilem, & diligentem proponitur, *ſiue in re ita ſit, ſiue non. Rectè igitur D. Thomas in hoc articulo dixit rationem eſſe regulam humanarum actionum. Hæc rectè Vazquez* (ait Cella Dei) *ſi quando erratur, error eſt inuincibilis.*] Hactenus ibi: Ergo ſi error conſcientiæ ſit inuincibilis, actus conſcientiæ erranti conformis erit rectus; vtpote conueniens naturæ rationali, & conformis rationi, quæ eſt regula humanarum actionum. Ergo conſcientia erro-

nea

nea invincibilis (demus illi hoc nomen) facere poteſt voluntatem rectam, nec implicat aliquid rectum, in eſſe moris, eſſe conformem rationi remotæ non rectæ in eſſe phiſico; dummodo, in eſſe moris, recta ſit, ſeu inculpabilis: vel tenetur ipſe Cella Dei fateri conſcientiam erroneam invincibilem eſſe conſcientiam rectam, cum faciat operationem, & voluntatem rectam. Quod ipſe abhorret, vbi ſuprà dicens: *Hoc eſſe conſcientiam nõ rectam eſſe rectam, & erroneam non erroneam, ergo velle* (inquit) *intendere, & intelligere voluntatem, per conformitatem ad conſcientiam erroneam, reddi rectam, eſt terminos non intelligere*. Sed quidem cũ recta regula ſit probabilis ratio, quæ eſt regula humanarũ actionum, & quæ proponit quod in re naturæ rationali conveniens eſt, & talis ſit ratio probabilis, & ſi proponat vt bonum; quod malum re ipſa eſt, quando error eſt invincibilis, (vt ipſe concedit cum Vazquez) vellem nobis explicaret, quomodo ipſemet terminos iſtos intelligat. Cuia conſcientiam illam eſſe erroneam inficiari non poteſt, & tamen ſimul cõcedit rectè dictum a Vazquez, illam eſſe regulam operationis humanæ cõformis naturæ rationali; qualis ſola bona operatio eſt. Tenetur ergo fateri nullam eſſe in terminis contradictionem, quod conſcientia invincibiliter erronea, recta conſciẽtia dicatur, vt docent Vazquez 1. 2. *diſp.* 58. *c.* 1. & Arriaga *ibi diſp.* 22. *ſect.* 1. denominatione ſumpta ab effectu rectæ voluntatis, quem cauſat, licet in eſſe phiſico, in obiecto aliunde, per iudicium remotum, abſque vlla culpa, recta non ſit. Quam propterea conſcientiam vocat Terillus, *f l.* 192. *num.* 41. 42. rectam per ſe, & erroneam per accidens, vera enim, & recta ratio eſt hæc: [bonum ſt agere c. quod irreprehenſibiliter cenſeo Deo gratum, vel ex præcepto iniunctum: Sed hoc tale cenſeo ob graue motiuum (intrinſecum, aut extrinſecum) ergo bonum eſt hoc agere.] Hæc enim conſcientia, ſeu dictamen vltimum rectum eſt.

41 Verum maioris claritatis gratia, cõſequenter ad ſuperius dicta, duplex conſcientiæ dictamen diſtinguendum eſt. Aliud remotum, & ſpeculatiuum circa obiecti naturam, ſecundum ſe conſideratam; quod in præſenti ſupponitur inuincibiliter errans, malum, vt bonum voluntati proponens, & dicitur ratio errans: de qua loquimur. Aliud proximum immediatè applicans, ſeu dirigẽs voluntatem ad operandum, quod veriſsimũ eſt, certum, & evidens, ex actibus reflexis, certis & evidentibus elicitum, vt ſupra dictum eſt. Quod quidem iudicium conſcientiam propriſsimè rectam conſtituit, & ſolum denominatiuè, & impropriè, (vt ſæpè notaui) dici poteſt erronea, à remoto dictamine ſpeculatiuo, probabili tamen (vt ibi diximus) quod eſt obiectum præmiſſarum. Operatio igitur & voluntas eſt recta per conformitatem ad rectam rationem vltimam, qua immediatè dirigitur ad operandum: vt ait Salas vbi ſuprà *num.* 20. & Terillus *q.* 16 *num.* 37. & hæc eſt recta regula formalis morum, & propriè dicitur conſcientia. Cui non obſtat, conformis etiam ſit rationi remotæ inuincibiliter erranti (ac proinde non rectæ in eſſe phiſico) circa honeſtatem obiecti, ſecundum ſe, nam cum voluntas tendat in obiectum, non vt eſt in ſe, ſed vt proponitur, perinde eſt obiectum vt honeſtum probabiliter proponi, ac ſi in ſe ipſo honeſtum foret, ad honeſtandam voluntatis electionem. Vnde preſſe, & ſtricte loquendo, conſcientia cum ſupponat pro vltimo dictamine, quod rectum quidem eſt, dicenda eſt recta, licet iudicium remotum, & errans invincibiliter, illam denominet errantem ſpeculatiuè, & ſic ſpeculatiuè erroneam, vel ſecundum quid talem: nempè quoad iudicium remotum tantum. Quod tamen recta etiam ratio practica, non ſpeculatiuè recta, vocatur a Patre Vazquez vbi ſuprà, *cap.* 2 *num.* 10. ratione effectus boni operis. Quæ de vocibus quæſtio eſt.

42 Sed modus loquendi Patris Vazquez eſt conformis menti D. Auguſtini, lib. de vtilitate credẽdi, cap. 12. vbi ait: *Omne factum, ſi rectè factum non eſt, peccatum eſt. Nec rectè factum eſſe vllo modo poteſt, quod non a rectà ratione proficiſcitur.* Atqui opus, quod ex errore invincibili de obiecti honeſtate procedit non eſt peccatum: ergo rectè factum eſt; ergo a rectà ratione proficiſcitur. Ergo conſcientia invincibiliter errans recta ratio practica eſt. Sententiam Patris Vazquez, vt ex Ariſtotele a D. Thoma traditam 1. 2. *quæſt.* 57. *art.* 5. *ad* 3. ſequitur Baronius *in Ethic. Chriſt. diſp.* 1. *num.* 16. *f l.* 37. vbi ſic: [Iudicium prudentiæ, quo dirigitur actio honeſta; non poteſt veritatem certo aſſequi, vt comparatur ad res, quia interdum non conſentiunt illi iudicio, ſed à conuenientia cum apetitu recto.

43 Obijcit 3. Cel'a Dei, *fol* 383. omnis voluntas bona, & honeſta regulatur, & dirigitur per prudentiam; ſed, quæ concordat rationi erranti, non regulatur per prudentiam: ergo non eſt bona, & honeſta. Reſpondeo facile ex dictis, dictamen vltimum eſſe veriſsimum, & per prudentiam elicitum, vt benè ait Candidus Philaletus, & alij communiter, locis ſuprà datis. Quos ſequ tur Terillus, *q.* 15. *num.* 40. vbi ait ad hoc recurrendum, vt verificetur ſententia Ariſtotelis 6. *Ethic.* ſæpè inculcantis, nullum actum poſſe eſſe bonum

num, quin reguletur à prudentia; & inſuper nullam enuntiationem à prudentia profectam poſſe falſitati ſubiacere. Sed quidem hic recurſus neceſſarius nō eſt, quia veritas prudentiæ non eſt ſpeculatiua, ſed practica in eo conſiſtens, quod operatio, ad quam dirigit, recta euadat. Hæc autem rectitudo convenit electioni obiecti invincibiliter exiſtimati honeſti, per cognitionem probabilem. Quæ eſt ratio recta practicè, & tantum ſpeculatiuè errans. Addo, & rationem probabilem falſam eſſe actum imperatum prudenter, ſicut diximus de aſſenſu præſtito myſterio, quod vt reuelatum falſo proponerent tres Epiſcopi, cui prudenter aſſentiretur, licèt aſſenſus iſte ſpeculatiuus imperatus falſus eſſet; quia per prudentiam, quæ practicè vera eſt, iudicaretur in his circunſtantijs, non poſſe, niſi temere, aſſenſum negari. Adde quod poſito errore invincibili, quo quis certo putaret eſſe licitum, & obligatorium mentiri ad ſalvandam alterius vitam, actio illa, qua mendatium eligeret, prudens eſſet, & meritoria, vt ex communi Doctorum diximus ſuprà; ergo vt vltimum iudicium practicum ſit prudens; non requiritur, quod penultimum directum elicitum fuerit à prudētia. Quæ eſt virtus intellectus practici, non ſpeculatiui, cuius iſtud eſt.

44 Obijcit 4. Voluntas repugnans Diuinæ volūtati morali nequit eſſe voluntas bona, ſed talis eſt voluntas; qua quis, ex errore involūtario, & invincibili, vellet mendacium, vel furtum, vt bonum apprehenſum. Ergo: conceſſa maiore, nego minorem, cum Vazquez 1.2. *diſp.* 60. *cap.* 2. *num.* 8. Eſparça *de actibus humanis, quæſt.* 24. & Terillo *de prob. quæſt.* 11. *aſſert.* 5. quia ex ſuppoſitione erroris invincibilis, hæc obiecta, vt ſubſtant repræſentationi, bona ſunt, & diuinæ bonitati, ratione alterius voluntatis diuinæ per accidens exiſtentis, conformia. Cui ex ſuppoſitione involuntarij erroris placent, imò & præceptū ſic iudicanti iniungit. Confirmatur irrefragili exemplo. Religioſus ex præcepto obedientiæ conſtrictus, certus eſt, ſecundum omnes Patres; volūtatem Dei, obediendo facere, cum tamen contingere poſſit, ſuperiorem invincibiliter errare præcipiendo rem aliàs illicitam: datur ergo voluntas Dei, cui actus obedientiæ ſit conformis, ex ſuppoſitione præcepti, ex errore invincibili procedentis. Eſt evidens conſecutio. Et iuxta mentem D. Thomæ in 2. *ſentent. diſt.* 39. *art.* 3. *ad primum*: vbi ait. [Quamvis illud, quod ratio dictat, per ſe non ſit ſecundū legem Dei, ſicut nec per ſe bonum, tamen per accidens eſt ſecundum legem Dei, ſicut & bonum; in quantum ratio apprehendit ipſum, vt ſecundum legem Dei, & bonum.]

45 Duplex igitur voluntas in Deo diſtinguenda eſt, alia abſoluta, id eſt circa res, vt ſunt in ſe cognitas: alia per accidens; ſeu ex ſuppoſitione; id eſt circa res, vt ſubſtant cognitioni humanæ prudenter imperatæ, & vltimo dictamini prudentiſsimè elicito per quæ voluntati noſtræ applicantur. Ad honeſtatem igitur electionis, ſufficit, quod voluntas hominis, huic ſecundæ voluntati Dei conformetur. Hæc enim ipſi, & non altera, in his circunſtantijs applicatur. Vnde ſequitur voluntem noſtram tendentem in obiecta propoſita invincibiliter vt bona, cum, ſecundum ſe, talia non ſunt; ſuppoſito hoc errore, quem dictamen vltimum, & practicum veriſsimum ſubſequitur, verè eſſe à Deo authore, ſicut eſt præceptum adimplendi, quod conſcientia invincibiliter dictat exequendū, vt diximus: nam cum ſit homini impoſsibile illam deponere, vel ſaltem non teneatur (vt ex D. Thoma ſupra diximus) ſi non exequatur, grauiter peccabit contra legem Dei per accidens, ſeu ex illa ſuppoſitione exiſtentem. Nec ad rem facit, quod obiectum illud non ſit honeſtum per ſe, ſeu reſpectu diuinæ rationis infallibilis; nā ſufficit, quod ſit honeſtum per accidens, id eſt per reſpectum ad rationē humanam, quæ cum falibilis ſit, hic & nunc inculpabiliter fallitur, vt ait Candidus Philaletus de *opinion. praxi*, *fol.* 12. addens prudentiam in hoc caſu non falli, quia non iudicat obiectum eſſe ſecundum ſe honeſtum, ſed eſſe honeſtum per accidens iudicanti inculpabiliter eſſe tale, licet poſsit falli, aut re ipſa fallatur. Quod veriſsimum eſt.

46 Nec terreat te, concedendum plura intrinſece mala, videri laudanda, eo quod ex voluntate bona, ex ſuppoſitione erroris invincibilis, procedant. Nos enim non aſſerimus illa ſecundum ſe digna eſſe laude, ſed vt ſubſtant cognitioni humanæ. Cui vt bona & honeſta, imò & obligatoria repræſentantur. Dignus enim laude eſt homo, qui obiecta, vt bona, & obligatoria apprehendens, & actu prudenter imperato talia iudicans, & conſequenter Deo grata; ex motiuo illi placendi, & implendi eius præceptum, eorum electionem imperat. Et Deo gratiæ agendæ, quod in his circunſtantijs, ad bonam voluntatem ſuum efficax auxilium contulerit, & ad legem per accidens exiſtentem adimplendam, ſuo adiutorio promouerit. Ex quibus inferes, ad honeſte, & laudabiter operandum, ſufficere iudicium reflexum evidens, aut certum circa res, vt ſubſtant cognitioni humanæ; quia ſic conducunt ad finem intentum non peccandi, ſeu placendi Deo, & adimplēdi legem; in quem finem tendit appetitus rectus, & circa illum Theologia moralis ratiocinatur. Prudentia autem, quæ non eſt niſi

vero-

verorum,quia eſt virtus intellectualis (moralem virtutem requirens,vt ait D.Thomas vbi infra art.4.)non ponitur in intellectu ſpeculatiuo,vt cum ipſo tradit Caietanus 1.2. q.57.art.5.ad 3.Quia huius perfectio conſiſtit incognoſcere: & quantumcunique intellectus diſcurrat nunquam ad hoc peruenire poteſt, vt de particularibus contingentibus habitum ſemper verum acquirat. Ponitur ergo prudentia,(inquit Caietanus exD.Thoma)*in intellectu practico,cuius perfectio, & virtus in actu dirigendi conſiſtit: quæ directio infallibiliter eſt vera circa contingentia, ſi cõſona ſit appetitui recto præcedenti.* Secus verò eſt in rebus alijs,quæ ad finem intentum, nõ vt cognitæ,ſed ſecundum ſe; & vt in ſe ipſis ſunt,deſeruiunt; tunc enim pars, ſecundum ſe illa conſiderat, & ordinat, vt dux quæ ad bellum; qua propter ſi circa vtilitatem mediorum ſecundum ſe, errorem ſpeculatiuum contrahat,licèt poſito errore iuxta regulas, imperet diſpoſitionem,nullatenus finem intentum conſequetur. Quia huius adeptio nõ a medijs vt cognitis, ſed ab ipſis ſecundum ſuam naturam dependet, ideòque denominatio prudentis Ducis a veritate etiam iudicij ſpeculatiui, & non a ſolius practici veritate,deſumi ſolet. Ad quam appetitus rectus non requiritur.

47 Illa verò,quæ ad exclamandum, exẽpla Cedla Dei congerit, licèt ipſi horribilia, authores alij communiter non æſtimãt. Certiſsimum enim eſt,poſſe dari in hæreticis ignorantiam inuincibilem, vt concedit Auguſtinus relatus *in cap.dixit epiſt.* 24. q.3. & obſeruat Terillus, *quæſt.*16.*num.*33. & de infidelibus tradunt cum D.Thoma communiter Doctores,quos refert,& ſequitur P.Vazquez 1 2.*diſp.*120.*cap.*3. Nec vllum ſequitur inconueniens, ſecundum plures Theologos,ex eo,quod Deus ſit author erroris, quo poſito,reſultat per accidens diuina voluntas complacens in actu voluntatis ſubſequuto, vel illum præcipiens,ad legem Dei per accidens in his circunſtantijs exiſtentem adimplendam. Videatur Ripalda, *tom.de fide, diſp.* 4.*ſect.* 4 *num.* 37. vbi ſic ſcribit. [Probabilius exiſtimo, Deum poſſe eſſe cauſam per ſe, ſiue influẽdentem, ſiue inducentem erroris, quod iam diu tradidit *tom. de ente ſupernaturali*, *diſp.* 59. Præterea docent Caietanus, Marſilius, Vazquez, Lugo, Aragon, Lorca, Petrus Hurtado, & probatur: quia Deus eſt cauſa per ſe eius actus, in quẽ confert auxilium ſupernaturale; at in actum erroneum confert per ſe auxilium ſupernaturale,vt fusè oſtendi *diſp.*56. exemplo prudentiæ infuſæ dictantis aſſenſum probabilem erroneum, & virtutis piæ affectionis imperantis aſſenſum reuelationis apparẽtis, &c.]

ſic ibi multis id ſuadens: & conſentit Iulius Mercorus,vbi ſupra *art.*6.*in fine*,dicẽs. [voluntatem bonam per accidens,ſcilicèt ex apprehenſione iudicij, vt talem ſpeciali auxilio poſſe a Deo foueri, abſque vllo inconueniẽti.]Sic ibi,& benè:quia vt ait Terillus *q.* 15. *num.* 16. non eſt incongruum aliquem indigere ſpeciali auxilio ad ponendam rem ex ſe malam,quando,quia creditur bona, ponitur per actum eſſentialiter bonum, & conformẽ diuinæ voluntati:ſicut;licèt nemo poſsit abſolutè obligari ad id, quod eſt intrinſecè malum,benè tamen poteſt per accidens ex ſuppoſitione conſcientiæ inuincibilis erroneæ exiſtimantis illud eſſe præceptum: quia licèt talis conſcientia dictet materialiter contra vnam legem, concordat tamen cum alia lege Dei præcipiente, id faciendũ in his circunſtantijs: & quidem nemo negare poteſt Deo gratias agendas ex eo, quod poſito errore inuincibili de præcepto mentiendi in his circunſtantijs,auxilio ſuo efficaci voluntatem promouerit ad reſiſtentiam tentationis,& ad illud,ex fine ſupernaturali placendi Deo,ad implendum.

48 Cum his rectè cohæret vera,& communis ſanctorum Patrum Doctrina affirmãtium, dari plura peccata ignorantiæ, ſeu ex ignorantia. Sunt enim plures actus ex vincibili ignorantia procedentes, quæ, cum in ſe peccatum ſit, à peccato non poteſt excuſare,vt ait D.Thom. Et de hac intelligũtur loca omnia ſcripturæ, & Sanctorum Patrum,quæ Ianſeniſtæ congerunt, vt peccata ignorantiæ dari comprobent. Quod in ſenſu explicato nullus Catholicus negat. Vt videre licèt apud Terillum *quæſt.* 16. per totam. Videatur etiam Pater Salas 1. 2. *tract.* 3.*diſp.*1.*ſect.*3.& *tract.*7.*diſp.*2.*ſect.*2.*n.*9.

§. VIII.

Conſectarium tertium.

49 Concluditur tertio, opinionẽ probabilem practicè, eſſe rectam regulam obiectiuam morum, etiamſi in re, & coram Deo falſa ſit.Hæc eſt communis Doctorum ſententia, quam cum D. Thoma tenet P. Vazquez 1. 2. *diſp.* 58.*cap.* 2.*numer.* 10.verbis iam alibi datis, quæ iterum, atque iterum repetita placebunt. [Ratio noſtra rectè dicitur regula humanarum actionum,&c. Sed quia non poteſt omnia ſine errore aſſequi, & abſque vlla culpa apprehendit vt bonum, quod malum re ipſa eſt, ideò illud in re dici debet conuenire,aut diſconueniens eſſe naturæ rationali, quod per rationem probabilem,& diligentem proponitur,ſiue in re ita ſit,ſiue nõ,&c. Quia propter

Digitized by Google

ter recta ratio practica illa debet iudicari, non quia conformis ſit rei, quam enuntiat, ſed quia diligenter,& prudenter proponit id, quod rectum,& conſentaneum naturæ rationali videtur.]Sic ille. Idem ſentit M. Iulius Mercorus *ſuprà artic.* 6. ibi: [Quia ignoramus,quid prohibeat, aut quid pro honeſto admittat lex æterna; Deus pro ſecunda regula nobis conſtituit dictamen rationis, cui cõformari tenemur:& quamvis aliquando (attende) contingat eſſe erroneum, quia hoc eſt per accidens, propterea non amittit rationẽ regulæ.] Hanc ſententiam laudato P. Vazquez poſt eius verba,tenet Cella Dei ipſe, & benè *libr.3.quæſt.1.fol.343.*dicens: *hæc rectè Vazquez,ſi quando erratur,error eſt inuincibilis.*

50 Cæterũ huius aſſerti immemor contrarium prorſus poſtea defendit mordicus, *lib.3.q.5.per totam à fol.395.* multis ſuadere tentans rationem probabilem, ſi falſa ſit, nõ eſſe rectam regulam morum, vtpotè, quæ ad rectam conſcientiam non ſufficit, ſed erroneam conſtituit. Imò ſubnectit *in re nullam eſſe rationem probabilem falſam.* Quia ſi vera non ſit,non erit probabilis in ſe, ſed quoad nos tantũ,ſeu apparenter. Itaque quod prius cum Vazquez & D. Thoma docuerat, modo retractat, & ſolam opinionem probabilem veram; dicit eſſe rectam regulam morum, prius enim *fol.343.* hanc tenebat: *ratio probabilis,ſiue obiectum in re ita ſit, ſiue non, eſt regula humanarum actionum*: modo verò à *fol.395.* contradictoriam expreſsè defendit. *Ratio probabilis falſa non eſt regula humanarum actionum.*

51 Hanc probat expreſsè *lib. 2. q. 14. fol.276.& lib.3. q. 18. per totam à fol.514.* Ex cuius fundamentis, pro ſua ſententia, ſic conſtrui poteſt ſyllogiſmus. Lex Dei eſt prima regula humanorum actuum, & humana ratio eſt regula ſecundaria, per quam prima nobis applicatur (vt omnes fatentur.) Atqui opinio probabilis,ſi falſa ſit, non applicat nobis legem Dei,quæ verè exiſtat, ſed quam ipſa fingit. Ergo non eſt regula recta,ſed diſtorta;hinc ſic progreditur. Ergo opinio probabilis, quæ non magis ſe habeat ad verum quam ad falſum (vt contingit quando vtraque contradictoria eſt æquè probabilis) vel quæ magis ad falſum,quam ad verum (vt evenit, quando eſt minus probabilis,quam contraria) nequit eſſe regula humanorum actuum. Videtur irrefragabile. Quia ratio vel opinio probabilis,æquè aut minus,quam contraria,indifferẽs eſt ad legem, vel non legem Dei;nec magis habet concordare cum lege, quam diſcordare: nec aliter ſe habet ad legem;quam ſe haberet ad motum ſolis, horologium,quod non magis haberet concordare,quam diſcordare a motu ſolis, ergo ſicut hoc eſſet peſsima regula horarum,& nemo prudens poſſet illo, quoad horas regulari,aut gubernari; ita neque opinione probabili, quæ non magis habeat concordare cum lege Dei,quam ab illa diſcordare;regula ergo humanarum actionum, nequit eſſe humana ratio,ſeu opinio probabilis vt cumque,ſed ſola illa,quæ fere ſemper determinatè ſe habeat ad legem Dei. Quinimo quoties a veritate deficiat,regula non erit;vt ait *fol.533.verſ.Hinc*,per hæc verba:[Hinc dicere ſolam cognitionem veram eſſe regulã morum,& nullam falſam eſſe regulam,idem eſt,vel connexum, atque dicere, legem Dei eſſe regulam,& nil contra,aut præter legem Dei eſſe regulam,&c. Atque iſta eſt vniuerſa ferme doctrina noſtra de probabilibus.] Et hanc ſuam ſententiam adeò certam ipſe putat,vt *fol.524.verſ. Hæc cauſa fuit*; vt non renuerit dicere: [Hoc ſolum dico, & teſtor, & Deus ſcit,quod non mentior,nil mihi vnquam viſum fuiſſe evidentius, quam opinionem probabilem (nempe æquè aut minus cõtraria) regulam non eſſe]

52 Cæterum vt difficultatem,quæ Recẽtioris ingenium torſit,& laqueos, quibus irretitur,diſijciam,retorqueo in ipſum,ex his, quæ tradit *lib.3.q.11.§.2.in fine,fol.*444.[Si contingat,inquit,conſcientiam probabilem eſſe falſam, à me tamen putatur vera, erit conſcientia erronea ligans,& obligans, &c. Et ideò ratio probabilis,ſiue errans,ſiue non errans,eodem modo ad conſcientiam ſe habent.]Ex quibus ſic: eodem modo ſe habent ad conſcientiam, ratio probabilis invincibiliter errans,ac ratio probabilis vera; ſed hæc efficit voluntatem ei ſe conformantem declinare a malo, & eligere bonum (in quo conſiſtit eſſe rectam regulam morum) ergo & illa;huius fundamentum tradidit Vazquez ſuprà,verbis laudatis ab iſto Recentiore. Nimirum [quia recta ratio practica illa debet iudicari, non quia conformis ſit rei, quam enuntiat, ſed quia prudenter proponit id, quod rectum,& conſentaneum naturæ rationali videtur.] Ergo opinio probabilis falſa, eſt recta ratio practica, ergo ſecundum hanc conſiderationem recta regula morum eſſe poterit,& conſcientiam rectam conſtituere, tametſi quoad conformitatem cum re,quam enuntiat,recta ratio ſpeculatiuè non ſit, vtpotè falſa, ideòque conſcientiam ſecundum quid,aut ſpeculatiuè erroneam, id eſt quoad remotum dictamen,eo quod eſt falſum,conſtituere dicatur. His poſitis.

53 Dico quamcunique opinionem practicè probabilem, in aliquo verò ſenſu, eſſe rectam regulam obiectiuam actionum humanarum; nempè quatenus iudicium prac-

ticum

Digitized by Google

ticū certum fundatum in opinionis probabilitate, eſt regula formalis morum; quia ex quacūque opinione benigna practicè probabili, ſiue magis, ſiue æquè, aut minus probabili contraria pro lege, per diſcurſum, actibus reflexis conſtructum, deuenitur ad vltimum dictamen veriſsimum, certum & euidens, de electione licita, & honeſta. Exemplo demonſtro; aſſenſus iſte, *licitum eſt pingere in die feſto*, ex principiis directis, ex quibus deducitur (nempè ex ſuadentibus non eſſe opus ſervile) eſt practicè probabilis, vt ex communi Doctorum ſuppono; ac proinde prudenter imperatur ob motiuum intrinſecum, vel extrinſecum vehementer alliciens virū probum, & doctum. Modo ſic: *Licitum eſt mihi in die feſto opus, quod prudenter iudico non eſſe ſervile; ſed ego prudenter iudico, pingere non eſſe opus ſervile, ergo licitum eſt mihi pingere in die feſto*. Quæ concluſio ex præmiſsis certis, & euidentibus reflexis, euidens eſt, ſicut & iſta [Quiſquis id efficit, quod omnibus circunſtantijs inſpectis, prudenter iudicat eſſe licitum, non peccat; ſed ego omnibus circūſtantijs inſpectis, prudenter iudico licitum eſſe aliquid ſupra ſortem exigere ratione lucri ceſſantis, ergo illud exigendo non pecco] Vel ſic [Quiſquis efficit, quod peritiores Theologi docent eſſe licitum, prudēter operatur, & non peccat; ſed ego amplectendo hanc opinionem inter Doctores bonæ notæ habitam probabilem, id efficio, ergo prudēter operor, & non pecco.] Et ſic in alijs Nemo id inficiari poteſt Concluſio enim, quæ ex alijs principijs probabilitatem ſolum ſortitur, poteſt ex diuerſis ſortiri certitudinem, & euidentiam. Vt rectè notauit Vazquez ex Getione 1. 2. *diſp.* 58 *cap.* 1. In hoc ſyllogiſmo. *Honeſtum eſt accedere ad eam, quæ inuincibiliter putatur propria vxor, hæc inuincibiliter talis putatur. Ergo honeſtum eſt ad hanc accedere*. In quo omnes propoſitiones ſunt veræ, tametſi re ipſa non eſſet propria vxor.

54 Ex quo euidēter infertur, legem aliquam Dei dari, quam vocamus voluntatem, ſeu legem per accidens exiſtentem, cui ex ſuppoſitione erroris inuincibilis, electio voluntatis creatæ conformetur, & ex cuius beneplacito fiat, aut etiam præcipiatur: alias honeſta non eſſet. Ex huius inconſideratione parologiſmum paſſus eſt Recentior noſter, dum ſuam, contra fere omnes, ſententiam euidentem cenſuit. Verum enim eſt opinionem benignam practicè probabilem, vtpotè concluſionem ex principijs tantum probabilibus, aut ſaltem ex vno probabili deductam eſſe indifferentem, vt vera, vel falſa ſit, & magis, aut æquè ad falſum ſe habere, ſi minus ſit probabilis, quam contraria; tametſi prudenter iudicetur vera, aut probabilis per aſſenſum prudenter imperatum (vt ſæpè diximus) de honeſtate rei, quæ eligenda proponitur, vel de nulla lege prohibente: Cum tamen res aliter ſe habeat; & lex Dei prohibens (etſi non ſufficienter propoſita) abſolutè detur. Vnde prouenit, quod opinio probabilis quādo falſa, non ſit ratio recta ſpeculatiuè, ſed ratio recta practicè, (vt docuit Vazquez 1. 2. *diſp.* 58. *cap.* 2. *num.* 10.) quæ eſt obiectum præmiſſarum euidentium, ex quibus elicitur ratio vltima ſpeculatiuè, & practicè vera dictans licitam eſſe electionem talis obiecti hic & nunc; quæ quidem certa, & euidens vt diximus, eſt; & ſecunda regula formalis humanarum actionum: & quæ ad conſcientiam eodem modo ſe habet, & æquè deducitur, quando opinio probabilis eſt falſa, ac quando vera; nec aliter certificat intellectum de honeſtate electionis in vno caſu, quam in alio; nam veritas rei, de qua opinatur, ſemper latet, & honeſtas vt probabiliter, & prudenter tantum propoſita fundat diſcurſum, quē ideò æquè fundat, ſiue in re vera ſit, ſiue non, vt ex terminis patet. Et eodem modo ſe habet ad conſcientiam, vt tradit ipſe Cella Dei verbis ex illo ſupradictis.

55 Diſcrimen tantum eſt, quod quando opiniò probabilis vera eſt ſecūda regula obiectiua morum; tunc voluntas Dei abſolutè, ſeu per ſe exiſtens, permittens, aut præcipiens, vel prohibens, eſt prima regula obiectiua per illam voluntati propoſita, vt in operando illi ſe conformet. Si verò ratio probabilis ſit falſa; eo quod obiectum ſecundum ſe non eſt honeſtum; tunc voluntas Dei abſoluta non eſt prima regula obiectiua illius actus humani, quia non datur in Deo talis voluntas. Sed alia voluntas Dei exiſtens per accidens, ſeu ex ſuppoſitione erroris inuincibilis, per quam in hoc caſu permittit, aut præcipit electionem obiecti; quod prudenter vt honeſtum, & conforme rationali naturæ propoſitum eſt. Quæ quidem voluntas, vel lex, per accidens tunc eſſet prima regula obiectiua, cui conformis eſt electio honeſta. Ratio autem certa, & euidens, ex qua procedit, eſt regula formalis; per quam certificatur noſter intellectus de illius honeſtate, & veriſsimē iudicat, in his circunſtantijs, licitam & honeſtam eſſe electionem; imò & ex obligatione ponendam, ſi ponamus inuincibiliter præceptam iudicare. Hoc ergo iudicium vltimum, per quod voluntas applicatur ad operandum, in caſu erroris inuincibilis, ſeu opinionis probabilis falſæ, eſt ſecunda regula; quæ vocatur regula formalis, & recta morū; & eſt ratio recta practicè, & ſpeculatiuè, quia non ſolum cauſat electionem honeſtam, ſed eſt conformis rei, quam enūtiat: habet enim pro obiecto, non honeſtatem rei ſecundum

ſe,

ſe, ſed vt propoſitam per actum prudenter imperatum: nec legem Dei abſolutè; ſed legem Dei per accidens, & ex ſuppoſitione erroris invincibilis exiſtimem; ac proinde vndequaque eſt ratio vera, conſcientiam rectā conſtituens.

56 Ceterum cum de opinionis probabilis veritate, aut falſitate nobis non conſtet; & per illam, *ſiue ita res ſit, ſiue non*, prudenter iudicetur obiectum eſſe honeſtum, & naturæ, rationi, & legi diuinæ abſolutæ conforme. Hinc fit opinionem probabilem quamcumque, eo fundamento, quo recta ratio practica dicitur, (etiamſi quoad rem; quam enuntiat, falſa coram Deo ſit) dici etiam poſſe ſecundam regulam obiectiuam morum, quatenus, qui iuxta illam operatur, non ſolum immunis eſt a peccato, & honeſte operatur, ſed dictamen certum, & evidens habere poteſt, (& implicitè habet) de non peccato, & de honeſtate electionis; licèt nullam habeat certitudinem de honeſtate obiecti ſecundum ſe, nec de lege abſoluta, aut beneplacito Dei abſoluto: ideòque materialiter eſſe poſſit mala, quæ formaliter honeſta eſt. Itaque, vt diſcurſum claudamus, notandum eſt, quod licet opinio probabilis non reddat conſciētiam certā; in illa tamen fundatur conſcientia certa, non vt in præmiſſa formali, ſed vt in præmiſſa probabili, & actu iſto reflexo certo, & evidenter concludit: *certum eſſe, aſſenſum eſſe probabilem; certum eſſe prudentem, certum electionem eſſe honeſtam, & hoc obiectum hic, & nunc ſibi eſſe licitum*, vt benè ait Terillus, *q. 23. n. 137.* & Honoratus Fabri, *dialogo 1. de probabil.*

57 Exemplum horologij, quod ſæpè inculcat Cella Dei, extra rem eſt, quia inter regulam moralem, & phiſicam, nulla eſt paritas: rectitudo enim horologij, vtpotè phiſica, conſiſtit inconformitate ad horam, quam ſignat, ſeu cum motu ſolis ſecundum ſe, ac proinde in veritate ſpeculatiua. Qua propter horologium, quod indifferenter ſignaret decimam, aut duodecimam æquè, aut minus; aptum non eſſet, vt pro ſecunda regula ad horam cognoſcendam, & ad operandum prudenter aſſumeretur, quia tale horologiū, nec probabiliter ſignaret horam, nec ex illo poſſemus devenire in probabilem, nedum in certam notitiam horæ, aut honeſtæ electionis operis, quod antea nequeat licite fieri: vt ad Euchariſtiam accedere. Quod ſecus contingit in opinione probabili, licèt ſpeculatiuè falſa, vt conſtat ex dictis, quia ex ſuppoſitione erroris invincibilis de bonitate obiecti, licite eligitur. Qua propter, vt horologium recta regula ſecunda ſit, per quam vita humana gubernetur, neceſſarium eſt, quod vel fidele haberi ſoleat, aut fideliter deſignet horam, alias nemo prudenter poterit ei credere, & conſequenter, nec fidere, ad Euchariſtiam, poſt mediam noctem, aſſumēdam. Vt autem opinio probabilis recta regula morum ſit, non requiritur veritas ſpeculatiua illius, ſed quod ſit fundamentum iudicij moraliter certi de licita electione obiecti, modo ſupra explicato. Ad quod neceſſarium non eſt, quod obiectum illius ſit ex ſe conforme lege Dei, ſed quod prudenter tale iudicetur; quia lex ſolum dirigit, vt per cognitionem applicatur, vt cum D. Thoma docent omnes Theologi. Ideòque opinio probabilis, licèt ex ſe indifferens, vt eius obiectum ſit, ex ſe, vel nō ſit conforme legi Dei; tamen cum illud determinatè, vt conforme, prudenter proponat; & non vt indifferens, recta regula practica eſt, & iudicium certum de honeſtate electionis fundare poteſt. Vnde opinio probabilis, (inquit Terillus, *quæſt. 28. num. 19.*) ſe habet, vt horologium ex ſe indifferens ad vtramque horam oſtendendam, cui tamen, ſi Dominus velit, ſuperaddi poteſt diſpoſitio, qua ſtante determinetur, ad indicandam horam veram. Quia per actum reflexum diſponitur ad vltimum dictamen verum.

QVÆSTIO X.

Omnes opiniones practicè probabiles eſſe æquè tutas, plane concluditur ex dictis.

1 Quæſtionem hanc exagitaui, *1. par. Selectarum, tract. 1. quæſt 6. §. 7. & ſequentibus*, pluresque authores citaui aſſerentes omnes quoad imputabilitatem eſſe æquè tutas, quibus ego meum calculum adiunxi. Eſt enim evidens conſequentia ex hactenus dictis de probabilitate opinionum. Qua propter hanc cōcluſionem conſtantiſsimè tenent Authores, quos ibi, eorum fideliter excerptis verbis, citaui: nempè Ioannes Sanchez *in Selectis, diſp. 42. num. 12. & diſp. 44. num. 66.* Angelus Maria Bericelli, *tom. 1. quæſtionum moralium, tract. 2. q. 10.* Ioannes Machado, *tom. 1. diſcurſu practico, art. 4.* Illuſtriſsimus Dominus Ildephōſus de la Peña, *in itinerario, lib. 5. tract. 4. ſect. 20. num. 7. fol. 559.* Caramuel pluribus in locis, Paſqualigo *in deciſionibus moralibus, deciſ. 359. de opin. probabili.* Apud quem Enriquez, Caſtro Palao, Azor, & alij; Fr. Leander à Murcia *in diſquiſitionibus moralib. libr. 1. diſp. vnic. fol. 17. num. 6.* & apud illum Quintana-Dueñas, Diana, Franciſcus de Lugo, Rocaphul, & Eſcobar, Hyeronimus Garcia *in ſumm. tract. 1. difficult. 5. dub. 2. num. 7.* Bernardus StubroKius in notis adverſus Vvendrochium, *ſect. 3. de probabilit. §. 2.* Fr. Fran-

Franciſcus Bonæ ſpei *in apologemate retorto dub. 7. de ignorãtia invincibili, n. 46. & n. 208. fol. 191. & n. 221. fol. 218.* P. Franciſcus Suarez *de cenſuris to. 5. in 3 part.* P. Thomas Sanchez *tom. 1. ſum. cap. 19. n. 14.* P. Vazquez 1. 2. *diſp. 52. cap. 9.* Quibus adde Patrem Oviedo *t. 2. tract. 5. controu. 3. punct. 2. n. 19.* poſſentque referri plures alij, qui omne periculum peccandi ab vſu opinionis probabilis excludunt, vt M. Acarius de Velaſco, M. Ixeda, M. Prado, M. Petrus de Ledeſma, & Thomas Hurtado, quorum formalia verba adduxi, *§. 7. citato.* Eorum ſententia valdè mihi arriſit, & arridet, eamque omiſſo argumento, quo ibi probavi, ſic nunc ex dictis demonſtro. Quæcumque opinio probabilis fundat mediis actibus reflexis evidentibus concluſionem, ſeu iudicium certum, & evidens de non peccato. Ergo omnes opiniones æquè certificant conſcientiam de non peccato; ergo omnes ſunt æquè ſecuræ, quoad imputabilitatem. Ergo vt quis certus maneat ſe non peccare, non tenetur tutiorem opinionem ex principijs directis eligere: ſed ſufficit, quãcumque minus tutam eligat. Quia formaliter, ſeu quoad imputabilitatem omnes ſunt æquè tutæ, licèt materialiter, tutioris nomẽ militanti pro lege attribui ſoleat.

2 Quinimo, benè dixit Terillus, *q. 28. n. 34.* Doctores, qui ad vitandum peccatum, vſum partis tutioris neceſſarium prædicant, plurimos in morale periculum formaliter peccandi conijcere: tutior ergo erit opinio benigna, quæ fideles ab hoc periculo liberat: quæ doctrina valdè arriſit Caietano, in ſum. verbo *ieiunium.* Vbi contra rigida opinantes ſic invectus eſt. [Caue, inquit, ne ſis imprudens, & nimis ſapiens in oculis tuis, dicendo, quod omnino iſti ſolvunt ieiunium: nam ipſi, ſic, vt dictum eſt, agendo, (nempè ex iudicio probabili omittendo ieiunium) non agunt contra præceptum Eccleſiæ, &c. Et ex tua ſapientia agent forte poſtea contra præceptum Eccleſiæ.] Cui facit dictum illud P. Vazquez *tom. 4. in 3. partem, q. 91. art. 2. dub. 2. n. 2.* [opinio licèt tutior, non ideò eſt magis animabus expediens, quando eſt cauſa multorum ſcrupulorum.] Quod prædixerat Sylveſter, verbo *confeſſio 1. n. 3. q. 2.* Quibus conſonat M. Araujo *in deciſ. moral. de ſtatu ciuili, diſp. 9. aſſert. 3. n. 21.* in fine ibi: [Neque tutior appellanda eſt opinio, quia meliorem petit cum Sacramento diſpoſitionem, ſcilicet veram, ac perfectam contritionem: imò ex hoc minus tuta videatur dicẽda, &c. Quod ſcrupuloſos conſcientijs fidelium ingerat.] Sic autem ſe habet opinio, quam adverſarij tutiorem prædicant, de obligatione eligendi in praxi opiniones rigidas, relictis cõtrarijs benignis minus probabilibus. Ergo eiuſmodi ſententia minus animabus expediens eſt. Nõ facilè vitabis conſequentiam. Nam, vt benè ait Terillus, *q. eſt. 26. à num. 59.* qui operatur iuxta dictamen ſententiæ benignæ, ad ſummum exponitur periculo peccati materialis. Qui verò ſententiam rigidam pro regula admittit, ſeu opinionem probabiliorem exponit ſe periculo peccandi formaliter: difficillimum enim eſt, & moraliter impoſſibile, rigidas opiniones ſemper eligere, aut probabiliores diiudicare: ferè ſemper enim maior probabilitas eſt nobis dubia. Ergo ſententia benigna magis expediens nobis eſt, vtpotè quæ certius, & tutius conducit ad vitandum peccatum, & finem vltimum conſequendum. Ergo cum ſimus in dubio de veritate ſententiæ, an rigida, an benigna, vera coram Deo ſit? & obligando ad ſtrictiorem, multis cœlum claudamus: benigna, vtpotè tutior, eſt eligenda: tutiorem enim viam ad ſalutem conſequendam eligit, qui pro regula conſcientiæ benignam opinionem practicè probabilem, vtpotè certò excuſantem à peccato, quam qui rigidam, a qua non ratione deflectit, elegerit. Quibus non parum facit Cardinalis Parauiſinus *t. 2. diſp. 4. art. 2. cuius verba dedi q. 4. in fine.*

3 Et ſanè ſi certum non foret, opiniones practicè probabiles inter Doctores bonæ notæ, & ſi materialiter minus tutas minuſque probabiles contrarijs, & rigidis; à peccato nos excuſare; Deus per ſæculum ſaltem, ſuã Eccleſiam, Summos Pontifices, Epiſcopos, & Doctores deſeruiſſet, & in perniciosiſsimum errorem incidere permiſiſſet, in omnium ferme animarum detrimentum. Vt omittã Terillum, *q. 22. n. 44.* non renuiſſe dicere, opinionem noſtram, anno 1553. non ſolum vſitatam fuiſſe; [ſed ab omnibus habitam pro dogmate moraliter certo, quod diverſitati opinionum nõ ſubiacebat.] Tantum abeſt à novitate hæc ſententia, de qua iterum *num. 18.* ſic ſcribit: [Si intelligatur benigna ſententia in ſenſu, in quo à ſuis authoribus ſumitur, certum eſt opinionem oppoſitam in Scholis vſque ad Ianſenidum fuiſſe inauditam: & audacter dico, nullum Theologum vllius famæ in Eccleſia Catholica vſque ad illa tempora viguiſſe, qui aut expreſsè, & ſignatè, aut certè, aut exercitè, & in particulari, nõ tradiderit benignã ſententiam, vt ſufficientẽ cõſcientiæ regulam, ad eã à peccato, & peccati formalis periculo liberandã.] Hactenus ille.

4 Ex quibus inferes, audiendum non eſſe Antonium Cella Dei, *lib. 1. q. 13. à fol. 169.* aſſerẽtem, & modicus tuente opinione nullam re ipſa falſam, etſi nobis probabiliorem, aut etiã moraliter certam, eſſe tutã, nuliuſque Deum authorem eſſe: [quod, inquit, eſt à Doctoribus communiter receptum.] Sed fal-

litur: quia Deum poſſe authorem eſſe erroris invincibilis, diximus ſuprà docere plures, & graves Doctores, quos citatos ſequitur Ripalda *tom. de fide, diſp. 4. ſect. 4. n. 17.* vt omittam Cellam Dei ipſum, *lib. 1. q. 13. in fine, fol. 134.* defendere opinionem re ipſa falſam, [quæ ex aliqua ignorantia ſatis ordinaria poteſt alijs putari vera, vel probabilior, eis eſſe tutam, ſi ignorantia fuerit involuntaria.] Si ergo eſt eis tuta; eſt illis a Deo authore, eſt enim illis ſana, & omnis doctrina ſana a Deo authore eſt, vt ipſe ait *fol. 270.* infertur denique fruſtra laboraſſe Vincentium Baronium non ſolum primis duobus tomis damnatis (altero à Sede Apoſtolica in motu proprio Alexandri VII. anno 1665. qui incipit *Cum ad aures*, & altero poſtea a Sacra Cōgregatione indicis) ſed in duobus alijs, quos poſt illos prohibitos edidit ad reſtaurandam opinionem ſuam de obligatione eligendi opinionem pro lege, quoties pro libertate pugnans non fuerit moraliter adeò certa, vt contrariam improbabilem reddat. Quos inſcripſit: *Ethices Chriſtianæ ſeptedecim loci, ſiue opinionum a lege ſtantium neceſſarius ad ſalutem delectus.*

§. I.

Obiectiones diluo.

5 OBijcit Cella Dei, *lib. 1. q. 13. & 14. à fol. 134.* ſi opiniones benignæ probabiles practicè ſunt tutæ, & æquè tutæ contrarijs rigidis pro lege pugnantibus; ad quid diſputationes contra illas ordinantur? vt quid libri prælafatigant? inutiliter ſane, imò & illicite, inquit, cum tendant in deſtructionem rei per ſe, & intrinſecè bonæ, quia talis eſt in ſcientia morali, omnis doctrina tuta, & ſana. Reſpondeo doctrinam tutam, & ſanam aliam eſſe per ſe talē; qualis eſt opinio vera: aliam per accidens ratione erroris invincibilis, ad quē depellendū, & veritatem aperiendam, diſputationes, & libri diriguntur. Quibus nō ſemel obtentum eſt, plures opiniones falſas ab ſcholis exterminatas fuiſſe, & ab Eccleſia damnatas, ſicut & alias non leui fundamento, vt veras de nouo eſſe inductas; quibus Deus viros doctos illuminauit. Ad hæc ergo libri præla fatigant non inutiliter, neque illicite, ſed maxima cum vtilitate, & ſcriptorum laude.

6 Obijcies 2. ex Mercoro, & Baronio. Nemo prudenter eligit ex duobus poculis, quorum alterū veneno mixtū ſit: nec alteram ex duabus vijs, quarum alterā latronibus infectā eſſe, certo ſciret. Ergo, cum evidenter cuique certo cōſtet alteram ex opinionibus probabilibus eſſe falſam, & aliunde in eligenda ea, quæ pro lege militat, nullū eſſe animæ periculum, ſecus in electione alterius pro libertate; imprudenter omnino eā eligit. Reſpondeo primo cum Terillo *de prob. q. 8. n. 41.* antecedens eſſe verū, quia ſtulte, & imprudētiſſimè, abſque vrgente neceſſitate, ſe conijceret homo in periculū probabile mortis; ideòque nec poſſet eligere poculum, quamvis probabilius cēſeret non habere venenū; eſſet enim maior probabilitas ad ſpeculationem, ſeu ſpeculativa; nō verò ad operationem, ſeu practica; vt benè ait P. Antonius Perez, *tr. de iuſt. diſp. 4. cap. 2. n. 14.* In noſtro verò caſu, in cuiuſvis partis electione eſt periculum erroris phiſici, quia æquè falſum eſt iudiciū affirmās eſſe legem, quæ non eſt; ac illam negans, quādo re ipſa datur: & hoc convincit paritas ex adductis exēplis. Cæterū, moraliter loquēdo, eſt maxima diſparitas, quia in caſibus illis, neutrius partis electio eſt tuta, ideoque cuiuſvis etiā probabilioris electio abſque vrgente neceſſitate eſſet imprudēs; in noſtro verò è cōtra contingit, quia electio opinionis rigidæ pro lege prudēter fit, ſecundum omnes, nullū enim periculū peccati, nec formalis, nec materialis intervenit: electio autē opinionis benignæ pro libertate, periculum formalis peccati ſaltē excludit (ſecundum omnes Theologos) qua propter tuta etiam eſt, ideòque prudenter eligitur. Nec eſt vnde illicitum probetur, ſe exponere prudenter periculo erroris phiſici, nec periculo materialis peccati; alias nec opinionem probabiliorem, nec moraliter nobis certam, ſi benigna ſit, liceret eligere. Cum eiuſmodi periculum omnibus annexū ſit: ideò ad illud vitandū teneremur aſſenſum ſuſpendere, & nulli aſſentiri. Quod falſum eſt: hoc enim homini longe deterius eſt, vt benè ait Terillus, quā aliquādo per accidens errare, quia ſuſpendens iudiciū ſe priuaret operatione intellectuali perfecta, & ignoratiæ tenebris obrutus maneret, quod maius malum eſt, quam rationali motiuo innixus, vt fert conditio humanæ naturæ, rebus illis aſſenſum præſtare, de quarū veritate, per illū attingenda, magnam concipit ſpem: vide ſolutionem aliam apud Antonium Perez, *diſp. 2. de reſt. cap. 4. n. 105.*

7 Obijcit 3. Cella Dei, *libr. 2. quæſt. 15. fol. 289. & ſeqq.* opiniones probabiles inter Doctores; quarum contrariæ æquè, aut magis probabiles ſint; non omnes, quæ liberant ab obligatione præcepti, veræ ſunt; vt ex terminis videtur notum; ſatis erit ſi tot demus eſſe veras, quot falſas, licet nobis has determinare, impoſſibile moraliter ſit. Ergo ſiquis vellet centies in vita operari ſecundum opiniones excuſantes ab obligatione: iſte hunc actum haberet. *Ego centies in vita mea volo operari; quinquagies iuxta legem Dei, & quinquagies contra legem. Quod nemo non vidit eſſe maximum peccatum, & velle ſcienter peccare.* Hoc argumentum evidenter inſtatur

ſtatur ad hominem. Quia inter opiniones, quas ipſe admittit probabiles, & excuſantes à peccato, cum poſsint aliquæ a veritate deficere, & poſt diligentiam præſtitam, quænam ſint, vel in quibus caſibus, ignoretur; certiſsimum eſt aliquas eſſe falſas. Ponamus quinque ex centum. Hæc enim poſitio caſualis æquiſsima eſt, quia licèt opiniones probabiles in eius ſententia plerumque contingat eſſe veras, & vnamquamque plerumque in caſibus contingentibus: id totum damus, cum ex centum quinque tantum falſas ſupponimus. Modo retorqueo ſic. Qui vellet centies in vita operari in probabilibus excuſantibus à peccato, hunc etiam actum haberet: *Ego cèties in vita mea volo operari, quinquies suprà nonaginta iuxta legem Dei, & quinquies contra legem.* Hoc autem mortale etiam peccatum eſt, & velle ſcienter peccare. Ita ne verò? Quidquid Cella Dei reſpondeat, rèponere poterit pro noſtra, & communi ſententia.

8 Non me latet hoc argumentum illum ſibi obieciſſe, *lib. 3. quæſt. 1. fol. 335. verſ. quinto.* Cui tamen *fol. 346. verſ. ad quintum*, facere ſatis tentauit, ſed non fecit; ſolū enim ait. *Ad hoc inquam occurſum fuit per noſtram concluſionem*; quam poſuerat *fol. 337.* dicens; *concluſionem autem ſic pono: in omni & qualibet materia, opinio probabilis eſt recta regula morum, ſed tamen cum onere:* nempè perſpiciendi, & conſiderandi, an in hoc caſu a veritate deficiat. Sed quidem cum contingere poſsit, poſt noſtram conſiderationem, & diligentiam ſufficientem (ſaltem invincibiliter exiſtimatam) opiniones à veritate deficere; ſi quinquies ex centum deficere ſupponamus; hæc ſuppoſitio æquiſsima erit: vnde argumentum ſuprà factum recrudeſcit; non evacuatur. Vt omittā ipſummet Cella Dei, *eadem q. 1. citata, fol. 343.* ſentire cum Vazquez *1. 2. diſp. 58. cap. 2. Rationem probabilem, & diligentem eſſe regulam humanarum actionum, ſiue, quod per ipſam proponitur, in re ita ſit, ſiue non; ſi quando erratur, error eſt invincibilis.* Ergo rectè ſtat ex centum opinionibus, poſt diligentem inquiſitionem veritatis, quinque re ipſa falſas eſſe, & hanc poſitionē, & computationem caſualem æquiſsimam eſſe. Vult ergo quinquiès operari contra legē Dei, qui apud ſe decernit, in operibus liberātibus ab obligatione, centies operari. Tenetur ergo Cella Dei ſuo argumento contra communem opinionem reſpondere, vel abſurdum in ſua devorare.

9 Solutio ergo in qualibet opinione peti debet ex alibi a nobis dictis: nempè duplicem eſſe legem Dei; aliam abſolutam circa res ſecundum ſe, &, vt verè ſe habent, cognitas; aliam circa ipſas vt noſtris cognitionibus invincibiliter errantibus propoſitas. Prima lex non eſt ſufficienter propoſita ad obligandum, quoties de nulla opinione probabili in particulari nobis conſtat eſſe falſam, ſed cuiuſvis fundamēta veriſimilia nobis apparēt, & prudenter, vt probabilibus aſſentimus, vel iudicamus illam eſſe probabilem. Ac proinde (vt ipſemet *ait fol. 122.*) *non magis violatur lex, quam ſi non eſſet.* Et propriè loquendo, *nec materialiter* (inquit) *violari dicendu eſt.* Ideòque cum quinque illæ opiniones falſæ, quas inter centū reperiri ſuppoſuimus, ita ſe habeāt, vt de nullius in particulari falſitate nobis cōſtet, non eſt dicendū nos quinquies velle operari contra legē Dei, quia non magis contra illā operamur, quā ſi non eſſet, cū non ſit ſufficienter propoſita, ſed ſemper velle operari iuxta legem Dei, per ſe, aut per accidens exiſtentem; & nobis concedentem operari iuxta opinionem liberantem ab obligatione, quoties inter Doctores probatæ authoritatis probabilis habeatur. Quia tūc vel nō eſt lex abſoluta Dei, vel non eſt ſufficienter propoſita: quod æquivalēter idem eſt, in ordine ad electionem opinionis. Hanc enim licitū eſſe amplecti, & ſi minus tutā; & minus, ex principijs particularibus directis, probabilem, probabilior opinio docet, vt ſuprà probavi.

10 Vnde licèt demus certum eſſe moraliter, inter opiniones probabiles probabilitate conſciētiæ, cōtineri aliquas re ipſa falſas, nobis verò ignotas, nūquā poteſt dici nos velle operari contra legē Dei abſolutè obligantem, quia talis re vera non eſt in his circunſtatijs; cū nō ſit ſufficiēter propoſita; operari autem contra legem non obligantem, nō eſt operari contra legē, cum illa ſit, *quaſi nō eſſet*, falſo ergo vbi ſuprà, & *lib. 3. q. 10. fol. 431.* ſcribit hic Recentior *violationes materiales præviſas, & volitas indeterminatè, eſſe formales, & minime ſolum materiales.* Alias neque ſecundum ſuū probabile; *de plerumque contingenti*, poſſet quiſque viuere, ſed ſemper teneretur ad opiniones ſtrictiores, dum moralem certitudinem de honeſtate obiecti non haberet. Quod totis nixibus ipſemet negat, cōtentus iudicio probabili de honeſtate obiecti. Non ergo ſufficit ad peccandum, violationes materiales futuras indeterminatè prævidere. Nam cum in particulari, & determinatè, nulla violatio formalis contingat, nullumque peccatum interveniat, ſed iuxta legem Dei, per accidens, ex ſuppoſitione erroris invincibilis, exiſtentem, operemur; qui aſſumit pro regula morum obiectiua opinionem practicè probabilem, ſemper vult operari iuxta legem Dei; & nullam ſufficienter propoſitā violare; nullaq; eſt nobis obligatio vitandi violationes materiales vage, & indeterminatè præviſas, vtpotè moraliter impoſsibile, & ex ignorantia invincibili eventuras. Argumentum

Digitized by Google

tum noſtri Cella Dei ſibi obiectum ſolvit P. Antonius Perez, *tract. 1. de iuſt. diſp 4. cap. 3. num. 56.* vbi ſic. [Qui habet propoſitum ſequendi opiniones minus probabiles, haud dubie vult plerumque errare. Hoc autem non eſt facere, quod melius eſt. Reſpondeo in alijs rebus, extra officium iudicis, nō eſſe incommodum plerumque errare, quando datur aliqua præponderantia ex parte rei, cui fauet opinio minus probabilis.] Sic ille. Sed noſtra ſolutio magis placet.

11 Obijcit 4. *lib. 4. quæſt. 10. fol. 437.* ſicut eſt peccatum occidere, ita & non facere re ipſa voluntatem Dei; ſed qui non poteſt formare iudicium, quod ſua actio v.g. emiſſio ſagittæ non ſit homicidiū cauſatura; eo quod non eſt illi principium, vnde id præ alio ſibi ſuadeat; reus eſſet homicidij, ſi ſagittam emitteret: ergo qui quamcumque aliam operationem efficit, quin iudicare poſſit, quod nō eſt violatura legem Dei; eo quod principia, quæ habet, æquè aut magis violationem futuram ſuadeant; peccabit mortaliter. Reſpondeo hoc argumentum æquè procedere contra Cellam Dei, expreſsè docentem, licitum eſſe operari, quod iuxta ſua principia probabilius apparet; & ſi minus tutum: & tamen licèt probabilius appareat obiectum eſſe feram, quam hominem, ac proinde ex emiſſione ſagittæ hominem non occidendum; ſi tamen certum moraliter hoc non ſit; nullatenus licet ſagittam emittere. Reſpondeo ergo iudicium ſpeculatiuum etiam probabilius proponens obiectum illud eſſe feram, & non hominem, non fundare iudicium probabile practicum circa emiſſionem ſagittæ. Præceptum enim non occidendi, non ſolum eſt certum, ſed ſtrictiſſimè obligans; & abſque morali certitudine ſpeculatiua de facto, (nempè quod fera ſit, quæ obijcitur, & non homo) & de occiſſione hominis vitanda; prohibet actionem ad occiſionem ordinatam, aut periculoſam; idque ex principijs ſynderesis omnibus nōtum eſt, iuxta illud naturale principium: *Quod tibi non vis alteri ne feceris.* Nec diſſentire poteſt Cella Dei ipſe, quia *lib. 3. q. 1. fol. 346.* planè aſſerit. [Venatorem non poſſe emittere ſagittam in animal exiſtens in conſpectu, de quo octodecim homines conteſtantur eſſe feram; duo autem aſſerunt eſſe hominem; illos autem 18. opinionem probabilem, imò & probabiliorem facere, quod ſit fera, dubitari non poteſt, & prudenter quiſque aſſentiretur eſſe feram: & tamen ex hac opinione ſpeculatiua, non poſſet practicam cōparare, provt ad emiſſionem licitam ſagittæ opus erat. Sicut, licet demus probabiliorem eſſe opinionem Caietani aſſerentis validum eſſe baptiſmum, ſub alijs verbis: nempè *in nomine genitoris, & geniti, &c.* non tamē inde practicè probabile ſit, licere ſub hac forma baptizare. Cæterum iudicium practicè probabile de honeſtate rei, ſeu de electione licita obiecti, aut circa non obligationem legis abſolutæ Dei, ſufficit ad licite operandū, vt fatetur ipſe Cella Dei, & hoc non eſt difficile. Nam quoties ſit probabile aliquod obiectum eſſe honeſtum, aut nos iudicium certum habeamus de probabilitate opinionis alienæ, & nullam occurrere circumſtantiam, vnde prohibeatur; probabile etiam practicè eſt, licitam eſſe eius electionem; & probabile eſt non eſſe legem, illam prohibentem. Eo autem ipſo, quod ex principijs directis, hoc probabile ſit, ſiue æquè, ſiue etiam minus, quam contrarium; poteſt intellectus (vt ſæpè diximus) ex imperio voluntatis, ex alijs indirectis, iudicare probabilius eius electionem eſſe licitam, imò & per vltimum iudicium reflexum certo, & evidenter id concludere, ſe habente opinione probabili practicè, non vt præmiſſa diſcurſus, ſed vt obiecto præmiſſarum evidentium.

§. II.

Obiectionibus alijs Baronij fit ſatis.

12 Contra me nominatim inſurgit Baronius, *p. 2. Ethices Chriſtianæ* ad finem, & ad refellendas, vno verbo, omnes opiniones, quas ego pro lege militantes in meo Selectarum diſputationū opere; vt probabiliores defendendas ſuſcepi, hoc abvtitur argumento ex viſceribus huius tractatus deſumpto. Nulla fere eſt opinio pro lege in meis diſputationibus, cuius contrariè pro libertate deficiant graues authores, & fundamenta gravia a ratione; ergo licitum eſt, opiniones pro libertate, me impugnatas, amplexari. Ergo, quæ vna manu adſtruo; altera everto. Nam licitum eſt opinionem minus tutam, ſi probabilis ſit, amplexari, vt in hoc tractatu ſtabilitur; at opiniones pro libertate, quas retero, & deſero, probabiles ſunt apud Doctores bonæ notæ; imò & æquè tutæ contrarijs pro lege; vt dictum eſt ſuprà. Ergo licitum erit, cuiuſcumque opinionis probabilis fauentis libertati, etſi a me impugnatæ, delectus. Ergo ex eo ſolum principio, quo licitum ſtatuī vſum opinionis probabilis pro libertate, apertè ſequitur, omnes meas opiniones pro lege, hoc vno argumento; *veluti parietem inclinatum, & depulſam maceriem in ruinam præcipites dilabi.*

13 Hoc eiicere non meas tantum opiniones pro lege ſtantes, ſed omniū Theologorū, qui

Digitized by Google

qui de moralibus ſcripſerũt, Baronius aſperſit, omniumque famam denigrauit. Omnes enim ſi vnum, vel alterum, aut vnam, vel alteram opinionem excipias, præter illas, quæ à cenſoribus fidei damnatæ, & prohibitæ ſunt, cæteras pro libertate pugnantes, quas non ſequuntur, cum ſuis fundamentis propoſitas, & probabiliter tantum impugnatas, probabilitate (ſi quam à principijs intrinſecis, ſeu ab extrinſecis ſortiantur) non denudant. Ergo cum aliunde apud ipſoſmet Theologos fixum principium ſit, licitum eſſe eligere opinionem minus tutam, non ſolũ probabiliorem, ſed æquè, aut etiam minus probabilem contraria, hoc vno Baronij argumento omnes, quorumcumque authorũ nobiſcum ſentientium opiniones pro lege erſit Baronio, *veluti paries inclinatus, & depulſa maceries, in ruinam præcipites dilabentes.* Adde, & in ipſius Baronij opera hoc vitium, ſeu conuitium refundi, & retundi. Quia dum ipſe quatuor integris tomis ad neceſsitatem delectus opinionis pro lege, ſi improbabilis non ſit, omnes conſtringit; oleum, & operam perdidit. Illis enim à capite ad calcem, à viris doctiſsimis ad examen vocatis, vnuſquiſque, vt antea, in ſuo ſenſu abundat. Er omnes huius Recentioris auſum mirati ſunt, quod ſuadere tentauerit, nullam opinionem fauentem libertati, quamvis probabiliorem, contraria, a peccato læthali excuſare. Quo vnico argumento omnia authorum volumina condemnat, quæ vt in plurimum opiniones minus tutas, vt probabiliores tantum propugnatas continent, quarum contrarias pro lege, improbabiles garrire, temerarium eſſet.

14 Vtinam Baronius nobis edidiſſet librum, in quo opiniones minus tutas eligibiles determinaſſet: eas nempe, quæ vt ipſe cõtendit, ad illum certitudinis gradum evectæ ſunt, quo contrariæ pro lege improbabiles reddãtur. Nam cum hæ rariſsimæ ſint, paucis folijs eas proponere potuiſſet, & a cæteris tutioribus referendis cum laude abſtinere: quia neminem quantumvis rudem, & illiteratum latet, tutiorem eſſe opinionem, quæ ligat, quã, quæ ſoluit: ideoque fruſtra in opinionibus tutioribus argumentis comprobãdis tempus tereretur. Et nullo fructu diſputaretur de minus tutis, quas certo ſciunt authores eum certitudinis gradum non attingere, quo opiniones contrariæ pro lege improbabiles efficiantur. Vt quid ergo Doctores, & Magiſtri, qui, quod Baronius, antea ſenſerant; (omnes ſcilicèt, ipſo teſtante, qui veri diſcipuli ſunt D. Thomæ) vt quid inquam atramentum inutiliter inſumpſerunt? vt quid paginas impleuerunt opinionibus minus tutis, quas vt probabiliores docuerunt in ruinam fidelium ad praxim illis adhærentiam; quos paucis poſſent à culpa liberare, eos inſtruentes, & certos reddentes de obligatione eligendi, & ſequendi opinionem ligantem, à qua tantum recedere liceret, quando opinio ſolvens moraliter certa eſſet; quod raro contingit.

15 Et quidem, ſi aliqua moralis opinio hac certitudine præcellat, ea eſt, quæ mordicus defendit, licitum eſſe amplecti opinionẽ minus tutam probabiliorem tutiori, quia omnium fere Theologorum conſenſum ſibi adſcripſit. Er tamen hãc ſuis machinis arietare, & extra probabilium confinia pellere, quatuor integris tomis, licèt infelici eventu, Baronius tentauit. Quem ergo alium ſingularis eius opinio ſperat? Quos libros fideles quærent, vt opinionem fauentem libertati, ſi Baronius non deſignet, moraliter certam inveniant. Præter quam quod, cũ opinio pro libertate ipſi moraliter certa, minus alijs certa forſan videretur, ſub opinione ſemper maneret, ſit, necne moraliter certa? ideoque cum tutius ſit partem negantem amplecti, tenerentur omnes illam amplexari, & iuxta Baronij principia neceſſario fateri, omnes ad rigidiores, & ſtrictiores opiniones ſemper eſſe conſtrictos. Sed his omiſsis. Ad argumẽtum Baronij reſpondeo primo. Quod licet eius opinio ſit tutior, probabilior tamen non eſt; ideoque neminem ad illam ſequendam teneri: idque eſſe nobis moraliter certum, ex communi Theologorum conſenſu, qui ab Eccleſiæ infantia proclamant, licitum eſſe delectum opinionis minus tutæ, ſi probabilior ſit tutiori. Qua propter ipſius Baronij principijs adhærendo, ſevere pronũcio, licitum eſſe amplecti opinionem minus tutam probabiliorem contraria, & etiam æquè aut minus probabilem, quia hæc noſtra, & communis opinio, & ſi minus tuta ad eum tamen certitudinis gradum evecta eſt, vt contraria Baronij, licet tutior, probabilis non ſit, vt ex dictis in hoc tractatu convincitur, & tradunt expreſsè Doctores citati, *q.* 5. P. Erceſerus. P. Ioannes de Cardenas. P. Bardi. P. Terillus, & alij. Quibus adde M. Ioannem à S. Thoma 1.2.*q.*18 *diſp.*12.*art.*3. cuius verba n. 3. adduxi.

16 Reſpondeo ſecundo. Theologorum diſputationes de re morali ad veritatem inveniendam tendere, & ordinari, quam cum raro poſsint evincere; maiorem ſaltem probabilitatem ſuæ vnuſquiſque opinionis oſtendere nititur; vel ſaltem problematicam vi argumentorum relinquere, neque vanus fuit labor, cuius virtute decurſu temporis plures opiniones pro libertate probabiles reputatæ ad improbabilium claſem tranſierunt, ſicut & nonnullæ pro lege. Et è contra plures,

quæ antea improbabiles cenſebantur, argumentorum pondere, ad probabilitatis gradū promotæ fuerunt.

17 Nec authores, qui in hoc tractatu defendunt vſum opinionis practicæ probabilis, & ſi minus tuta contraria, dum poſtea de ſingulis diſputãtes tutiorem aliquam, a principijs intrinſecis, propugnant; & argumentorum pondere muniunt, operam perdunt; nam ſi illam moraliter certam comprobent, firmam omnibus relinquunt obligationem eam ſequendi: ſi verò probabiliorem tantum euincant, ad eam adſtringunt omnes, qui certum putant eſſe obligationem eligẽdi tutiorem, ſi probabilior ſit. Si verò de opinione minus tuta diſputetur, & hanc moraliter eſſe certam ſuadeant, liberum illius delectum Baronio, & ſequacibus facient. Si autem probabiliorem tantum eſſe; eam eligere poterunt omnes fere Theologi, qui ad licite operandum contenti ſunt opinione probabiliori, & ſi minus tuta. Quod vt ſæpè dixi, moraliter certum eſt. Hunc collimant ſcopum omnes diſputationes de re morali. Quod ſi nonnullæ non attingant, ſed ſuas authores opiniones pro libertate probabiles tantum eſſe ſuadeant, non verò probabiliores, ſed æquè aut minus contrarijs pro lege, vt alliquãdo contingit, hæc probabilitas ſpeculatiua reputabitur: & ideò, vt ad praxim vtilis eſſe poſſit, recurrẽdum eſt ad quæſtionem illam, an liceat amplecti opinionem, quam ex principijs intrinſecis, & extrinſecis nempè à ratione, & ab authoritate probabilem eſſe quis cenſet, non verò magis, ſed æquè aut minus contraria pro lege. Quidquid autem in hac quæſtione reſolveris, nil alijs aſſertionibus obſtat, neque ideò de proceribus Theologorum dici poterit, vna manu euertere, quid quid alia adſtruunt, quia ſi opiniones minus tutas, vt probabiliores, vel æquè, aut minus probabiles defendant, vtraque manu illas amplexari, dicunt eſſe licitum. Si verò tutiores vt moraliter certas, vtraque etiam manu adſtruunt, non eſſe licitum contrarias ſequi. Si verò ex principijs directis tantum eſſe probabiliores, aut æquè, aut minus probabiles contrarijs euincant, in nullo ſibi cõtradicunt, dum poſtea ex principijs reflexis vſum contrariæ opinionis licitum eſſe defendunt, quia hic actus, ſeu iudicium ſpeculatiuū, *conſideratis principijs directis probabilius eſt, hunc contractum A. eſſe vſurarium, & probabile eſt non eſſe*, nullam contradictionem inuoluit: & hanc tantum concluſionem argumenta ex principijs directis petita, in prædicto caſu, euincunt. Reſtant verò alia ex reflexis petenda, de vſu licito opinionis practicè probabilis, & ſi minus tutæ.

18 Ex quibus ſic cõficitur argumentum, *probabile eſt, hunc contractum A. non eſſe vſurarium; atqui licitum eſt ſequi opinionem probabilem minus tutam, ergo & quæ defendit, hunc contractum non eſſe vſurarium. Ergo & quæ docet non eſſe peccatum illum exercere.* Per hæc autem non euertitur, quod per primum iudicium ex principijs directis fuit cõcluſum: nempè *probabilius eſt vſurarium eſſe, & probabile, non eſſe talem*. Quod eſt iudicium ſpeculatiuum. Argumentum ergo, quod in me, & in omnes fere Theologos Baronius cõtorſit, nil probat, quia multum. Nullus enim hactenus in re morali verſatus, eos ſugillare auſus eſt, ex eo, quod tutiores opiniones, cũ probabiliores cenſent, tueãtur, & ſimul doceant, licitum eſſe amplecti opiniones minus tutas practicè probabiles, quia quando hæc duo iudicia coniunguntur, primum manet ſpeculatiuum, & ſecundum practicum.

19 Eandem, quam mihi Baronius, obiectionem ſibi fecerat P. Antonius Perez, *tract. I. de iuſt. diſp. 4. cap 4. num. 80.* Vbi poſtquam validis fundamentis probauerat, iudicem teneri in iudicando partem ſibi probabiliorem amplecti, plurimis præmiſsis obiectionibus, ſic tandem ſcripſit. [Obijces vltimo fruſtra nos in hac quæſtione laboraſſe, quia ſententia oppoſita noſtræ eſt probabilis, & eam ſequũtur multi authores tàm Theologi, quàm iuris conſulti. Ergo poterit iudex ſe illi ſententiæ conformare: dictum enim eſt a nobis ſuprà, quando probabilitas opinionum verſatur circa eam quæſtionem, vtrum, aliquid liceat iudici, aut non liceat; poſſe iudicem ſequi opinionem minus probabilem. Reſpõdeo, ſi iudex examinatis fundamentis, & authoritatibus noſtræ ſententiæ, & oppoſitæ, poſsit formare iudicium liberans ſe ipſum à ſcrupulo conſcientiæ, tunc poſſe ſequi opinionẽ noſtræ contrariam Sed mihi eſſe valde probabile, aut fere certum, paucos iudices id poſſe facere &c. Itaque licèt cõcedam poſſe aliquos decipi invincibiliter, tamen exiſtimo non habere oppoſitam ſententiam, talem ſtatum, vt, ſi examinentur benè fundamẽta vtriuſque, poſſet apparere probabilis.] Sic Antonius Perez, quæ non paucis opinionibus tutioribus neceſſario ad praxim eligendis, ob eandem rationem, applicare poteris. Et forſan fere omnibus quaſego defendo.

20 Obijcit ſecundo Baronius *2. p. Ethices Chriſtianæ, diſp. 2. §. quarta comparatio, fol. 42.* locum D. Thomæ pétitum, ex quodlibero octauo, *artic. 13.* in quo ſic aſſerit [ex conſcientia tantum obligatur aliquis ad peccatum, ſiue habeat certam fidem, ſiue de contrario eius, quod agit; ſiue etiam habeat opinionem, cum aliqua dubitatione.] Quibus verbis, ait Baronius, inſinuat duplicem gradum conſcientiæ, vnum certè pertinacis-

In malo, alterum probabilis conſcientiæ. Ergo iuxta D. Thomam, opinio probabilis non excuſat à peccato. Reſpondeo legitimã huius loci expoſitionem me alibi tetigiſſe, ſed ne aliquid deſideretur, dico apertiſsimum eſſe illius ſenſum: [eum, qui *certa fide*, nempe errore inuincibili; ſiue *opinione*, id eſt errore vincibili, indicat eſſe grauiter malum obiectum, quod in re tale non eſt, grauiter peccare; ſi illud eligat. Sic enim ex conſcientia, vno ex his tantum modis, ad peccatum aliquis obligatur. Hoc inquam, eſt peccare tantum *cõtra conſcientiã*, non verò cõtra legẽ; quia obiectum in re non erat malum, ſed ſola conſcientia erronea peccati grauis fuit cauſa, quia ex errore, ſiue inuincibili, id eſt, *certa fide*, ſiue opinione cum aliqua dubitatione, id eſt *errore vincibili*, quẽ, cum poſſet, & teneretur, depellere non curabit; ab operatione non abſtinuit. Hæc eſt genuina huius loci interpretatio, in quo in mentem Diui Thomæ non venit, contra conſcientiam peccare, qui aliquid agit, prudenter cenſens non eſſe prohibitum; licet contrarium ſit etiam probabile, quia ex primò iudicio aſcendit ad dictamen certum de prudente electione, & conſequenter delicita, abſque vlla formidine peccati; & nullomodo manet probabile; quod in illa interueniat peccatum. Cum his autem rectè componitur ſententia D. Thomæ, verbis ſupra datis aſſerentis, certum eſſe peccare ex conſcientia, qui certo putat, vel opinatur eſſe malum, quod facit, quia licet reuera non faciat contra legem Dei abſolute exiſtente, circa res, vt ſunt in ſe; facit tamen contra aliam Dei legem exiſtentem per accidens, ex ſuppoſitione erroris inuincibilis, aut vincibilis de malitia obiecti; quæ ad non operandum obligat.

21 Maior exurgit difficultas ex verbis alijs, quæ D. Thomas immediate ſubnectit, *illud autem, quod agitur contra legem, ſemper eſt malum, nec excuſatur per hoc, quod eſt ſecũdũ conſcientiam*. Quibus præmiſsis confidẽter concludit Baronius. [Vellẽ, nobis explicarẽt Terillus, Moya, & alij, quid intelligat eo genere peccati, quod D. Thom ponit, atq; admitti contra legẽ, non contra conſcientiã.] Reſpondeo, vellem ego, ipſe Baronius explicuiſſet, ſit ne verum, peccatũ admittere, qui inuincibiliter iudicans, teneri ſub læthali ad mentiendũ pro ſalvanda proximi vita, mentiretur? Hunc enim non peccare; fide ſanctũ mihi eſt, & tamen mendacium eſt contra legem. Excuſatur ergo per hoc, quod eſt ſecũdum conſcientiam. Eſt ergo aliqua conſcientia (nempè inuincibili ignorantia laborans) quæ à peccato contra legem excuſat. Ita ne verò? Senſus ergo verborum D. Thomæ eſt; illud, quod agitur contra legem, *ex errore vincibili*, ſemper eſſe peccatum, nec excuſari ex eo, quod eſſet ſecundũ conſcientiam *erroneam*, ideoq; ſi quis mentiretur ex errore vincibili, credens nõ eſſe malum, certiſsimè peccaret, quia ageret contra legem, quam poterat, & tenebatur ſcire, à quo peccato non excuſaretur ex conſcientia, quia licet, ea non depoſita, obligaretur ſub læthali ad mentiendum, poterat tamen conſcientiã erroneam, vtpotè vincibilem, deponere, & ſic omnem culpam vitare. En Baroni, quam facilis, & congrua eſt huius loci expoſitio; vel ſi mauis: reſponde, malum, ſeu peccatũ materiale, non formale eſſe, quod eſt contra legem, & contra conſcientiam.

§. III.

Obiectiones alias diluo.

22 OBijcit tertiò, *opuſculum 73. de vſuris*, vbi Angelicus Doctor, ait: *Admodum vtile eſſe inueſtigare in dubijs veritatem, quæ agnita ſalutaris eſt, incognita periculum ingerit humanæ ſaluti, à qua ſi recedat Doctor, non ſolum erit in periculum animæ ſuæ, ſed in laqueum aliorum*. Quæ ſubnectit Baronius *diſput. 2. citata num. 35. fol. 63.* vana forent, & ridicula, ſi certa probabilitas communis vtriuſque partium, & opinionum, omnes tutas faceret, & a peccato immunes; tunc enim, nec animæ Sancti Doctoris periculum, nec aliorum laqueus impenderet. Ergo manifeſtum eſt; Sanctum Doctorum animæ periculum agnouiſſe, ſi à vera in ſe opinione, & pro lege recedamus.

23 Reſpondeo primò, *opuſc. 73.* non habere maiorem authoritatem, quam *opuſcula 64. & 65* Omnia enim hæc, vt dubiæ fidei; inter opuſcula D. Thomæ a Doctiſsimis Patribus Dominicanis, conſenſu Magiſtri Generalis Ordinis, inſeruntur: & tamen, quod opuſculũ, ſexageſimumquartum, & ſexageſimumquintum, ego non receperim, vt ſpuria; mihi vitio vertit Baronius, & acriter in me invehitur, *2. part. Ethices Chriſtianæ, diſp. 3. ſect. 4. num. 82. fol. 460.* An iure, vel iniuria alij iudicabunt. Ego enim, quouſque Baroniũ perlegi; tot magiſtrorum authoritatẽ illã non explodentium, ſed vt dubiæ fidei admittentium, eleuare; & ſpuria vocitare, temeritatis notã videbar incurſurus. Poſtquã verò me audaciorem Baronium reperi; eandem, quam ipſe, notam inuſi, *1. part. ſelect. loco infra citando*. Olim verò in opuſculo pro Ieſuitis in editione Valentina, anno 1661. (Quæ poſtea Lugdunenſibus Typographis pro originali deſeruijt) ab omni nota, ob rationẽ ſupra tactam, abſtinui; ſed anno 1664. in Mattritenſi editione, (quam falſo ſuppo-

nit

Digitized by Google

nit Baronius fuiſſe priorem) addidi, præfatū opuſculum ſexageſsimumquintum *de officio Sacerdotis* non eſſe D.Thomæ. Poſtea vero, vt prædixi, in diſputationibus ſelectis, doctior factus ſcriptis Baronij, ipſius cenſuræ, vtrumque opuſculum ſpurium declaranti conſenſi, *tr.3.diſp.3.cap.7.num.85.fol.224.* Nolo tamen *opuſculo 73.* à Baronio obtruſo ſpurij notam inurere, ſed vt partum dubiæ tantum fidei recipere, & ſi mauis, vt legitimum. Quo poſito.

24 Reſpondeo ſecundò D. Thomam in præfatione huiuſmodi opuſculi, amore veritatis ductum, & ardenti illam inueniendi deſiderio, Dei patrocinium inuocaſſe, *ne illum errare permitteret in periculum animæ ſuæ, & in laqueum aliorum.* Quia in errore ipſo, quandoque eſt peccatum, ex defectu diligentiæ debitæ ad inueniendam veritatē, vt ex ſancto Doctore alibi diximus. Quod in laqueum aliorum cedere facilè poteſt. Quia non raro authoritas docentis, quæ ex eius probitate, & doctrina coaleſcit, tanta non eſt, vt illius opinioni in re morali poſſint cæteri prudenter acquieſcere. Quamuis certiſsimū ſit, quod Angelici præceptis ſemper, tanta fuerit, vt qui eius conſilio ductus operaretur, omninò à peccato immunis eſſet; quia licèt forte contra legem operaretur, ex errore faceret inuincibili; non enim teneretur amplius inquirere. Cæterum Diu. Thom. pro ſua humilitate, de ſemetipſo aliter ſentiens errorem vincibilem timens, & de ſua erga alios authoritate diffidens, ſi fortè in quæſtionibus moralibus decidendis à veritate deuiaret, non ſolum in periculum animæ ſuæ, ſed etiam aliorum id futurum protulit. Nam cum deberent illius authoritate non quieſceret, *ſed vltra veritatem inquirere, ab eo vincibiliter deceptos humiliter cenſebat.*

25 Addit D.Thomas, vbi ſuprà verba, quæ Baronius notat, *in quæſtionibus moralibus periculum eſſe diuerſa ſentire, & opinari.* Fateor, ſed nil contra nos, nō enim inficiamur periculum, ſi abſque diligenti examine veritatis Doctores quæſtionem dirimant. Non verò ait D.Thom. periculum eſſe, in ſe conformando illis, qui pruderer quæſtionem reſoluiſſe ex probitate, & prudentia illorum, prudenter credimus, in quo ſenſu accipienda verba illa D.Thomæ, *veritatem indubijs incognitam periculum ingerere humanæ ſaluti.* Subnectit Baronius ex his verbis, apertè colligi, ſecundum D.Thomam, eos, qui opinionem re ipſa falſam ſequuti fuerint, & à vera in ſe opinione, & pro lege tuta receſſerint, grauiter peccaturos. Verùm ſi ita ſe habeat, Baronius ipſe nō tuto figit pedē. Quia ſi aliquam opinionem pro liberrare moraliter ipſi certam, tamen re vera, coram Deo falſam (vti contingere poteſt) doceat, vel ſequatur, à peccato mortali immunis non erit, quia à vera in ſe opinione, & pro lege tuta receſsit. Ergo periculum etiam ipſi eſt, diuerſa opinari, præcipuè ſi contra fere omnium Theologorum conſenſum, vt in præſenti contingit. Ergo ni ex errore inuincibili, de diligentia ſufficiente adhibita, pro veritate inuenienda, Baronius excuſetur, grauiter peccabit recedens à vera in ſe opinione, & pro lege tuta, etiam ſi contrariam moraliter certam putet: quia id. quod agitur contra legem, ſemper eſt malum, nec excuſatur ex hoc, quod eſt ſecundum conſcientiā, vt ſupra ex D.Thoma explicuimus.

26 Pro omnibus ergo reſpondeo, periculum Doctoris Theologi conſiſtere in non præmittenda ſufficiente deligentia ad veritatem inueniendam, prout requiritur ad reſolutionē quæſtionis pro vna, vel altera parte. Ea autem præmiſſa à viris probis, & in Theologia morali verſatis, vt ſupponitur, vt illorum ſententiæ prudenter adhærere poſſimus, vt verè, vel vt probabili, error inductus ex contrarietate opinionum practicè probabilium, eſt inuincibilis, vt alibi fuſe probavi, nec periculum mali moralis eſt in ſequenda opinione fauente libertati: nec Diu. Thom. aliud inſinuat, ſed potius oppoſitum ſupponit, *quodlibeto octauo, art.13.* dum ait: [aut ex contrarijs opinionibus in nullam dubitationem inducitur, & ſic non ſe committit diſcrimini, nec peccat.] Quod quidē contingit, quando alteri parti contradictionis, & ſi cum formidine prudenter aſſentitur, vel abſq; illa. Quod nos diſcurſu noſtro obtineri probauimus, formando dictamen vltimum practicum, & certum de licita electione, quod omnem formidinem excludit.

27 Adnotare non deſinam, D.Thomam poſt illa verba, quibus *in moralibus periculum eſſe diuerſa ſentire, & opinari* Theologos erudiuit, ſubnectere, *& præcipuè in illa parte iuſtitiæ, quæ commutatiua dicitur.* Nempè, quia ſiue opinionem pro libertate, ſiue pro lege doceant, vtrique ineſt periculū grauis damni, vt ſi ad reſtitutionem nō obligatum obligent, ſic ipſi inferant, & è contra ſi obligatū re ipſa ab obligatione liberent, non ipſi, ſed proximo. In cæteris etiam quæſtionibus, in alijs materijs determinādis, ſi ex errore vincibili veritatis reſolutio fiat, certum eſt periculoſe determinari: quia ſi pro libertate in re graui, non excuſabit error à mortali, ſed iſtud minuet, in quantum minuit voluntarium: ſi vero pro lege, cum hæc re vera non exiſtat, graue hominibus imponetur onus operandi iuxta legem exiſtimatam, dum errorem non deponant. Qua propter D. Tho-

mas

Digitized by Google

mas *quodlibeto nono,art.*15.de hoc periculo nos admonuit dicens: *Omnis quæſtio, in qua de peccato mortali agitur, niſi expreſſe veritas habeatur, periculosè determinatur. Quia error (nempè vincibilis) quo nō creditur aliquid eſſe mortale, quod re vera mortale eſt, conſcientia non excuſat à toto, licet fortè à tanto; error verò, quo creditur falſo aliquid eſſe mortale, conſcientiam ligat ad peccatum mortale.* Hoc tamen non tollit Theologos, poſt prudētem adhibitam diligentiam, veritate expreſſa nō inuenta, poſſe prudenter grauibus fundamētis innixos huic, vel illi contradictionis parti aſſenſum probabilem præſtare. Alias cum tàm pro lege, quàm pro libertate periculosè determinetur quæſtio, in qua de peccato mortali agitur, deberent ſemper Theologi iudicium ſuſpendere. Quod nec D. Thomas, nec alij Sancti Patres præſtitere, ſed pro vna, vel altera parte quæſtionem ventilatam determinarunt. Ergo, quando expreſſè veritas non habetur, locus datur diſcretæ reſolutioni Theologorum pro alterutra parte, quam diſcipuli tuta conſcientia amplecti poſsint.

28 Hinc miraberis Vincentium Baroninm diſp 2 Ethices Chriſtianæ *loco* 16. *nu*: 36.*fol*.37.ſugillaſſe Terillum, eo quod *q*.28. ſcripſerit [Diu. Thomam, in his locis ſolum egiſſe de obligatione, qua Theologi præmuntur, quando dubia mortalia reſolvunt: Hoc verò nil pertinere ad ſubiectam quæſtionem, qua diſputatur, an poſt Theologorum diſcretam reſolutionem liceat eorum determinationi inhærere?] Hæc, inquā, reſpondēs Terillus à Baronio carpitur, in illumque inſurgens, ait, nullam Theologorum reſolutionem eſſe poſſe diſcretam, quando expreſſe veritas non habetur; [vbi nam (inquit Baronius) legit Terillus diſcretam reſolutionem? Mirabile dictu! poſſet reſpondere, apud Diu. Thom. apud D. Bonaventuram, apud Scotum; apud Caietanum; apud Sotum; apud Suarez; apud Sanchez; & omnes ferè de re morali diſputantes viros doctiſsimos. Nec niſi temere id negari poteſt. Theologos omnes teſtes advoco. Nec enim in diuerſas opiniones viri ſanctiſsimi, & doctiſsimi abijſſent ſi expreſſe veritas haberetur. Quid ergo? dicemus ne indiſcretam fuiſſe eorum reſolutionem? Apage. Quantum autem, Dei iudicio, deferendum ſit Sacerdoti, ſeu Doctori probabiliter alios dirigenti, & operantibus iuxta probabile dictamē, quamvis, quod Doctor iudicat, ſit in re falſum, conſtat *ex cap*. 14. *Leuitici*, vbi Deus Sacerdoti commiſsit iudicium de munditia leproſi, vt quem emūdatum cenſeret, reſtitueretur conſortio hominum, & cultui diuino, ſi verò Sacerdos aliquādo in hoc iudicio à veritate deuiabat; Deus miraculoſe ad effectum ſupplebat, vt ait Diu. Thom. 1.2.*q*.102.*art*.5.*ad* 7. [contingebat tamen, inquit, quandoque, vt diuino miraculo per ritū legis, corporalis mundaretur lepra, quando Sacerdos decipiebatur in iudicio.] Rectè ergo compatitur diſcretam eſſe reſolutionem circa partem minus tutam licet Doctor in iudicio decipiatur.

29 Inſtat Baronius vbi ſuprà §.9. *num*: 117.*fol*.102. D. Thomas locis pluribus præcipuè *quodlibeto* 8. [regulam ſtatuit, quæ ambitum exæquat omnium de moribus controuerſiarum: diſsidentibus ſcilicet inter ſe Doctoribus, illum reum eſſe peccati, qui à vera ſententia receſſerit.] Sed vbi, quæſo, definitum Baronius inuenit D. Thomam, qui, teſte Diu. Antonino, innumeras opiniones probabiles minus tutas defendit, in nulla illarum à vera ſententia receſsiſſe? Satius Baronio fuiſſet, hæc omittere; quam viginti opiniones minus tutas, quas ex D. Thoma, alijs omiſsis, fideliter excerptas dedi, 1.*p.ſelect.q*.5. friuolis, aut extortis euaſionibus diſijcere tentaſſe. Quas, ne faſtidio lectoribus ſim, non refero.

30 Sed aduoco Baronium hac vna propoſitione; omnes ferè Doctores læthalis peccati condēnaſſe, quia omnes, qui opiniones, quas pro libertate militantes probabiliores cenſentes tutati fuerint, ſi in re veræ nō ſint; à veritate receſſerunt, reos ergo fuiſſe peccati dicere tenetur? Immò licet verè fuerint; nam cum Doctores certitudinem moralem de veritate non habuerint, periculo recedēdi à veritate ſe expoſuerunt. Hoc enim maior probabilitas vitare non potuit, ac proinde, nec peccatum, quia iuxta hunc Doctorē, non eſt diſtinguere inter malitiam materialem, & formalem. Inſuper nulla quæſtionis reſolutio pro libertate; diſsidentibus inter ſe Doctoribus, diſcreta eſſe poterit; atque adeo, omnes ferè cōſultationes inutiles prorſus erunt, quia raro poterūt dubia cum certitudine morali diſſolvi, & conſequenter, quando expreſſe veritas nō habetur, Doctor; qui pro vna, vel altera parte reſolverit, grauiter peccabit: quia, ſi pro libertate, diſcreta reſolutio non erit, *ſed indiſcreta, & periculoſa*, vt ait Baronius, & à D. Thoma, ita pronuntiatum, aſſerit, *fol*.37.*citato*. Vndè apertè ſequitur, non ſolum inutiles, ſed periculoſas eſſe conſultationes in caſibus dubijs; quia ad partēm pro lege ſequēdā, nemo indiget cōſultatione: ad partem vero pro libertate, moralem certitudinem quærere, fruſtraneus in plurimū labor eſſet. Et ſanè, ſi apud Doctores, qui ſcripta prælo mandarunt, diſcreta reſolutio pro parte minus tuta; & ſi ipſis probabiliori, diſsidentibus alijs, inueniri nō poteſt, nec apud cæteros poterit, ideoq;

to-

Digitized by Google

eorum conſilio, nemo tuta conſcientia adhærere poſſet, fruſtra ergo peteretur.

31 Vt omittam, quod benè advertit Terillus *quæſt. 29. num. 24.* nimirum, iuxta D. Thomam, æquè peccare poſſe Theologum reſolvendo quæſtionem, pro parte tutiori, ac pro minus tuta: nam reſolvens in fauorem partis tutioris in tantum peccat, in quãtum indebite conſcientiam conſulentium nimis arctat. In quo nõ eſt minus periculum, quam in reſolutione, quæ conſcientiã ſolvit. Quod multis authorum teſtimonijs comprobat P. Eſparza *in Appendice* ad quæſtionem de probabilitate, *part. 3. artic. 215.* & præcipuè ex Gabriele *in 4 diſt. 15. quæſt. 13. art. 2.* dicente [incautum & malum eſt, affirmare aliquid eſſe peccatum mortale, quod non probatur ſufficiente authoritate, vel euidenti ratione] & ex Aragon. *2. 2. q. 83. art. 12. tit. 3. concluſ. 3.* inquiente [videri à Chriſtiana charitate alienum, dicere, quod peccet mortaliter, ſine euidenti, & certa ratione] Et ex Ioann. Gerſ. *p. 3. lib. de vita ſpirituali, lect. 4 corollario 10.* vbi ait, per aſſertiones publicas nimis duras, & ſtrictas, præſertim in non certiſsimis [homines in lutum peccatorũ profundius, quia deſperatius, immergi.] Ergo D. Thomæ locus de periculoſa determinatione quæſtionis, in qua de peccato mortali agitur, æquè comprehendit determinationem pro parte tutiori, & minus tuta. Qua propter iure exclamat P. Eſparza, ſi ſingulas opiniones de licito, vel illicito, adeò periculoſum eſt pro parte etiam tutiori reſolvere, quid dicendã erit de deciſione præſentis cõtrouerſiæ complectentis ſub ſe totam collectionem opinionum; qua adverſarij noſtri vno ictu determinant, opiniones tutiores omnes inquacumque materia amplectendas, nec poſſe, abſque graui culpa ab iſta regula in re graui recedi, dum opinio minus tuta non fuerit moraliter certa (idque certum ſit, abſque vlla controuerſia, vt alibi notaui; ſi enim moralis certitudo in dubiũ vertatur, ad tutiorem opinionem erit obligatio.) Sed vbi nã ratio certa, & euidens ad hoc onus imponendum? Non ne euidens eſt illo in lutum peccatorum profundius, quia deſperatius homines immergendos? Qua propter lepide ſcripſit P. Antonius Perez *tract. 2. de reſtit. diſp. 2. cap. 4.* [argumentum illud commune contra noſtram ſententiam; nempè in dubijs tutiorem partem eſſe eligendam; tam imbecille eſſe, vt potius contrarium probet. Nam ſi in dubijs tutior pars eligenda, in dubio de exiſtentia legis, ſeu in caſu opinionis probabilis fauentis libertati, ea pars eligenda erit, quæ ſolvit, non quæ ligat, quia nunquam magis ab obligatione legis nos liberi ſumus, quam cum nobis perſuademus, non peccare, qui enim dicit legem obligare exponit ſe periculo peccandi, qui autem contrarium dicit, peccare nõ poteſt.] Et, vt cum Vazquez, ait Doctor iſte, *num. 105.* [intolerabile eſſet onus priuare hominem libertate licitè agendi in caſu probabilitatis.]

32 Obijcit quartò authoritatem Diu. Thom. *ex quæſt. 14. de veritate, art. 1.* dicentis: [quod quando intellectus non magis inclinatur in vnam partem contradictionis, quam in aliam, propter apparentem æqualitatem rationum, quæ mouent ad vtramque partem contradictionis, iſta eſt diſpoſitio dubitantis, quæ fluctuat inter duas partes contradictionis.] Reſpondeo ſenſum huius loci eſſe in tali euentu, intellectum ex ſe diſpoſitum eſſe ad dubitandum, & neceſſario dubitare, niſi ex imperio voluntatis in vnam potius partem, quam in aliam determinetur, quia ab obiecto ineuidenti determinari non poteſt. Ad opinandum verò non obſtat apparens illa æqualitas rationum, quia ad hoc nõ requiritur, quod intellectus ex ſe magis inclinetur in vnam partem, quam in aliam, vt cõſtat ex pluribus alijs locis ipſius Angelici Præceptoris, nempè in eadem, *quæſt. 14. art. 2. & lib. 3. Ethicorum, lect. 18. art. 6. & 2. 2. q. 1. art. 4.* Authores autẽ, qui in caſu æqualitatis rationum dubium dari aſſerunt, loquuntur de intellectu ſuæ naturæ relicto, & de dubio prout condiſtinguitur à ſuſpitione. Hæc enim importat inæqualitatem rationũ ex parte intellectus. Non verò negant poſſe intellectum ex imperio volũtatis huic parti præ altera aſſentiri, vt pluribus citatis ſupra probaui, *q. 6. §. 3.* Ex quibus patet ex hoc D. Thomæ loco non probari eſſe illicitum amplecti opinionem materialiter minus tutã, licet æqualibus, vel etiam in æqualibus rationibus ſuaſiuis innitatur.

AD

AD TRACTATVM SECVNDVM DE RELIGIONE APPENDIX:

DISPVTATIO PRIMA MISCELLANEA:

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum, prædicare principaliter ob gloriam, vel ob pecuniam, ſit peccatum mortale?

NEGATIVAM Sententiã contra non nullos defendendam ſuſcipio; quam, & authoritate, & ratione ſuadere conabor: eamque ab alijs iamdiu traditam refert Pat. Sà *verb: Prædicare, num.* 4. ibi: [Mortale quidam cēſent, prædicare ſine legitima licentia, aut valdè inutilia, aut ſcienter falſa, in fidei doctrina, vel morum, &c. Nō eſſe autem, ſiquis ob gloriam, aut pecuniam principaliter prędicet.] Quam ſententiam ex Nauarro, & Caietano acceptam ſequitur Antonius de Eſcobar *in Moral. Theolog. tract. 6. exam. 7. cap. 7. num.* 132. vbi inquirens; quandonam contionator mortaliter in concione delinquat? Sic ait: [Reſpondeo ex Sà, qui a Nauarro, & Caietano accepit, &c. prædicare quē principaliter ob gloriam, aut pecuniā, mortale non eſſe.] Sed vt maiori claritate progrediamur, ad ſingulas propoſitionis partes comprobandas, ſigillatim procedere oportet, vt cuiuſdam Neotherici criminationes retundamus.

§. I.

Prima concluſio.

2 PRædicare principaliter ob humanam gloriam, non eſt peccatum mortale. Hanc concluſionem facile quiſque ſiui ſuadebit, ſi legat D. Thomam 2. 2. *quæſt.* 132. *art.* 1. vbi ſic ait: Propriè per nomē gloriæ deſignatur, quod bonum alicuius deueniat in multorum notitiam, & approbationem, &c. Quod autem aliquis bonum ſuum cognoſcat, & approbet, non eſt peccatū, &c. Similiter etiam non eſt peccatum, quod aliquis bona opera ſua ab alijs velit approbari, &c. Et ideò appetitus gloriæ de ſe non nominat aliquid vitioſum.] Hæc ille. Ergo ſecundum D. Thomã, ſi concionator cognoſcens ſui ingenij acumen, & eloquentiam, ipſe approbet, & ab alijs ſimiliter approbari deſideret, & hāc gloriam, dum prædicat, intendat; eamque; vt finem proximum, non vltimum, appetat, nil vitioſum incurret.

3 Verùm, quia; vt ait D. Thomas ſupra. [appetitus inanis, & vanæ gloriæ vitiū importat.] & gloria multipliciter dicatur vana, & præcipuè ex parte illius, [qui appetitū gloriæ ſuæ non refert in debitum finem, puta ad honorem Dei, vel proximi ſalutem;] ideo de hoc vanæ gloriæ appetitu difficultas propoſita procedere debet. An, inquam, prædicare ob vanam gloriam; ſit peccatum mortale? Et quidē quod inanis glorię peccatum; ſecundum ſe conſideratum; non ſit mortale, tradit expreſſe D. Thom. ſuprà *art.* 3. licèt tale poſſit eſſe dupliciter. [Vno modo (inquit) cum quis gloriatur de aliquo falſo; quod contrariatur diuinæ reuerentiæ, vel cum quis bonum temporale, de quo gloriatur, præfert Deo. Alio modo, cum quis intentionem ſuam refert ad gloriam, tāquam ad vltimum finem; ad quam ſcilicet ordinat virtutis opera, & pro quo conſequendo, non prætermittit facere ea, quæ ſunt contra Deū & ſic eſt peccatum mortale Si autem amor inanis gloriæ, quamvis ſit inanis; non tamen repugnet charitati, non eſt peccatum mortale, ſed veniale.] Sic D. Thomas, & cum eo omnes Theologi: Caietanus ibi, Petrus de Ledeſma *in ſum. part. 2. tract. 22. capit. 4. de vana gloria*, & alij communiter. Vndè infertur; intentionem inanis gloriæ (prædicta repugnantia ad charitatem deficiente) non poſſe vitiare grauiter actum, ſeu opus de ſe bonum, qualis eſt prædicationis; quia iuxta communem Theologorum ſententiã, malitia, quę ſumitur ex fine, nō excedit malitiam finis; cum ergo inanis gloria veniale tantum peccatum ſit, malitiam grauem refundere nequibit.

Pro-

4 Probatur efficaciter hæc concluſio à paritate; nam qui Confeſsionem Sacramentalem facit principaliter ob vanam gloriā, non peccat mortaliter: ergo nec qui cōcionem. Antecedens, in quo maior eſt difficultas, tenet, contra Sylveſtrum, M. Sotus *in 4. diſt. 18. q. 3. art. 3. §. Tertio argumento*, vbi ſic: [Tertio argumēto mouetur Sylveſter *verb. Confeſsio, §. 7.* vt dicat, confeſsionem, quæ fit principaliter propter inanem gloriam, non eſſe validam, nec per illam impleri Eccleſiæ præceptum; nam de eſſentia Confeſsionis eſt, vt fiat ſpe veniæ. Nihilominus reſpondetur, quod licet talis Confeſsio non ſit actus virtutis, (attende) quia eſt peccatum veniale, tamen fieri poteſt, vt non ſolum ſit valida, ſed fructuoſa, quoniam nil obſtat, quominus quis poſsit ſpe veniæ obtinendæ confiteri, & nihilominus id ſimul faciat ob vanam gloriam.] En ſecundum M. Sotum, licet confeſsio fiat principaliter ob vanam gloriam, non tamen eſt peccatum mortale: nec excludit, fieri ſimul propter alium finē, & gratiæ effectū præſtare. Ergo à fortiori de prædicatione, quæ tanti momenti non eſt, id dicere tenetur.

5 Cum Soto ſentiunt Nauarro *in ſum. cap. 21. num. 40.* & Eximius Doctor Franciſcus Suarez *tom. 4. in 3. part. diſput. 20. ſect. 3. num. 4* ibi: [An voluntas confitendi propter inanem gloriam, vel commodum temporale, ſufficiat ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ? In cæteris Sacramentis certum eſt valere: in hoc vero id negant Sylveſter, Angelus, Armilla, & nonnulli alij Summiſtæ; quia putāt, talem Confeſsionū eſſe peccatū mortale: contrarium tamen tenent Sotus, & Nauarrus; negant enim, illam voluntatem ex illo fine eſſe peccatum mortale, ſed veniale tantum; quæ ſententia per ſe loquendo vera mihi videtur,] & infra *num. 6.* [Vnde quod Angelus ſupra ait, ſemper eſſe peccatum mortale, facere ob inanem gloriam id, quod per ſe in Dei gloriam inſtitutum eſt; vt eſt vſus Sacramenti, valdè rigoroſum eſt, & abſolutè falſum; niſi addatur, conſtitui vltimum finem in illa vana gloria, aut ea de cauſa omitti aliquid, quod eſt de ſubſtantia actus, nam his ſublatis, finis non eſt obiectum graue, quod ad peccatum mortale ſufficiat; nec eſt, vndè tantam malitiam actioni conferat.] Hæc Suarez.

6 Pro eadem ſententia militat cū alijs Cardin. de Lugo, dicens, eſſe communē. *tom. de Pœnitentia, diſp. 15. ſect. 9* vbi ſic: Sylveſter *verb. Confeſsio 1. q. 7. §. 9.* ait: quod Confeſsio, quæ principaliter fit propter vanam gloriam, non eſt valida, neque per illam impletur præceptum. Idem videtur tenere Angelus, *verb. Vana gloria, §. 1.* vbi ait, quod cōtionari, Miſſam celebrare, & alia principaliter diuino cultui dicata facere, propter honorem, aut vanam gloriam, eſt peccatum mortale, &c. contraria tamen ſententia eſt communis Theologis Recentioribus. Soto, Nauarro, &c. Et ratio eſt, quia, vt benè explicat Coninch, dummodo non excludatur finis principalis, poſitiuè nolendo illum, nō eſt obligatio ſub mortali in eiuſmodi rebus non vtendi eis, niſi deſiderando poſitiuè finē principalem. Sicut ergo poteſt abſque mortali contrahi matrimonium ad honorem, vel diuitias adquirendas, ſic, &c.] Quibus adde P. Henriquez, *lib. 1. de Pœnitentia, capit. 36. num. 2.* ibi: [Si finis ſit peccatum veniale, vt vanæ gloriæ motiuum, & cauſa, ſine qua non eſſet ſuſcepturus Sacramētum, quidam putant, irritam eſſe abſolutionē, ſed falſo,] *& in Gl. ʃ. litt. X.* [Abulenſis *in Matthæi 6. q. 3. & 55.* idem dicit de concione, Miſſa, & oratione (nempè eſſe peccatum mortale) ſed falſo.]

7 Eiuſdem ſententiæ eſt Antoninus Diana *part. 4 tract. 4. reſol. 212* vbi inquirens: [an Confeſsio facta principaliter ex fine veniali, ſit inualida?] Reſpondet [affirmatiuam ſententiam docet Sylveſter, aſſerens, Sacramentum pœnitentiæ, quando ſuſcipitur principaliter ex quocunque alio fine, quam remiſsionis peccatorum, eſſe inualidum; ſed contrariam ſententiam tenendam eſſe puto, cum Soto & Vazquez. Dico igitur, Sacramentum Pœnitentiæ non fieri inualidum, quocunque fine ſuſcipiatur, dum in eo non peccatur mortaliter, quamvis ex eo principaliter; & tanquam ex motiuo ſuſcipiatur, dum etiam ſuſcipiatur ex fine remiſsionis peccatorum, quamvis minus principaliter, & tantum implicitè.] Sic Diana.

8 Facit ad hæc opinio Thomæ Sāchez, & aliorum aſſerentium, quod [contrahere principaliter matrimonium ob finē venialem, vt ob vanam gloriam, eſt culpa venialis; quia talis eſt actus, qualis finis, *capit. cum Miniſter 23. q. 5.* Sic Nauarrus *in ſum. capit. 22. num. 79* Manuel *1. tom. ſum. 2. edit. capit. 241. num. 2.*] ſic Sanchez *de matrimon. lib. 2. diſp. 30. num. 27.* Si ergo matrimonium, & Sacramentum Pœnitentiæ, propter vanam gloriam, non excedit culpam venialem, cur concionem facere ad populum ex eodem fine mortale dicemus?

9 Vrgetur, quia non ſolùm in Pœnitentia, & Matrimonio hæc doctrina traditur à Doctoribus, ſed pro Sanctiſsimo etiam Euchariſtiæ Sacramento ab aliquibus admittitur. M. Petrus de Ledeſma *in ſum. tom. 1. de Sacram. Euchariſt. cap. 11. concluſ. 5* [No peca venialmente el que llega à eſte Sacramēto con conciencia de pecado venial, &c.]

Ver-

Verdad es,que puede acontecer, que la miſma obra de comulgar ſea pecado venial, ſi la tal obra de comulgar ſe ordena al fin de pecado venial,como ſi vno comulgaſſe por vana gloria,de ſuerte que la vanidad fueſſe el motiuo para comulgar.]Sic ille.

10 Quæ planè euincunt concluſionem, quam defendendam ſuſcepimus;nam cum actus prædicandi minus ſpiritualis ſit, quam ſuſceptio Euchariſtiæ,& Confeſsio ſacramentalis;nemo cordatus affirmare audebit,hos actus propter vanam gloriam elicitos non eſſe mortale;ſecus vero actũ prædicationis. Quia,vt benè ait Diana cum alijs *3.p.tr.4. reſ.197.*[actus prædicãdi ex ſua natura, neque eſt conſecratus, vt actus Sacramentorũ, cum gratiam ex opere operato nõ conferat, neque eſt conſecratus ex aliqua inſtitutione Eccleſiæ,neque certo ordini deputatus iure diuino,vel poſitiuo humano,cum & Profetæ in lege veteri prædicauerint,& in nouo Teſtamento multi ſacris ordinibus non initiati prædicare ſoleant.]Ergo ſi confeſsio,& Euchariſtiæ ſuſceptio ob vanam gloriam non eſt peccatum mortale,nec concionari propter gloriam vanam,mortale erit.

11 Ideo vltra ſuprà citatos pro hac ſententia militat doctiſsimus M.Victoria *in Relect.de ſimonia, à fol.193.n.30.& ſeq.*vbi inquirens:[an conferre beneficia propter preces principaliter,ſit ſimonia?]poſtquam pro parte affirmatiua aliquos retulit,&pro illa ſtare dixit D.Thom.2.2.q.100.art.5. dũ ad tertium dicit cõtra Canoniſtas,quod,ſi collatio fiat propter preces,ad habẽdum fauorem,vel amicitiam,aut laudẽ,eſſet ſimoniaca, quia fauor, vel amicitia humana, aut laus eſt æſtimabilis pretio,& per conſequens cadere poteſt ſub ratione emptionis,& venditionis:poſt hæc,inquã, M.Victoria ſic inquit;[ſed bona venia tantorum virorum, in hac parte libentiùs ſequerer ſententiam Canoniſtarum; & ideò reſpondeo probabiliter per concluſiones.Prima:illicitum eſt, conferre ſpiritualia ad captandum quodcumque bonum non ſpirituale,&c.Secunda:neſcio,an hoc ipſum ſit mortale, nã ſtando ſaltem in iure diuino(attende) optare laudem humanam,aut fauorem ex alijs actibus ſpiritualibus, vt ex prædicatione, celebratione ſacrificij,& collatione Sacramentorum,neque video,cur iſta condemnentur de mortali,cum ſolum intẽdatur vana gloria, quæ eſt de numero venialium.]Etſi quoad beneficia Eccleſiaſtica dubitet ſubnectens[dixi ſtando, in iure diuino,quia fortè Eccleſia voluit ita expreſsè prohibere,] ſed tamen, quod ipſe aliud ſentiat conſtat ex his,quæ ait infra *numer.33.*[Præterea, ſecundum illud; eſſent ſimoniaci,qui etiam poſt factum laudarent, aut fauerent alicui ratione prædicationis, aut alterius miniſterij ſpiritualis, quod nemo cõcederet. [Vnde patet,celebrem hunc Authorem ex eo liberare à peccato mortali conferentem beneficia Eccleſiaſtica principaliter propter preces, quod nullam inueniat rationem ad ſic condemnandum prædicantem, aut alia miniſteria ſpiritualia exercentem principaliter propter vanam gloriam.

12 Et ita expreſsè tenet Nauarrus *in Manuali,cap.21.num.40.* ibi:[Confeſſarſe por ſu venial,como por vana gloria venial; no es mortal.Y aunque aquel excelente varon Angelo,*verbo Vana gloria, §.1.*tuuo que predicar, dezir Miſſa,y hazer otras coſas principalmente ordenadas al ſeruicio de Dios,por honra,ò gloria vana, ſea mortal; pero lo contrario ſe debe tener; como muy largo lo moſtramos en otra parte.]Nimirum *in commentar.cap.cum miniſter 23.q.5.num.63.* Vbi ſic ſcribit: [Non videtur vera illa opinio Angeli, quæ habet, eſſe peccatum mortale,prædicare, Miſſare, Sacramenta adminiſtrare,&alia huiuſmodi facere principaliter in gloriam, & laudẽ propriam;tùm quia nulla efficaci ratione probatur;tum quia Sylveſter dixit,quod eã opinionem conſequeretur,dici poſſe,*væ,væ toti ſtatui Eccleſiaſtico*, & ita non ſolùm Sylveſter,ſed etiam is,qui adiecit poſtillas ipſi Angelo contrarium tenet.]

13 Et ſanè Doctores,qui dixerunt, eſſe lethale,loquuti ſunt in caſu, quo conſtituatur in gloria inani vltimus finis, ideſt, vt propter eam cõſequendam,non prætermittat homo facere,quæ ſunt contra Deum, vt ait D.Thom.ſupra quod ſatis expreſsit M. Bartholomæus *Fumus in Armilla,verb. Prædicare,n.5.*dicens:Prædicator habens inordinatum affectum,ſiue ad temporale lucrum, ſiue ad humanam laudem (attende) adeò, quod hæc ſint vltimus finis eius,vel pecuniam,tanquam prædicationis pretiũ quærit, quod ad ſimoniam pertinet,mortaliter peccat, alias venialiter.] Qua propter Sylveſter M.Sacri Palatij *in ſum.verb. Vana gloria,num.2.* ſic optimè ſcripſit: [Ex quibus patet, quod ſumma Angeli contra Sanctum Thomam, & veritatem dicit, quod eſt mortale, quando ea, quæ ordinata ſunt ad gloriam Dei,quis principaliter facit ad gloriam ſuam,vt Sacramenta, & Scripturæ Sacræ,Ex quo infert, quod eſt mortale,prædicare propter inanem gloriam, quod verum eſt ſolum,vt dicit Sanctus Thomas, ſi in ea ponatur vltimus finis,&c.alias totus Clerus eſſet in malo ſtatu.

14 Adde, neque Angelum id tenuiſſe, vt putant nonnulli,ſed potius cum

D. Thoma ſenſiſſe. Et ſic exponit Angelum, R. P. Iacobus Vngarelius Patauinus illius additionator, *verb. Vana gloria, num. 1.* vbi cum Angelus ſcripſiſſet: [ſi quis principaliter propter gloriam prædicaret, vel diceret Miſſam, & huiuſmodi, peccaret mortaliter,] ad Ly *principaliter*, ſic eum excuſat. [Quidã opponit Angelo (nẽpe Sylueſter vbi ſuprà) quod malèdixit, quia, ſecundum Sanctũ Thomam, eſt peccatum, quando actu, & habitu principaliter intendit ponere ibi vltimum finem: ſecus ſi actu tantum; nam quis poteſt gloriari de cantu diuinorum, vel ſacris, vel Theologica eruditione, & tamen non erit mortale: quia reſpondeo, quod Author noſter ſufficienter loquutus eſt, cum dixit *principaliter*, & hoc eſt ponere ibi vltimum finem, ergo non debet reprehendi, cum benedixerit.] Vndè infertur quod cũ Angelus, & nonnulli Authores condemnaut mortalis prædicare principaliter propter vanam gloriam, ly *principaliter* accipiunt in ſenſu ſtrictiſsimo, ideſt, conſtituendo in gloria inani vltimum finem. Quod nemo negat eſſe mortale. Qui vero in ſenſu communiori vſurpant, vt conſtat ex præcedentibus, à peccato mortali excuſant. Vndè concluditur, quod aſſerere, non eſſe læthale prædicare ob vanam gloriam, modo explicato, eſt opinio expreſſa D. Thomæ, & omnium. Vndè valdè miraberis, amice lector, fuiſſe Theologum, qui hanc partem fœda cenſura notaret. O præclaram ſapientiam!

§. II.

Secunda concluſio.

15 Ex dictis facilè cuique erit, deducere, non eſſe peccatũ mortale prædicare principaliter propter pecuniam. Ratio eſt aperta, nam inanis gloria, ſeu aliorum laus, & approbatio de bono tuo opere, eſt etiam pretio æſtimabilis, vt ex D. Thoma refert M. Victoria ſupra; ſed prædicare principaliter ob inanem gloriam nõ eſt peccatum mortale; ergo neque ob pecuniam. Omitto, pro hac parte rationem magis vrgere; nam appetitus inanis gloriæ, vtpote inordinatus, ſemper eſt peccatum veniale: ſecus pecuniæ appetitus, vt cum Diu. Thoma, & eius diſcipulis, tradit M. Petrus de Ledeſma *in ſum. part. 2. tract. 3. de Charit. cap. 7. fol. 210.* [El amor, inquit, de las coſas temporales templado, y moderado, no es pecado, ni es amor mundano. Eſto enſeña Santo Tomàs *2. 2. quæſt. 18. artic. 3.* y todos ſus diſcipulos, porque el amor de la vida es natural; luego el amor de los medios neceſſarios para la conſeruacion de la vida no ſera malo: tal es el amor de los bienes temporales, ſi es moderado, y templado; luego el tal amor no es pecado, antes es bueno.] Ergo appetitus moderatus pecuniæ non eſt malus, ſed bonus: ſi ergo prædicare principaliter ex appetitu inanis gloriæ licet malo, non eſt læthale, quomodo tale erit prædicare principaliter ex appetitu pecuniæ, ſi bonus ſit? Etenim ſi finis venialiter malus principaliter intẽtus ſolam venialem malitiam in bonum opus deriuare poteſt, finis non malus, ſed bonus, vel indifferens, quomodo malitiam grauem refundere poterit? Cur non potius dicendũ, nullam poſſe deriuare?

16 Sed vt certa ab incertis ſeparemus, ſupponamus, appetitũ pecuniæ non eſſe moderatum, ſed ſuperfluum; graue tamẽ peccatum non erit, ſi vltimum finẽ in diuitijs nõ conſtituas, vt cum Diu. Thom. & communi Theologorum tradit M. Ledeſma vbi ſupra *concl. 2. ibi:* [El amor de las coſas temporales ſuperfluo, y no tẽplado, ſino demaſiado aſsi en la intenciõ, como en la muchedumbre de las coſas q̃ ſe aman, y deſſean, no ſiempre es pecado mortal, &c. Eſta doctrina es de todos los Doctores citados. La razõ es, porque el que ama de la manera dicha, no pone ſiempre ſu vltimo fin en los bienes tẽporales, como es coſa notoria.] Itaque quæſtio exagitanda ſupponit intentionem, ſeu appetitum pecuniæ, quoad malitiam, ſimilẽ omnino appetitui inanis gloriæ, de quo ſuprà cum D. Thom. & alijs communiter ſtatuimus, non excedere culpam venialem.

17 Supponendum ſecundo, concluſionẽ noſtram nõ procedere in caſu, quo pecunia, vt pretium prædicationis, quis intenderet, per modum commutationis, ita vt per illud ſoluatur obligatio ex opere præſtito, reſpiciendo ad valorẽ, & æſtimationem illius, vt benè ait Suarez infra citandus, quia tunc eſſet peccatum læthale, apertam ſimoniã præſeferens; nam cum ſacra concio ordinetur primò, & per ſe ad mouendam voluntatem ad opera virtutis, & ad incutiendum vitiorũ terrorẽ, res ſpiritualis, ſecundũ omnes, eſt, ideoq; ſicut intrinſece malum eſt, & peccatũ mortale, rem ſpiritualem vendere, ita & cõtionem. Sic D. Thom. *2. 2. q. 100. art. 3. ad 2. & Quodlib. 1. art. 12.* & alij cõmuniter apud Suar. *tom. 1. de Relig. lib. 4. c. 18. n. 22.* Itaque loquendo de pretio prædicationis, neq; pecuniam, neque inanem gloriam, nec quidquam aliud pretio æſtimabile pro illa accipere licet, vt benè tradit M. Soto *lib. 9. de iuſt. q. 6. art. 2. ad 2.* Nec de hoc eſt difficultas.

18 Quæſtio ergo ſolum eſt, an ſit peccatũ mortale, prædicare principaliter ob pecuniã in eo ſenſu, quo Doctores ſuprà citati docẽt prædicare principaliter ob inanem gloriam,

lz.

lethale non eſſe; nimirum, intendēdo pecuniam, vt motiuum, & finem non vltimū, vel in ſuſtentationem cōcionatoris, vel in eleemoſynam, vel ex gratitudine conferendam; quo caſu, nec iure naturali, nec Eccleſiaſtico eſt prohibitū, licet prohiberi poſsit: hūc enim ſenſum continet expreſsè illa ſecunda propoſitio, in qua tota difficultas reducitur ad Ly *principaliter*, quod quidē nullam ingeret, ſi vſurpetur, vt debet, iuxta ſuperius dicta de vana gloria principaliter intenta.

19 Et ſanè, non eſſe mortale, prædicare principaliter ob pecuniā, ſi non intendatur, vt pretiū, neque vt vltimus finis, eſt doctrina fere cōmunis inter Theologos. Vndè valdè miror, cuiuſdam Neotherici ſuggillantis audatiam, ne plus dicam. Videatur Caſtro Palao, *to. 3. vbi de ſimonia, diſp. 3. p. 4. fol. mihi* 480. ibi: [dubitant Doctores, an ſi ſpirituale principaliter detur ob hęc munera, vel è cōtra hæc obſequia, & munera tēporalia propter ſpirituale cōſequendū principaliter fiāt, ſit ſufficiens, ad ſimoniacum contractū conſtituendum? Affirmat Gabriel, &c. dicendum tamen eſt dationem ſpiritualis propter temporale, aut è contra principaliter; cōſtituere ſimoniā caſu, quo aliqua pactio interueniat; nam ſecluſa pactione, certum eſt, emptionē, & venditionem eſſe non poſſe, & conſequenter, neq; ſimoniam; imò neq; ad peccatum mortale damnandum eſt: ſicut, qui propter vanā laudē principaliter recitaret, aut eleemoſynam tribueret, nō damnaretur peccati mortalis, ſed ſolū diceretur, recepiſſe mercedem ſuam.] Idem tradit Thom. Sanchez *tom. 1. conſil. lib. 2. cap. 3. dub. 12.* Quia licet intendat, vt finem principalem, illud ſtipendium, non intendit illud, vt pretium, neque habet voluntatē emendi, vel vendendi, ideoque (inquit) non eſt peccatum mortale, ſed veniale. [Quia hic tantum eſt peccatum inordinationis ad finem, at hæc non eſt peccatum mortale, ſed veniale, quando finis non eſt mortale. Item, quia nō eſt mortale, facere ſacrum ob vanam gloriam, ergo ſimiliter.]

20 Pro hac ſententia ſtat etiam M. Sotus *lib. 9 de iuſt. q. 6. art. 2. §. poſtremum.* vbi ſic: [Reſolutio ergo eſt, quod ire ad Eccleſiam tempore, quod Clericus aliàs non tenetur, tantum diſtributionū cauſa, ita vt aliàs non iret, non eſt vera ſimonia, niſi intenderet pro re ſpirituali pretium recipere modo ſupra expoſito.] Et paulo infra, *§. ad primum.* [De prædicatoribus in dubium vocari nō debet, vtrum poſsint pretium pro functione ipſa recipere: eſſet enim aperta ſimonia; &c. Solum ergo poteſt (prædicator) honeſtam ſuſtentationem recipere, & pro victu, qui ad laborem ſtudij ſuſtentandum neceſſarius eſt, & pro librorum ſumptu. Neque verò ſimoniacam labem contrahit, quando prædicatio non eſt prorſus neceſſaria, mauult verbū ſeminare, vbi melius ſuſtentatur, imò & ſi ibi concionari renuat (attende) vbi victum non ſperat ſuppeditandum, culpam non cōmittit; eſt tamen cauendum ſcandalum, idque potiſsimum Monachis.] Vndè conſtat, M. Sotum, neque veniale putaſſe; prædicare principaliter ob victum, ſeu pecuniam ad illum neceſſariam, quandoquidem, vt ipſe ſupra exponit, Ly *principaliter*, idē *ſonat*, quod aliàs nequaquam prædicaturus. Quibus conſentiunt Bañez, & Conradus, quos citatos ſequitur P. Salas *tr. de vſuris, dub. 5. in fine, vbi ſic:* [Quando D. Thomas dicit, *artic.* 11. eſſe ſimoniam intentione principali ire ad Eccleſiam propter diſtributiones: intentionem principalem vocat, qua intenditur, vt pretium Diuini Officij, in quo ſenſu illum explicant, & ſequūtur Bañez, & Conradus.]

21 Hanc difficultatem latiſsimè verſat P. Franciſcus Suárez, & pro noſtra militat ſententia *tom. 1 de Religion. lib. 4. de ſimonia, cap.* 44. vbi inquirit: [an ſufficiat ad mentalem ſimoniam, principaliter intendere temporale medio ſpirituali?] Et acutè examinat vim illius ad verbij *principaliter*, ex cuius vera intelligētia, reſolutio huius, aliarumque difficultatum dependet. Ibi ergo cū Soto vbi ſuprà; primò ſtatuit, quod oportet, cauere, ne confundantur ratio pretij, & ratio finis principalis, quas non eſſe conuertibiles, ſed poſſe adinuicem ſeparari, apertis exemplis euincit. [Qui enim, inquit, eleemoſynam petit, habet pro fine principali ſuæ intētionis, à proximo pecuniam, quam ſperat, accipere, & tamen non intuetur illā, vt pretium ſuę actionis, vt videtur per ſe notum, &c.]

22 Et poſt plura ingeniosè, & clarè in hac materia ſuppoſita, *ſic n.* 11. concludit: Ex his ergo infero, & dico ſecundo. Quamuis temporale commodum ſit principaliter intentum per miniſterium ſpirituale, vt finis operantis, ſi non intendatur, vt pretium, ſed ſub alia ratione ſtipendij vera, & probabili; non eſt ſimonia, etiam ſi aliquod aliud peccatum per illam intētionem committi poſſit. Prima pars ſequitur neceſſario ex dictis; & docent omnes, & maximè videre eſt in Victoria, Sylveſtro, Caietano, & in Nauarro, &c. Nam Sacerdos poteſt intendere per miniſterium Miſſæ aliquod tēporale, vt ſtipendium ſuæ ſuſtentationis; ergo etiā poteſt hunc finem principaliter intendere, &c. At in illo caſu non committit ſimoniam; quia non habet voluntatem emendi; vel vendendi, &c. Idem, inquit, argumentum eſt de concionatore qui habet pro principali

fine ſuæ prædicationis dignitatem,quã ambit,& vanam gloriam,quam aucupatur, nil enim repugnat,hũc eſſe finem principalem operantis:& vtinam non ſæpè eſſet : ille ergo per ſpirituale miniſterium principaliter intendit temporale commodum, & nihilominus non eſt ſimoniacus , vt probant diſcurſus facti,& omnes fatentur, &c. Altera vero pars de malitia illius intẽtionis ita declaratur:nam ſi finis ille ſit ita principalis, vt ſit vltimus, mortale ſacrilegium in tali actione committitur ; dum actio ſacra ad mortiferum finẽ ordinatur,vt in Sacerdote in peccato ſacrificante ex affectu ad ſtipẽdium:ille peccaret ſpeciali peccato ſacrilegij,nõ ſolum quia in peccato ſacrificat, ſed etiam,quia ordinat tantum ſacrificium ad finem temporalem inordinate æſtimatũ , & dilectũ;nam re vera ille tunc conſtituit vltimum finẽ in illo lucro.Idem eſſet de concionatore,ſi vltimũ finẽ poneret in honore(vel bono alio temporali)per concionem adquirendo.Cenſeretur autem(attende)vltimum finem in illo conſtituere,quando eſſet paratus ad quærendum illum , etiam grauiter tranſgrediendo præceptum.At vero ſi temporalis finis non ſit vltimus,ſed tantum proximus,& non ſit de re intrinſecè mala , ſed indifferente,vt eſt honor , & bona exiſtimatio apud alios,licet eſſet his finis proximus principalis non ordinatus ab operante ad alium honeſtum,non eſſet peccatum. mortale,facere opus ſpirituale propter hunc finem,eſſet tamen veniale,quia licet ordinare rem ſpirituale ad rem temporalem , ſiſtendo in illa,ſit de ordinatio,& culpa,ſi tamen res illa temporalis non habet intrinſecam malitiam grauem , nec ponitur in illa affectus,vt in vltimo fine, non eſt grauis de ordinatio , nec materia peccati mortalis. Alias multa peccata mortalia committerentur ab hominibus vanis,qui ex vana gloria dicto modo multa operantur.]Hactenus Eximius Doctor Franciſcus Suarez , quibus rem totam comprehendit,& euidenti fundamento corroborat.

23 Confirmatur hic diſcurſus ex communi doctrina Theologorum apud Sanchez de *Matrimon.lib.2.diſp.* 30.*n*.21 .aſſerentiũ, quod contrahere matrimonij Sacramẽtum principaliter ob diuitias,eſſet tantũ veniale.[Quia in ordinatio (inquiunt) eſt , rem à proprio fine extrahere,& vti Sacramento ad finem,ad quem nõ eſt inſtitutum. Quod autem ſit tantum veniale probatur , nam ſtante hoc fine ſeruatur ſubſtantia,& rectus ordo ad finem principalem,ſemper enim manet coniugium ordinatum ad ſuum finẽ. Ita Caiet. Paludan. D. Antonin. Petr. de Sot. Hẽriq. Medin. Petr. de Ledeſm. Vivald. Manuel Sylveſt. Tabien. Nauarr.]Sic Sanchez. Quod idem propter eamdem rationem de cõcionante ob pecuniam dicendum eſt.

24 Et fauere videtur D. Thom. *Quodlibet.2.art.*12 vbi inquirens: [vtrùm ſit peccatum prædicatori habere oculum ad temporalia?] rationem dubitandi deſumit ex verbis Chriſti Dñi, *Lucæ* 12. *Quærite primũ Regnum Dei,&c.* id eſt principaliter, & tamen ſolum condemnat prędicatorem, quãdo temporale,vt pretium prædicationis intendit.[Reſpondeo dicendum, quod habere oculum ad terrena,cõtingit dupliciter,vno modo ſicut ad mercedem,& ſic prædicatori non licet habere oculũ ad terrena , quia ſic faceret Euãgelium venale. Alio modo ſicut ad ſtipendia , pro neceſsitate ſuſtentationis vitæ,& ſic licet prædicatori habere oculum ad terrena.]Ergo ſecundum D. Thom licet concionator primo,ſeu principaliter in ſua concione quærat temporalia, dummodo nõ vt mercedem,ſeu pretium,ſed vt ſtipendium ſuſtentationis,non peccabit lethaliter. Quia deficiente ſimonia,non eſt vndè culpæ mortalis arguit poſsi, quamvis defectum charitatis arguat,vt ait Caietan. 2.2.*q*.100.*art*.2.& 3.§.*ad ſecundam*, ibi:[Non ſpectat tamen ad ſimoniæ vitium,quod prædicator aliquis libentius in loco,vbi maiorem ſcit taxatam eleemoſynam,quã alibi,prędicet , ſed expectat ad charitatis defectum , quo quis magis temporalium, quam ſpiritualium profectui intendit.]

25 Ex his inferunt Doctores,quod pecunia conferenda prædicatori ad neceſſariam ſuſtẽtationem,poteſt in pactum deduci;quia tunc non datur pro re ſpirituali ex voluntate æſtimante pecuniam quanti rem ſpiritualẽ, ſed ad ſuſtẽtationem miniſtri,caſu, quo velit concionari , aut alios actus ſpirituales exercere. Ita Caietan. vbi ſup. Sotus q.6. *n*. 2. Victoria *Relect. de ſimonia*,2.*p*.*n*.20 & plures,quos citatos ſequitur Caſtro Palao *tom*. 3.*diſp*.3.*de ſimonia*,*p*.4 *n*.4. Qui pactũ huiuſmodi obligationẽ iuſtitiæ inducere ſupponunt,quia nõ eſt,vndè illi repugnare poſſit. Addit M. Bartholom. de Medin. *in ſum*. §.20.*fol*.126.[Cerca deſto ſe puede dudar,ſi puede vno hazer concierto, que le dèn tãto por predicar tantos ſermones en vna Quareſma? Reſpondeſe,que ſi, porque el tal trabajo es extraordinario,y no intrinſeco al tal miniſterio.]Idem ſentit Caietan. ſuprà. [Et hoc(inquit)Victoria *in relect. de ſimonia , p.* 2.*propè finem*.]eſt probabiliter,&rationabiliter dictum;ſed non caret calumnia;ſi enim hoc eſt verum,ſemper poteſt miniſter locare ſeipſum cum obligatione prędicandi,etiã ad vnum diem,quia etiam eſt vinculum libertatis,ad quæ non tenetur.]

Cum

Digitized by Google

26 Cum Medina ſentit M. Araujo *in deciſione Moral. p. 2. diſp. 14. art. 2. num. 28.* Nam [cum occupatio illa (inquit) ſit mere temporalis, & à principio naturali prouenięns, etiam eſt venalis.] Vt omittam, Doctores alios abſolutè affirmare, opera, & labores ſpiritualium actionum locari poſſe, ac proindè propter hunc titulum licitè poſſe Eccleſiæ Miniſtros ex pacto iuſtitiæ accipere prætium temporale. Quam tenent Bonacina, Ricard. Altiſiodorēſis, Gloſſa, Adrianus, Armachanus, & Hoſtienſis apud ipſum M. Araujo ſuprà. Quos ipſe meritò impugnat, quatenus pro labore, etiam intrinſeco ſpiritualibus actionibus prætiū recipere, ſeu ex pacto iuſtitiæ ad illū pecunia oblata ſe obligare, licitum putāt. De alio verò pacto, quod amicitiæ vocant Theologi, de re temporali in gratitudinem pro ſpirituali conferenda, plura dicam infra per otium, videnda, quia fauorabilia. Hic enim ſolum agimus de pacto iuſtitię.

§. III. *Conſectarium.*

Quid de Theologo quoad caſus conſcientiæ?

27 DVbitant non pauci, an quod dictum eſt de concionatore, dicendum ſit de Theologo reſpondente caſibus conſcientiæ? nimirum peccare mortaliter, ſi ob pecuniam, vt prætium, reſponſum dederit. Affirmat Leſſius *lib. 2. de iuſt. cap. 35. dub. 13. n. 78 & 79.* Sed negatiuam partem ſuſtinet cum D. Thom. *q. 100. art. 3. ad 3.* Caſtro Palao *ſupr. part. 10. num. 5.* dicens: [Ego tamen probabilius exiſtimo, ſimoniam non eſſe; quia inſtructio eſt naturalis, & humano labore adquiſita: vendi ergo poteſt. Qua ratione Canoniſtæ pretiū recipere ſolent pro huiuſmodi reſponſis, ſicut, & pro aliis conſiliis: non debet ergo Theologus peioris conditionis eſſe, &c. Tale enim reſponſum ſolum ordinatur per ſe ad illuſtrandum intellectum, & tollendam ignorantiam ne aliquid fiat contra rectam rationem, & iuſtitiam.] Sic ille. Et antea Caietanus ſuprà *2. 2. q. 100. art. 3. § ad ſecundū*, vbi ait: [Doctor quoq; Theologiæ in hoc differt à prædicatore, quod Doctor quæritur ob temporale auxilium in Theologiā, ſicut in cæteris ſcientiis, prædicator autem ſolum propter ſpiritualem opem, quaſi prædicator ſit inſtrumentum Spiritus Sancti ad purgandum, illuminandum, perficiendumque homines, ſecundum adoptionis gratiam, & ideò nō poteſt prædicator paciſci de opera, & labore ſuo in prædicando.] Sic ibi ex D. Thoma.

28 Sed omnino videndus Franciſcus Suarez *tom. 1. de Religione, lib. 4. cap. 18. nu. 19.* vbi ex D. Thoma, ſic & benè rem explicat. [Si conſilium ſiſtat in purā inſtructione intellectus, aſſero, non eſſe materiā ſimoniæ, etiamſi ab interrogante petatur ad pacandā cōſcientiam ſuam, vel ad dirigēdam illam; ſecus verò eſt, ſi fiat per modum exhortationis, ita vt æquiualeat veluti priuatæ concioni, nam tunc eadē erit ratio de illo, quæ de concione, &c. & hoc genus conſilij vocari poteſt ſpirituale, aliud verò doctrinale. De illo ergo probatur aſſertio. Primò ex Diu. Thom. *art. 3. ad 3.* dicente: *Licitè poteſt prætium ſuæ doctrinæ, ſeu conſilij accipere.* Vbi ſicut generaliter loquitur de doctrina, & à Caietano, & aliis intelligitur de doctrina Theologiæ; ita etiam loquitur de conſilio. Vndè loquentes de venditione Theologiæ doctrinæ, ſolum excipiunt cōcionē, ſeu prædicationē, vt patet ex Caiet. & Sot. Nauar. etiam *cap. 23. n. 100.* eodem modo, quo Diu. Thom. dicit Doctores poſſe accipere preciū pro ſua ſcientia, & cōſilio, vbi nec de Doctore, nec de conſilio quidquam diſtinguit.] Hactenus Suarez, qui ſupra dicta diſtinctione de cōſilio doctrinali, & de exhortatiuo rem totam componit; & Authores conciliat, vt in ſecundo caſu interueniat ſimonia, ſecus in primò, cuius opinioni ſtandū eſt, vt potè, quæ ratione firma, vnum caſum ab altero diſcriminat.

QVÆSTIO II.

Vtrum Parochus teneatur ad concionandum per ſe, vel per alium, etiamſi, nec per ſe poſſit, præ inopia doctrinæ, nec per alium, præ commeatuum penuria?

1 PArochum teneri per ſe, vel per aliū, populum inſtruere, tàm iure naturali, quā diuino, tradit Stephanus Bauni *tom. 4. Theolog. Moral. tr. 10. de Presbyt. & Paroch. q. 29.* [iure inquit, tàm naturali, quàm diuino, tenetur Parochus concionibus per ſe, aut alium operam dare: Naturali, quia recta ratio ſingulos admonet id agere, pro quo ſtatuta, ac iuſta præmia habet. Eiuſmodi eſt in Parocho prouincia cōcionandi populo. De diuino, nemo negare poteſt, Mat. 3. Ioan. vlt. & Trident. ſeſ. 23. c. 1. ibi: *Cum præcepto diuino mādatum ſit omnibus, quibus cura animarum commiſſa eſt, oues ſuas cognoſcere, verbique Diuini prædicatione, ac bonorum omnium exemplo paſcere.*

2 Hanc tamē obligationem ad concionandum populo, quam ad mortale vſq; perſtringere, tradit Baunio, eo quod populo maximè vtilis, & neceſſaria ſit, temperauit ſupra *q. 32.* dicens: Parochū non concionantē à peccato eximere eius inopiam, tum doctrinę, vt per ſe concionetur, tū commeatuū ad alium ſubſtituendum. [Et ratio, inquit, eſt, quod

quod impoſsibilium nulla ſit obligatio: at Parocho inſcienti, & ignaro impoſsibile eſt loqui publice, ac de virtute præcepta dare, quemadmodum, & alere domi, qui vicem ſuam obeat, ſi vix in poſſeſsionibus ipſe tantum habet, quantum ad vitam parcam, tenuemque eſt neceſſe.] Sic ille: Cuius doctrina nititur principijs nuper contra Ianſeniſtas a Summis Pontificibus Innocentio X. & Alexadro VII definitis, ſcilicet Deum nō præcipere impoſſibilia.

3 Sed quid? ſi Parochus ſcientia ad concionandum ſufficiēti prædıtus ſit? tenebiturne per ſe concionari? Quid ſi ſcientia requiſita careat, habeat tamen commeatus, quibus concionatorem alere poſsit? tenebitur, ne per alium concionari? Videtur omninò certum, per ſe, vel per alium ſub læthali ad concionandum teneri, tàm naturali, quam diuino precepto, vt tradit Bauni ſupra Vndè quoties in populo deſint alij Sacerdotes ſeculares, vel regulares munere docendi fungentes, nullam Parochus excuſationem habere poterit.

4 Nihilominus M. Dominicus de Soto, *lib. 10. de iuſt. art.* 3. a munere concionandi Parochos eximit, & ad Epiſcopum id pertinere exiſtimat, qui proindè per ſe, vel per alios populo de concionatoribus prouidere debebit. Et, vt huius Doctoris mentē expreſſam habeas, en eius verba, [incūbit cuique Plebano Sacerdoti (ſeu Parocho) Sacramēta neceſſaria, & congrua adminiſtrare, qualia ſunt, Bautiſmus, Euchariſtia, Pœnitentia, & ſacra Vnctio, & præterea benedicere ſpōſos, &c. Secundum ad idē pertinens paſtorale officium eſt, fidem docere populū. Huius autē functionis (attēde) duo ſunt gradus; alter illos explicare articulos, qui ſunt ad ſalutem neceſſarij, & hoc propriè Parochianis Sacerdotibus curam gerentibus animarum incūbit. Quare profectò huius muneris, quando grandis eſt negligentia, peccatū eſt illis mortale: tenētur plebem articulos docere fidei, decalogum, imò verò, & orationē Dominicam, illa videlicèt, quæ, an ſciant pœnitētes, ſunt interrogādi. Alter gradus eſt altiora fidei myſteria explicando ſacram Scripturam propalare, ac morum probitate gregem imbuere, & inſtituere, & hoc propriè pertinet ad officium Epiſcopi.] En ſecūdum Sotum, ad munus Parochiale, ac proindè ad eius obligationem ſolum pertinet, myſteria, & articulos fidei, & orationes, quas ex præcepto fideles ſcire tenentur, populum edocere; non verò concionari.

5 Quod clarius iterum infra expreſsit his verbis: [ſed rogas, nunquid, & prædicare Plebanis etiam conuenit? Reſpondetur, certum eſt, nil amplius eis ex officij neceſsitate incumbere, quam doctrinam, vt dicebamus, Chriſtianam populo neceſſariam docere. Vtrùm verò ſit ſalutare conſilium, id muneris prædicandi iniungere? In Tridentino Concilio fuit in publicum conſilium prolatum, & ſic prima frente nonnullis Patribus apparuit, ſed non defuit, qui, vt ſententia periculatius agitaretur, ſupplex orauit, à qua poſteà decernenda ſuperſeſum eſt. Enim verò, vt decorum, & ſalutiferum eſt illis Parochialibus Sacerdotibus, qui verè Thologi ſunt, id muneris ſuis plebibus impendere, ſic peſtilentiſsimum eſt, Theologiæ ignaris id committere, &c. Tu iſti ſunt, qui peſtilentiores diſſeminant errores. Salubrius ergo populo eſt, eiuſmodi concionibus carere, quam inſici.] Sic M. Sotus, cuius ſentētiam referentes non improbant Barbosa *de officio Parochi, part. 1. cap. 14. num. 1. in fine*, & Machado *lib. 4. part. 2. tract.* 5. Et hæc eſt opinio Patris Bauni: cum limitatione, vero ſubiuncta defectus ſcientiæ, & commeatuū, quibus excuſatum à præcepto Parochū cenſet, alias graui obligatione ad conciones adſtrictum, vt conſtat ex dictis.

6 Cæterum ego non video, quomodo ſententia Soti Concilio Tridentino non aduerſetur, *ſeſ. 5. cap. 2. de reformat.* ſic decernenti: [Plebani, & quicumque Parochiales, vel alias curam animarum habentes, per ſe, vel per alios idoneos, ſi legitimè impediti fuerint, diebus ſaltem Dominicis, & feſtis ſolemnibus plebes ſibi commiſſas pro ſua, & earum capacitate, paſcant, ſalutaribus verbis docēdo, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem. (Addit inſuper Concilium) Annuntiandoque eis cum breuitate, & facilitate ſermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas ſectari oporteat, vt pœnam æternam euadere, & cœleſtem gloriam cōſequi valeant,] ſic ibi, & iterum, *ſeſ. 22. cap.* 8 & inſuper grauitatem, & originem huius obligationis commendat, *ſeſ. 23. cap. 1.* verbis illis: *Cum præcepto diuino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt oues ſuas Verbi Diuini prædicatione paſcere.* Quæ verba adeo aperta ſunt, vt mirum ſit M. Sotum aſſeruiſſe, à ſententia in Tridentino ſuperſeſum. Ideo hoc preceptum ita expreſſum in Tridentino putat Bauni, [vt iam mihi, inquit, magnopere neceſſarium non videatur laborare in probando, id quoque lege Eccleſiaſtica Parocho curandum eſſe. Nam quis exiſtimat, id à Papa, & Epiſcopis in cauſa communi populi non eſſe mandatum Parochis?]

7 Quid ergo faciet Parochus, qui præcō-meatuum inopia, nequit per alios concionari, & ſcientia requiſita, vt per ſe concionetur, imbutus nō eſt? Reſpondet Bauni, hoc in-

inconuenienas præuiſum eſſe in Cócilio Arelatenſi, & de remedio ei prouiſum. [Quod ſi curati, inquit, per ignorantiam facere nequeunt, iubentur ipſi in Conſilio Arelatenſi, è ſuperiori loco legere concionem aliquam vulgari idiomate ſcriptam.] Sic & meritò; nam cum Parochi concionati populo debeant, vt ex Tridentino conſtat, & libri inſcripti beneficio, per ſe, vel per alium alta voce legentem, omnes id aſſequi poſsint, nullus excuſationem legitimam habere poteſt, ad priuandum populum lectione, concionem ſupplente, quando concionatores alij deſint. Et ſanè laudabilius nonnulli Parochi indocti id facerent, quam verba ſpiritu, & inſtructione deſtituta diffundere, aut ridicula, & infructuoſa, quæ riſum potius, quam ad dolorem moueant.

8 Ex dictis fit invalidam eſſe electionem Parochi, qui ſufficientem ſcientiam non habeat ad doctrinam Chriſtianam edocendam, ſacramenta adminiſtranda; & ad populum inſtruendum, quæ vitia declinare debeat, & quas virtutes ſectari ad ſalutem æternã conſequendam. Ita conſtat ex Tridentino vbi ſuprà, & etiam ex iure Canonico, vt videre eſt apud Sanchez *in conſilijs tom. 1. lib. 2. cap. 2 dub. 20.* ibi: [Defectus ſcientiæ competentis reddit beneficij collationem nullam. Probatur *ex cap. cum in cunctis, §. final. de elect. & ex cap. cum nobis de elect.* Sic tenent Tabiena, Sylueſter, Angelus, Armilla, Saicedo, Rebuffus, &c.] Scientia autem competens in præſenti dicitur ſcientia requiſita ad exequendum officium Parochi, cui, iuxta concilium, munera omnia nuper expoſita competunt. Videatur Thomas Hurtado, *tom. 2. variar. reſol. tract. 2. cap. 1. num. 1480.* apud quē Cardinal de Lugo, & plures tanquam regulam certam ſtatuunt: [quod ſi non habeat eligendus eam litteraturam, quæ exigitur ad exequendum officium, propter quod datur beneficium, eſt inualida electio, aut collatio.]

9 Benè verum eſt aliquando ratione vrgentis neceſsitatis, poſſe validè in Parochũ eligi, qui minore ſcientia præditus ſit, nempè eum, qui doctrinam Chriſtianam, ſacramenta adminiſtrare, & diſpoſitionem ad ea recipienda neceſſariam, populum docere, ſciat; licèt ad alia munera inhabilis ſit. Quia huiuſmodi Parochus non caret ſcientia ſimpliciter neceſſaria, vt de neceſſarijs ad ſalutem populũ inſtruat, & provideat. Qua propter, ſi alius nõ ſit, poteſt hic ab Epiſcopo præfici. Quod ſe conſuluiſſe dicit Eminentiſsimus Cardinalis de Lugo *de pænitentia, diſp. 21. ſect. 4. num. 73* [Sic enim, inquit, aliquãdo conſului, ex hoc capite excuſari ſæpè Prælatos, qui in aliquibus oppidis exiguis, & remotis præficiunt Parochos indoctos, & rudes; hoc enim plerumque faciunt, quia propter exiguum ſtipendium, & penuriam rerum, ac paupertiem incolarum, non inveuitur homo doctus, qui velit curam illarum ſuſcipere. Vnde cum aliter non poſsit illis ovibus ſubveniri, vt ſuppono, melius eſt, quod habeant confeſſarium indoctum in tali neceſſitate, quam quod omni remedio prorſus deſtituantur.] Sic & benè Lugo: hoc tamen nõ tollit obligationem Parocho, qua adſtringitur ſtudio, & litteris incumbere vt maiorem ſcientiam ad alia munera præſtanda poſsit adquirire. Quis enim inficiabitur ad Parochum pertinere dubia occurrentia circa caſus conſcientiæ in oppido frequentes diſſoluere, & vitia fugienda populo proponere, & ſcandala vitare, ad quæ maior ſcientia neceſſaria eſt? ad quam propterea adquirendã, ratione ſui muneris, operam nauare tenetur.

10 Quod ſi præſtare nolit, eius electio, licèt valida fuerit, eſt irritanda, iuxta decretum Tridentini, *ſeſſ. 7. cap. 3. de Reformat.* vbi ſic. [Inferiora beneficia Eccleſiaſtica, præſertim curam animarum habētia, perſonis dignis, & habilibus, qui per ſe ipſos curam exercere valeant, &c. conferantur: aliter autem facta collatio, ſeu prouiſio omnino irritetur.] Quod locum ſemper habere debebit, quoties dignus, & habilis, aut qui talis ſperetur, occurrerit.

QVÆSTIO III.

Sit ne ſymonis pacto expreſſo ſe obligare ad aliquid temporale pro ſpirituali ex gratitudine conferendum?

1 SYmonia, vt tradunt cõmuniter Theologi, & Canoniſtæ, eſt, *ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi rem ſpiritualem, vel ſpirituali annexam.* Hanc definitionem exactam eſſe, nullamque eſſe ſymoniam, in qua ratio pretij non intercedat, ſolide, & erudite probat P. Ioſephus Gibalinus *in ſpeciali tractatu de ſymonia*, & initio facto a Petro Lombardo Magiſtro ſententiarum, innumeris Theologis, & Canoniſtis allatis, colliſiſque eorum locis, Romanos Pontifices, & Sorbonæ decreta pro hac parte refert. Quid autem involuant verba *emptionis, & venditionis*, explicuit D. Thomas, *quodlib. 5. art. 23.* vbi ait: [Cum ſymonia circa emptionem, & vēditionem conſiſtat, hic diſtinguendum videtur, Quia ſi Prælatus intendit obligare eum, cui dat Beneficium Eccleſiaſticum, ad aliquam recompenſationem faciendam ſibi, vel ſuis conſanguineis, intentio ſymoniaca eſt; ſi verò non intendit eum obligare, ſed inten-

dat, quod ille ſibi, vel ſuis ſponte temporaliter recompenſet, eſt quidem praua intentio, & carnalis, ſed non ſymoniaca.] Quod ad rē noſtram ſic explicat S. Raymundus *in ſumm. tit. de ſymonia, §. 2.* [Nomine emptionis, & venditionis intelligas omnem contractum non gratuitum.] Dum ergo obligatio iuſtitiæ non intercedat, ſed contractus ſit gratuitus, ſymonia non interuenit. Quamvis peccatum aliud prauæ intentionis interueniat, de quo modo non agimus. Quod mortale nō eſſe affirmant plures apud Palao, *tom. 3. diſp. 3. de ſymonia, punct. 4. n. 3.*

2 In primis certum eſt apud omnes, non eſſe ſymoniam, nec lege vlla prohibitum donare aliquid temporale ex amicitia, aut in gratitudinem beneficij ſpiritualis recepti; hoc enim ad virtutem pertinet, & longiſsimè a vitio eſt, tam ex parte recipiētis, quam ex parte conferentis, vt optimè probat Palao, *tract. 17. diſp. 3. citata, punct. 5.* Nec eſt, qui diſſentiat. Vnde communiter Doctores à ſymoniæ labe eximunt intendentem dare, vel recipere aliquid, vt debitum ex gratitudine, tam antecedenter, quàm conſequenter ad collationem beneficij. Ita Nauarrus, *cap. 23. num. 106. ad 4.* & ex illo Vgolinus, Tabiena, Caietanus, Sotus, quos citat, & ſequitur Suarez, *tom. 1. de Religione, lib. 4. cap. 45. num. 6.* Sanchez *in opuſc. lib. 2. cap. 3. dub. 28. num. 7. & 8.* Quia intendens adimplere obligationem naturalem per ſe conſequentem ex natura beneficij, nullum peccatum incurrere poteſt, & ſimiliter, nec qui intendit captare beneuolentiam, vt alter faciat, quod debet, & ipſa ratio præſcribit.

3 Eſt inſuper ſupponendum, pactum generaliter dictum diuidi a Theologis, & Canoniſtis, in pactum iuſtitiæ, & in pactum amicitiæ. Pactum iuſtitiæ eſt, quo quis intendit alteri inijcere vinculum, & obligationem iuſtitiæ. Pactum amicitiæ, quo ſolum intendit eam obligationem, quam amicitia, vel virtus gratitudinis inducit. Sic P. Leſsius, *lib. 2. de iuſt. cap. 20. dub. 7. num. 48.* Itaque quando ſolum intervenit amicitiæ pactum, nulla de nouo, neque ex fidelitate, nec ex alia virtute inducitur obligatio; nec pacto amicitiæ alteri ſe obligare, aliud ſignificat, quam explicare propoſitum, quod quis habet ſe exhibendi gratum; qui, ſi poſtea defecerit nullā, aut ſaltem non aliam culpam incurret, quā, ſi propoſito non manifeſtato gratus poſt beneficium acceptum non foret (eſt verò aliquando ingratitudo peccatum, vt ait D. Thomas 2. 2. *quæſt. 107.*) His poſitis.

4 Titulo quæſtionis ſic reſpondeo: pactum iuſtitiæ de re temporali pro ſpirituali ex gratitudine conferenda, ſymoniacum eſt, & implicatorium. Symoniacum, quia eſt contractus non gratuitus, ac proinde emptionis, & venditionis. Et ſimile pactum pluribus iuris Canonici capitibus eſſe prohibitū probat P. Thomas Sanchez *in conſilijs, tom. 1. lib. 2. cap. 3. dub. 25.* præcipue, *ex cap. Quam pio 1.* ibi: *Dummodo omnis abſit pactio, omnis conventio.* Et cap. fin. de pact. vbi ſic dicitur. *In ſpiritualibus obtinendis, omnis pactio, omniſque conventio ceſſare debet.* Et ſic omnes Canoniſtæ. Qui eiuſmodi pactum, obligationem ex iuſtitia inducens, vt ſymoniacum iure condemnant. Dixi eſſe etiā *implicatorium*, dum dicitur, obligare ex iuſtitia ad rem temporalem *ex gratitudine* conferendam; quia donationem ex gratitudine omnes intelligunt, quæ abſque iuſtitiæ violatione omitti poteſt. Ac proinde, quæ excludit præviam obligationem, præter illam, quæ recipienti beneficium iure ineſt exhibendi ſe gratum benefactori.

5 Ex dictis infertur audiendum non eſſe Candidum M. Sacri Palatij *tom. 1. de benefic. diſquiſit. 18. art. 39. in fine, dub. 3.* vbi ſcribit, non eſſe contra iuſtitiam beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator, inquit, conferens illa beneficia Eccleſiaſtica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficij, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur. Tum quia dum, excluſis aliis, te præfert conferendo tibi beneficium, affectū ad te determinat, & ſe priuat poteſtate alteri gratificandi, quod eſt magno pretio æſtimabile.] Hæc, inquam, ſententia ſuſtineri nō poteſt, quia contractus ille iniuſtus eſt, quia conferens beneficium, non eſt dominus beneficij, neque habet ius aliquod in illo; ſed qui vendit rem non ſuam, peccat contra iuſtitiam, ergo. Nec ratio, qua ſuam concluſionem probat, alicuius ponderis eſt; nam Prælatus tenetur ex iuſtitia, ratione officij, gratis conferre beneficia, licèt ipſius arbitrio relinquatur electio perſonæ: Ergo ratione prælationis nequit abſque iniuſtitia pretium aliquod recipere, ac proinde iure naturali, & diuino ad acceptum reſtituendum tenetur, vt doctè, & eruditè probat P. Suarez *to. 1. de Relig. lib. 4. de ſymonia, diſp. 59.* Qua propter ſententiam M. Candidi, *vt ſcandaloſam, vt minimum* damnauit, & prohibuit Sanctiſsimus Alexander VII. anno 1665. & eſt vigeſima ſecunda, ex 45. ab ipſo damnatis, & prohibitis [*Non verò eſt contra iuſtitiam Beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia Eccleſiaſtica pecunia interueniente, non exigit illam pro collatione beneficij, ſed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.*]

6 Dico 2. pactum amicitiæ, de re temporali

poralí pro ſpirituali ex gratitudine conferēda, nullam continet ſymoniam. Hanc ſententiam tuentur Couarrubias, Supplementum, Gabrielis, & alij apud Valentiam, *tom. 3.q. 16.dub. 6.punct.3. ſ. ad ſecundam rationem dubitandi*. Ioannes Pontius Ordinis Minorū, *in curſu Theolog. diſp. 55. quæſt.3. concluſ.1. num. 10.* & Marcus Vidal, *in Arca Theolog. moral.tit.de ſymonia, inquiſit. 2. num.45.* vbi ait. [Colligitur quinto: eo modo, quo licèt, ſine labe ſymoniæ, dare temporale pro ſpirituali, etiam licèt de hoc ipſo conuentionem facere, nempe tanquam dando, vel ex gratitudine, vel ex beneuolentia.] Franciſcus Galetti, in Margarita caſuum, verbo Symonia, [ſymoniam, inquit, non facit pactio continēs id, quod natura rei poſtulat.] Cœleſtinus *in compendio Theologico moral.tract.7.cap.4. num.3.* [Difficultas, vtrum id quod eſt dandum ex gratitudine, in pactum deduci poſſit abſque labe ſymoniæ? Reſpōdeo poſſe gratitudinem deduci in pactum, ſi ſolum petatur, vt debita iure naturæ ratione beneficij collati.] Guilinus *in pract. reſolut. caſuum conſc.verb.Beneficium, num.7.* [In obtinendis beneficijs licet paciſci de aliquo temporali retribuendo tanquam motiuo, ſeu pro recompenſatione gratuita, & in hoc non cōmittitur ſymonia, quia in hoc caſu datur ex gratitudine.] Felinus *in cap. ad audientiam 2.de reſcriptis, num. 10.* [Deducere in pactū obligatorium obligationem antidoralem, eſt ſymonia. Secus vbi ſola obligatio naturalis deducitur in pactum, eo modo, quo debitor eſt obligatus, quia non videtur illicitum.] Eandem ſententiam probabilem iudicant Rocaphul, & Machado, apud Dianam, *p.10.tract.15.reſ.5.* apud quem non pauci ſequuntur, *tum ibi, tum p. 11. tract. 7. Miſcel. reſol.23* & tenent expreſsè Gaſpar Hurtado, Eſcobar, Fragoſo, & alij, quos ibi Diana refert, & ipſe probabilem putat *2.p.tr.2. Miſcel.reſ.39.* & licèt poſtea *p.6.tract.7.Miſcel. reſol.42* dixerit non eſſe in praxi amplectendam, ſibi tamen contrarius iterum amplectitur, *p. 11. tract.5. reſol. 20.ſ.* [Dixi legalem.] Quibus adde Ioannem de Soria *in epitome ſummar.p.2.tit.1.ſect.4.diſp.5.fol.457.* vbi ait. [Probabile eſt, eo modo, quo licèt temporale accipere pro ſpirituali ſine ſymonia, licere etiam de hoc paciſci.] & P. Thomas Sanchez *tom.1.conſiliorum lib. 2.cap.3. dub.34.num.6.* dicens: [etiam ſi intercedat promiſsio gratitudinis iure naturæ debitæ, verbis, vel ſcriptis generalibus expreſſa, ſine vllo augmento, quo obligatio antidoralis tranſeat in ciuilem, nulla eſt ſymonia.]

7 Eandem ſententiam tenet expreſsè M. Serra 2 *2.quæſt.78.art.2.dub. 1.* vbi ſic ait. [Non diſplicet, quod nonnulli aſſerunt, duplex eſſe pactum, iuſtitiæ ſcilicèt, & amicitiæ; pactum iuſtitiæ eſt, quo quis intendit alteri inijcere vinculum, & obligationem iuſtitiæ; pactum verò amicitiæ, quo ſolum intendit eam obligationem, quam amicitiæ, vel gratitudinis virtus inducit.] Et paulò infrà *in eodem art.2.fol.788.* [De hoc denique pacto, (nempè iuſtitiæ intelligi poteſt D.Thomas, dum inquit, ſi hoc pacto mutuum dant, vt officium accipiant, abſque dubio pactum eſt vſurarium: nam ſi de pacto amicitiæ ſit ſermo, non ſolum hoc, & ſuptadicta poſſunt in pactum deduci, ſed etiam (vt ait P. Leſius, *lib.2.cap.20.dub. 7. & 9.* collatio beneficij Eccleſiaſtici ſine vſura, vel ſymonia, quia vtraque requirit obligationem iuſtitiæ.] Hæc M.Serra. Quem citatum ſequitur nouiſsimè M.Ioannes Martinez de Prado, *tom. 2.Theolog. moral cap.28.q.2.ſ.1.num..* vbi ſic ait: [Melius diſtinctione adhibita, litem componunt Leſius, Bonacina, Trullench, Lugo, & Serra dicentes; quod ſi pactum ſit iuſtitiæ, ex vi mutui ad hoc obligare, erit vſura; ſi verò pactum ſit fœdus amicitiæ, vel gratitudinis, ita, vt ex illa exigantur in illo eodem genere, nullum erit peccatum.] ...æ in collatione beneficij Eccleſiaſtici æquè procedunt. Nec contra hoc pactum militat Suarez *tom. 1.de Relig.lib.4.de ſymonia, cap.4.. num.2.* Quia illud pactum ſolum impugnat, [quod nouam aliquam obligationem adijciat, præter naturalem, quam inquit, poſſumus appellare poſitiuam ex voluntate contrahentium.] Quibus conſentit Doctor Garſi *cent. 1.cap.93.num.4.*

8 Probatur 1. ex P. Leſio, *lib. 2. de iuſt. cap.20.dub.7 num. 51.* quia donum temporale, per pactum amicitiæ, non exigitur vt pretium collationis beneficij Eccleſiaſtici, ſed ex amicitia præſtandum, abſque vlla obligatione iuſtitiæ, ſed ex ſola gratitudine; nec enim promittens nouam obligationem induit, nec aliud per pactum oſtendit, quam animum, quem de præſenti habet, ſe gratum oſtendendi ſuo benefactori. Confirmatur ex P.Sanchez, quia expreſsio eius, quod tacitè ineſt, non eſt illicita, vt patet *ex textu, & Gloſſa, cap.ſignificaſti de electionibus, & cap. ad audientiam el ſecundo*, vbi Gloſſa, Felinus, & Iaſſon, *de reſcriptis, & leg.3.ff.de legat.1.* Nec eſt ſymonia iuxta communem Doctorum, vt advertit Suarez, ſuprà *tom. 1.de Relig.lib.4 cap.45. num.2.* Atqui tacite, & naturaliter ineſt illi, qui beneficium accipit, obligatio ſe gratum exhibendi, vt tradunt omnes Theologi cum D.Thoma *2. 2.quæſt. 106.art.6.* Ergo cum pactum hanc obligationem exprimat, & aliam ex voluntate contrahentium non adijciat, nullam continet ſymoniam. Confirmatur 2. quia pactum ne-

quis

quit eſſe magis illicitum, quam ipſa realis donatio, & acceptio doni temporalis, ob quæ poterat eſſe prohibitum; atqui licitum eſt temporale dare, & recipere in gratitudinē beneficij ſpiritualis. Ergo licitum eſt pactum cōferēdi ex gratitudine, quod, eo ſecluſo, eodem titulo conferri potuiſſet; quia gratitudinis titulum eximere a ſymonia donationem rei temporalis, propter ſpiritualem, eſt communis Doctorum ſententia, quam tenēt Caietanus, Vgolinus, Filliucius, & alij apud Bonacinanam, *quæſt.8.par.1.num.7.* quos ſequitur Quintana-Dueñas, *tom.1. ſingulariū, tr.6.ſingul.15.*

9 Probatur 2. ex communi illo axiomate nempè: quod in temporalibus eſt vſura, in ſpiritualibus eſt ſymonia; vt tradit Sotus, *lib.9.de iuſt.q 7.art.3.concl.1. & ſumma Coronæ Confeſſorum 3.p.tract. de ſymonia, numer.* 11. Atqui vſura non intervenit abſque obligatione iuſtitiæ reddendi aliquid vltra ſortem, vt docent D.Thomas, Salon, Aragon, Bañez, & alij, quos citatos ſequitur Cardinalis de Lugo, *tom.2.de iuſt. diſp. 25.ſect. 4.num.35.* quibus adde Couarrubiam, Stephanum Bauni apud Dianam, *p. 10. tract.7. reſ.24.* Paſqualigum *in quæſtionibus Canonicis, cent.4.q.338.num.3.* & Fragoſum *de Republica, tom.2. lib.5.diſp.13.§.11.numer.5.* Ergo, cum pactum amicitiæ de dono temporali propter ſpirituale ex gratitudine conferendo, nullam iuſtitiæ obligationem inducat, nullam continere poteſt ſymoniam. Poſito enim tali pacto nō manet ciuiliter obligatus ſtare promiſſis, ſed in ipſius poteſtate manet remunerare beneficiū acceptum; non aliter, ac remaneret, ſi nullum pactum præceſſiſſet.

10 Ratio a priori huius ſententiæ eſt, quia dare aliquid temporale ex gratitudine propter beneficium ſpirituale receptum, eſt licitum, & honeſtum, ergo & intentio illud conferendi; atqui pactum amicitiæ nil aliud continet, quam expreſſionem licitæ, & honeſtæ intentionis eiuſmodi. Ergo nil illicitū continet. Quod autem intentio illa licita, & honeſta ſit, non videtur poſſe negari, cum obiectum licitum, & honeſtum habeat. Et ita docent Nauarrus, *cap.23.nu. 106.ad 4.* Vgolinus, Tabiena, Caietanus, Sotus, quos citat, & ſequitur Suarez, *cap.45.citato num. 6.* Sanchez *in opuſculis, lib.2. cap.3.dub.28.num. 7. & 8.* & communiter Doctores. Ergo per neceſſariam cōſequentiam deducitur, ſymoniacum non eſſe pactum conferendi aliquid temporale ex gratitudine propter ſpirituale receptum. Dictis conſonat, quod ait Nauarrus *opuſculo de datis, & acceptis notabili 11. num.18.* ſcilicèt pœnas extrauagantis Bonifacij VIII. innouatas à Gregorio XIII. non incurrere, qui pro gratia, aut iuſtitia obtinēda a Sede Apoſtolica, aliquid ex gratitudine conferēdum promitteret, ſine animo ſe obligandi aliter, quam ex ſola gratitudine. Quod ita fuiſſe deciſum in Rota, referunt aliqui, quos citatos ſequitur Hyacinthus Donatus, *p.2.tr.16.num.9.fol.396.* ibi: [illud datum, & acceptum cenſetur prohibitum, iuxta terminos Bullæ Gregorianæ, quod fit ex principali intentione obligandi pro tali gratia, vel iuſtitia facienda, & quod ſuper promittentem inducit ciuilem obligationem, vt ex deciſione Rotæ Rom. Farinac. *tom.1.* refert Theſaurus, & Nouar.] Imò obſeruat Villalobos *in ſumm.tom.1.tract.17. diffic.25.numer.12.* prædictam extrav. procedere tantum contra eos, qui in Curia Rom. promiſſionem faciunt. Quod, an verum? Doctoribus remitto.

§. I.

Quid ſi donatio temporalis doni præcedat collationem Beneficij?

11 MAior eſt difficultas, quando aliquis antecedenter ad reſignationem, vel collationem Beneficij donaret aliquid temporale habenti poteſtatem conferendi, vel reſignandi, interveniēte pacto amicitiæ de collatione, vel reſignatione poſtea efficienda. Quamvis enim, ſpeculatiue loquendo, eadem videatur eſſe ratio, ac quando è contra fit; in praxi difficile eſt, quod hæc donatio fiat abſque vitio ſymoniæ. Et quidē, ſi nullū pactum interueniat, ſymoniam non eſſe, munera conferre ad alliciendum animū collaturi, aut reſignaturi beneficium, eſt cōmunis Doctorum ſententia, quam tenet illuſtriſſimus M. Araujo *in deciſ. moralib.p.2. diſp.14.art.5.num.12.* vbi ſic: [munus igitur a manu (ſcilicèt pecunia) datur gratis, quando datur ex benevolentia, & amicitia, & ſine vlla intentione obligandi recipientem, & tunc non conſtituit collationem ſymoniacam, ſiue detur ante, ſiue poſt ipſam collationem, vt habetur *in cap.quā pio, & in cap. ſicut Epiſcop.2.q.2. & cap.placuit 1.q.1.*] & ita docet Sanctorus *de pœnis, p.2.cap.15.* vbi ſic ait. [Nō eſt ſymonia donare aliquid temporale, vel ante, vel poſt, ei, qui exhibet aliquid ſpirituale, etiam cum intentione, quod donatarius moueatur ad dandum ſpirituale ex gratitudine, & è contra dare ſpirituale cū intentione, quod recipiens ex virtute gratitudinis donet poſtea temporale. Et ratio eſt, quia donum opponitur pretio. Et elicitur *ex cap.ſicut Epiſcopum 1. q. 2. cap. & ſi quæſtiones, cap.dilectus 2.cap.tua de ſymonia.* Docet Sotus *lib.9.de iuſt.q.7.art.3.* Suarez *tom.1.*

de

de Relig. lib. 4. cap. 45. num. 4. contra Innocentium *in cap. tuam de ætate, & qualit.* Duo tamen hic adnotauerim, alterum; qui hoc faceret in foro exteriori, præſumeretur ſymoniacus; alterum, quod difficile eſſet in his formalitatibus ſub præciſa doni ratione cõſiſtere; impoſsibile tamen non eſt.] Hæc Santorus Et de facto id fieri poſſe abſque ſymonia, tradit Paſqualigus *in quæſtionibus Canonicis, ccut. 4. q. 379. n. 5.*

12 Qua propter Bernardus StubroKius *in nota 1. ad epiſt. 12. fol.* 183. ſic inquit. [Si quis det alteri ex mera libertate, ex charitate, ex amicitia, aliquam pecuniæ ſummam, qua hic moueatur ad reſignãdum eidem beneficium, modo nulla intercedat ratio pretij, ſeu venditionis, ideſt, modo is, qui pecuniam dedit, nullam inde obligationem reſultare præſumat in accipiente; reſignandi ſcilicèt beneficium, non erit ſymonia. Vis authores huius doctrinæ? hi ſunt D. Thomas, Alenſis, Altiſiodorenſis, Antoninus, Armachanus, Summiſtæ omnes, & Canoniſtæ, quorum multos citat Suarez. Item Barboſa, Sylueſter, Caietanus, Ioſeph Gibalinus, qui alios authores adducit, allatis, collatiſque eorum locis, & Sorbonæ decreta.] Sic ille.

13 Ex quo principio ſic ad concluſionẽ, pro pacto amicitiæ firmandam, formatur argumentum. Donum liberaliter conferre ad alliciendum animum Prælati, vt mihi gratis beneficium conferat, nullam continet ſymoniæ labem; atqui pactum amicitiæ, quod ſuper additur, de collatione beneficij, nullam de nouo obligationem inducit, ſed eadem prorſus libertate morali fruitur Prælatus, ac ſi pactum nullum præceſſiſſet; ergo munera conferre, pacto amicitiæ interveniente, ſymoniam non continet. Confirmatur, quia licitum eſt mutuanti petere animum gratũ in recipiente obſequium; vel ſuæ obligationis naturalis recognitionem ab eo poſtulare, & excitare, vt ſibi potius, quam alteri beneficium vacaturum conferat, vt cum alijs tradit Suarez *lib. 4. de Relig. ſupra citato, cap. 45. num. 8.* & Prælatus promittere poterit nullam ſibi intendens obligationem imponere, quam nec obſequium præſtans, inijcere tentat: atqui pactum amicitiæ nil aliud operatur, quam iſta promiſsio, poſt acceptum obſequium, facta: ergo.

14 Propter hæc, quando obſequia præſtita ante collationẽm, vel reſignationem beneficij, ſunt ex illis, quæ communiter gratis, & ex amicitia præſtari ſolent, hæc ſententia mihi placet. Eamque tenet expreſsè M. Serra verbis ex illo datis *num. 7.* vbi poſt quã pactum amicitiæ a pacto iuſtitiæ condiſtinxit, inquit, licitum eſſe mutuum dare pacto amicitiæ inito de collatione beneficij ex gratitudine conferendo. Quod tradit ex Leſio *lib. 2. de iuſt. cap. 20. dub. 7. num. 51.* inquiente: [ſi ego prior mutuum dederim, non obligaueris ex iuſtitia præſtare, quod promiſiſti, ſed tantum ex gratitudine, non enim intendiſti aliter te illa promiſsione obligare, cum ego aliam obligationem non potuerim exigere;] cuius ſententia innititur doctrinæ Magiſtri Soti, *lib. 6. de iuſt. q. 1. art. 2.* in ſolutione argumentorum contra tertiam concluſionem; vbi ait: [non modo intuitu amicitiæ contrahẽdæ mutuare licèt, ſed amicitiæ ſigna in pactum deducere,] & loquens de condonatione iniuriæ ob læſionem honoris, inquit [quod verò paciſci liceat, rectè videor mihi id quoque concedere, nam honor, & fama ex ſua natura iure amicitiæ condonari ſolet, quare illud pactum non eſt, niſi amicitiæ fœdus.] Idem ſentit Nauarrus *in ſum. cap. 17. num. 223.* vbi ſic: [Mutuare cum pacto; &c. eſt mortale, ſecus ſi ipſum non obligat plus, quam iure naturali obligatus maneat gratum ſe exhibere benefacienti ſibi, ſecundum Gloſſam in prædicto capite.] Pro quo militant Bonacina, Trullench, Lugo, & alij, quos ſequitur M. Ioannes Martinez de Prado, cuius verba dedi vbi ſuprà *num. 7.* dicentis, quod ſi pactum ſit fœdus amicitiæ, & ex illo aliquid exigatur in eodem genere nullum eſſe peccatum: quibus conſentit, immò difficiliora tradit Malderus *2. 2. tract. 5. cap. 3. dub. 6.* dicens: [ſiquis mutuum daret, non vt pretium beneficij Eccleſiaſtici, ſed vt hac ratione prouocet amicitiam collatoris, aut vt gratiam præſtet, quam non vult præſtare, niſi alter ſtatim gratificetur, conferendo beneficium, probabile eſt, nec vſuram, nec ſymoniam fore;] & ita etiam ſentit Petrus de Nauarra, apud Dianam *1. p. tract. 8. reſol. 61.* Quibus adde Manuel Rodriguez *tom. 1. ſum. cap. 64. num. 42.* & Nauarrum *lib. 5. conſiliorum; tit. de ſymonia, conſil. 23.* aſſerentes non eſſe ſymoniã offerre Patrono habenti ius præſentandi ad aliquam Præbendam, offerre, inquam, beneficium ſimplex ea conditione, vt ipſe præſentetur ad talem Præbendam, ſi hoc fiat ad mouendam voluntatem, & illum inclinandum ad talem præſentationem. Secus (inquiunt) ſi fiat ea conditione principali, & immediata propter aſſecutionem beneficij. Quod intellige ex obligatione iuſtitiæ conferendi. Si enim preces, vel commutationes non offerantur in commutationem ſpiritualium, ſed ad inflectendum animum conferentis, communis Doctorum ſententia tenet non habere rationem pretij.

15 Ex quorum auhoritate, & ratione hæc ſententia efficaciter ſuadetur, militant enim pro illa omnia fundamenta; quæ *num. 8. & ſeqq.* adduxi ad probandum pactum amicitiæ

de

de retribuendo aliquo temporali dono pro ſpirituali ex gratitudine non eſſe illicitum, quod a fortiori euincunt de pacto amicitiæ conferendi aliquid ſpirituale ex gratitudine propter temporale, quando iſtud ex eo genere bonorum eſt, quæ gratis, & liberaliter donari ſolent.

16 Si verò munera præuiè gratis data collaturo beneficium Eccleſiaſticum ea ſint, quæ gratis conferri non ſoleant, vt pecunia longè maior eſt difficultas, & practicè loquendo dicendũ cenſeo pactum illud, quod amicitiæ vocatur, nomen tantum amicitiæ retinere, ſed re vera rigoroſum cõmutationis pactum eſſe: licèt enim ſpeculatiuè loquendo, verum ſit ſymoniam interuenire nõ poſſe, ſi qui donat pecuniam nullam intendat obligationem de nouo iniicere recipienti, & qui beneficium Eccleſiaſticum conferat, benè nouerit ea tantum obligatione teneri, quà nullo præcedente pacto teneretur; nempè ex gratitudine. Quamvis, inquam, in ſpeculatione à ſymoniæ labe prædictum pactum immune videatur, tamen ratione materiæ ab hoc vitio illud eximere valdè difficile eſt, quia licèt verbo dicatur, quod temporale datur liberaliter, in exequutione tamen non datur; & quamvis dicas te liberaliter & gratis facere: propoſitio ſe ipſam deſtruit, aliàs poſſet Epiſcopus ſic dicere petẽti beneficiũ: *ego liberaliter tibi dono beneficium, ſed peto à te, vt liberaliter mihi dones centum aureos; quod ſi tu nolueris hanc liberalitatem prius mecum facere; ego etiam à liberali beneficentia abſtinebo.* Quod argumentum vrget P. Suarez *cap. 45. citato num.* 11. & benè quidem. Quia ſi hæc licerent latiſsima aperiretur via vſuris, & ſymoniis; ſi enim quis a me peteret, vt librum donarem liberaliter, & ego reſponderem, donabo quidem, ſed tu mihi ſimiliter liberaliter dona duos aureos; quis negare poſſet hũc contractum eſſe emptionis, & venditionis? Ergo ſimiliter contractus ille, quo Epiſcopus beneficium liberaliter cõferre promiſiſſet, ſub conditione, quod centum aurei liberaliter ipſi prævie donentur. Eſt igitur improbabile, ratione materiæ, prædictum pactum non eſſe ſymoniacum.

17 Non me latet Vincentium Baroniũ 2. p. *Manuductionis diſp. 2. ſect. 5. fol. 269.* Contrariam ſententiam ſpeculatiuè probabilem vocaſſe, ſecus practicè. [Quod vix, inquit, ſymoniæ mens poſsit ab his circunſtãtiis ſeiungi.] Quod prædixerat Sanctorius, *de pænis, cap.* 15. Cuius verba dedi ſuprà *num.* 11. & ob hanc cauſam, actionem iſtam in foro exteriori cenſeri ſymoniacam advertit Fragoſus, vbi ſuprà: in foro autem conſcientiæ, licèr difficile ſit in his formalitatibus ſub præciſa doni ratione conſiſtere; attamen cum non ſit impoſsibile, quia actus agẽtium vltra eorum intentionem non operantur, nõ cenſet improbabile practicè eiuſmodi pactũ ſymoniacum non eſſe, quem ſequitur Doctor Garſi *cent. 1. cap. 93. num.* 39 *& ſequentibus*, quia ſi in conſcientia dantium, & acceptantium non eſt alia intentio, quam gratuitæ donationis, & hæc poſsibilis ſit; & nemo præſumi debeat velle illicite facere, quod ſua voluntate a malitia denudare poteſt, non eſt cur præſumatur illicite feciſſe. Cæterum dicendum cenſeo hoc pactum, ratione materiæ, inter prohibita, vt ſymoniaca, re cenſeri debere, ac proinde contrariam ſententiam, iure poſsitiuo conſiderato, nec ſpeculatiuè probabilem eſſe. Quia licet intentio illa poſsibilis ſit, tamen cum leges ad communiter contingentia referantur, & apud homines, eiuſmodi contractus emptionis, & venditionis vocem retineat, ſub aliis prohibitis cõtentus cenſeri debet. Quãdo enim additur, *niſi pecuniam liberaliter dones, non conferam beneficium Eccleſiaſticum*, propoſitio, (vt ait Suarez) ſe ipſam deſtruit, & falſificat, & re vera vterque, in communi omniũ æſtimatione, nil, præter verba, donat.

§. II.

Quid de pacto, quod puræ amicitiæ non ſit?

18 DIco 3. apertam ſymoniam committi, ſi pactum induat obligationem ex fidelitate. Hæc concluſio eſt contra Patrem Salas, *tract. de vſura, dub. 7. num. 6.* & contra Dianam *p. 1. tr. 8. reſ. 62.* aſſerentes, non eſſe illicitũ non mutuare, donec mutuatarius a me excitatus, dicat, ſe daturum auctarium, ac proinde ex veracitate, & fidelitate, licèt non ex iuſtitia maneat obligatus; quod a fortiori de nolente conferre beneficium Eccleſiaſticum, abſque ſimili promiſſione doni temporalis, ex fidelitate conferẽdi, dicere teneatur; cum eadem ſit ratio vſuræ, & ſymoniæ iuxta ſuperius dicta. Hęc noſtra concluſio eſt communis, quam cum D. Thom. 2. 2. *q. 78. art. 2. ad 2. & 3.* Caietano, Soto, Gabriele, & aliis, tenet Pater Suarez vbi ſuprà *num.* 9. Azor, Filliucio, Layman, & alii apud Bonacinam *tom. 1. tract. de ſymonia, diſp. 1. q. 6. num. 6.* Quos ſequitur P. Mẽdo *in ſtatera opinionum benignar. diſertat. 1. q. 22. num.* 286 Ratio eſt, quia pactum inducẽs nouam obligationem ex fidelitate eſt de re, quæ nec tacite ineſt, & eſt oneroſa, & pretio æſtimabilis: ergo ſymoniacum. Nec enim poteſt dici ex ſola gratitudine obligationem oriri, nam, qui ex ſola illa tenetur, ſolum incurrit notam ingrati, nec fundamẽtum præbet ad iuſtam querelam; qui verò ex promiſ-

ſione

ſione nouam obligationem inducente, ad promiſſum tenetur, infidelis cenſetur, & ſuæ obligationis fractor, quæ nota inter homines ratione honoris, & famæ æquè præmit, ac iuſtitiæ violatio. Imò dicendū cenſeo idem eſſe apud Doctores obligationem ex iuſtitia, ac ex promiſsione, ex fidelitate obligante, ſuper additam; & ſic intelligẽdos, quoties aſſeruut, nec vſuram, nec ſimoniam intervenire, niſi aliquid detur, vel accipiatur, vt pretium mutui, aut beneficij, & vt debitū ex iuſtitia. Quia per obligationem ex tali promiſsione ortam verè tollitur liberalis donatio, & quã ex amicitia, & ex gratitudine vocare ſolemus. Quia ſiquis, (vt ſuprà ex Suarez dicebamus) à me peteret, vt librum donarẽ liberaliter, & ego reſponderem, donabo quidem, ſed tu mihi ſimili liberalitate dona tale vas, alias nec ego donabo; profectò verbis diceres, me velle donare, re tamẽ vera permutare: Ergo a ſimili in noſtro caſu: permutatio re vera intervenier rei tẽporalis pro ſpirituali, abſq; libertate adimpleudi promiſſum, cuius libertatis priuatio æſtimabilis eſt, ac proinde contractus ſimoniacus.

19 Ex dictis infertur, audiendum nõ eſſe M. Petrũm de Ledeſma *in ſum. tract. 12. cõcl. 25.* vbi cenſet, ſimoniam non eſſe reſignationi beneficij, vltra penſionem per Pontificem concedendam, onus aliud ſuperaddi, verba eius ſunt: [Licito es reſignar el beneficio poniendole penſion de 40. ducados para el q̃ le reſigna, y deſpues es licito vender eſta penſion por 400. ò quinientos; luego al principio ſe podrà hazer concierto de reſignar el tal beneficio por los 400. ducados: Reſpondo, Soto enſeña, que eſtos dos contratos, aun juntos, ſe pueden hazer ſin ſimonia. Eſta ſentẽcia del M. Soto, es bien aparente. Eſto tiene Orellana, y otros diſcipulos de S. Thomas.] Hactenus Ledeſma ex Thomiſtis citatis. Quorum ſententia eſt contra D. Thomam, vbi ſupra. & contra communem Theologorum, quia reſignans beneficium cum onere penſionis nequit facere pactum, quo alter ex promiſsione, vel iuſtitia conſtrictus maneat penſionem cõſtitutam redimere. Eſt enim illud onus pretio æſtimabile, & conſequenter ſimile pactū apertam continet ſimoniam. Ideòq; reſignans, tenetur reſignatarium omnino liberum relinquere, vt pro ſua libertate penſionem a Sũmo Pontifice conceſſam, ſolvat, vel redimat, provt illi vtilius ſit.

20 An verò propria authoritate eiuſmodi penſiones redimi poſsint? cõtrouerſum eſt inter Authores. Negãt Nauarrus, Sotus, Victoria, Azor, & alij apud Palao *tr. 17. de ſimonia, diſp. 3. punct. 13. n. 9.* Verum ipſe cum Valentia, Caietano, Leſio, Toledo, Suarez, & alijs partẽ affirmatiuam tuetur, quia per redemptionem penſionis ſolum adquiritur immediatè, & per ſe immunitas ab obligatione pendendi, quotannis illam partem fructuum ſolutioni penſionis deſtinatã. Immunitas autẽ ab hoc onere, & obligatione non eſt ſpiritualis, nec ſpirituali per ſe annexa, & vt benè ait Palao: [redemptio penſionis nil aliud eſt, quã quædam anticipata ſolutio fructuũ, quos vendere cuique permiſſum eſt.] Monet verò ipſe, & meritò, quod hoc non fiat abſque authoritate Pontificis, quia ſolet ſemper interuenire ad maiorem ſecuritatem, & quia iam ex ſtilo Curiæ hoc eſt receptũ, vt probat Garcia *de benefic. 1. p. cap. 5. à n. 23.* Vide Dianam *p. 4. tr. 4. reſ. 153.* vbi cum Sanchez *in opuſc. tom. 2. lib. 2 c. 3. dub. 46. n. 19.* advertit, non poſſe pecunia redimi penſionẽ, quæ datur in titulum Beneficij, ob aliquod miniſteriũ ſpirituale futurum Coadiutori Epiſcopi, vel Parochi ſenis.

21 Denique adnotandũ eſt, quod licèt a nobis ſuperius tradita in materia ſimoniæ probabilia ſint, cautè ſemper procedẽdũ, nec ad praxim opiniones reuocãdas, ſine cõſilio viri docti, vt benè advertit Diana *p. 11. tr. 7 reſ. 24* quia in vſu huiuſmodi opinionũ non ſolum ſciẽtia, ſed & prudẽtia neceſſaria eſt, & homines in partem ſibi fauẽtẽ facillimè declinãt, & non rarò opiniones, inſenſum ab authoribus non intentum, detorquent.

QVÆSTIO IV.

Sit ne ſimonia pecuniã alicui dare, vt pacto iuſtitiæ obligetur ad intercesſionem apud collatorem, vt beneficium conferat?

1 PRo parte negatiua militant, quæ ſequuntur. Primò, quia interceſſor nil daturus eſt Prælato, nec reſignaturo beneficium: nec ipſe illud vẽdit, ſed humanum fauorem, quo, ad alia ſibi vtilia obtinẽda, in alterius gratiã, ſe priuat. Secũdo, quia in gratiã alicuius facere, quod ex iuſtitia ei nõ debebatur, prætio æſtimabile eſt in opinione M. Soti *lib. 4. de iuſt. q. 7. art. 1. ad 2.* prope medium *verſiculo Retrocedendum ergo*: vbi loquens de recipiente pecuniam ab alio, vt a peccato abſtineat, inquit, poſſe licitè accipere, & retinere; cuius rationem reddit: [nam, & ſi ille gratis teneretur abſtinere; nihilominus, quia in gratiã mei abſtinet, poteſt iure naturæ pro ſua illa voluntate pretium ex me recipere.] Sic Sotus, quem ſequuntur M. Bañez, M. Petrus de Ledeſma, M. Ioannes de la Cruz, M. Ludouicus Lopez, M. Martinus de Ledeſma, quos citatos ſequitur M. Ioannes Martinez de Prado, *tom. 2. Theolog. Moral. cap 17. quæſt. 4.* dicens, [non debebat ex iuſtitia ei, qui dat pretium, ille, qui recipit, ceſſare a peccato in gratiam dantis pretium. Ergo propter iſtam gratiã, quam illi facit, poterit rect-

pere pretium.] Ergo ſecũdum hos Doctores pretio æſtimabile eſt facere in gratiam alterius, quod illi ex iuſtitia nõ debetur, & ſi aliàs gratis teneretur efficere. Ergo licèt famulus Epiſcopi, v. g. ex ſuppoſitione quod velit intercedere ad obtinendum alicui beneficium, id gratis præſtare teneatur, ſi tamẽ in tui gratiam intercedat, poterit iure naturæ pretium ex te recipere, propter gratiam, quam tibi facit. Tertiò, quia, vt loquens de mutuo ait M. Araujo *de ſtatu ciuili, diſp. 7. punct. 1. num. 12.* [poteſt Petrus recipere aliquod munus a Paulo roganti ipſum, vt mutuet Franciſco, quin detur Paulo actio repetendi: neque per hoc (inquit) aperitur oſtium arti iniquæ fœnerandi, cuius iniquitas ſolum in eo conſiſtit, vt a mutuatarijs aliquid vltra ſortem recipiatur.] Atqui quod in mutuo, ſeu in temporalibus non eſt vſura, in ſpiritualibus, non eſt ſimonia. Ergo poterit Petrus recipere aliquod munus a Paulo rogãti ipſum, vt intercedat pro Franciſco, vt iſti beneficium conferatur, quia in hoc caſu nil recipit ab eo, pro quo intercedit: ac proinde hoc ſaltem modo poterit pro intercesſione aliquid recipere, neque per hoc aperietur hoſtium ſimoniæ: cuius iniquitas (ſecundum M. Araujo) ſolum conſiſtere debet in eo, quod pretium intercesſionis, ab illo, pro quo facienda eſt, recipiatur.

2 Propterea non eſſe ſimoniam, pretium recipere pro intercesſione etiam immediata, tenuit tanquam ſatis probabile quidam doctus Neotericus, apud Sanchez *lib. 2. cõſiliorum, cap. 3. dub. 26.* qui ſubnectit, [& ab hac ſententia non abhorret Sotus *libr. 9. de iuſt. q. 7. art. 3. in fine corporis*: tantum enim dicit, [*quod libentius aſſentitur oppoſitæ ſententiæ*: vnde videtur probabilem reputare hanc.] Et talem cenſere etiam videtur Rocaphul in praxi *Theolog. Moral. lib. 3. tomo 2. de ſeptimo præcepto Decalogi, cap. 6. numer. 183.* & ſatis dubitat Gregorius Lopez, apud Sanchez ſuprà, quando pretium non datur his, quorum miniſterio vtitur Epiſcopus in conferendis ſpiritualibus.

3 Cæterum, ſententia, affirmans ſimoniam interuenire in pretio pro intercesſione oblato, eſt communis Doctorum, quam tenet Nauarrus, quem citatum ſequitur Sanchez *in conſilijs, tom. 1. lib. 2. cap. 3. dub. 26.* Palao *tom. 3. tract. de ſimonia, diſp. 3. puncto 11. numer. 4.* Suarez *tom. 1. de Religion. lib. 4. cap. 53. num. 13. 14. & 15.* Leſſius *libr. 2. cap. 35. dub. 8. num. 46.* Probaut, quia intercesſor, & mediator inducens Prælatum, vel Patronum, vt beneficium tibi conferat, vel ad illud præſentet, eſt cauſa moralis illius conceſsionis: ergo ſaltem emitur collatio, vt manat moraliter ex intercesſore. Probatur ex Nauarro vbi ſuprà, quia hæc intercesſio virtualiter eſt quidquam ſpirituale, quia non emititur, niſi vt virtute continens collationem beneficij, nec enim alia ratione in æſtimatione haberetur. Denique ex iure Canonico probatur, quia Nicolaus Papa *cap. Statuimus ſecundo, quæſt. 1.* inter ſpecies ordinatorum ſimoniacè recenſet, quando ordinanti nihil datur, ſed mediatoribus, & Vrbanus Papa *cap. Præſentium 1. q. 5.* cognoſcit ſimoniam commiſſam per pecuniam non Epiſcopo, ſed cuidam principum eius datam.

4 Quæſtio hæc, diſtinctione præmiſſa inter immediatum, & mediatum intercesſorem, dirimenda eſt. Dico igitur 1. ſententia communis affirmans ſimoniam eſſe pecuniam dare pro intercesſione, ſi intelligatur de intercesſione immediata apud ipſum Prælatum, vel reſignaturum beneficium ſub conditione, & pacto, vt intercedant, vt tibi beneficium conferant, veriſsima eſt, & efficaciter probatur ex ratione, & capitibus iuris Canonici ſuprà citatis. Ex ratione, quia planè conuincit contra intercesſorem immediatum, &, vt ait Pater Suarez, *cap. 53. citato*, ſiquis intercesſori promittat pecuniam pro precibus, ſub conditione ſi fuerint efficaces, id eſt, ſi cum effectu obtineant beneficium; tunc clariſsima eſt ſimonia, vt omnes fatentur, quia euidenter emuntur preces, vt habentes effectum ſpiritualem, ergo emitur eiuſmodi effectus, quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis: ergo idem dicendum eſt, ſi emãtur, vt ſufficientes ad eumdem effectum: cum ſimilem connexionem, licèt non eamdem cum illo habeant, & propter illam principaliùs quærantur.

5 Ex capitibus etiam iuris hæc pars efficaciter ſuadetur, quia de immediato intercesſore loquuntur. De hoc enim procedit extrauagans ſecunda de ſimonia, quæ eſt inter communes, & ex qua concluſionem ſuam probat Nauarrus. Illa etenim ſolum militat contra eos, qui ſimoniam commiſerint, aut procurauerint, quod illa fiat, aut mediatores extiterint. Qui quidem textus, vel tantum procedit, quando ex parte Epiſcopi, vel Patroni committitur ſimonia, vel ad ſummum contra intercesſorem immediatum, quem de iure ſaltem poſitiuo illam committere, conſtat ex cap. *Statuimus*, & cap. *Præſentium* ſuprà citatis, quæ contra immediatum ſaltem intercesſorem, quoad ordines obtinendos procedere apertiſsimum eſt. Ex quibus ad alia ſpiritualia validum ſumitur argumentum. Quod ex congruentia, immò, & neceſsitate talis pro-

Digitized by Google

prohibitionis, confirmat P. Suarez vbi ſuprà *num.* 16. quia per hunc modum emendi Ordines, aut beneficia maxima Eccleſiæ mala prouenirent, quia promouerentur indigni, ſi pecunijs abundarent, & digni relinquerentur. Vnde non minus inconveniens ſequeretur, quam ſi venalia ab ipſis Prælatis fierent. Addit Suarez *lib.* 4. *de ſymonia, cap.* 40. *num.* 13. quod ſi Prælatus nollet conferre beneficium alicui, niſi ipſe, vel alter faciat, vt perſona aliqua nobilis, quam deſiderat obligatam habere, ab illo petat, ſymoniam committi, quia talis fauor à Prælato expoſtulatus, pretio æſtimabilis eſt, & eligendo imponitur onus, quod de iure non ineſt. Quæ doctrina, ait Palao illum ſequutus, *tom.* 3. *de ſymonia, punct.* 3. *numer.* 9. habetur expreſsè in capite *ſunt nonnulli* 1. *q.* 1.

6 Ad fundamenta verò, quæ pro parte contraria propoſuimus, *num.* 22. ex opinione Soti, & aliorum, reſpondet P. Molina *tom.* 1. *tr.* 2. *diſp.* 83. dicens: opinionem Soti reijciendam: [eſtnamque contra communem Doctorum ſententiam, & improbabilis omnino.] Reſpondet etiam Cardin. de Lugo, *tom.* 2. *de iuſt. diſp.* 37. *ſect.* 11. *num.* 126. [ab omnibus relictam: aperit enim oſtium vſuris, furtis, & rapinis. Quia poteſt aliquis dicere ſe accipere pretium non ab illo, cui mutuum dat, nec pro mutuo, ſed ab alio tertio, eo quod in eius gratiam det mutuum Petro.] Quod licèt abſurdum non putet M. Araujo, loco ſuprà citato, improbabile mihi eſt propter abſurdas concluſiones vſuris, & ſymonijs fauentes; ex prædicto principio evidenter deductas. Quid enim facilius mutuaturo, quam petenti mutuum reſpondere: nolo tibi mutuare, ni alius a me petat, vt in ipſius gratiam tibi mutuum? & ſimiliter, quid facilius immediato interceſſori, quàm nolle, niſi ab alio rogatum intercedere, à quo, quia in eius gratiam, pretium recipere poterit; imò, & ab ipſo, pro quo intercedit, cum ipſi ex iuſtitia non teneatur. Has autem concluſiones cum ego improbabiles cenſeam; probare non poſſum principium, ex quo neceſſaria conſequutione deducuntur: ac proinde nil ex illo concludi poteſt ad excuſandum a ſymonia pretium oblatum pro immediata interceſsione. Vide ſuprà *quæſt.* 3. *num.* 5 cenſuram contra opinionem M. Candidi, ab Alexandro VII. in Romana Generali Inquiſitione fulminatam, & expende, an eodem impetu in hoc principium conſequenter deſcendere debeat.

7 Dico 2. ſi pretium detur, & recipiatur pro interceſsione mediata, nempè ſi cuidam tertio, vt intercedat apud alterum, cui non incumbit conferre, neque eligere, neque præſentare, vt iſte tertius obſecret, vt detur tibi Beneficium, probabile eſt, non eſſe ſymoniam. Ita cenſuit P. Thomas Sanchez *in opuſculis, tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 26. *num.* 77. Et nouiſsimè tenent Ioannes de Soria *in epitome ſummar. part.* 2. *tit.* 1. *ſect.* 4. *diſp.* 5. *fol.* 457. vbi ait: [Non eſt ſymonia, ſi quis det Paulo pretium, vt intercedat apud Petrum, vt ipſe Petrus intercedat apud Ioannem collatorem Beneficij: quod probabile eſſe docent Vazquez, & Sanchez] Hæc Soria. Quem ſequitur Rocaphul *in praxi Theologiæ moralis, lib.* 3 *tom.* 2. *de ſeptimo præcepto Decalogi, cap.* 6. *n.* 183. ibi: [Dico ſecundo, ſi daretur pro interceſsione apud interceſſorem immediatum, nõ committit ſymoniam, quia hæc interceſsio mediata, & remota eſt merè tẽporalis, nec vllo iure humano prohibitum eſt pro illa dare aliquid (attende) ſicut aſſentior probabile dare pro immediata interceſsione.] Hæc ille. Quibus videtur ſentire, eſſe etiã probabile, quod pro immediata interceſsione poſsit abſque ſymonia pretiũ dari, vt ſuprà notaui. Probãt, quia mediata interceſsio non eſt cauſa moralis collationis, nec præſentationis, quia nec Prælatum, nec Patronũ mouet ſed quẽdam tertium, vt apud ipſos intercedat. Eſque natura ſua pretio æſtimabilis, quia mercede dignũ eſt, gratiã, quã apud alterũ habet, diſpertiri; & ad rem tẽporalem ſibi, vel alijs obtinendam enervare, cuius interceſsionis valor ex hoc capite, independẽter a beneficio obtinẽdo, æſtimãdus eſt, & ſiue obtineatur, ſiue nõ; pretiũ hoc ſolvendũ eſt.

8 Nec contra hanc concluſionem militãt iuris capita citata, cũ procedant de interceſſore immediato, nec authoritas Doctorum, qui interceſsionẽ, vt ſymoniacam damnant. Quia, vel expreſsè, vel implicite loquuntur de interceſsone immediata; & Doctores omnes, inquit Sanch. ſupr. *n.* 7. in hoc caſu loquũtur. Et conſtat ex ratione, quã reddit Suarez ſupr. *n.* 15. vbi ſic inquit: [Probatur ergo ratione, quã indicat Innocentius, quia per inde eſt per pecuniã Beneficium immediate a collatore obtinere, vel medio interceſſore,] & infrà: quia interdum tãtum valent, apud Patronos, rogatores, vt moraliter perinde ſit, ab eis emere, quod ab eorũ Patronis.] Similiter loquitur Palao vbi ſuprà, dicens: [ſymoniã eſſe, ſaltẽ ex iure poſitiuo, dare pecuniã, vel aliud quodvis donũ familiaribus Prælati ſub conditione, & pacto, vt intercedãt, & rogent Prælatũ, vt tibi Beneficiũ, vel ordinem concedat.] Sic ille pro hac parte adducens omnes Doctores, qui interceſsionẽ, vt ſymoniacã, dãnant: non ergo contra mediatã, ſed cõtra immediatã interceſsionem procedũt.

9 Advertendum hic eſt nullam interue-

nire ſymoniam, quando quis pecuniam cōfert alicui, non vt intercedat, ſed vt propria merita collatori notificet, vt inde moueatur ad beneficium ei conferendum, vt cum Suarez, locis ſuprà citatis, tradit Palao; & cum Paſqualigo, & alijs Diana *p.11.tract.6.Miſcel.reſ.31.* Qui optimè admonent, cautè pro cedendum eſſe, quia ſæpè mediator excedit officium informantis, & aſſumit inducentis, pluſquam merita perſonæ ſimpliciter repræſentata poſſent inclinare. Similiter nec ſymonia erit, ſi pecunia detur pro labore ſuſcepto, in eundo, & redeundo ad collatorem Beneficij, vel pro recompenſatione alicuius damni, vel lucri, dummodo munera æſtimationem laboris, damni, vel lucri, non excedaut.

QVÆSTIO V.

Vtrum in extrema neceſsitate liceat emere Sacramentum, & gratiam ſacramentalem?

1 NEgant communiter Theologi, cū D. Thoma, locis infrà citandis, quos ſequuntur Suarez *tom.1.de Religione, lib.4.cap.12.num.16.* Sanchez *in conſilys, tomo 1.lib.2.cap.3.dub.8.* Caſtro Palao *tom.3. tract.de ſymonia, diſp.3. punct.7. num.3.* & fere omnes.

2 Affirmat verò M.Sotus *de iuſt. lib. 9. quæſt.6. art. 1. ad primum §. at verò,* vbi ſic inquit: [Sit Sacerdos vſque adeò peruerſus, vt nolit antea baptizare puerum, quam pater perſancte iuret pretium largiturum, non ad redimendam vexationem, ſed ad emendū ſacramentum ipſum, & gratiam ſacramentalem, vtrum tunc liceat? Caietanus non videtur annuere, vt liceret pro Sacramento dare, cum cenſeat tàm intrinſecè malum eſſe, rem ſpiritualem emere, quàm vendere, &c. Sed, niſi mea me fallit inſcitia, & ſi vendere ſacramentum, & rem quamcumque ſpiritualem ſit penitus intrinſecè malum, adeò, vt neque ad redimendam vexationem, neque vlla excogitabili cauſa, fieri poſsit licitè; pretium tamen pro illo offerre, dicendum eſt non vſque adeò eſſe intrinſicè malum, quin extrema neceſsitas illud permittat.] Hæc Sotus, quem ſequitur M. Victoria. Quorum ſententia (inquit illuſtr. M.Araujo *in deciſ.moral.p.2. diſp.14. art.3. & 4.num.6.*) [eſt valde probabilis] & illam tuetur Vincentius Baronius *2.p. Manud.dānatæ, diſp.2.ſect.5.fol.270.*

3 Sed me iudice eſt apertè contra D. Thomam *2.2.quæſt. 100. artic. 2.* dicentem *ad 1.* [Pro eodem eſt habendum, ſi Sacerdos abſque pretio baptizare non velit, ac ſi non eſſet, qui baptizaret; quia nullo modo eſt peccandum. (& infrà) Nullo modo deberet pretium pro baptiſmo dare, ſed potius abſque baptiſmo decedere.] Et *in 4.diſtinct. 25. quæſt. 3. articul. 1. quæſt. 1. ad 3.* [Aliquid dicitur ſpirituale vno modo per eſſentiam, ſicut gratia, & virtutes, & iſta non poſſunt aliquo modo vendi, nec ſuprà hoc voluntas deliberata emptionis cadere poteſt.] Hæc Angelicus præceptor. Quibus tàm paruuli, quam adulti Baptiſmum emi non poſſe, clariſsime affirmat, & cum eo omnes Theologi. Qua propter opinionem M. Soti eſſe improbabilem merito dixit Suarez, *tom.1.de Religione, lib. 4. cap. 12 num 16.* quia tàm emptio, quàm venditio rei ſpiritualis eſt aperta ſymonia iure naturali, & diuino prohibita. Quid ergo faciendum in caſu, quem proponit Sotus? Reſpondet D.Thomas *in 4.diſt. 25. citato q. 3.art.2 ad 3.* [Dicendum, quod in caſu illo debet aliquis emere aquam a Sacerdote, & ipſemet puerum baptizare, quia in caſu neceſsitatis licèt baptizare, etiā mulieri. Nec debet aliquo modo pro ipſo Baptiſmo Sacerdoti pecuniam dare, & ſimiliter eſt de adulto.] Si verò iniquus Sacerdos non aquam, ſed Baptiſmum vendere velit, relinquendus eſt infans ſine Baptiſmo, vt tradit D. Thom. vbi ſuprà. Et ni fallor, ipſe M.Sotus *lib. 9.de iuſt.quæſt.7.art.3.* in fine corporis, ſentētiam ſuprà traditam retractauit, his verbis. [*Vt quæſtione ſequenti explicaturi ſumus, diuino, naturalique iure, non ſolum datio ſpiritualium pro pretio prohibita eſt, verum & receptio.* Ergo non ſolum pro pretio dare baptiſmum, ſed etiam pro pretio datū recipere, eſt vtroque iure naturali, & diuino prohibitum; eſt ergo æquè intrinſecè malum.

4 Quod autem emptio rei ſpiritualis ita ſit intrinſecè mala, vt nulla cauſa, aut circunſtantia honeſtari poſsit, latè oſtendit Caietanus *opuſcul.de ſymonia, quæſt. 3.* quem citatum ſequitur M. Araujo vbi ſuprà *num. 7.* quamvis enim contrariam ſententiam *valde probabilem* dixerit, id intellige, *ſpeculatiuè*: nam in praxi noſtram & communem ſequendam cenſet, & efficaciter probat. Primo, quia eſt emptio rei omninò invendibilis. Secundo, quia præceptum de non emendo res ſpirituales, eſt iuris diuini naturalis, ac proinde eſt ſuperius ad præceptum de Baptiſmo, quod eſt tantum iuris diuini poſitiui a Chriſto Domino inſtitutum in lege gratiæ: in concurſu autē duorum præceptorum ob temperandū eſt ſuperiori, & excellentiori. Inſuper probatur euidenti ratione ex apprehenſione ter minorum; quia non minus diſſonat rationi temporale æqualis æſtimationis eſſe cum ſpi-

ſpirituali, quam verba cum mente non conformare, ſed hoc ita intrinſece malum eſt, vt nec pro ſalute ſpirituali omnium hominum, nec pro omnibus damnatis ab inferno liberandis, honeſtari poſsit, ergo nec illud: ergo pro ſalute pueri nullatenus licebit Baptiſmum emere, ſed quando aliter obtineri non poteſt, relinquendus eſt infans ſine Baptiſmo, ſicut relinqui deberet, ſi perverſus Sacerdos diceret, ſe non habiturum intentionem baptizandi, quin peccatum coram ipſo committeretur, quia non ſunt facienda mala, vt eveniant bona. Qua propter mihi ſuadeo M. Sotum, vbi ſupra, meliora ſapientem, ſuam ſententiam retractaſſe.

5 Nihilominus Vincentius Baronius, vt prædixi nouiſsimè mordicus illam defendit, loco ſuprà citato, vbi in Patrem Suarez invehitur, quod dixerit eſſe improbabilem. [Inimò Sotus, inquit Baronius, illam probat validis argumentis contra Caietanum, quibus reſpondendum erat.] Cæterum quod non valida, ſed valdè infirma ſint; conſtabit ex dicendis. Arguit 1. M. Sotus, [ſi ſacramentum emere, eſſet per inde, ac mentiri, intrinſecè malum; neque ad redimendam vexationem licitum fieret.] Concedimus totum, quoties vexatio conſiſtat in denegatione iniuſta adminiſtrationis ſacramenti, & in defectu intentionis baptizandi, niſi pecunia in pretium offeratur. Hoc enim æquè, imò, & magis intrinſece malum eſt, quam mentiri, quia ratio pretij cōſiſtit formaliter in commenſuratione valoris pecuniæ cum valore ſacramenti, & gratiæ ſacramentalis. Quod à malitia graui denudari non poteſt.

6 Arguit. 2. *Quia quantumvis ille me iurare cogat, quod pecuniam pro Sacramento tribuo, nihilominus ſalva eſt mea ſuprema intētio, quod facio ad redimendam vexationem, ob idque nulla eſt in vera mente falſitas.* Sed quidem demus Soto, vſu reſtrictionis mentalis, (quā Baronius abhorret) liberari a labe falſitatis iuramentum; ſolutio non ſatisfacit, quia Sacerdos proteſtatur ſe non habiturum intentionem baptizandi, ni alter habeat veram intentionem emendi ſacramentum, idque abſque vlla reſtrictione mentali iurat. Hic eſt caſus de quo loquimur. Ergo beneficio illius intentionis, cuius meminit Sotus, nil fiet: quia non erit validum baptiſma, niſi vera emptio ſacramenti interveniat Vt autem in conſequentiam Baroniane doctrinæ agnoſcas; dum vſum reſtrictionis mentalis, pro defendenda Soti opinione, admittit; vide me ipſum 1. *p. Select. tract. 2. diſp. 1. de voto, & iuramento, quæſt. 6. num. 23.* vbi citato Baronio 1. *p. Theolog. moral. diſp. 1. ſect. 5. art. 3.* in illum animadverti; quod ſententiam excuſantem a peccato vſum reſtrictionis mentalium, tanquam doctrinam *execrandam* ſuggillauerit, à D. Auguſtino, & D. Proſpero *damnatam*.

7 Arguit. 3. *Mutuatio ſub fænore intrinſecè mala eſt, & tamen à receptione poteſt excuſare neceſsitas.* Verum huic argumento, non iſius eſt M. Sotus, ideò dixit, *aliqualé hoc* exemplum eſſe; & meritò diffiſus, quia petens mutuum ab eo, quem ſcit non fœnore daturum, nec peccat petendo, quia petit rem, quam alter licitè præſtare poteſt, nec peccat accipiendo mutuo pecuniam, quia peccatum ſe habet ex parte donantis, quod donatione, ſeu actione externa ipſius conferentis completur, præuiè ad receptionem pecuniæ a mutuatario, quę ex ſe licita eſt: nec peccatum alterius cum ſui detrimento vitare tenetur, vt docent omnes Theologi. Emere autem ſacramentum, eſt actio externa ipſius ementis, & a voluntate emendi, ſeu tanti æſtimandi pecuniam, quanti rem ſpiritualem, promanans; quæ cum intrinſecè mala ſit, nequit vlla neceſsitate honeſtari. Infirma, ergo ſunt fundamenta, quibus Sotus, ad opinionem ſingularem contra D. Thomam, Caietanum, & omnes Theologos in Scholis inrrudendā, motus fuit. Quē proinde Baronius hac tempeſtate ſequi non debuiſſet.

8 Si verò Sacerdos non exigeret pecuniā, vt pretium ſacramenti, vel non exprimeret, ſe non habere intentionem baptizandi, aliter oblata pecunia; licitum eſſet ad redimendam vexationem pecuniam illi offerre, quia non offertur pro ipſa collatione ſacramenti, nec in pretium gratiæ habitualis, nec in eius commutationem, ſed ad ſuſtentationem perſonæ, & ad prauum illius defectum tollendū, & benevolentiam illius captandam, vt ſuæ obligationi ſatisfaciat. Quod verum etiam eſt, licèt tibi conſtaret, Sacerdotem recipere pecuniam in pretium, quia illius peccatum cum grauiſsimo proximi damno vitare non teneris, nec illi cooperaris, quia rem exigis, quam ille licitè efficere poteſt. Vt cum pluribus tradit Caſtro Palao, vbi ſuprà *diſp. 3. punct. 7. n. 3. & 4. & punct. 20.* & ſequuntur M. Araujo loco citato, & P. Suarez *tom. 1. lib. 4. cap. 12.* & alij apud ipſos, & procedit, licèt iniquus Sacerdos peteret iuramentum conferendi pecuniam in pretium ſacramēti, quia non teneris iuxta intentionem eius iurare, ſed æquivocatione, vel reſtrictione mentali verba proferre, vt cum Tancredi, & alijs concedit Diana, *p. 11. tract. 6. reſol. 32.*

Digitized by Google

QVÆSTIO VI.

Vtrum Moniales, & Religioſi profeſsi non dum ſacris initiati horas Canonicas recitare teneantur?

1 PArtem negatiuã plures graues Doctores ſuſtinent. Primo, quia non tenentur ex iure, vt docent communiter Theologi; nec ex conſuetudine; ergo, ni aliunde ſpeciali præcepto, aut voto obligentur, ab onere recitandi priuatim, ſeu extra chorũ, immunes erunt. Quod autem ex conſuetudine nõ adſtringantur: probatur primo. Quia conſuetudo, vim legis habens, non inducitur ex actibus priuatis, ſed ex publicis, vt ex cõmuni Doctorum tradit Bonacina *de conſuetudine num.* 26. Recitare autem officium diuinum priuatim, & extra chorum; eſt actio occulta, non publica, nec manifeſta. Ergo ex illa non poteſt induci conſuetudo, quæ vim legis habeat.

2 Secundo. Quia, vt conſuetudo obligationem inducat, neceſſarium eſt, quod viri docti communiter. & abſque dubio cenſeãt, eſſe conſuetudinem obligantem; ſecus ſi alij dubitent de obligatione, alij affirment, alij negent: de conſuetudine autem recitandi, quoad moniales, & profeſſos nondum in ſacris plures Doctores dubitant. M. Raphael de la Torre, 2.2. *controu* 6. *diſp*. 2. *num*. 11. [de conſuetudine, (inquit) recitandi, quãdo moniales a choro abſunt, audio viros doctos, & pios dicentes vigere, & viguiſſe: alios verò dubitantes,] ſic, & meritò. Quia de conſuetudine dubitant, Caietanus *in ſum. verb. Horæ*. vbi ait. [Nec profeſsi habitu Clericali, donec in ſacris ſint conſtituti, tenentur ex iure, aut ratione, ad horas Canonicas, (& infrà) niſi conſuetudo illos obliget, de qua nil ſcio, non tenentur ex profeſsione.] Caietanum ſequitur M. Bartholomeus Funius, *verb. Horæ, num*. 4. Ibi: [Religioſi profeſsi non exiſtẽtes in ſacris, ſecundum Caietanum, non tenẽtur de iure diuino ad officium, nec ex profeſsione, nec ex victu: forte ex conſuetudine tenentur, de qua dicit, ſe nil ſcire. Contrarium tenent communiter alij; tamen hoc nullo iure probãt. Ideò opinio Caietani melior videtur:] & probabilem putat M. Corradus 1. *p. q.* 204. Medina Complutenſis *cap. de oratione, tract*. 6 [non tenentur, inquit, ad horas ex vi profeſsionis, ſed vel ratione regulæ vel ratione conſuetudinis, ſi in Religione talis ſit.] Item de conſuetudine dubitant Alphonſus de Caſtro, Vega, Villalobos, & alij apud Caramuelem *in regula Sancti Benedicti, diſp*. 103. *art*. 2. *num*. 1351. Item Nieva, Palacios, & alij apud Sanchez *in conſilijs, lib*. 7. *cap* 2. *dub*. 3. Qua propter Brunus Caſahing ex Ordine Minorum de *priuileg. Reg. p*. 2. *tract*. 8 *cap*. 4. *prop*. 5. inquit, non eſſe certum, quod prædicti regulares teneantur priuatim perſolvere horas. [Quia conſuetudo, quæ eſt vnum ex præcipuis fundamentis, non admittitur a multis:] & M. Petrus de Ledeſma *p*. 2. *tract*. 9. *de Religione, cap*. 4 Doctores, dubitantes de conſuetudine, refert inter negantes Religioſos profeſſos, nondum in ſacris, teneri ſub mortali ad horas. Verba Ledeſmæ ſunt. [La primera ſentencia es, que eſtos tales no tienen obligacion de rezar el Oficio Diuino. Eſto enſeñan algunos Authores, como es Caietano, que dize; que no puede entender por donde los tales Religioſos eſtan obligados a dezir el Oficio Diuino, ſino por la coſtumbre, y que duda mucho, que la coſtumbre obligue a pecado mortal.]

3 Tertio probatur. Quia vt conſuetudo obliget requiritur, quod ſit introducta a potentibus per modum legis illam introducere, moniales autem hoc non poſſunt, vt docent Franciſcus Gallett *in Margarita caſuum conſcientiæ, verbo Conſuetudo*. Paſqualigus *deciſ*. 415. Caramuel *diſp*. 103 *citat. num*. 1355. Petrus Marcantius *in trib. ſacram tom*. 2. *tr*. 2. *p*. 2. *tr*. 3. *ſect*. 1. *q*. 2. Idem ſentiunt plures alij, quos refert M. Hyacinthus Donatus, *tom*. 4 *tract*. 12. *q*. 95. nempè Bartolus *conſ*. 136. Alex. *conſ*. 173. *n*. 12. Tiraquellos *tract. de primogenijs, q*. 16. *num*. 2 Item Abbas, Baldus, Socinus, & alij apud Paſqualigum, vbi ſuprà. Ergo moniales non tenentur, ex conſuetudine obligãte ſub mortali, ad horas Canonicas priuatim recitandas.

4 Quartò; quia vt conſuetudo obliget per modum legis, debet eſſe certum fuiſſe introductam ex animo ſe obligandi: atqui eiuſmodi conſuetudo talis non eſt. Ergo: maior probatur authoritate Doctorum: M. Serra, 1.2. *q* 97. *art*. 3. [Si dubium ſit an conſuetudo inducta fuerit animo ſe obligandi, docent multi præſumendum eſſe ex ſola deuotione, & in modum conſilij inductam fuiſſe, & non eſſe obſeruatu neceſſarium, quod in conſuetudinẽ deducitur.] M. Barnabas Gallego, *tract. de conſ. dubia. dub*. 103. [in dubio (inquit) de obligatione præcepti per conſuetudinẽ introducta, potius eſt inclinãdũ in eã partẽ, quod cõſuetudo ſit devotionis, & non obligationis. Ita Sylveſt. Suarez, Bonac. Villalobos, & alij] Ex quibus concludit D. Frãciſcus Verde *in opuſc*. pro Caramuel *q*. 12. *p*. 6. *§*. 5. *num*. 595. [cum ſit ſub dubio, an conſuetudo monialium, de recitandis horis extra Chorum, ſit introducta cum animo ſe obligandi, non obligat. Garcia *in ſum*. verb. Horæ, qui dicit nec profeſſos non in ſacris teneri.] Dubitari enim poſſe de animo ſe obli-

Digitized by Google

obligandi ſub læthali ad tantum onus, non negabunt Doctores omnes, qui de ipſa conſuetudine dubitant.

5 Quintò denique probant; quia conſuetudo introducta ex errore, quo creditur eſſe præceptum, quod re vera non eſt, non inducit obligationem, vt multis probat Ioannes Sanchez *in Selectis, diſp. 54. n* 33. & tenent Pater Thomas Sanchez, Portei, & alij apud Dianã *p. 1. tract. 9. reſ. 41.* Hanc autem conſuetudinem, quæ in Religionibus viget quoad moniales, & profeſſos, huiuſmodi eſſe; tradit Petrus de Aragòn 2. 2. *q.* 83. *concluſ.* 3. ibi: [Cũ in ſingulis ordinibus ſit præceptũ, quod tàm in communi, quàm in particulari officium diuinum dicatur, eſt probabile talem conſuetudinem ortum habuiſſe ex illo præcepto; atque adeò non obligare magis, quam ipſum præceptum. Quod neque ad mortale, neque forte ad veniale obligat, vt diximus] nempè *q.* 83. *art.* 12. vbi ſic; [nõ eſt dubium quod niſi in Sacris Ordinibus ſint conſtituti, ex vi ſuarum legum, quam ſuos tranſgreſſores nõ ad culpam, ſed ad pœnam obligare velle dicunt, non tenentur ſub mortali Choriſtæ Horas Canonicas dicere.] Ita ille ſupra dub. 4. de ſuis Religioſis Sancti Auguſtini loquutus. Idemque de pluribus alijs aliorum ordinum, proferre potuiſſet. Ergo dum non conſtet in aliqua Religione ex regula, vel conſtitutione, ſub lethali obligante, teneri moniales, vel Religioſos profeſſos, choro dicatos, Horas Canonicas priuatim perſolvere, credi probabiliter poteſt conſuetudinem recitandi extra chorum, introductam fuiſſe ex ignorantia, ſiue exiſtimatione præcepti, quod re vera non erat; ac proinde obligationem non inducere.

6 Propter hæc, ſententiam excuſantem moniales, & Religioſos prædictos ab onere recitandi priuatim, ſeu extra Chorum, tuentur M. Antonius de Hinojoſa *in diſſert. deciſ. Regul. verb. Profeſſio in fine*, vbi ait: [Monialis verò, quæ ſenſerit duram Tabienæ ſententiam, & nollet ſolvere Officium Diuinum, dicens ſe non teneri ad hoc; non eſt illi neganda abſolutio: neque eſt illi dicendum, quod habeat ſcrupulum; quia ſine ſcrupulo pergit, quia nullo præcepto adſtricta pergit.] Petrus Marcantius loco ſuprà citato. [Dico quartò fictitium eſſe conſuetudinem illam receptam eſſe per modũ legis, ad peccatum mortale obligantis] Ludovicus de S. Iuan *in ſum. q. vnica de oratione, art. 10. dub. 2. concl.* 3. [Los otros Religioſos profeſſos, y profeſſas, no eſtàn obligados a rezar el Oficio Divino por ſi, en razon de ſu profeſsion, ò de algun præcepto, haſta que ſe ordenen de orden ſacro: ſalvo quando eſtàn en el Coro, ſegun la coſtumbre de las Religiones.] Idem ſentiunt Caramuel *in regula Sancti Benedicti, diſp. 103. art. 2. nu.* 1355. D. Franciſcus Verde, verbis ex illo ſuprà datis Martinus de S. Ioſeph *in monitis, tom. 1. lib. 1. de ordine, tract. 10. num.* 3. & eſſe probabilem ſenſit P. Sà, *in antiquis, verb. Horæ Canonicæ, numer. 1.* vbi ità ſcripſit. [Quidam tamẽ, & moniales, & eos omnes, qui non ſunt in ſacris obligatione liberant: quod & ſi probabile, non eſt in vſu;] & probabile ſentiunt Machado *tom. 2. lib. 5. p. 2. docum. 1. num. 1.* Vega *in ſumm. tom. 1. cap. 128. caſu* 7. Villalobos *in ſumm. tom. 1. tract. 24. diffic.* 9. Hieronymus Rodriguez *in comp. qq. Regul. q. 98. num.* 2. Leander *de ſacram. tom. 6. in Decalog. tract.* 8. *diſp 2. q.* 27. P. Mendo *in ſtatera opinionum benignarum, diſp. 7. q. 2. num.* 11. & alij, quos ſuppreſſo nomine referunt M. Raphael de la Torre vbi ſuprà, & Emanuel Rodriguez *in ſumm. cap.* 224. vbi citat Caſtrum *de lege pœnali, lib.* 2 affirmantẽ moniales Sanctæ Claræ, non teneri ad Officium Diuinum. Adduci etiam ſolet pro hac parte P. Leſius *in reſul. caſuum conſcientiæ, poſt* 1. 2. D. Thomæ, verb. *Horæ Canonicæ, caſu* 14. à qua tamen opinione eum eximere conatur P. Bardi, vbi infra, & vltra citatos, illam tenet Franciſcus Bordonus tertij Ordinis Sancti Franciſci *in conſilijs regularium, reſ.* 30. & pro monialibus ſic fatur Vincentius Baronius, *diſp.* 2. *in Amadæum, sect. 1. fol.* 203. [certum, inquit, apud nos eſt, illas minus eo onere grauari, quàm Religioſos, qui ex eleemoſynis viuunt, aut Clericos, qui Sacerdotijs potiuntur: quia dotem contulerunt Mon. ſterio, qua alì poſſunt; vel induſtria valent, vt ſibi victum cõparent.] Si verò hæc deſint exiſtimat ad illud penſum teneri, ſicut, & Clericos, & Religioſos profeſſos.

7 Propter authoritatem Doctorum, quos citaui, & fundamenta ſuperius iacta, negarè non poſſum hanc ſententiam eſſe probabilẽ, quidquid contradixerint nõnulli infrà citandi. Nihilominus contraria, quia tutior, & verior, eſt omnino tenenda; & in praxi conſulenda. Primò, quia communis inter Doctores, apud Pellizarium *in manuali Regularium tom 2. tract. 10. cap. 6. num.* 11. & apud Suarez *tom. 2. de Religione, lib. 4. tract. 4. cap.* 17. qui plures referũt. Quos ad ſeptuaginta protrahit, & ſequitur P. Bardi *in Selectis, lib. 4. q. 1.* inter quos triginta ex primis noſtræ Societatis. Quibus annumerandum eſſe, inquit, P. Leſium vbi ſuprà, in quodam ſcilicèt auctario recollecto poſt eius mortem. Quia cõtrarium cum limitatione ibi tenet, *num.* 27. & 29. nimirum non eſſe mortale, bis, aut quater, Horas omittere: quæ fuit opinio Petri de Aragon 2. 2. *q.* 83. *art.* 12. *concluſ.* 3. & Thomæ à Ieſu *in expoſitione regulæ p.* 1. *cap.* 7.

*7.dub.*1 quos ſequutus eſt Oliverius Bonartius *de horis Canonicis lib.*1.*cap.*3.*n.* 12 Qui aſſerunt vniuerſaliter, quoad omnes præcepto adſtrictos, non eſſe peccatum mortale, ſemel aut iterum Officium Diuinũ omittere. Quod circa obligationem reſtitutionis admittunt M. Sotus, & alij apud Sanchez *in conſilys, lib.*2.*cap.*2.*dub.*82. & quod M. Ioannes de la Cruz, *p.*1. *directorij præcepto* 3.*art.*3.*dub.*6.*concl.*3. ad plures vices extendit, dicens: [Beneficiati, ſi intra annum omittant recitare, per decem dies, nil reſtituant, quia ſunt ſerui liberaliſsimi Domini, qui multo minus, quam Dominus Temporalis ad pauca attendit. Ita explicant Motum Pij V. Medina *in ſum.*3.*præcept.*§.11. Ludouicus Lopez *tom.*1.*cap.*245. & alij:] ſic Cruz. Sed expreisè contra Motum Pij V. vbi ſic habetur. [Statuimus, vt qui Horas omnes Canonicas (attende) vno, vel pluribus diebus intermiſerit, omnes beneficij fructus, qui illi, vel illis diebus reſponderint, ſi diuiderentur, amittat] Quid clàrius? Inſuper leùi fundamento proceſsit: quia licet obligatio recitandi ex conſuetudine in Monialibus, ſic poſſet interpretari, vt optimè dixit Leſsius ſupra, ſecus eſt de præcepto Eccleſiaſtico, quod pro ſingalis diebus æquè obligat, ac præceptum ieiunij, vel audiendi ſacrum, ſed his omiſsis ad rem noſtram deveniamus.

8 Igitur Moniales, & Religioſos profeſſos non dum ſacris initiatos, ſi ex priuilegio Pontificis, aut ex vi ſui inſtituti, non ſint exempti ab onere recitandi (vt ſunt Monachi Benedictini ex priuilegio Eugenij Quarti) teneri ex conſuetudine Horas Canonicas recitare, non ſolum ab authoritate extrinſeca, ſed ratione à poſteriori, efficaciter ſic probatur. Omnia fere argumenta, quæ ad labefactandam obligationem ortam ex cõſuetudine recitandi, facta ſunt, eandem vim habent contra conſuetudinem, quæ viget in Clericis ſæcularibus ſubdiacono, & diacono, qui beneficiarij non ſint. Quia ex ſola conſuetudine eos teneri, eſt communis Doctorum ſententia: vt tradunt M. Ioannes Martinez de Prado *tom.*2.*Theolog. moralis, cap.*30.*q.*6.*n.*10. & apud illum Caietanus, Nauarrus, Azor, Philibertus, Trullench, & alij: quos ſequitur Leander à *Sacram. tr.*6.*de ordine diſp.*13.*q.*8. & latius Suarez, Ioannes à S. Thoma, Villalobos, & alij. Quia in Iure Canonico ſoli præsbiteri ſub præcepto obligati inveniuntur; pro diaconis autem, & ſubdiaconis, (aiunt) haberi ex conſuetudine: quæ, cum ſit rationalis, & legitimè præſcripta, vim legis habet. Inſuper præfata argumenta eodem impetu deſcendunt contra obligationem ortam ex conſuetudine abſtinendi ab ovis, & lacticinijs in ieiunijs Quadragesimæ (poſito non contineri præceptum in iure canonico, vt nonnulli contendunt) & tamen primam conſuetudinem recitandi obligare ſub mortali Diaconos, & Subdiaconos nemo dubitat, & quoad ſecundam abſtinendi ab ovis, & lacticinijs, declarationem habemus Sanctiſsimi Alexandri Septimi damnantis, vt ſcandaloſam *anno* 1666. opinionem, quæ aſſerebat, *non eſſe evidens, quod conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in quadrageſima, obliget.* Ergo idem de conſuetudine recitandi in Monialibus, & Religioſis profeſsis choro deſtinatis dicere debemus: aut congruam diſparitatem reddere, quod valdè difficilè eſt.

9 Confirmatur, quia magis incredibile eſt, Eccleſiaſticos ſæculares, Diaconos, & Subdiaconos, habuiſſe animum ſe obligandi ex conſuetudine ad Horas Canonicas, quam Religioſos profeſſos, & Moniales, vtpotè quæ, licèt ex vi ſuarum conſtitutionum ad eas recitandas non teneantur, hanc tamen conſuetudinem ad perfectionẽ comparandam, iuxta ſuam profeſsionem, maximopere conducere nouerant. Ergo vel intentio ſe obligandi non requiritur, vt conſuetudo habeat vim legis; vel ſi Moniales & Religioſos profeſſos non obligat ex hoc capite, nec ſæculares Clericos non Sacerdotes, aut Beneficiarios obligabit.

10 Inſuper incredibilius eſt, omnes Chriſti fideles intendiſſe vbique ſe obligare, ex conſuetudine, ad abſtinendum ab ovis, & lacticinijs, in ieiunijs Quadrageſimæ, quam moniales, & religioſos profeſſos ad horas canonicas; & tamen, etiam ſecluſo præcepto ex iure canonico (quod de facto datur) evidens eſt talem conſuetudinem obligare, vt declarat Alexander VII. Ergo fere omnia principia ad eneruandam vim conſuetudinis Moniales, & Religioſos profeſſos obligantis, aut ſunt falſa, aut vt talia habenda poſt decretum Alexandri VII. in Romana generali Inquiſitione, aut congruam ſolutionem admittere debent pro hac conſuetudine, ſicut, & pro alijs.

11 Vincentius Baronius probat, cõſuetudinem recitandi obligare Moniales: & ſimul invehitur in authores cõtrariæ ſententiæ, & in eorũ fundamẽta, verbis, quæ ſubnecto. Hæc omnia cõficta dico, in gratiã Monialiũ, quibus adulari viſum eſt, vt tẽpus choro, & officio recitando impendendum, non ſit illis Religioni fallere in locutorijs; ſed quis ita temere inſtituta dixerit Monaſteria Virginum, vt ſuas ipſæ leges condiderit, nec à ſuorum Ordinum Prælatis, vel ab Epiſcopis, vel à Sede Apoſtolica inductæ ſint, aut ſaltem confirmatæ. Cum paucisſimi, aut fere nulli ſint ordines, qui à ſuis Præpoſitis, &

Se-

Sede Apoſtolica non repetant vim ſui inſtituti: cuius nobiliſsima pars ſit penſum horarium, ad laudes Deo perſolvendas.] Cæterum huius Authoris inconſequentia eſt manifeſta: tum, quia ibidē (nempè 2. p. Manud. diſp. 2. ſect. 1. fol. 203.) excuſat ab onere recitandi ſub mortali Moniales illas, quæ dotem contulerunt monaſterio, *quæ ali poſſunt; vel induſtria valent, vt ſibi victum comparent*. Tum, quia, ſi ex conſuetudine oritur obligatio, vel omnes tenētur, vel nulla. Quia eadem apud omnes viget conſuetudo. Tum, quia ex regula, & conſtitutionibus, & ex vi ſui inſtitutiones moniales recitare debent; & regulæ, & conſtitutiones omnium Religionum ſunt a Pontifice approbatæ, & confirmatæ. Hæc verò confirmatio ſolam firmitatem confert, & Evangelicæ perfectioni conformes declarat; nullam verò obligationem ad culpam inducit, ſi ipſemet conſtitutiones præceptum non contineant; ſed conſilium, & ad ſolam pœnam obligent. Aliàs regula Fratrum Prædicatorum, & Societatis Ieſu, ad Roſarium, ad Lectionem ſpiritualem, aut alia devotionis opera, ſub læthali obligarēt: & dicere deberemus conſuetudinem ſeruandi conſtitutiones, quæ in Religionibus obſeruantibus viget, inducere obligationem ſub læthali. Quod evidenter falſum eſt.

12 Propter hæc dicendum cenſeo, conſuetudinē, licèt ex errore præcepti, vel abſque animo ſe obligandi inductam, obligare ſub læthali, quoties decurſu temporis, fideles omnes, vt in plurimum, ſub læthali obligantem accipiant, & a Prælatis aliud eis non declaretur; ſed tacitè illam conſuetudinem rationabilem, vt legem, approbent: in hoc enim caſu, vt legitimè præſcripta vim legis habere cenſetur. Sic diſcurrendum colligo ex definitione conſuetudinis obligantis, quā ex Iſidoro ab omnibus Theologis, & Canoniſtis recepto *lib. 2. orig. cap. 10. & lib. 5. cap. 3.* adducit P. Bardi *ſup. lib. 8. q. 2. n. 8.* nempè *conſuetudinem eſſe ius quoddam moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur, cum lex deficit*. Cum ergo conſuetudo recitandi in Monialibus, & Religioſis profeſsis, non dum ſacris initiatis, apud antiquos, & modernos Theologos (ſi paucos excipias, paucis abhinc annis repugnantes) pro lege fuerit ſuſcepta, & vt talem, dum profeſsionem emittunt præfati Religioſi, ſuſceperint, & de hac obligatione in nouitiatu inſtruātur, non minus, quam Clerici Sæculares, quando in Sacris Ordinibus Subdiaconatus, & Diaconatus cōſtituuntur: fateri debemus eiuſmodi conſuetudines; etiam ſi abſque animo ſe obligandi, fuerint inceptæ; poſtea verò, vt leges fuiſſe receptas, & continuatas; & a ſuperioribus, Epiſcopis, Prælatis Religionum, & a Summis Pontificibus acceptas. Aliàs nulla eſſet in Eccleſia Dei obligatio, quæ ex conſuetudinē originem duceret; quia, vbi nulla fuerit lex, nec diuina, nec humana, & alias conſuetudo ſit de re difficili; & ad quam, (ſi conditio humana, & rerum viciſſitudo attēdatur) moraliter impoſsibile, aut ſaltem probabilius appareat, non fuiſſe introductam à prioribus ex animo ſe obligandi; de quacunque poſſet dubitari, an ex tali animo fuerit introductā; & conſequenter nulla ſub læthali obligaret. Quod falſum, & ſcandaloſum eſſet aſſerere.

13 In hanc tandem, ſententiam venit illuſtriſsimus Caramuel *lib. 2. Theologiæ fundamentalis in nouiſſa editione Lugdunenſi, anno 1675. fund. 53. q. 4. artic. 1. & 2.* vbi, poſtquam ſtatuit cōſuetudinem, niſi habeat vim præcepti impliciti, aut voti, ſeu iuramenti impliciti, non habere vim legis, concludit *num. 2461.* [Sed inquiris, quo ſcire id poteris modo? Reſpondeo: in Congregatione, aut Monaſterio, vbi iuniorum Magiſtri, ſciente, & volente Prælato, docent eos teneri ſub peccato mortali: vbi aliquando concedunt Superiores iunioribus ægrotis, ſtudentibus, &c. omittendi officium diuinum licentiam: vbi tanquam mortalis culpæ rei puniuntur, ſiqui illud ſine licentia omittunt; ibi, ſi non datur præceptum expreſſum, dari ſaltem implicitum, manifeſtum eſt. Ergo vniuſcuiuſque erit examinare mores, & leges Congregationis, in qua viuit, & iuxta ea, quæ viderit, & obſeruauerit, ſe dirigere.] Hactenus do ctiſsimus vir. Hanc ſentētiam nonnulli adeò certam exiſtimant, vt contrariæ notam in vrere non recuſent. P. Bardi, vt dixi ſuprà, *improbabilem cenſet*. Bertrandus Loth. *in reſol. moral. tract. 23. q. 1. art. 8.* dicit, *eſſe temerariam*. Pellizarius *tom. 2. tract. 10. de Monial. cap. 6. q. 7. num. 14. improbabilem, & temerariam*, & ante illum P. Reginaldus, quem ipſe refert. Alij verò a cenſura abſtinent. Quibus me adiungere volui. Forte enim alij congruā diſparitatem inter hanc, & alias conſuetudines inuenient, & oneri non ſuccumbent, licèt obligationem ex nullo alio capite prouenientem agnoſcant.

§. I.

Conſectaria.

14 PRobabis primò, an puer à Pontifice diſpenſatus ad Beneficium, vel Capellaniam collatiuam, ante decimumquartum ætatis annum inceptum, teneatur recitare? Negant aliqui apud Sanchez *in conſilijs lib. 2. cap. 2. dub. 62.* quorum alij vſque ad 14. annum inceptum, non teneri dixerunt

ex D. Antonino, apud Dianam *p.*11. *tract.*2. *reſ.*56. Alij verò vſque ad duodecimum annum, innixi doctrinæ M. Soti *in* 4. *diſtinct.*12. *q.*1. *art.*11. Magiſtri Serra 2. *p. tit.* 2. *q.*96. *art.* 1. & M. Corradi 1. *p. q.* 54. *in Addit.* qui de Eccleſiaſticis legibus ſic diſcurrunt. [Pueri, (inquiunt) non obligantur præcepto confeſſionis, vel ſumendi Euchariſtiam, vſque ad duodecimum annum, quando alijs tenentur Eccleſiæ legibus.] Ergo nec præcepto recitãdi horas ligabuntur, vſque ad hanc ætatem, ſi antea ex diſpenſatione beneficium, aut penſionem obtinuerint. Conſequentia eſt legitima, & admiſsio antecedentis probabilis. Nihilominus improbabilem cenſet P. Sanchez ſuprà, qui propterea, & antecedens tale reputare debet. Subnectit verò, & benè quidẽ, pueros excuſari a recitandis horis, [ſi ignorant latinè legere, modo dent operam, vt id diſcant.] Cui ſubſcripſere doctiſsimi Recentiores.

15 Rogabis 2. an cæci, vel oculis caligantes, ita vt legere nequeant, teneantur ad horas Canonicas, ſi memoria retineant? P. Thomas Sanchez *lib.*1. *ſum. cap.* 19. *num.*8. cum diſtinctione loquitur. Ait enim, teneri ad Pſalmos, quando officium recitatur de feria, eo quod tres lectiones, & reſpõſoria modica reputetur materia, quæ moralem integritatem matutinæ non ſufficit tollere. Verum Ioannes Sanchez *in Selectis*, *diſp.* 15. *n.* 2. eum omnino excuſat: nam licèt reſpectu Pſalmorum ſit minor pars, eſt tamen maximè principalis, & ſubſtantialis, ita, vt abſque lectionibus, non adſit Officium Canonicum. Alij verò, licèt integrum officium memoria cæcus retineat, ab obligatione recitandi exemptum cenſent. Quibus favet M. Sotus, *lib.*10. *de iuſt. q.*5. *art.* 3. *verſ. Addiſcere.* dicens ſe non eſſe certum de obligatione. Verba eius ſunt. [Excuſantur cæci, aut ita oculis caligantes, vt legere nequeant: tametſi, cum aliquas horas memoriter proferre poſſunt, fortaſſe teneretur, quamvis neque omnino ſim certus, an eſſent rigore cogendi, quando quidem tenacitas illa memoriæ accidentaria ſit, licèt tutius eſſet, quod ſe obligatos cenſerent.] Hæc Sotus: quibus hanc opinionem probabilem eſſe innuit; & talem videntur cenſere Thomas Sanchez *in conſil. tom.*2. *lib.*7. *cap.* 2. *dub.*49. *num.* 5. Diana *p.* 4. *tract.* 4. *reſol.*11. Pellizarius *tom.* 1. *tract.* 5. *cap.*8. *ſect.*2. *num.*111. & Leander a Sacram. *tom.*6. *tract.*8. *q.*11. Quia contrariam, quam ſequuntur, probabiliorem vocant. Quam ego abſolutè tenendam cenſeo, quia cæcus memoria retinens Officium diuinum, poteſt commodè implere preceptum recitandi: ergo tenetur. Sicut teneretur, inquit Sanchez, & benè, ſi non habenti breuiarium offerretur miraculosè; licèt hæc oblatio accidentalis eſſet.

16 Non tamen teneretur cæcus horas memoriæ mandare, vt illas memoriter dicere poſſet, vt contra Nauarrum *de oratione, c.* 19. *n.*82. docet communiter Doctores: quos ſequuntur Thomas Sanchez *lib.* 7. *conſilior. dub.*46. *concluſ.*2. Pellizarius, & Leander vbi ſuprà, & ante illos M. Sotus loco citato per hæc verba. [Addiſcere verò officium, vt memoriter dici poſsit, nemo lege cogitur, quia res eſt non omnibus benè poſsibilis; ſatis enim eſt, legere ſciat: quare, ſiquis eſſet, aut inter in fideles, aut in Provincia, vbi breuiariũ neutiquã reperiretur, legitimã obtegeretur excuſatione.] Addit Caramuel *in commentario regulæ Sancti Benedicti, num.*1443. *& lib.*2. *Theologiæ fundamentalis citato, q.*3. *num.*2454 *fol.*750. Sacerdotem cæcum, qui ſolus non poteſt perſolvere horas Canonicas, licèt poſsit cum ſocio, quem ad manus habet, non teneri illum adhibere, quia id eſt cõtra naturã priuilegij, quòd fauor certus nõ eſſet, ſi induceret obligationem, & ſi tantum probabilem; ſic ille, cum Ioanne Sanchez *in Selectis, diſp.*41. *num.*2. Quorum ſententiam probabilem putat Diana, & quidem meritò *p.*7. *tract.*11. *reſol.*3. *& p.*10. *tract.*16. & Doctor Garſi *cent.* 2. *cap.* 5. *num.* 5. & Leander *tom.*1. *tract.*5. *diſp.*9. *q.*71. *& tom.*6. *tract.*8. *diſp.*5. *q.*8.

17 Rogabis 3. an Beneficiarij, aut penſonarij non recitantes teneantur ad reſtitutionem fructuum, ante ſententiam declaratoriam Iudicis? Negauerunt M. Petrus de Soto *lib. de inſtit. Sacerdot. tract. de vita Sacerdotis, lect.*4. *verſic. Nec illud.* M. Bartholomæus de Medina *lib.*1. *inſt. cap.*14. §.11. Item M. Ludovicus Lopez, & Corradus apud Garciam *de Benefic.*3. *p. cap.*1. *num.*32. verum hæc opinio, cuiuſcunque fuerit, damnata iam eſt, vt ſcandaloſa, in Generali Inquiſitione Romana, ab Alexandro VII. anno 1665. Nec audiendus eſt M. Donatus 1. *p. tract.* 2. *de legibus, q.*19. vbi ait, quod [lex pronuntiata in Concilio Lateranenſi, *ſeſſ.* 9. *decreto* 9. quod Clerici non perſolventes Officium Diuinũ, *teneantur pro rata fructus perceptos reſtituere*, hodie non viget; quia in Eccleſia nondum fuit accepta, ſed per contrariam conſuetudinem abolita: ſic Sotus *lib.*10. *de iuſt. quæſt.* 5. *art.*6.] ſic ille. Quod tamen apud Sotum, loco citato, hac latitudine traditum non inuenio: & inſuper falſum eſt omnino; quod ſatis comprobatur decreto Alexandri VII. citato. Et, vt benè ait P. Thomas Sanchez *in conſilijs tom.*1. *lib.*2. *cap.*2. *dub.*88. licèt ante Conſtitutionem Pij V. non eſſet adeò certum, Concilij decretum Lateranẽſis eſſe vſu receptum, iam tamen poſt illam nequit ſub du-

dubio cadere. Idemque prædixerat P. Suarez *de Relig. lib. 4. de horis Canonicis, cap. 30. à n. 2.* Imò Sotus non negat eſſe vſu receptum, (loco a M. Donato citato) ſed piè interpretatur, dicens, non teneri reſtituere, *qui vna, vel duabus diebus non recitat.* Vt omittam ipſum M. Donatum non ſibi conſtare. Quia *quæſt. 19.* vt notaui, dicit, decretum Concilij Lateranenſis, obligans reſtituere fructus pro rata Clericum non recitantem, hodie non vigere; & tamen paulò infrà *quæſt. 33.* ait, ex Concilio Lateranenſi teneri hodie in conſcientia reſtituere, abſque alia ſententia Iudicis. Quod, etſi verum, inconſequenter dictum.

18 An verò hæc obligatio ſit naturalis? an ex iure poſitiuo Concilij Lateranenſis, & Conſtitutionis Pij V. de nouo inducta? non conueniunt Doctores. Ex iure poſitiuo prouenire, atque adeò, eo ſecluſo, non eſſe obligationem reſtituendi, docent ſuprà viginti Doctores, apud Dianam *p. 11. tract. 1. reſ. 7.* quos ſequitur Garcia *de Beneficijs, 3. p. cap. 1. num. 7.* ſed contraria ſententia eſt verior, quam tenet M. Soto *lib. 1. de iuſt. q. 6. art. 6.* P. Sa, *verb. Pœna, num. 2.* & plures alij; quia cum eiuſmodi beneficia conſtituta fuerint, officiorum cauſa, ex eleemoſynis piorum; neceſſe eſt, quod negligentes recitare officiũ nullum ius habeant ad beneficiorũ fructus, quos proinde nequibunt, vti rem furto ſublatam, retinere.

19 Obſeruandum hic eſt, nonnullos tradidiſſe, habentem Capellaniam collatiuam, aut quodvis aliud beneficium Eccleſiaſticũ, ſi ſtudio litterarum vacet, ſatisfacere ſuæ obligationi, ſi per alium recitet; quorum ſententiam videtur probabilem putaſſe Sylveſter, *verb. Horæ, q. 2. ad 3.* quia contrariam, quam ſequitur, vocat tutiorem. Et pro beneficiarijs, qui non ſunt in ſacris amplectitur Crouſerſ. *in regulam S. Franciſci, cap. 3. lect. 7.* dicens; *eſſe communiorem, & probabiliorem*; ſed apertè fallitur, & abſolutè hæc ſententia damnata eſt, vt ſcandaloſa, in Romana Generali Inquiſitione, ab Alexandro VII. anno 1665. Penſum enim horatium eſt perſonale, iuxta cõſuetudinem, & vſum vniuerſalis Eccleſiæ: ac proinde nequit per alium adimpleri.

QVÆSTIO VII.

An liceat inducere aliquem vt iuret, quod putat eſſe verum, licèt inducens ſciat eſſe falſum?

1 CAſus frequens eſt, ideòque ad trutinam vocandus, ne ex conſcientia erronea peccatum contingat. Prima & cõmunis Doctorum ſententia illicitum putat. 1. quia verè adducitur Deus in teſtem falſi, idque intendit, qui ad iurandam rem aliter ſe habentem inducit, licèt qui eſt iuraturus, id prorſus ignoret. 2. quia ignorantia falſitatis ſolum poteſt excuſare ea laborantem: ſicut ignorantia invincibilis malitiæ ſimplicis fornicationis, vt docēt communiter Doctores, ſolum excuſat à peccato contra ſextum præceptum, illam habentem, non verò eum, qui non ignorans induceret ad fornicationem amentem, ſeu alterum cum amente: ſufficit enim actum eſſe materialiter malum, vt malitia formalis imputetur ei, qui ad illũ non ignorans inducit, vt ex Sanchez, & alijs tradit Caſtro Palao *tom. 1. tract. 3. punct. 24. §. 2. num. 10.* conſtat enim rationis lumine, non licere inducere ebrium ad reales iniurias inferendas, nec infantem ad conculcandas imagines; quia licèt ebrius, & infans, ex defectu libertatis, a malitia formali excuſentur, rem tamen materialiter malã efficiunt, quæ proinde, reſpectu liberè inducentis, formaliter mala eſt; cum ipſe plena libertate intendat ab alijs fieri. Propter ea hanc ſententiam tenent grauiores huius noſtri ſæculi Theologi, Suarez, Vazquez, Thomàs Sanchez, Card. de Lugo, Baſilius Pontius, Ioannes Martinez de Prado, quos refert Leander a Murcia *in qq. Moral. lib. 2. diſp. 5. reſol. 2. num. 2. & 7.*

2 Cæterum contraria eſt probabilis; quã tuenter P. Hurtado de Mendoza *2. 2. diſput. 173. sect. 6. §. 199.* P. Quintana-Dueñas *tomo 2. ſingul. tract. 3. ſing. 17. concl. vltim. numer. 7.* Et probabilem putant Diana, *p. 5. tr. 7. reſol. 14* Tamburinus *lib. 3. Decalogi, cap. 2. §. 6. num. 7.* Tancredus *de Relig. diſp. 5. de periurio, num. 11.* & Dicaſtillo *de iuramento, diſp. 2. num. 389.* Leander vbi ſuprà, & Doctor Garſi eos citans *cent. 3. cap. 20.* & ego putò in praxi ſecuram: ratio eſt, quia in tali inductione, nullum damnum ſpirituale proximo ſequitur, cum ipſe nullam cõtrahat culpam, iurans quod cenſet eſſe verum; deinde res poteſt ita ſe habere, vt nullum inde damnum temporale, neque ipſi iuranti, neque alteri immineat; nec vlla Dei irreuerentia interueniat. Ergo quoties omnibus penſatis, res ſic ſe habuerit, nullum in inductione peccatum erit.

3 Iam verò, quod nulla Dei irreuerentia interueniat, probatur: quia Deus non adducitur in teſtem falſi, nec id intendit inducẽs, nam qui ſub iuramento affirmat, cenſens, abſque vlla prudenti ratione dubitandi, id verum eſſe, non adducit Deum in teſtem falſi, licèt re ipſa decipiatur: quia iuramentum directè cadit ſuprà exiſtentiam iudicij carentis formidine oppoſiti, quod, licèt falſum

re

Digitized by Google

te ipſa ſit, eo quod non conformatur cum obiecto; non tamen homo iurat falſo, quia iuramentum eſt conforme iudicio, & ſicut non mentitur, qui affirmat, quod iudicat; eo quod verba ſunt menti conformia, licèt non conformentur obiecto, ita ſimiliter, qui ſub iuramento affirmat, quod certum putat, non iurat falsò, nec hoc iuramentum eſt materialiter malum, quia materialiter eſſe malum non ſortitur iuramẽtum ab obiecto aliter ſe habente; ſed a iurando contra mẽtem: etſi aliunde malitia formalis deficere poſsit, ex defectu libertatis, vel ex ignorantia. Qui enim verba menti conformat, nil malum adhuc materialiter efficit, quantumvis obiecto non conformentur. Ergo qui petit ab alio, vt ſub iuramento affirmet, quod verum eſſe cẽſet, non petit materiam hic & nunc malam, ſed actum Religionis, quia iurare, quod quis inculpabiliter putat eſſe verum, in honorem Dei cedit. Nec obſtat, quod ego ſciam eſſe falſum; quia non intendo, quod alter iuret quod ſcit, vel dubitat eſſe falſum, ſed quod cenſet eſſe verum, in quo nulla Deo fit iniuria.

4 Hinc ad primum argumentum contrariæ, & communis ſententiæ, reſpondeo, Deũ non adduci in teſtem falſi, quia Deus adducitur in teſtem conformitatis iuramenti cum mente iurantis, idque inducens directè intẽdit, & in hoc ſenſu alteri ſuadet, vt iuret; res autem non aliter ſub iuramento cadit, niſi vt eſt in mente iurantis; veriſsimum autem eſt in mente iurantis eſſe, vt ab illo affirmatur, ac proinde licèt realiter, ſeu a parte rei, ſecus ſe habeat, ad rem non facit. Qua propter, cũ ex hoc capite nulla ſit falſitas in iuramento, ideò nec materialiter malum eſt, & conſequenter nulla actio materialiter mala ſuadetur, ſed actus virtutis Religionis: Nec in tali euentu quidquam eſt, quod cedat in Dei irreuerentiam, ſed potius quod in diuinum cedat honorem; ſicut cedunt alia iuramenta, quæ non ſolum cum re, vt eſt in mente, ſed cum re, prout eſt a parte rei, conformantur: ex defectu autem conformitatis cum re iurata, vt eſt a parte rei, non deſinit eſſe practicè, & moraliter verum, vt ſupra explicui: ex quo habet non eſſe intrinſecè malum.

5 Ad ſecundum argumentum concedo, neminem poſſe inducere ad fornicationem amentem, vel eius malitiam inuincibiliter ignorantem. Quia actus iſte materialiter malus eſt, nec habet vnde a malitia materiali exui poſsit, vt contingit in iuramento: actio enim illa intrinſecè mala, quæ ex ſolo defectu libertatis, vel ratione ignorantiæ inuincibilis a culpa excuſatur, malum quid materiale eſt, quod proinde conſulentem, vel inducentem abſque ignorantia, & cum plena libertate, vtpotè in obiectum malũ liberè tendentem, à peccato excuſare non poteſt; vt docent communiter Doctores. Quibus in hac parte conſentio, idque euincunt exempla petita ab ebrio inferente reales iniurias, & ab infante conculcante imagines. Secus verò res noſtra ſe habet, vt probaui.

6 Vt omittam per ſe notum eſſe, influẽtem in damnum, & nocumentum tertiæ perſonæ, licèt medio aliquo libertatis experte, grauiter delinquere, v. g. qui canem exardeſcere in proximum faceret, aut qui ferocem taurum ingredienti domum obijceret: damnum enim & nocumentum homini ad culpam æquè imputaretur, ac ſi ipſe proprijs manibus proximum dilaceraſſet. Ergo ſimiliter damnum ex fornicatione proli imminens, & quod ex realibus ab ebrio iniurijs proximo ſequitur: æquè conſulenti, ſeu inducenti tribuetur, ac ſi immediatè per ſe ipſum illud cauſaret.

7 Conſulto dixi *reales iniurias*, vt ſi eum percuteret, vel in bonis temporalibus læderet: ſi enim verbales ſolum eſſent, ne materialem quidem malitiam continerent; quia in hominum æſtimatione, non cenſentur iniurioſa dicta, & contumeliæ, ex quibus non ſequitur alijs aliud detrimentum, vt ait P. Vazquez *tom. 1. in 1. 2. diſp. 227. cap. 3. num. 11.* Idemque cenſet de iuramento ab ebrio facto: *nam qui non videt*, (inquit) *vel dubitat eſſe falſum, quod iurat, periurus non eſt*; nempè nec materialiter, quia de formali periurio for mali malitia infecto quæſtio eſſe nõ poterat. Cui conſentiunt P. Salas *1. 2. tract. 13. diſp. 5. ſect. 14. n. 114.* Sayrus *in claui Reg'a, lib. 2. cap. 9. n. 42* & Tannerus *1. 2. diſp. 4. q. 3. dub. 3 n. 65.* Quibus non leue ſubſidium noſtra ſententia importat.

8 Alia reſtat difficultas, ſed longè minor: nempè, an tibi liceat perſuadere alicui, vt iuret obiectum quidem verum, ſed quod ille ignorat; dum prius ratione, vel inſtrumento de veritate ita inſtruas, vt nequeat probabiliter de illa dubitare? in qua, partem affirmatiuã tuetur Hurtado *ſup. num.* 200. quam ſequitur Diana *p. 5. tract. reſol.* 10. & valdè menre tenendam monet. Quia non rarò caſus occurrunt, In quibus teſtes prorſus ignorant, ſit nec ne verum, quod ab ipſis ſub iuramento eſt interrogandum. Qui, ſi rem ita eſſe *probabili fundamento* (inquit Hurtado) *ſibi ſuadeãt*, poterunt formare dictamen practicum de honeſtate iuramenti, ad quod proinde ſic perſuaſi induci poterunt abſque vlla culpa; & ſic putat, teſtes deponere poſſe ſub iuramento Scolaſticum interfuiſſe lectionibus, licèt illum non viderint interfuiſſe; & ſimiliter probabili fundamento credentem, Petrum eſſe nobilem, poſſe iuramento interrogatum id teſti-

teſtificari;quod tamen videtur limitare;ſi fundamenta ſua ſiua relinquant probabilem partem contrariam. Sic enim ſe explicat, paulò infrà dicens: *Poſſumus iurare Antonium eſſe nobilem, quia ad id aſſerendum ſatis eſt prudens perſuaſio,ſine vlla ratione probabiliter dubitandi.* Quando autem pars contraria probabilis apparet, verè occurrit ratio probabiliter dubitandi. Non ergo poterit alia ſub iuramento deponi,quia ad hoc requiritur moralis certitudo de veritate rei,& ita docet Pater Thomas Sanchez *in ſum.tom.1.libr.3.cap.4.n.13.* ibi: [ad veritatem iuramenti, ſatis eſt iurantem audiuiſſe rem illa a perſonâ ita fide dignâ, vt ſit moraliter certus, ita rem ſe habere.] Quod etiam limitat ſubnectens. [At in iudicialibus id nõ ſatis erit,ad rem tanquã certam iurandam,niſi adiungatur cauſa illius notitiæ.] Idem ſentit Portel *in add. ad dub.regul. verb.Iuramentum,n.6.* quem ſequitur Diana *3.p.tr.5.r.ſ.66.*

9 Nihilominus idem ſufficere ad deponẽdum in iudicio,quod extra illud,affirmat Ludouicus Mexia *in l.g.Regiam Toleti 23.part.2. fundamento 2.n.32 & ſeq.* vbi ſic ſcribit.[Petrus ab Ancharrano *conſ.* 24. conſuluit,teſtes de falſo non puniendos .qui depoſuerunt ſe id ſcire,quod a viro optimæ famæ, & opinionis audiuerant:quod dictum,vt ſingulare,& valdè cordi tenendum,citat., & ſequitur Iaſſon *in l. col.vlt.ff.de co per qu: facti.erit.& in l.de pupillo,§. ſiquis ipſi prætori, col.* 8. verſ. *Secundo in quantũ,ff.de nou.oper.nuntia.* Cui accedit quod Dominicus ſcribit,quod quis certò dicitur pro certò ſcire,quando eſt certificatus ab vno notabili viro,& fide digno; ad quod etiam citat, *c.ſicut pro certo,de ſimonia,*& ſequitur Iaſſon *in d.l.1.& in dicto §. ſiquis ipſi prætori, & in l. properandũ,§.ſin autè alterutra,col.4.in 6.cõcl. 5.de iudicijs.*& Franc. Curtius Senior,*conſ.72.* & idem voluit Romanus, loquens tamen pluraliter de fide dignis,*conſ.403.col.pen.verſ.Secundo,quia ad hoc,*]ita Mexia. Quæ ſunt valdè notanda pro informationibus de nobilitate, vel de puritate ſanguinis, ad quas hæc doctrina valde vtilis eſt. Quia iſti Doctores authoritate hominis fide digni contenti ſunt ad deponendum ſub iuramento de rei veritate; & non limitant,quando pro parte contraria adſunt etiam fundamenta probabilia. Quibus nimis fauet Sylveſter *verb.Opinio,* vbi ſic.[Nec obſtat certum tenendum, quia tenet iſte certum ſibi moraliter, cum in moralibus ſufficiat certitudo ex probabilibus, ſecundum Philoſop. 1. *Æthicorum*,] & infrà. [Quia certitudo moralis non contingit ex evidentia demonſtrationis,ſed ex coniecturis probabilibus,gloſsis,& figurabilibus.] Et fauere videtur Thomas Sanchez *in ſum. lib.5.cap. 3.* vbi ait [Deus ſolum obligat ad operandum cum morali certitudine,qualis in opinione probabili reperitur.] Ergo ad iurandum ſufficiet ex coniecturis probabilibus aſſentiri, ita rem ſe habere: nam qui ſic cenſet, moralem habet certitudinem de veritate; quam ſufficere ad iurandum extra iudicium, dixit Sanchez ſupra.

10 Cæterum aſſenſum probabilem diſtinctum eſſe a moraliter certo, omnes Doctores meritò docent, aut ſupponunt; aſſenſus enim moraliter certus excludit formidinem, ſecus probabilis: nec loca Sylueſtri, & Thomæ Sanchez aliud ſuadent: Quia Sylueſter accipit certum, prout opponitur dubio, quod conſiſtit in ſuſpenſione iudicij, nulli parti aſſenſum præſtando, vt conſtat ex verbis immediatè præcedentibus, quibus ait. [Non eſt in dubio, qui probabilibus rationibus ſtiicitur.] Et quamvis tam ipſe, quàm Sanchez dicant operantem cum opinione probabili eſſe ſibi moraliter certum, non ideò id proferũt, quia ipſa probabilis opinio certum moraliter reddat, ſed quia deſeruit ad iudicium certum vltimum practicum de honeſtate electionis obiecti, vt fusè explicui tr. de opinione probabili. Opinio autem probabilis de veritate rei, ex authoritate fide digni teſtantis procedens, nec reddit nos certos moraliter de rei veritate, nec inde poſſumus aſcendere ad iudicium practicum certum, quo aſſentiamur licitum nobis eſſe ſub iuramento illam deponere; quia niſi rem certam eſſe ſentiamus, nequimus iuramento illam confirmare. Quia iuramento affirmamus, nos pro certò id, quod teſtamur, habere. Vnde fit quod nec extra iudicium ex authoritate fidei digni poſsimus iurare, niſi in caſu quod nulla occurrat ratio prudenter dubitandi pro parte contraria, ideò quoties res ita ſe habeat, vt prudenter poſsimus ſuſpendere aſſenſum vtriuſque partis, vel cui maluerimus aſſenſum præſtare, non licebit vnam determinare ſub iuramento affirmare, quia iurans non ſolum affirmat, ita ſe iudicare, ſed ita eſſe, ſeu ſcire, ſeu pro certo moraliter habere. Qua propter meritò dixit Sanchez, teſtem ex auditu, vt poſsit iurare, debere perſonam, a qua excepit, tantæ eſſe authoritatis, vt reddat eum ita moraliter certum, vt nequeat prudenter dubitare. Si autem in aliquo caſu id contingat, cenſeo non ſolum extra iudicium, ſed in iudicio, etiam ſub iuramento interrogatum licitè poſſe in rei fauorem deponere, v.g. Petrum eſſe nobilem, ſeu a delicto, de quo inquiritur, immunem.

11 Adde iuxta leges charitatis, & iuſtitiæ, neminem contra eos, qui in poſſeſsione ſunt nobilitatis, aut puritatis ſanguinis, poſſe ex aliqua occulta notitia deponere, nec iuramentum præſtitum de veritate dicenda ad occulta

manifeſtanda obligare, quia eſſet de re illicita: teſtes enim iure naturæ prohibentur defectum occultum manifeſtare: in his enim cũ procedatur via inquiſitionis, non aliter Theologicandum eſt, quàm in delictis, in quibus, quando non præcedit infamia, nõ tenetur teſtis contra proximum teſtimonium ferre, vt docent M. Sotus *lib. 5. de iuſt. q. 6. art. 1. in fine*, M. Serra *2. 2 quæſt. 67. art. 3. dub. 2. concluſ. 2. & quæſt. 70. art. 1. dub. 1. §. Dicendum*. Et quod magis, eſt ſententia expreſſa D. Thomæ *2. 2. quæſt. 70. art. 1.* vbi ſic. [Si exigatur ab eo teſtimonium in occultis, de quibus infamia non præceſſit, non tenetur ad teſtificandum.] Quod tradiderat *q. 33. art. 7. ad 5.* & ſequitur Caietanus *2. 2. quæſt. 69. art. 1.* Et loquendo de delictis, eſt cõmunis Doctorum, quorum ſententia, cum iuri naturæ innitatur, æquè militat pro fama, & honore, ac pro innocentia cõſeruanda, ac proinde æquè in defectibus nobilitatis, & puritatis ſanguinis occultis, quando proximus eſt in poſſeſsione, diſcurrere debemus.

12 Iam ſi inquiras, quando cenſendus ſit, quis infamatus; nempè, quod vir nobilis non ſit, vel quod puritate ſanguinis careat? Reſpondeo, ad hoc requiri opinionem maioris partis viciniæ, ſeu collegij, ſeu vniuerſitatis, in qua commoratur; & non ſufficere quamcumque opinionem; ſi enim [apud probos, & graues fama integra maneat, etiam ſi apud plures leues perſonas fama non integra maneat, ſed læſa, non dicitur infamia.] Sic Thomas Sanchez *lib. 6. ſumm. cap. 3. dub. 4.* cum Turrecremata, Soto, D. Antonino, Armilla, Sylveſtro, & alijs. Quibus conſentit Caietanus *2. 2. quæſt. 69. art. 1* vbi ſic. [Adverte diligentiſsimè, quod quando per viam inquiſitionis proceditur, oportet præcedere infamiam; & vocatur infamia, non frequens vox diſcolorum; ſed frequens vox talis, vt apud probos, & prouidos viros reddatur perſona de crimine rationabiliter ſuſpecta.] Sic ille, & alij; ergo vt infamia de nobilitatis, aut puritatis ſanguinis defectu, dicatur adeſſe, quando de his inquiritur, opus eſt, quod vox ſuperdicta præcedat; qua deficiente nullus teſtis obligatur prædictos defectus reuelare, nec iudex ad eos detegendos ligare poteſt, nec iuramentum ad aliud ſe extendit, quam ad defectus, ſi publici fuerint, detegendos.

13 Sed rogabis, quid reſpondebit teſtis ſub iuramento rogatus, quando de prædictis defectibus proximus non eſt infamatus, modo ſuprà explicato? Reſpondeo, poſſe dicere illum eſſe nobilem, aut ſanguine purum, nec in his defectum pati; ſic enim ad mentem iudicis, in quantum ipſi inquirere licet, teſtis reſpondet. Quod ſi vlterius iudex progrediatur ſupra ſuam poteſtatem inquirens, reſpondere illi poterit, ſe nil ſcire; ſic interius intelligendo, quod reuelare teneatur. Idemque dicendum, quoties de alijs iudex interrogat, de quibus nullum eſt illi ius interrogandi, vt ſi vltra ea, quæ iure ciuili, aut Canonico interrogare conceditur, aut extra illa, quæ in Conſtitutionibus a Sede Apoſtolica approbatis continentur, vt non rarò fieri ſolet. Qua propter maximopere oporteret, teſtes a peritis, & fide dignis inſtructos iam eſſe, quando ad deponendum coram iudice, ſeu informationes capienti ſint vocandi.

14 Si verò in aliquibus ſtatutis a Sede Apoſtolica confirmatis, facultas expreſſa conceditur inquirendi de occultis defectibus, idque ipſis candidatis notum ſit, & teſtibus notificetur, non eſt dubium in tali caſu teſtes, ſub iuramento deponentes, teneri defectus, quantumvis occultos, ipſis tamen notos, reuelare, quia iudex iuridicè interrogat, & ideò ad eius mentem reſpondere tenentur. Nec obſtat non præcedere infamiam; & per depoſitionem a poſſeſsione famæ proximum deturbandi; quia vt benè ait Ioannes Martinez de Prado *tom. 2. Theol. Moral. cap. 25. q. 2. §. 5.* [cum quiſque ſit ſuæ famæ Dominus, poteſt eius diſpendium ex cauſa facere.] Quod tenet M. Sotus *lib. 5. de iuſtit. quæſt. 10. art. 2. concluſ. 2.* Ioannes de la Cruz *1. p. direct. 7. præcep. de reſtit. dub. 7. concluſ. 2.* & cum Nauarro, Salon, & alijs M. Corradus *1. p. Reſponſ. q. 95.* Cum ergo candidati honorem ambientes conſcij præfati ſtatuti, & conſtitutionis Pontificiæ ad occultos defectus inquirendos, iuri naturali ad famam renuntiauerint. [Quam renuntiationem iuris diuini, & naturalis, fieri poſſe licitè, ac validè etiã in cauſis grauiſsimis, & capitalibus] docet cum Saliceto, & alij M. Araujo *in deciſ. Mor. tr. 3. q. 32. n. 52.* Ideo, etiamſi infamati non ſint, poterunt occulti eorum defectus reuelare, & quidem in huius celsionis poſsibilitate præuiè facta fundatur obligatio, quã ſtatutum Pontificium inducit, cui voluntariè ſe ſubijciunt, qui tenoris conſcij prætendunt.

15 Dices, quando agitur de Nobilitate, aut puritate ſanguinis, nullum poſſe iuri naturali famæ renuntiare, quia ipſe non tantum ſuã, ſed ſuorum etiam, cuius ipſe non eſt Dominus, periculo exponit. Et ita videtur ſentire D. Thomas *2. 2. quæſt. 64. art. 5. ad 3. & quæſt. 77. art. 4. ad 1.* vbi ait: [ſui arbitrij eſt detrimentum ſuæ famæ pati, niſi hoc vergat in periculum aliorum.] Et ſolum poſſe renuntiare famæ, [quando hæc amiſsio non redundat in damnum aliorum, vel filiorum, vel ſubditorum;] docent communiter Doctores, quos citatos ſequitur Thomas Hurtado *tom. 1. tract. 4. cap. 8. n. 551.* Apud quem D. Thomas iterum *Quodlib. 10. art. 12.* Sylveſter *verb. Fama, numer. 5.* Cardinalis de Lugo, Molina,

Ioan-

Ioannes Sanchez, Sotus, Azor, Arauʃo. [Et ſic, inquit, in Religione Societatis Ieſu approbatum eſt ſtatutum a Gregorio XIV. in Bulla *Aſcendente Domino*; quod quis renunciet iuri naturali, quod habet ad conſeruandam famam, præter miſſa in peccatum occultum correctione fraterna.] Ergo ſi filij, vel alij ſanguine coniuncti, iure naturali, quod habent; ad conſeruanda poſſeſsionem famæ non renuntiauerint, nequibunt teſtes contra nobilitatem, aut ſanguinis puritatem, occultos defectus pandere; ad hos enim non reuelandos, iure naturali iuſtitiæ, aut charitatis, vt minimum, tenerentur. Nec vnius renuntiatio alijs præiudicare poteſt. Nec Pontifex conſtitutiones approbando cenſendus eſt quidquam contra ius naturale conceſsiſſe; ſed ius inquirendi occultos defectus Nobilitatis, aut ſanguinis, quando renuntiatio iuris naturalis, prout oportet, præceſſerit. Nec enim ſolius candidati ſufficit, vt conſtat ex dictis, ideoque propinquis ſaltem conſanguineis nō conſultis, nil tentare poteſt, ni aliunde Nobilitas, aut ſanguinis puritas adeò notoriæ ſint, vt nulli periculo ſuorum famam exponere cenſeatur.

DISPVTATIO SECVNDA, de præcepto audiendi Sacrum.

QVÆSTIO I.

An, qui venit ad Eccleſiam intentione libidinoſa videndi fœminam, aliter Miſſam non auditurus, ſatisfaciat præcepto audiendi Sacrum, ſi attentione debita aſsiſtat?

1 CErtiſsimum eſt in prædicto caſu, duplex intervenire peccatum; aliud intentionis libidinoſæ; aliud voluntatis conditionatæ non audiendi ſacrum, ſi fœmina, quam depetit, Eccleſiam non adiret, (qui quidem actus frequenter adeſt) quo poſito. Prima ſententia, quam aliqui ex antiquis tenuerint, aſſerit in hoc caſu, aſsiſtentem ſacro, etiam ſi debita attentione, non adimplere præceptum Eccleſiæ. Secunda autem vera, & communis contrarium tenet. Ita Maſcareñas *tom. 1. de Sacram. tract. 5. de Sacrif. Miſſæ, diſp. 6. cap. 9. num. 518. fol. 487.* Probat hic author. [Quia quamvis tūc peccet contra præceptum, illa intentio libidinoſa non deſtruit intentionem virtualem implendi præceptum audiendi Miſſam: poteſt enim quis malo fine Eccleſiam adire, & in ea, benè Miſſam audire. Et propter eandem rationem ſerui, & filij, qui Miſſam audiunt coactiua domino, ſeu parentibus, alias non audituri, quamvis ratione voluntatis conditionatæ, quam habuerunt, peccauerint, tamen præceptum adimplent, ſi attentione requiſita aſsiſtant, vt tenent P. Suarez, & Fagundez.] Sic Maſcareñas, quem miror a Theologo quodam ideò vitiligatum: habet enim hæc opinio patronos magni nominis; quos ad pœnam liceri referre cogor.

2 Idem igitur ante illum tenuit M. Sotus *in 4. diſt. 13. q. 2. art. 1. in fine.* [Si quis, inquit, ſiniſtro animo audiendi ſacrum, Eccleſiam adeat, quamvis illud propoſitū peccatum per ſe ſit, nihilominus, ſi Miſſam audiat, præceptum implet, quantum ad ſubſtantiam præcepti, cauet enim peccatum omiſsionis audiendi Miſſam.] Et iterum *diſt. 18. q. 3. art. 3. §. ex his autem*, ibi: [Si quis vadit ad audiendum ſacrum die feſto, intentione furandi, præceptum implet, quamquam intentio eius grauius peccati ſit, quàm fuiſſet omiſsio præcepti.] Sic M. Sotus, qui id iterum; atque iterum tradit, *lib. 2. de iuſt. q. 2 art. 9. concl. 2. & lib. 10. de iuſt. q. 5. art. 5. §. quo autem ad rem*, dicens eum, qui die feſto ad audiendum ſacrum intrat cum animo mortaliter corrupto, ſi ſacrum audiat, præceptum implere: [quia præceptum, inquit, audiendi Miſſam nō obligat, niſi taliter audire, vt ſit actus humanus, qualis eſſe poteſt, licèt aliud ſimul adſit ſiniſtrum propoſitum.] Ergo licet alias decreuiſſet non adire Eccleſiam, nec ſacrum audire fœmina Eccleſiam non adeunte, ſi tamen poſteà rè ipſa aſsiſtat ſacro, præceptum adimplebit, tametſi praua intentione præhabita contra illud peccauerit.

3 Sotum ſequitur M. Petrus de Ledeſma *in ſumm. p. 1. cap. 27. concl. 10. §. vlt. fol. mihi 445.* vbi ſic: [Vltimamente, ſe hà de advertir, que ſi vno tiene voluntad de oir Miſſa, aunque ſe le mezcle alguna mala voluntad, y prava intencion, puede cumplir con el precepto, ſino es que le impida la atencion. Pongo exemplo: Và vno a la Igleſia con intencion de vèr, y deſear vna muger, y mientras oye Miſſa dura en eſta intencion, pero quiere oir Miſſa, y cumplir con el precepto: ſi tiene ſuficiente atencion cumple muy bien con el, aunque tenga aquella mala intencion. Eſto enſeña Medina, y Navarro contra otros Doctores. Prueba ſe lo primero, porque eſſe haze la ſubſtancia de la obra, que ſe manda, que es oir Miſſa, luego cumple con el precepto. Lo ſegundo, porq̃ aquella intencion prava, no es contraria al precepto, como es claro. Lo tercero, porque ſi vno oyeſſe Miſſa con mezcla de vanagloria, cumpliria con el precepto, luego lo miſmo en eſte caſo.]

Digitized by Google

4 Idem prorſus tradit M. Corradus 2. p. *Reſp. caſu* 374. *pal...i* 365. vbi ſic ait:[Qui vadit ad Eccleſiam principaliter, vt videat aliquam mulierem, cuius amore ardet, & per tota Miſſam (attende) ſemper oculus intentis ad eā, de ea cogitet, ſi quæratur, an ſatisfaciat præcepto de audienda Miſſa? Reſpondetur, quod, ſicut dum ſoluuntur officium diuinū in peccato mortali, & ieiunatur diebus præceptis, ſatisfacit ipſe præcepto de ieiunio, & officio diuino; ita quamvis in peccato mortali audiat. Ita ait D. Thomas, diuerſis in locis, dummodo intendat ſatisfacere præcepto de audienda Miſſa.]

5 Eandem ſententiam ex D. Thoma tenent M. Martinus de Ledeſma, Nauarrus, Couarruuias, Azor, & multi alij, quos ſequitur Sanchez *lib. 1. ſum. cap. 14. n.* 1 vbi ſic ſcribit:[Quidam negarunt, per actus, qui peccata ſunt, ſatisfieri præceptis; vt ſi quis ob vanam gloriam, vel ob mulierem concupiſcendam, Miſſæ interſit, &c. At tanquam certum tenendum eſt, ſatisfieri, quia iuxta Diu. Thomam 1. 2. q. 100. art. 9. & 10. leges præcipiunt ſubſtantiam actus, non modum, niſi modus ſit de intrinſeca actus ratione, ſecundum ſe, aut prout ſub lege cadit; vt attentio aliqua eſt orationis eſſentia. Cum ergo, quantumcumque finis ſit malus, impleatur ſubſtantia actus præcepti, v. g. auditio ſacri, ſatisfiet illi præcepto, & ſi contra aliud peccetur, cui malus ille finis opponitur, & ita tradunt Sotus, Nauarrus, Couarr. & inter omnes latiſsimè Ledeſma 2. p. 4. q. 16. art. 6. & multi alij.] Hæc Sanchez.

6 Eiuſdem ſententiæ eſt Leander a Sacramento *tom. 3. in 5. præceptum Eccleſiæ, tract. 2. diſp. 1. quæſt.* 94. ibi [An ſatisfaciat præcepto, qui venit ad audiendā Miſſam ex fine prauo, v. g. videndi fœminam ad finem turpem? Negant D. Antoninus, Adrianus, Maior, & Caiutanus apud Sanchez *lib. 1. ſumm. cap.* 14. Sed tanquam certum reſpondeo, ſatisfacere, licèt alias contra caſtitatem peccet, quia nil obeſt, quòd aliquis opere malo poſsit adimplere præceptum, vt docet D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 100. *artic.* 9. & cum eo omnes Theologi. Ergo ſi huiuſmodi ponat totum quod requiritur ad præceptum audiendi Miſſam, licèt aliàs peccet, verè adimplebit præceptum. Sic Nauarrus, Suarez, Lugo, Baſſæus, Ioannes de Medina, Ledeſma, Sanchez, Azor, & Mal feſius.] Sic ille, & alij, quos citatos ſequitur Dicaſtillo *de Sacrific. Miſſæ, tract. 5. diſput. 5. dub. 7. numer.* 78.

7 Ex Doctoribus autem citatis, alij ſolummodo exprimunt caſum, quo, quis ex intentione praua adit Eccleſiam ad audiendum ſacrum; alij verò vlterius addunt [alias non auditurus,] quibus peccatum aliud voluntatis conditionatæ non audiendi, ni fœmina concupita Eccleſiam intraret, adeſſe declarant. Per hunc verò actum non impediri adimpletionem præcepti, ſed eo non obſtante, auferri onus aſsiſtendi alteri ſacro, probatur: nam cum etiam, in iſto caſu, reperiatur voluntas efficax audiendi ſacrum, & vt ponimus, audiatur cum attentione requiſita; ideo præcepto ſatisfieri, & ad aliud audiendum non teneri, neceſſaria conſecutio eſt: vt Doctores communiter aſſerunt; & merito; quia cum voluntate conditionata non audiendi, ſi fœmina abeſſet, rectè compatitur voluntas abſoluta audiendi, quando fœmina adeſt. Et ita cum Medina tradit Dicaſtillo ſuprà *num.* 80. Videatur Fagundez alios referens *in 5. præcepta Eccleſ. præcept. 1. lib. 2. cap. 7. num* 16. vbi poſtquam validiſsimis fundamentis id ſolidauit, concludit:[Et verò, quod huiuſmodi homo, qui Eccleſiam adiit principaliter ad videndam fœminam, aliter non aditurus, ſatisfaciat præcepto Miſſæ, ſi in ea Miſſam audiat, docent expreſsè Nauarrus *in Man. Latino, cap. 21. num.* 7. *Non tamen.* Suarez *tom. 3. de Sacram. diſp.* 88. *ſect.* 3. Medina *Cod. de Confeſſ. quæſt. de Pœnitent. a tempore Miſſæ impleta*; contra D. Antoninum.] Sic ille.

8 Itaque licèt audiens Miſſam hunc actum voluntatis conditionatum habeat, non audirem, niſi fœmina, quam depereo, in Eccleſia adeſſet; atque adeò, (vt bene notat Molina *tom. 6. de iuſtit. tract. 5. diſput.* 58.) per huiuſmodi actum delinquat internè, contra idem præceptum; verè tamen externè per auditionem illam Miſſæ præcepto ſatisfacit, & ab onere alterius audiendæ liberatur, nullumque omiſsionis peccatum committit: ſicut præceptum adimplent filij, & famuli, (vt ſuprà dixit Pater Maſcareñas,) licèt ſimilem voluntatem conditionatam habeant, quoties metu coacti Miſſam audiunt, aliàs non audituri: Quod expreſsè tradit M. Sotus *lib. 2. de iuſt. quæſt. 3. art. 9 §. [Emergunt autem] in fine*; vbi ſic: [ille autem, qui metu implet, legi ſatisfacit, ideſt nouam euitat culpam, quoniam talis impletio actus humanus eſt, ac liber.] Quem ſequuntur alij communiter, Sanchez *libr. 1. ſumm. cap. 13. numer.* 8. Azor, *tom. 1. libr. 10. cap. 12. quæſt.* 9. Fagund. ſupra *ſuprà numer.* 19. & tamen qui metu audit, voluntatem conditionatam aliter non audiendi habuit, cum coactus audierit.

9 Et in re noſtra id magis patet, quia actus ille conditionatus non audiendi ſacrum, ni fœmina illa in Eccleſia adiſſet, eſt merè internus, & ſe cum patitur actum volunta-

tis

Digitized by Google

tis ab Eccleſia præceptum, quia hæc ſolum præcipit auditionem Sacri, & actum internum ad eam neceſſarium; & incompoſsibiles prohibet, vt tradit D.Thomas 1.2. *quæſt.* 100.*art.*9 ibi: [Illud præcipuè cadit ſub præcepto legis, pro quo pœna legis infligitur. Ad inſtituendam autem pœnam aliter ſe habet lex diuina, & aliter lex humana, nō enim pœna legis infligitur, niſi pro illis, de quibus legislator habet iudicare, quia ex iudicio lex punit. Homo autem, qui eſt legislator humanæ, non habet indiacare, niſi de exterioribus actibus: ſed Solius Dei; qui eſt legislator legis diuinæ, eſt iudicium de interioribus motibus voluntatem.]

10 Vnde planum fit, ſub præcepto legis Eccleſiaſticæ ſolum directè cadere auditionem ſacri, pro cuius omiſsione pœna legis infligi poteſt; atque adeò eo audito, præcepto ſatisfieri, ſiue hac, ſiue illa intentione, ſiue his, ſiue illis actibus conditionatis audiatur. Qua proter M Sotus vbi ſuprà *concluſ.* 2. [Solus Deus, inquit, corda ſcrutatur, & renes. Hinc ergo palam fit, quod neque de hominis intentione, neque de eius volūtate lex humana iudicium ferre poteſt, atque adeò neque obligare, vt opera tali intentione, aut voluntate fiant.] Sic Sotus, & ante illum ex D.Thoma Caietanus 1.2.*quæſt.*100.*artic.*9. [Quoniam legi humanæ, inquit, ſubſunt actus virtutum ſub ratione iuſtitiæ; & ad actus iuſtitiæ non refert, quoad exterius forum, qua quis voluntate, aut intentione faciat, dummodo debitum reddat, vt patet in actibus iuſtitiæ commutatiuæ, &c. Ideò modus iſte, ſcilicèt, voluntariè ex intentione finis illius virtutis operari, nō cadit ſub lege humana, quæ omnes actus præcepit ſub ratione debiti.] Ex quibus infert Dicaſtillo *tom.de Sacram.tract.* 5.*de Sacrif.Miſſæ,diſp.*5. *dub.*7. *num.*85. iuxta D.Thomam, & eius diſcipulos, Eccleſiam non ſolum de facto, ſed nec de poſsibili, poſſe præcipere auditionem Miſſæ fieri ex motiuo Religionis, licèt oppoſitum teneant Molina *tom.*6.*de iuſt.tract.*5.*diſp.*58. & alij cum Sanchez vbi ſuprà. Verum quidquid de hoc vltimo ſit: omnes conveniunt, de facto id non præcipere, atque adeò audito ſacro ſatisfieri præcepto, licèt praua illa intentio libidinis, & alij actus conditionati prohibiti, de quibus ſuprà, intervenerint. Quod in præſenti ſuadere contendi, miratus fuiſſe Theologum, vel mediocriter doctum, qui ob hanc opinionem. P.Maſcarenas ſugillauerit.

QVÆSTIO II.

An qui tempore Præfationis venit ad audiendum ſacrum quod vnicè celebratur, teneatur partem Miſſæ reſiduam audire?

1 NEgatiua concluſio à nonnullis traditur innixis doctrinæ M.Petri de Ledeſma *in ſum.*1.*p.cap.*27.*conc.*4.*§. La tercera manera es*; vbi ait, nō adimplere præceptum accedentem paulò ante conſecrationē, licèt reliquum illius Miſſæ audiat: [Quando vno (inquit) viene a la Igleſia, penſando que viene a buen tiēpo, y halla la Miſſa ya dicha, caſi haſta la conſagracion, y oye todo lo reſtante, teniendo miedo, q̄ no avrà otra Miſſa, en tal caſo eſte tal no cumple cō el precepto hablando en rigor.] Vnde inferri videtur, nō teneri reliquū miſſæ audire; quia ſolum quiſque obligatur adimplere præceptum audiendi ſacrum; quod illi modo impoſsibile eſt, vt ponimus, cū aliud non reſtet, & pars illa, quę ex incepto ſupereſt, non ſufficiat. Quod fundamentū in noſtro caſu idē evincere videtur.

2 Ideò Eſcobar *in Theolog. Morali, tract.* 1.*exam.*11.*cap.*4.*nu.*108. probabile putauit, eum, qui accedit tempore Præfationis, nō adſtringi præcepto audiendi reliquum; dicens contra Sanchez, & Suarez. [Probabiliter non teneri, quia per illam partem Miſſæ nō poteſt implere præceptum.] Quod ante ipſum tenuit Ioannes Sanchez *in Selectis, diſp.*15.*nu.* 5.*fol.mihi* 116. ibi: [Maximè probabile indico, accedentem ad audiendum ſacrum, tempote, quo præfatio dicitur, & non extet aliud celebrandum, minime teneri reliquis illius Miſſæ intereſſe, quamvis oppoſitum doceant Sanchez, & Suarez ſuprà.] Sic Ioannes Santius. Cuius opinionē probabilē cenſet Diana (vt cōſtat ex modo referendi) 3.*p.tr.*6.*Miſc. reſ.*69. & expreſsè probabilē vocat Machado *tom.*1.*lib.*2.*p.*4.*tr.*1 *docum.*1.*n.*8 vbi ſic ait: [No es menos dudoſo, ſi el q̄ llegò a la Igleſia a tiēpo, q̄ ya eſtaua dicha la tercera parte de la Miſſa, no aviendo otra q̄ oir, deba oir aquella, en el eſtado q̄ la hallò. Probable opinion es, q̄ no, y por tal la defiende el Doctor Iuan Sāchez; pero mas probable q̄ ſi, como la conſagraciō no ſe aya hecho.] Idē ſentit Leā der a Sacram. *tom.*3.*in* 5.*precep. Eccleſ.tr.*2. *diſp.*1.*q.*62. quia contrariā, quā ſequitur, probabiliorē vocat. Quibus ſubſcripſit illuſtriſſ. D.D. Alphonſus de la Peña, & Montenegro Epiſcopus Quitenſis in Itinerario *para Parochos de Indios, fol.*426. vbi propoſita negatiua ſententia ſic ait. [Pero otros con mucha probabilidad ſienten, q̄ no eſta obligado, &c. No me parece mala eſta opinion, por el fundamento que tiene, y la defiende el Doctor Iuan Sanchez *in Selectis, diſp.*35.*n.*5.

3 Hanc ſententiam non ſolum vt probabilem, ſed vt veram amplectitur Molteſius, dicens eſſe communem *in ſum. tr. 3. cap. 17. n. 43.* [Communis, inquit, opinio eſt, neminem teneri audire partem Miſſæ, ſed integram, quã ſi non poſſit audire ex iuſta cauſa, excuſatur a præcepto. Ratio eſt, quia præceptum eſt de audienda Miſſa, & ſic de re indiuidua, nõ autem de audienda parte Miſſæ.] Sic ille. Sed falsò dicit eſſe communem, vt omnibus in Theologia morali mediocriter verſatis notiſsimum eſt.

4 Et falsò etiam Remigius *in ſum. tract. 2. del tercer mandamiento, cap. 3. § 1. n. 4. fol. mihi 52.* adducit pro illa P. Thomã Sanchez, dicens: [Aunque eſtè dicha la tercera parte de la Miſſa, como no ſe aya hecho la conſagracion, y no aviendo otra que oir, ay obligacion de oir aquella: ſi bien Sanchez, y otros niegan eſta obligacion, *lib. 1. ſum. cap. 19. nu. 6.* Quia præceptum eſt de audienda Miſſa, & ſic de re indiuidua, non autem de parte Miſſæ.] Hactenus ille, ſed forſan, per lapſum calami, ſententiam Ioannis Sanchez attribuit Thomæ, quia Thomas Sanchez loco à Remigio citato, contrarium expreſsiſsimè docet, his verbis: [Hinc primò deducet aliquis accedentem cauſa audiendi ſacrum, tempore, quo præfatio dicitur, & ſi non ſit aliud, minime teneri audire; quod ab eo loco Miſſa nõ dicatur integra, ſecundum omnes. & præceptum de audienda Miſſa ſit de re indiuidua. At contrarium mihi ſuadeo, & cenſeo teneri audire: quia vt bene ait Suarez, ea, quæ a conſecratione vſque ad conſumptionem continẽtur, ſunt maximè neceſſaria, & per ſe primò intenta in præcepto audiend e Miſſæ, vtpotè in quibus Sacrificij ſubſtantia conſiſtit.] Quid clarius? Nequit ergo pro opinione Ioannis Santij adduci P. Thomas Sanchez, cum oppoſitam expreſsè defendat. Quod ſi ei non nil fauere dicatur, eo quod dum refert, non improbat, neque vt certam, quam ſequitur, proponit; hac ratione, & ipſe etiam Remigius fauet.

5 Sed contraria prorſus ſententia tenẽda eſt, imò & accedenrem finita præfatione teneri reliquum audire, ratio eſt, quia, vt optimè nos edocent Suarez, & Sanchez ſuprà, à conſecratione vſque conſumptionem incluſiuè continetur tota eſſentia Sacrificij, cui reliquæ Miſſæ partes acceſſoriæ, & integrantes tantum ſunt. Vnde præceptum primariò, & eſſentialiter ad aſsiſtentiam à conſecratione ad conſumptionem dirigitur, ad reliqua verò minus principaliter. Cum ergo principale non ſequatur acceſſorium, ſed è contra; inde planè deducitur, malam eſſe conſequentiam illam: [non poteſt audire antecedentia ad conſecrationem: ergo neque a conſecratione tenebitur. [Valet tamen è contra: [nõ poteſt audire a conſecratione ad conſumptionem: ergo neque reliqua.] Quia acceſſorium ſequitur principale, vnde qui a principali excuſatur, excuſatus eſt ab acceſſorio: & ita cum Thoma Sanchez, Lugo, Diana, Ioanne de Eſcobar, & alijs tenet Leander vbi ſuprà *quæſt. 61.*

6 Conueniunt ex dictis fere omnes, eum, qui poſt conſecrationem acceſsit, non teneri reliquum Miſſæ audire, ſicut neque illum, qui non poſſet Miſſæ intereſſe, niſi vſque ad conſecrationem, quia in neutro caſu poſſet moraliter integrè implere præceptũ quoad ſubſtantiam, & ita tenet expreſsè Sanchez vbi ſuprà, quoad ſecundum caſum, & Cardin. de Lugo quoad primum *in tom. de Sacram. diſput. 22. de Euchar. ſect. 1. num. 6.* quem cum Auſonio, & Diana ſequitur Leander vbi ſuprà, *quæſt. 63.* & Remigius, & Machado nuper citati. Nam adeſſe Miſſæ (vt ait Lugo) non ſolum eſt, corpore adeſſe, ſed offerre Sacrificium ſimul cum Sacerdote offerente; ac proinde, qui non adeſt tempore conſecrationis, cum illud non offerat, non tenetur alijs partibus aſsiſtere: ſicut nec in die Paraſceues obligatur propter eadem rationem, licèt feſtum Annũtiationis eo die incidat.

QVÆSTIO III.

An, qui duas medietates Miſſæ à diuerſis Sacerdotibus audit, ſiue in diuerſo tempore, ſiue in eodem, in duobus altaribus celebrantibus, ſatisfaciat Eccleſiæ præcepto?

§. I.

Ad primam quæſtionis partem.

1 Si quis audiat a diuerſis in diuerſo tẽpore, ſuo ordine, ab vno Sacerdote ab introitu vſque ad conſecrationem, & ab alio ſucceſsiuè a conſecratione vſque ad finem Miſſæ, certum eſt, præcepto ſatisfacere; vt notat Diana *p. 5. tract. 14. reſol. 52.* cum Ludouico Turriano *in Selectis p. 2. diſp. 16. dub. 7. verſ. Vnum eſt.* vbi ait: [docent frequẽtiùs Doctores, per hoc non violari præceptum audiendi Miſſam grauiter, &c. Si prior pars prius audiatur, & poſterior poſterius, in hoc facilè apparet, non eſſe grauem in ordinationem, quando non eſt interruptio magni momenti. Sic ille, & alij communiter.

2 Difficultas igitur ſolum eſt, an præcepto ſatisfaciat, quãdo inuerſo ordine fit; nempè audiendo prius poſteriorem partem Miſſæ? Et nullo facto diſcrimine inter vnum, & alterum caſum, affirmatiuè reſpondet M. Sotus *in 4. diſt. 13. q. 2. art. 1. propè finem*, his verbis:

Digitized by Google

verbis:[neque verò,ſiquis partem vnius Miſſæ,& reliquum alterius audierit,eſt condemnandus, quando quidem omnia audit neceſſaria.]Sic Sotus.

3 Et expreſsiùs M.Petrus de Ledeſma *in ſum.1.p.de Sacram.Euchar.cap.27.concluſ.5. fol.mihi* 143.*&* 144.vbi ſic.[En eſta dificultad la primera ſentencia es, que baſta oìr la parte notable, q̃ dexò de oir en la orra Miſſa,de ſuerte,que ſi la primera Miſſa la comēçò a oìr (attende)deſde la conſagracion,baſta que oyga en la orra deſde el principio de la Miſſa,haſta la conſagracion; pero ſi ſe hizieſſe ſin cauſa, ſeria pecado venial, por la irreuerencia. Eſta ſentencia tienen Iuan de Mayor,y el M Soto,y Nauarro; porque eſte precepto ſolamente obliga a oir Miſſa entera, y no à oirla continuadamente de vn Sacerdote,como ſe vè en los miſmos derechos. La ſegunda ſentencia es, que en dichos caſos ſe ha de ſuplir el defecto, oyendo otra Miſſa entera, &c. Mi parecer es, que ambas a dos ſentencias ſon probables, y cada vna de ellas ſe puede muy bien ſeguir.] Hæc Ledeſma.

4 Pro eadem affirmatiua opinione militant viri alij doctiſsimi ex eodem Prædicatorum Ordine,M.Ioannes de la Cruz,*in ſum. 1.p.in 3.præcept. decalog. art.2. concluſ.*1.M. Lublinus *tom.1.ſum.verb.feſtum,num.*17.M. Candidus *diſquiſit.25.art.25.dub.*5. M.Bartholomæus de Medina *in ſum.cap.*14.§.9.M. Bartholomæus ab Angelo *de Miſſa*, §.782. & M Nugnus *q.83.art.6.dub.2. verſ.Ad hanc difficultatem.*

5 Eandem opinionem, dicens eſſe communem,defendit Diana *p.2. tract.17.reſ.*18. & iterum *p. 8. tract. 7.reſol.*89. ſubnectens: Doctores id abſolutè aſſerere, & non diſtinguere,[an vna pars audienda debeat continere conſecrationem, & ſumptionem, nec ne?]Quibus adde Machadum *tom.1.lib.2.tr. 1.docum.* 1. dicentem in margine: [docent hoc communiter Recentiores.] Et meritò, quia vltra citatos id tenent Scortia,Graffius, Moure,Llamas,Villalobos, Marchinus,Geſualdus,Molfeſius,&alij, quos citatos ſequitur Leander a Sacram.*in 5.præcep. Eccleſ.tr. 2.diſp.1.quæſt.*52.inde iure concludens.[Audebit nunc quis, quæſo, poſt tot, tantoſque Doctores dicere, hanc ſententiam non eſſe probabilem? Audebit certe quis ignarus,qui illos non legerit,nec viderit, alius nemo.]

6 Plures pro hac parte citatos lego apud Maſcareñas,*tom.1.de Sacram. tract. 5. diſp. 6.cap.5. num.* 491. ſic enim ait: [Dicendum abſolutè eſt, Miſſam de præcepto non eſſe neceſſariò audiendam ab vno,eodemque Sacerdote,ſed poſſe audiri ab vno vſque ad conſecrationem, & ab alio a conſecratione vſque ad finem.Ita Nauarrus, Reginaldus, Suarez, Egidius,Hurtado,Sà,Enriquez, & alij, quos ſequitur Diana *p.2.tract.17.reſol.18.& p.5. tract.14.reſol.52.& p.8.tract.7. reſol.89.* & alij communiter.Probatur, quia cum Eccleſia ſciat,ſuas leges ita à grauibus Doctoribus explicari,hoc ipſo, quod eorum explicationē permittit publicè imprimi,& doceri;videtur ſuum præceptum ſecundum eas moderari, &c.Et hoc etiam intelligendum, ſcilicèt nō peccare mortaliter, licet tranſverſo ordine, prius audiat ab vno Sacerdote partem Miſſæ poſteriorem,& poſtea ab alio partem priorē. Expreſsè hoc docent Egidius, & Diana: & Turrianus *in Selectis* aſſerit, non paucos viros doctos excuſare a mortali eum, qui in die feſto ſic Miſſam audiret,&c. Quia hoc facere in recitatione Horarum Canonicarum, ex communi Doctorū ſententia non eſt mortale, ergo ſimiliter in noſtro caſu.] Sic ille. Cui lubens aſſentior, eſt enim valdè probabilis ſententia,tum ab authoritate,tum a ratione a præcitatis Doctoribus, verbis datis, expreſſa.

§. II.

Ad ſecundam partem quæſtionis.

7 AN Verò ſatisfaciat præcepto, qui duas medietates Miſſæ in eodem tempore a diuerſis Sacerdotibus audit?Maior eſt difficultas. Affirmant plures doctiſsimi, quorum ſententiam probabilem putat Bonacina *tom.1.diſp 4.de Sacram. Euchar.p.11. num.*13.ibi.[Addo,in rigore loquendo,eum ſatisfacere præcepto Miſſæ, qui ſacrum duorum Sacerdotum media ex parte audit, vt ſi audiat Miſſam vnius Sacerdotis,vſque ad cōſecrationem,& eodem tempore audiat Miſſam alterius Sacerdotis a conſecratione vſque ad finem:ſicut enim poteſt aliquis eodem tempore tres Miſſas,exempli gratia, quæ in eadem Eccleſia,eodem tempore,celebrantur, audire,& ſatisfacere pœnitentiæ iniunctæ de audiendis tribus Miſsis: (quod etiam aſſerit Rodriguez,Graffius,Sanchez,Scortia, Azorius,& alij,quos alibi retuli) ita in rigore loquendo videtur ſatisfacere præcepto Miſſæ, qui ſacrum duorum Sacerdotum media ex parte auditet; contrarium tamen tenet Coninchius, Nugnus, Reginaldus, Molfeſius, quod ego tanquam tutius in praxi conſulendum puto.]Sic Bonacina.

8 Eandem opinionem abſolutè defendit Geſualdus Capuccinus *de Sacram.tra. 17.cap. 2.num.*16.ibi:[Addo in rigore loquendo eū ſatisfacere præcepto Miſſæ, qui ſacrum duorum Sacerdotum,ſimul in eadem Eccleſia celebrantium, audit ſimul medietatem vnius, &

& medietatem alterius.] Et per legitimam conſequentiam inferri ex communi opinione aſſerente, licere à duobus Sacerdotibus ſucceſsiuè duas medietates audite, tenet aliqui apud M. Petrum de Ledeſma, vbi ſupra, *fol. mihi* 144.

9 Idem tenent alij, quos citatos ſequitur Diana 2. *p. tr.* 17. *reſ.* 18. Vbi poſtquam nonnullos pro negatiua ſententia adduxit, ſic ait: [ſed non pauci cōtrariam tenent ſententiam, quam probabilem vocat ex noſtris Molfeſsius *in ſum. tom.* 1. *tr.* 3. *cap.* 17. *n.* 36. *in fine*. Nec deſtituta videtur ratione: nam Eccleſia non præcipit, vt Miſſa audiatur ab vno Sacerdote, &c. Et quamuis Miſſa debeat audiri ſecundum ſuum ordinem, tamen hoc non eſt de neceſsitate præcepti. Et ideò Ioannes Azor dixit, quod ſi vera eſt illa opinio communiter recepta, & etiam ab ipſo, nempè poſſe aliquem ſatisfacere præcepto Miſſæ, ſi in diuerſis temporibus, audiat partem Miſſæ ab vno Sacerdote, & partem ab altero, erit etiam vera altera opinio, quæ concedit, poſſe hoc fieri in eodem tempore: nā, quod pertinet, ait Azorius, ad attentionem, poteſt ad vtrumque animum intendere. Non reticeam D. Franciſcum de la Riua Vicarium Generalem in hoc Archiepiſcopatu Panormitano, virum prudentia, & morum probitate, ac doctrina celeberrimum, de hac quæſtione à me conſultum affirmatiuè reſpondiſſe: & id exprimit Hurtado *de Sacrific. Miſſæ, diſp.* 5. *diffic.* 4.] Hac tenus Diana vbi ſupra, & iterum *p.* 5. *tr.* 14. *reſ.* 52. *&* *p.* 10. *tr.* 15. *reſ.* 3. *&* *p.* 11. *tr.* 1. *Miſcellan. reſ.* 3. Vbi plures pro hac parte citatos adducit, inter quos Barthol. à Sancto Fauſto, Baſſæum, Rocaful. Trullench, Baunium, & Buſſembaum.

10 Militat etiam pro hac ſententiam Hieronymus Garcia *in ſumm. tr.* 4. *diffic.* 4. *num.* 7. dicens: [Eſta opinion aſsi explicada, y probada tienen Azor, Diana, Bonacina, Gaſpar Hurtado, Barthol. à Sancto Fauſto, Bauni. Por lo qual ſe vè, que eſta opinion tiene mucha probabilidad, y que en caſo que vno tenga mucha priſa, ſe puede aproucchar della, tuta conſciencia, pues tiene por ſi tantos Doctores, y razones de congruencia.

11 Quibus adde ex Clericorum Minorum Familia P. Remigium in *Summ. tract.* 2. *cap.* 3. *§.* 1. vbi ait: [Es tambien probable, que ſatisface al precepto: porque como puede vno oìr tres Miſſas en vn miſmo tiempo, y ſatisfacer con el precepto de la Igleſia, voto, y penitencia de oir Miſſa, no ay razon para dezir, que no ſatisface al precepto de la Igleſia el que en vn miſmo tiempo oye la media Miſſa de vno, y la otra media Miſſa de otro Sacerdote, *quia ſicut ſe habet totum ad totum, & ita pars ad partem*; ſi bien para la practica convendrà aconſejar lo contrario.] Sic ille, & merito, quia quod melius, ſemper eſt conſulendum, quamvis oppoſitum bonum, & ſecurum ſit.

12 Denique hanc opinionem multis ſuadet doctiſsimus Leander à Sacram. *tom.* 3. *in* 5. *præcep. Eccleſiæ, tract.* 2. *diſp.* 1. *quæſt.* 56. Vbi pro illa refert Azotium, Hurtadum, Fauſtum, Molfeſsium, Baunium, Dicaſtillo, Bonacinam, Ieſualdum, & alios. Potuiſſetque in nonnullos ex adverſarijs, eadem verba, æquo iure, ac ſupra, intorquere. [Audebit nunc quis, quæſo, poſt tot tantoſque Doctores, dicere hanc ſententiam non eſſe probabilem? Audebit certè ignarus quis, qui illos non legerit, neque viderit, alius nemo.] Cui in re præſenti conſonat Diana *p.* 10. *tract.* 15. *reſ.* 3. Vbi poſt quam probabilitatem huius ſententiæ apertis argumentis demonſtrauit, cōcludit. [Vndè patet, quam parum modeſte loquuti ſunt Turrianus *in ſelectis diſp.* 16. *dub.* 7. & Ledeſma 1. *p. Sum. cap.* 27. *poſt quintam concluſionem*; qui hāc affirmativam ſententiam improbabilem vocant, eſt enim ſatis probabilis, licet negatiua, vt dixi, ſi probabilior.] Sic modeſtiſsimus Diana, cui conſonat Maſcareñas *tom.* 1. *de Sacram. tract.* 5. *diſp.* 6. *cap.* 5. *num.* 494. dicens: Hanc ſententiam eſſe probabilem, ibi: [Vtrum ſatisfaciat præcepto, qui ſimul, & eodem tempore audit duas partes Miſſæ à duobus Sacerdotibus, quorum vnus Miſſam incipit, dum alius medium abſolvit? Multi aſſerunt, peccare mortaliter, nihilominus contraria opinio dicens, talem non peccare, & ſatisfacere præcepto, eſt probabilis, illam docent Hurtado, Bonacina, Azor, Diana, & alij.] Non potuit temperantibus loqui: cum nil doceat, quod commune non ſit & à viris doctiſsimis traditum.

13 Non verò ideo approbo argumentū, quod vrget Diana contra Petrum de Ledeſma vbi ſupra, inconſequentiæ redarguens, eo quod hanc ſententiam improbat, & concedat, eſſe probabile, ſatisfacere præcepto, qui duas partes Miſſæ a diverſis Sacerdotibus in diuerſo tempore audit, & inſuper (*cap.* 27. *fol.* 344. *concl.* 8.) expreſsè aſſerit, eum, qui tenetur duas Miſſas audire, ſatisfacere, ſi eodem tempore à diverſis celebrantibus ſemel audiat: [Haſe de advertir, inquit, que quando vn hombre eſtà obligado à oir dos Miſſas por diferentes titulos, las puede oir ambas juntamente en dos Altares; la razon es, porque por fuerza de aquellas dos obligaciones no eſtà obligado à oirlas en diverſos tiempos.) Ex quibus ſic Diana argumentum in Ledeſmam contorquet: ſicut ſe habet totum ad totum, ita eſt pars ad partem; ſed qui tenetur audire duas Miſſas, ſatisfacit, ſi eodem tem-

tempore audiat, ergo & qui tenetur duas medietates Miſſæ audire. [Hæc conſequentia (inquit Diana ſupra) eſt euidens.]

14 Cæterum diſparitas inter hos caſus manifeſta eſt, quia Miſſa eſt totum ex partibus ſucceſsiuis coaleſcens, & ex natura rei hæc ſucceſsio illi competit. Ideoque præceptum audiendi Miſſam habere videtur pro obiecto totum hoc ſucceſsiuum, cui proinde non ſatisfacit, qui eodem tempore à diuerſis Sacerdotibus diuerſas Miſſæ partes audiat. Pluralitas vero Miſſarum nõ conſtituit totum aliquod ſucceſsiuum: vnde ſicut præceptum faciendi celebrare plures Miſſas, ſatis adimpletur, ſi omnes ſimul & eodem tempore in diuerſis altaribus celebrentur, ita & præceptum audiendi plures Miſſas, licèt ſimul, & eodem tempore audiantur. Ex quibus patet fallacia illius argumenti, quod ſicut ſe habet totum ad totum, ita pars ad partem: quod quidem, ſeruata eadem ſuppoſitione, verum continet, ſecus aliter. Cum igitur præceptum audiendi ſacrũ habeat pro obiecto partes ſucceſsiuas Miſſæ, & præceptum audiendi plures Miſſas non habeat pro obiecto illarum ſucceſsionem, inde ſolum concluditur, quod ſicut hoc præceptum audiendi plures Miſſas adimpletur, audiendo eas ſimul, ita & audiendo ſimul earũ partes: hoc enim ex antecedenti euidenter deducitur, & hoc probatur ex illo principio, *quod ſicut ſe habet totum ad totum, ita & pars ad partem.* Non verò inde infertur, quod partes ſacri, quo adimpletur præceptum Eccleſiæ, poſsit quis ſimul audire, quia inter has ſucceſsionis ordo datur, ex natura ſacrificij, quem proinde, præceptum audiendi ſacrum, pro obiecto habere debet.

15 Propter hæc, licèt Bonacinæ, & aliorum ſententia, tot Doctorum patrocinio munita, probabilis ſit, contrariam tamẽ ſuſtinendam puto. Quam tenent Suarez *tom. 3. in 3. p. diſp. 88 ſect. 2* dicens, oppoſitam eſſe *abſurdam* & ſequuntur Ægidius, *q. 83. art. 6. num. 288* Caſtro Palao *tom. 4 tr. 22. diſput. vnica, punct. 16. num. 9.* M. Nugnus *tom. 2. in 3. p. q. 83. art. 6. dub. 2.* & plures alij, quos ſequitur Henriquez *lib. 9. de Miſſa, cap. 25. n. 8.* dicens: quod ſatisfacit præcepto, qui à pluribus Sacerdotibus per partes ſucceſsiuè audit integram Miſſam, vt a duobus, vel tribus: nõ verò id admittit, quoad ſimultatem temporis, propter rationem ſupra traditam.

16 Ex his deducitur primo, eũ, qui tres, aut quatuor Miſſas ex præcepto, aut voto, aut ex pœnitentia audire tenetur ſatisfacere, ſi eas ſimul audiat à diuerſis, eodem tempore celebrantibus, vt benè tradunt Fauſtus, Maior, M. Petrus de Ledeſma, Scortia, Portel, M. Candidus, Antonius, Sanchez, Caietanus, Sotus, Medina, Suarez, Bonacina & Graffius, quos citatos ſequuntur Diana *4. p. tr. 4. reſ. 107. & 5. p. tr. 14. reſ. 52. & part. 10. tr. 15. reſ. 3.* Et Leander à Sacramento *tom. 3. in quinque præcep. Eccleſ. tr. 2. diſp. 1. q. 59. & 60.* Quia verè audit tres Miſſas, atque adeò verè ſatisfacit obligationi illas audiendi, nec ad rem facit, quod eodem, vel diuerſo tempore audiat, propter ſuperiùs dicta.

17 Infertur ſecundò, non eſſe minus probabile, ſatisfacere præcepto, qui ſimul, & eodem tẽpore tres, aut quatuor partes Miſſæ audit, quam qui duas. Nam cum tres, aut quatuor partes Miſſæ verè etiam conſtituant vnam Miſſam, ſi aliunde ponamus, præcepto ſatisfieri, eius partibus, à diuerſis Sacerdotibus in eodem tempore auditis (vt tradunt omnes, qui duas partes ſimul audire, ſufficere docuerunt) planè deducitur, idem prorſus dici debere de audiente tres, aut quatuor partes in eodem tempore, ſicut ex eo, quod præceptum audiendi duas Miſſas poſsit adimpleri, eas ſimul audiendo; rectè infertur, idem dicendum de præcepto de tribus, aut quatuor Miſsis audiendis. Vnde pro hac parte, ni inconſequenter loquatur, ſtare debent Bonacina, Geſualdus, Diana, Remigius, & alij ſupra citati, qui prædicta paritate conuicti, quod de duabus Miſsis in eodem tempore, de duabus etiam partibus Miſſæ neceſſariò dicẽdum putarunt. Qui pro inde, quod de quatuor Miſsis de quatuor etiam partibus Miſſæ dicere debent.

18 Et vi conſequentiæ oppreſſus, ita dicendum expreſse fatetur Leander à Sacram. *ſupra tr. 2 diſp. 1. q. 57.* vbi ſic ait: [An item ſatisfaceret præcepto, qui non ſolum à duobus Sacerdotibus duas partes, ſed etiã a tribus, vel quatuor Sacerdotibus tres, aut quatuor partes Miſſæ, eodem tempore audiret? Negat Lugo, &c. ſed conſequenter loquendo probabiliter ſanè reſpondeo, etiam ſatisfacere præcepto, qui in debita diſtantia, cum ſufficienti attentione, & alijs circunſtantijs requiſitis, à tribus, aut quatuor Sacerdotibus tres, aut quatuor partes Miſſæ audiret, ſi ex illis tota, & integra Miſſa coniungeretur.]

19 Fauent etiam huic ſententiæ Doctores, qui aſſerunt, eum, qui ſucceſsiuè tres, aut quatuor partes Miſſæ, vnam integram conſtantes, audiret, verè ſatisfacere præcepto: quia vt tradunt omnes ſupra citati, quod partes audiantur à diuerſis ſucceſsiuè, vel ſimul in eodem tempore, nec tollit integritatem Miſſæ, nec impedit, quod audiens verè dicatur audiuiſſe Miſſam integram, ergo vel non ſatisfacit præcepto, qui duas partes in eodem tempore à diuerſis Sacerdotibus audit, vel ſatisfacit, qui etiam tres, aut quatuor.

Non

Digitized by Google

Non facilè vitabis conſequentiam. Et ſanè idem de vtraque opinione iudicium ferẽdum eſt: & ideò vel vtrique; vel neutri ſubſcribendum. Qua propter conſequenter ad ſua principia id tenere debet Gaſpar Hurtado *de Sacrif. Miſſæ, diſ.5. diffic. 4.* vbi ait: [Addit Bonacina, eum, qui audit integram Miſſam, audiendo ſimul duas partes Miſſarum duorum Sacerdotum, etiam ſatisfacere præcepto audiendi Miſſam, & non abſque ratione, quia ex vna parte poteſt quis (attende) ſimul audire duas, imò & tres Miſſas, & conſequenter etiã duas partes duarum Miſſarum, & ex altera eas partes audiẽdo, audit integram Miſſam.] Sic ille, cuius ratio æquè probat de tribus partibus Miſſæ ſimul auditis; & ſatis ipſe expreſſerat numero antecedẽti, vbi ex eo, quod ſatisfaciat præcepto, qui duas partes diuerſarum Miſſarum ſimul audiat; concludit: [& idem eſt ob eandem rationem, ſi audiat integram Miſſam, audiendo tres partes Miſſarum trium Sacerdotum.] Nec diſſentire poſt Dicaſtillo *tom.1. de Sacram. tract. 5. diſp.5. dub. 3. n.40.* qui probabile cum alijs putat, ſatisfacere, qui ſimul tempore duas medietates Miſſæ a diverſis audit: [argumento a ſimili multorum, qui docent, poſſe aliquem eodẽ tẽpore tres Miſſas audire, & ſatisfacere penitẽtiæ iniũctæ de audiẽdis tribus Miſsis.] Et pro hac ſententia ſtat apertè Antonius de Eſcobar, qui ex prædicto principio illam colligit. [Satisfacit ne, inquit, præcepto, qui audit vnã medietatem ab vno, & alteram ab alio? Ita planè ex Sanchez, quia Eccleſia præcipit, vt Miſſa audiatur, duæ autem medietates vnam Miſſam conſtituunt. Colligo, poſſe te breuiſſimo temporis interſtitio Miſſam audire, ſi quatuor v. g. altaribus variæ Miſſæ proportionata temporis anterioritate ſic celebrentur, vna inchoetur, ſecunda ab Evangelio tũc in conſecrationem procedat: tertia à conſecratione in conſumptionem: quarta denique à conſumptione vſque ad terminum.] Hæc Eſcobar apud Dianam *p. 10. tract. 5. reſol.3.* cui ipſe planè conſentit, vt ex modo referendi conſtat. Quæ tamen ego apud Eſcobarium in vltima editione Lugdunenſi, anno 1644. non reperio; ſed neſcio, cuius diligentia, (& ſi iure) abraſa fuerint.

20 Non tamen video, cur potiùs opinio hæc, & nõ etiam alia de duabus partibus Miſſæ in eodem tempore, exploſa fuerit, cum æqua vtriuſque ſit ratio. Quapropter ego vtrique æqualiter diſſentio ex principio ſuprà tacto; nimirum, quia Miſſa eſt totũ quoddam ſucceſsiuum, quod proinde, ſive ab vno, ſive à pluribus Sacerdotibus, ſucceſsionem partium audiendarum importat; atque adeò præcepto audiendi Miſſam non ſatisfacit, qui eam ſucceſsiuè non audit, tametſi de ſubſtantia præcepti non ſit, quod partium ordo ſeruetur, ſicut de præcepto recitandi Horas Canonicas docent communiter Theologi.

21 Circa attentionem requiſitam adimpletionem præcepti audiendi ſacrum, aſſerunt communiter Doctores, eam eſſe debere, quæ irreuerentiam grauem excludat, & ſe quiſque præſentem ſacrificio, externè ſaltem conſtituat, & alijs incompatibilibus cum attentione non diſtrahatur. Si enim externè ita occupetur, vt eius diſtractio ſenſibus externis percipiatur, aut percipi poſsit ab alijs, nõ ſatisfaciet præcepto, vt benè ex communi Dicaſtillo *tom. de Sacram. tract. 5. de Sacrif. Miſſæ, diſp.5. dub. 2.* Si autem inquiras, ſit ne grauis irreuerentia confabulatio, aut ex alio capite, ratione ipſius tranſgrediatur præceptum? Negat M. Sotus *in 4. diſt. 13. q. 2. art. 1.* ibi: [Quamvis indecentia, inquit, ſint colloquia inter audienda ſacra, non tamen propterea tranſgreſsio ſit præcepti. Poſſent tamen voces, & cachini in tantum prorumpere, vt per ſe eſſent peccatum irreuerentiæ.] Idem ante illum tenuit Caietanus, quem refert, & ſequitur M. Corradus *1. p. quæſt. 198.* vbi ſic: [Reſpondetur ex Caietano *in opuſculis, tom. 1. tract. 6. quæſt. 1.* vnà cum Soto, quod ſufficiat Miſſæ eſſe præſentem, vnde, qui longè ſtat, eam non audiens, vel cum alio loquens, non propterea eſt tranſgreſſor præcepti.] Sic ille: licèt infra in contrariam ſententiam magis inclinet, & meritò: eſſe enim videtur, lumine naturali, grauis irreuerentia longo tempore confabulari, aut videre, dum tantum ſacrificium offertur: & inſuper nequit dubitari, eiuſmodi actionem externam cum attentione incompatibilem eſſe. Ideòque Soti, & Caietani ſententiam Doctores communiter reijciunt, quorum plures refert Dicaſtillo *tract. 5. de Sacrif. Miſſæ, diſp. 4. dub. 8. n. 109.* Quos cum Nauarro ſequitur Doctor Ioſeph Garſi, *in qq. Moral. cent. 1. cap. 16. num. 14.* Quamvis enim voluntaria diſtractio interna non frangat Eccleſiæ præceptum, vt graues authores defendunt, externa verò operatio, quæ aſsiſtentiam religioſam impediat, opponitur directè præcepto. Si verò colloquia non ſint cõtinuata, ſed per parvam Miſſæ partem, (nempè qua non audita adimpletetur præceptum) non continerent culpam grauem. Parva autem quantitas reputatur, quæ non attingit tertiam partem Miſſæ, iuxta ſententiam quorundam ex D. Antonino *2. p. tit. 9. cap. 10. §. 1. dub. 7.* vbi ait ſervare præceptum, qui modicum Miſſæ dimitteret, [ſecus, inquit, ſi dimitteret notabilem partem, puta medietatem, vel tertiam partem.] Ergo dum infrà tertiam, non erit notabilis, cui conſentit Sylveſter, *verb. Miſſa 2. num. 1.* & cum Remigio, & Fagundez apud illum, Do-

ctor

tor Ioſeph Garſi *in q. q. mor. cent.* 1. *cap.* 17. Cæterum, ſi quarta pars dimiſſa, aut colloquijs interrupta, à cõſecratione ad conſumptionem interflueret, neminem à lethali excuſarem, quia his terminis clauditur tota eſſentia ſacrificij; quæ vel conſiſtit in ſola conſecratione, vel in ſola ſumptione, vel in vtraque: ac proinde, qui hanc partẽ Miſſæ omitteret, partem notabilem dignitate relinquêret, licèt non quantitate. Secus erit de alijs acceſſorijs, qualia ſunt, quæ ante conſecrationem, & poſt conſumptionem adiunguntur. [Quod ſi audientes (ait Doctor Garſi) ita confabulentur, vt non omnino impediatur attentio requiſita, v.g. quia diſcontinuè id faciunt, partim loquendo, partim attendendo, quia res, de qua agitur, leuis eſt, non eſſet mortale, ſed veniale peccatum: & ſatisfieri præcepto Miſſæ, cum Soto, Filliucio, & Bonacina docet Trullench, vbi ſupra] (nempè *in decalogo, lib.* 3. *cap.* 1. *dub.* 5) ſic ille. Quæ ſunt valdè notanda, quia vt in plurimum res ita euenit, vnde non illico de læthali damnandi.

22 Iam verò determinare tempus aſſiſtentiæ requiſitum, vt præcepto audiendi ſacrum ſatisfiat, non conueniunt Doctores. M. Ioannes de la Cruz *in direct.* 1. *p. præcep.* 3. *art.* 2. *de Miſſa*, ſic ait, [tenêtur ſub peccato mortali audire Miſſam in feſtis, ab epiſtola iuxta Nauarrum, aut iuxta D. Antoninum 2. *p. tit.* 9. *cap.* 10. & Ludouicũ Lopez *tom.* 1. *cap.* 52. & Manuel Rodriguez *verb. Fieſtas*, ab Euangelio vſque ad communionem finitam, & qui alia omittit ſatisfacit Miſſæ, & ſi peccat veniãliter ob paruitatem materiæ omiſſæ.] Hæc Cruz. An verò ſatisfaciat, qui omiſſo etiam primo Euangelio aſſiſtit ab offertorio vſque ad Euangelium vltimum incluſiuè? Reſpondet affirmatiuè M. Zenardus 1. *p. de Euchariſt. cap.* 16. §. 6. ibi; [Qui non audiuiſſet Euangelium poſt Epiſtolam, ſatisfaceret audiendo Euangelium Ioannis, & ſic non omiſiſſet partem notabilem Miſſæ.] Idem tenent plures alij apud Dianam 5. *p. tr.* 14. *reſ.* 70. inter quos Fauſtus *de Euchariſt. lib.* 2. *q.* 386. & ipſe Diana dicit hanc ſententiam non eſſe improbabilem [vnde, inquit, non damnarem de mortali, qui Miſſam, poſt dictum Euãgelium, audiuit vſque ad finem.] Et probabilem putant cum Nauarro M. Nugnus, Graffius, & alij, quos refert, & ſequitur Bonacina *diſp.* 4. *de Miſſ. ſacrif. q. vlt. punct.* 11. *n.* 17. & plures, quos citat F. Franciſcus à Ieſu Maria, *fol.* 324. *n.* 2. Cui ſatis fauent D. Antoninus, Ludouicus Lopez, Rodriguez, & Ioannes de la Cruz vbi ſupra, dum vltimo Euãngelio aſsiſtere nõ iudicant neceſſarium ad impletionem præcepti. Si enim intereſſe vtrique nemo tenetur ſub mortali, cur vni præ alio? Et ita expreſsè tenet M. Acatius de Velaſco, *tom.* 1. *reſ. Moral. verb. Fieſtas*, *reſ.* 346. [La razon, inquit, es, porque ninguno eſtà obligado à oir dos Evangelios en vna Miſſa, y oyendo el Euangelio vltimo de San Iuan, parece que con eſto recompenſa el primer Euangelio, que no oyò.] Subnectit vero. [Pero eſta licencia, ò exenſion, raras vezes ſe ha de admitir; pero deſpues de hecha, no ſe ade deſechar.] Prædictæ ſententiæ aſſentiri videtur Martinus de S. Ioſeph *in monitis confeſſ. tom.* 1. *lib.* 2. *tr.* 9. *de orat. n.* 5. vbi ait [A otros les parece, que oye Miſſa, el que llega a oir deſde el Ofertorio: porque juzgã, que todo el principio, con el Euangelio incluſiuè, no es materia graue, y en todas las morales, es razon aliviar las conciencias, auiendo razon para ello, & ſententia humanior eſt tenenda.] Quibus & ſi cum formidine ſuffragatur Layman, *lib.* 4. *tr.* 7. *cap.* 3. *n.* 3. dicens [duriuſculum videri, ſi hominem, qui circa offertorium ad Miſſam acceſſit, peccati mortalis damnamus, quod reliqua neglexerit, ſecluſo contemptu; quando, quæ principalia in Miſſæ Officio ſunt, attente audiuit.] Sic ille cum M. Baltanás *in Margarita Confeſſor.* qui illum tantùm peccati mortalis damnat, [qui non audit Miſſam integram, vel ſaltem maiorem partem.]

23 Sic diſcurrunt Doctores quoad partem Miſſæ, quæ abſque læthali omitti poteſt. Omnes vero damnant opinionem Amalarij, *lib.* 3. *de Eccleſiaſtico Officio, cap.* 36. qui auſus eſt ſignificare fideles grauis culpæ damnari non poſſe, ſi ab Offertorio vſque ad benedictionem Sacerdotis interſint. Vt obſeruant Layman, vbi ſupra, & Diana 3. *p. tr.* 14. *reſ.* 70. Verum omnino reijciendus, quia vtrumque Miſſæ Euangelium cum præcedentibus ad primum, pars notabilis Miſſæ eſt, ſecundum communem Theologorum ſententiam. Immò probabiliùs cenſeo non excuſandum à læthali, qui primum Euangelium omitteret cum antecedentibus, quia licèt vltimo aſſiſtat, primum habet locum dignitate primũ. Hoc enim omni tempore in Eccleſia Dei in Miſſæ ſacrificio *lectum fuit*, ſecus Euangelium vltimum.

QVÆSTIO IIII.

Quantum ſtipendium poſsit Sacerdos pro vna Miſſa recipere?

1 IVſtum Miſſæ ſtipendium eſt, quod vel conſuetudine, vel lege Prælati Eccleſiaſtici taxatur, vt beneP. Vazquez *in* 3. *p. tom.* 2. *diſp.* 234. *cap.* 1. *num.* 5. & Cardin. de Lugo *tom. de Sacram. diſp.* 21. *de Euchariſt. ſect.* 2. & communiter Theologi. Iam qualiter

ter taxandum, vt iuſtum ſit, ita, vt non excedat, ſed attingat iuſtitiæ metas? non conveniunt Doctores. M. Petrus de Ledeſma *in ſumm. tract. de Euchariſt. cap.* 18. exiſtimat taxari debere quantum ſufficiat ad congruam ſuſtentationem Sacerdotis. [El juſto eſtipendio, inquit, ſe ha de proporcionar con ſu entera ſuſtentacion. Haſe de advertir, que entera ſuſtentaciō, es aquello, que baſta para ſuſtentarſe èl, y vn criado, ò criada, y con moderacion, no con exceſſo.] ſic ille ex Caietano 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *&* 3. vbi ait. [Suſtentationis nomine non tantum venit cibus, & potus, ſed quidquid eſt neceſſarium ad vitam, & veſtitum ſui, & eorum, quorum ſibi cura incumbit. Non enim debet mendicare Sacerdos pro ſuſtentatione ſuorum, aut parentum antiquorum, aut paruulorum nepotum, ſuæ curę ſecundum naturæ iura relictorum, & huiuſmodi.] Eiuſdem ſententiæ fuit M. Dominicus de Soto *lib.* 9. *de iuſt. q.* 3. *art.* 1. vbi ſic ſcripſit. [Vbi non eſt in vſu cam pro vna Miſſa eleemoſynam erogari, quæ diario victui ſufficiat, poteſt Sacerdos duplam ſaltē percipere,] & infrà; [dum autem Sacerdoti abundat, vnde honeſtè & forſan ornatè viuere poſsit, videtur nequire vti hoc ſubſidio. Sed nihilominus reſpondetur, quod, & ſi non adeò id ipſum eiuſmodi Sacerdotem deceat, tamen, ſecundum rigorem iuſtitiæ, nulla eſſet iniquitas: quia iudicium non eſt de rebus ferendum, ſecundum id, quod accidit, ſed ſecundum rei naturam.] Sotum ſequitur M. Ioannes de la Cruz *in direct.* 2. *p. de Sacrif. Miſſæ, q.* 1. *dub.* 7. *concl.* 2. vbi ita inquit. [Probabiliter ait Soto iuſtum ſtipendium eſſe taxandum in ordine ad congruam ſubſtentationem Sacerdotis pro vno die, ſiue ab vno, ſiue a pluribus pro vna Miſſa accipiatur, nam Sacerdos habet ius viuēdi ex ſuo miniſterio. Sed non habet aliud miniſterium in vno die, niſi vnam Miſſam, ergo:] & hanc ſententiam tueri M. Cano, & alios graues Theologos teſtatur M. Ledeſma vbi ſuprà *concl.* 14. quos ſequitur M. Corradus 2. *p. Reſponſ. quæſt.* 482.

2 Ex hoc principio plures prodierunt opiniones nimis laxæ. Alij enim dixerunt Sacerdotes tàm diuites, quàm pauperes poſſe plura ſtipendia a diuerſis accipere, nimirum tot, quot ſufficiant ad ipſius congruam ſuſtentationem modo ſuprà explicatam. Caietanus, vterque Sotus, Armilla, Sylveſter, Canus, Rodriguez, Petrus de Nauarra, Camerota, Graffius, & alij apud Philibertum Marchinum *de Sacrif. Miſſæ, tract.* 3. *p.* 2. *cap.* 16. *num.* 3. Quos ſequutus eſt M. Corradus, vbi ſuprà. Alij pręfatam ſententiam ad Sacerdotem pauperem limitarunt, quam amplexus eſt M. Ledeſma *in ſumm. tract. de Euchariſt. cap.* 18. *concluſ.* 14. vbi ſic. [Es tambien muy probable, que el Sacerdote pobre puede muy bien lleuar dos, ò tres juſtos eſtipendios por vna Miſſa, quando vno no es ſuficiente para ſu ſuſtento. Eſta ſentencia tienen los Doctores, que dizen, que el juſto eſtipendio ſe ha de taſſar en orden a la entera ſuſtentacion del Sacerdote. El P.M. Cano, y el P.M. Soto, y otros grauiſsimos Theologos.] Imò, addunt alij tot ſtipendia poſſe recipere pro vna Miſſa, quot neceſſaria ſint ad parentum etiam pauperum ſuſtentationem, quando in ea ſunt neceſsitate, vt niſi mendicando ſuſtentari nō poſſunt, & ad emendos libros Theologo, vel iuriſtæ, ad exercenda aliqua miniſteria ſpiritualia, neceſſarios. Quorum ſententiam putat probabilem M. Nugnus Cabeçudo *in* 3. *p. q.* 83. *art.* 1. *dub.* 9. *concluſ.* 4. *&* 5. & non diſſentiet Caietanus 2. 2. *q.* 100. *art.* 2. *&* 3. verbis vbi ſuprà ex illo datis. Recole.

3 Laxiorem alij opinionem ante Vrbani VIII. decretum tradiderunt, quia non per ordinem ad congruam ſuſtentationem Sacerdotis, ſed ad infinitum Miſſæ valorem tàm intenſiuum, quàm extenſiuum, tàm ex parte rei oblatæ, quàm Chriſti Domini offerentis, & oblationis a Sacerdote; ad ſtipēdium Miſſæ a pluribus recipiendum reccurrunt. Cenſent enim ſacrificium nullam quoad effectum impetratorium, & ſatisfactorium limitationem habere, ideòque ſingulis (ſaltē pro quibus ſingulariter offeratur) prodeſſe, ac ſi ſcorſim pro his ſolùm fieret. Ita M. Dominicus Baltanas cum Caietano, & Sylveſtro, quos refert *in Margarita confeſſ. fol.* 188. vbi ſic: [Non videtur, quare, qui ad inſtantiam multorum celebrat, ſinguli non accipiant, ſecundum affectum ſuum, ac ſi pro eis ſolis offerretur ſacrificium. Hanc opinionem tenent Angelus, Caietanus, & Sylveſter. Vnde Sacerdos promittens multis vnam Miſſam, liberatur dicendo vnam pro omnibus, niſi petens Miſſam, ſecundum aliquos, petat expreſsè, quod pro nullo alio offerat Sacrificium Miſſæ; ſed ſi peteret, non eſſet acceptanda eius petitio, cum ſit iniuſta, & contra charitatem: cauendum eſt ſcandalum; vnde, quia ſimplices iſta non poſſunt capere, non ſunt prædicanda, nec paſsim dicenda.] Hæc M. Baltanas. Quem ſequutus eſt M. Dominicus Montagnolus Senenſis *in libello de Miſſæ valore, cap.* 26. qui vt refert Philibertus Marchinus, *de Sacrif. Miſ. p.* 2. *cap.* 15. (*alias* 16. *num.* 4.) [abſolutè affirmat remoto ſæcularium ſcandalo ex Sacerdorum auaritia, poſſe ſine peccato pro vna Miſſa plura a diuerſis ſtipendia accipi.] Quorum ſententiam probabilem putauit M. Corradus 1. *p. Reſponſ. q.* 266. *in additionibus*, quia contrariam, quam ſequitur tutiorem vocat.

4 Et

Digitized by Google

4 Et quod mirabilius, poſt Vrbani VIII. decretum datum Romæ per Sacram Congregationem Concilij *die 21. Iunij anno 1625* opinionem laxam amplectitur Thomas Hurtado *tom. 1. reſol. Moral. tract. 2. cap. 4. reſ. 17. num. 187. & 188.* vbi ſic ſcribit, [ſi vnus det decem ſtipendia, & alius alia decem, dicendo decem Miſſas vtrique ſatisfaciet ex iuſtitia; nec tenetur reſtituere, &c. Patet, quia vtrique danti decem ſtipendia applico decem ſacrificia, quæ decies iterata ſuum effectum cauſabunt, iuxta vniuſcuiuſque diſpoſitionem, & ſic nulli fit iniuria. Neque enim contra iuſtitiam eſt pro pluribus ſtipendium accipere, & ſacrificium vnum offerre. Neque etiam eſt contra fidelitatem, etiamſi promittam danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram, &c. Siquidem ex eo, quod applicetur illi, nullum ſequitur detrimentum illi; & propter eandem rationem exiſtimo, quod etiamſi apponatur ſacramentum de non applicando alteri, non teneat, quia eſt iuramentum de re illicita, & contra charitatem fraternam.] Hactenus Hurtado, cuius ſententiam pro Sacerdote paupere tenuit ante illum M. Petrus de Ledeſma vbi ſuprà, dicens hunc poſſe duo, aut tria ſtipendia iuſtà pro vno ſacrificio recipere, etiam in caſu [que, el que da a dezir la Miſſa, pida expreſſamente, que ſe ha de dezir por el ſolo, y el Sacerdote lo prometa aſſi.] Quos, adhibita limitatione, ſequitur poſt decretum Vrbani VIII. M. Araujo Epiſcopus Segouienſis *in deciſionibus moralibus p. 2. de ſtatu ciuili, diſp. 14. art. 2. num. 48.* vbi cum Soto, & Caietano ait: [Prima ſententia: nempè licitum eſſe Clerico indigenti, duas pictantias pro vna Miſſa recipere, tenenda eſt cum duplici limitatione a Soto aſſignata. Prima eſt, quod pictantia pro vna Miſſa aſſignata, non ſufficiat diario victui Sacerdotis. Secunda eſt, quod non habeat Sacerdos aliunde neceſſaria ad victum, & veſtitum. Tertia eſt, quod non promiſerit expreſsè ſe pro erogante eleemoſynam ſolò Miſſam oblaturum: tunc licebit illi duplicem, & non amplius, pro vna Miſſa accipere pictantiam. Quod probatur tum argumento facto, pro prima ſententia, (nempè quod ſtipendium correſpondeat neceſſitati Miniſtri) tum etiam, quia Sacerdos habet ius ad viuendum de altari ſuo: Ergo dum pro vna Miſſa accipit duplicem pictantiam ad victum, & veſtitum neceſſariã, vtitur iure ſuo, ac proinde non peccat, quia nullus peccat vtens iure ſuo.] Hactenus Araujo in prima editione facta Lugduni, anno 1664. cuius ratio æquè probat de triplici pictātia, ſi duplex non ſufficiat. Expendat lector vim conſequentiæ ad maiorem etiam quantitatem.

5 Opinio etiam alia poſt decretum Vrbani inualuit affirmans Sacerdotem quemcumque poſſe pro eadem Miſſa duplex ſtipēdium accipere, dummodò petenti applicet partem ſpecialiſsimam fructus ipſimet celebranti correſpōdentis. Ita Bartholom. à S. Fauſto *tract. de Euchariſt. lib. 2. q. 158.* Marchinus *de Sacram. ordinis, tr. 3. p. 2. cap. 16. n. 7. & 11.* vbi ait, quod ipſo præſente. [Licini caſus iſte a nonnullis doctiſsimis viris, præſertim a Lanfeſsio iuris vtriuſque Doctore celeberrimo, & in morali Theologia verſatiſsimo, fuit approbatus.] Peirinus, & Machado, quos citatos ſequitur Leander a Sacram. ſuprà *tom. 2. tr. 8. diſp. 4. q. 10.* & putat probabilem apud ipſum Gauantus, Trullench, & Homobonus, qui ait multos viros graves eā docuiſſe, eāque tenent Thomas Hurtad. vbi infrà *à n. 173.* & Bordonus *in conſul. Regul. de celebr. Miſſ. reſ. 25.* & putant probabilem Remigius *in ſum. tr. 5. diſp. 4. §. 7. n. 2.* & plures alij, apud Dianam *5. p. tract. 15. reſol. 45. & p. 11. tract. 7. Miſc. reſ. 26* vbi contrariam ſententiam tuetur, licèt hæc olim non diſplicuerit *p. 2. tr. 14. reſ. 14.* Nullum ex his authoribus oſtendit Anonymus; ſed ſolum Filliuc. apud Leandr. *tom. 2. ac ſcrip. Miſſæ*, referentem id tradidiſſe *tr. 5. cap. 5. n. 181.* Verum Filliucius ſua opera in lucem dedit ante decretum Vrbani, hoc enim expeditum fuit anno 1625. Filliucij autem opera cuſa reperies Lugduni anno 1622. Vt omittam, nec prædictam opinionem illum tueri, nec pro illa citatū a Leādro, ſed pro alia longè diuerſa, & ſtrictiori. Verba Filliucij ſunt. [Addit Nauarrus *conſ. 8. de celebrat. Miſſæ*, ſacrificantem poſſe partem ſacrificij ſibi debitam applicare his, prò quibus teneretur, ſed quia neſcitur, quāta ſit; addit, arbitrari partem triū Miſſarum poſſe ſuppleri vni, quæ dicenda eſſet, & applicanda tota vni. Quòd (attende) ſeruare poterūt hi, qui, cum receperint multa ſtipendia, non poſſunt omnibus ſatisfacere.] Hæc Filliuclus *ſuprà num. 181. citato*, in editione Lugdunenſi *anno 1622.*

§. I.

Iudicium authoris.

6 OMnes opiniones ſuprà ſcriptæ cōcedentes duplex, aut plura ſtipendia pro eadem Miſſa, ſiue ab vno, ſiue a pluribus accipienda, prohibitæ iam ſunt, vt ſcandaloſæ in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ Inquiſitionis ab Alexandr. VII. *die 24 Septembr. anno 1665* vnde nullam earum in poſterum licèt defendere ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Summo Pontifici reſeruatæ, nec ad praxim vllam illarum deducere, quia ſub lethali,

(licèt non ſub excomunicatione) omnibus Sacerdotibus prohibitum eſt. Conſtat ex decreto relato Congregationis Generalis Sanctæ Inquiſitionis Romanæ, vbi inter alias propoſitiones, vt ſcandolas damnatas, & prohibitas, continentur ſequentes. Prima: *duplicatum ſtipendium poteſt Sacerdos pro eadem Miſſa licitè accipere applicando petenti partem etiã ſpecialiſsimam fructus ipſimet celebranti correſpondentẽ, idque poſt decretum Vrbani VIII.* Secunda, (quæ eſt ordine decima) *Non eſt cõtra iuſtitiã pro pluribus Sacrificijs ſtipendiũ accipere, & Sacrificiũ vnũ offerre. Neque etiã eſt contra fidelitatem, etiã ſi promittã promiſsione, etiam iuramento firmata danti ſtipendium, quod pro nullo alio offeram.*

7 Addo eandem cenſuram inuri debere, vel iniuſtam cenſendam, aliorũ ſententiæ aſſerentium poſt decretum, licuiſſe Sacerdoti, qui plura exigua ſtipendia vnum iuſtum conſtruentia, à pluribus accepiſſet, vnã pro omnibus Miſſam offerre. Tũ, quia ex contractu pro tenui ſtipẽdio ſingulis ad fructũ adæquatum Miſſæ applicandũ ſe obſtrinxerat. Tùm, quia illa opinio æquè, ac cæteræ, prohibita fuerat per decretum Vrbani: ac proinde æquè falſum, & ſcandaloſum erit, eam poſt illud ad praxim deducere, licèt Pontifex in ſpecie, vt ſcandaloſam, nón declarauit. Hæc dicta velim in vi decreti Eminentiſsimorum Cardinaliũ iuſſu Vrbani VIII. editi. Quia ſtando in rigore iuſtitiæ, cũ tali Sacerdoti fiat iniuria, & ob paupertatem cõgatur inæquale ſtipendium acceptare, ius illi eſt ad ſuum damnum reſartiendum, cõpenſationem ſibi faciens, eo modo, quo poteſt, cum minori offerentiũ iactura: & ſic ante Eminentiſsimorum Cardinaliũ declarationẽ tradidere plures, & graues Doctores, quos refert Diana 2. *p. tr.* 14. *reſ.* 7.

8 Ex dictis infertur, falſam omnino eſſe opinionem quorumdam, qui præfato Sacræ Congregationis decreto Vrbani VIII. authoritate edito, vim obligandi adimere tentarunt ex defectu publicationis, vel receptionis in Hiſpania, quàm tenuit Thomas Hurtado *tom. 1. reſ. Moral. tr.* 2. *cap* 4. *num.* 64. dicens a multis viris doctis ſe audiuiſſe, [totum hoc decretum non eſſe vſu receptum.] Quod iterum tradit *tom. 2. de ſuſtent. lib. 6. pag.* 189. inquiens, [non eſſe in Hiſpania receptum, quoad id, ne pro vna Miſſa recipiatur duplex ſtipendium, & eſſe moraliter impoſsibile, vt ad praxim reducatur.] Cui conſentit M. Acatius de Velaſco *tom. 2. reſ. moral. verb. Obiſpo, reſ.* 311. vbi inquit [Muy probable es, que en Eſpaña no eſta admitido, ſaltẽ quoad totum, porque demás que lo dizẽ muchos Doctores y entre ellos Seraphinus Freitas Luſitanus. cõtra del vſo, y praxis.] Quibus ſuffragiũ tulit M. Serra *in 3. part. q.* 83. *art.* 1. *dub.* 4. *ad ſextum*, dicens: de prohibitione præfata illi non conſtare, [& multo minùs de publicatione ſufficienti ad omnes provincias adſtringẽdas.] Imò addit M. Acatius de Velaſco vbi suprà, maiorem vim non habere, quàm reliquas Eminentiſsimorum Cardinalium declarationes, & ideò neque vim legis. Verba eius ſunt. [Ademàs, que es queſtion muy reñida entre los Doctores, ſi las declaraciones de los Eminentiſsimos Cardenales tienen fuerça de Ley. Garcia, y Barboſa ſienten, que ſi, pero lo contrario ſienten otros, que cito, y ſigo en el primer tomo.]

9 Si enim hoc verum eſſet, vel ad fugiendam obligationem præcepti ſufficeret, nequiret Pontifex Alexander VII. in Generali Inquiſitione Romana præfatas opiniones, vt ſcandolas declaraſſe, nullum enim fuiſſet ſcandalum in practicandis opinionibus, alias inter Doctores probabilibus, nulla prohibitione vetitis, *vt tract. 3. de pœnitentia, diſput.* 8. *quæſt.* 6. *à num.* 20. diximus. Ergo aut non eſt neceſſe in ſingulis Provincijs, prædictum decretum Eminentiſsimorum Cardinalium iuſſu Vrbani VIII. editum, fuiſſe publicatum; aut omnes illius conſcios ad acceptationem obligarunt, ita vt nemo ex hoc capite ab obligatione ſe poſsit eximere, præterquam quod, declarationes Eminentiſsimorum Cardinalium, in authentica forma, ſolito ſigillo, & ſubſcriptione Eminentiſsimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarij eiuſdem Congregationis a Summo Pontifice approbatæ, & ex eius mandato publicatæ, (vt contingit in præſenti) vim habere legis; & ſub læthali ad obſeruationem obligare, ante decretum Alexandri, tradiderant Diana *part.* 11. *tract.* 2. *Miſcellan. reſol.* 42. Thomas Hurtado *tom.* 1. *variar. reſol. tract.* 3. *cap.* 6. *reſol.* 45. *num* er. 380. & P. Mendo in Bullam *diſp.* 1. *cap.* 6 *numer* 41. Quibus immeritò diſſentit Illuſtriſſim. Archiepiſcopus Hiſpalenſis M. Fr. Petrus de Tapia *lib. 4. de legib. q.* 8. *art* 8 *num.* 5. *in fine*.

10 Nec principia, quibus laxæ illæ opiniones nitebantur, firma ad praxim poterant eſſe. Non primũ, quia licèt Miſſæ ſtipendiũ detur Sacerdoti ad ſuſtentationẽ, & non in pretiũ Sacrificij, vt docent omnes Theologi; nõ tamen datur ad congruam ſuſtentationẽ, ſed ad partem illius, vt tradunt Nauarrus *in Manuali, cap.* 23. *n.* 19 & Fagnanus *in capite Fraternitate de ſepultura, n* 83 & alij communiter. Et conſtat ex Trident. exigente congruam aliunde ordinandos habituros, vt ad ſacros Ordines aſcendere poſsint. Verba Concilij ſunt *ſeſ.* 21 *c. 2. de Reform.* [Cum non deceat eos, qui diuino miniſterio adſcripti ſunt, cum ordinis dedecore mendicare, aut ſordidũ aliquem quæſtũ exercere; cõpertũque ſit, com-

phi-

plures plerifque in locis ad ſacros Ordines, nullo fere delectu, admitti, qui varijs artibus, ac fallacijs confingunt, ſe beneficium Eccleſiaſticum, aut etiā idoneas facultates obtinere: ſtatuit Sācta Synodus, ne quis deinceps Clericus ſecularis, quamvis aliàs ſit idoneus moribus, ſciētia, & ætate, ad ſacros Ordines promoueatur, niſi priùs legitimè conſtet eū, beneficium Eccleſiaſticum, quod ſibi ad victum honeſtè ſufficiat, pacificè poſsidere.] Hactenus Concilium. Ad cuius decreti obſeruationem, Pius V. obligationem iniunxit Epiſcopis alendi, & ſuſtentandi Sacerdotes pauperes, quos illi contràvenientes ordinauerint. Et vtrumque iā diu ſancitum erat *canon. 5. Concilij Lateranenſi*, & *cap. 2. de præbendis.* Non ergo Miſſę ſtipendium congruæ ſuſtentationi ſufficere debet.

11 Nec ſecundum Thomiſtarū fundamētum laxiori opinioni ſuffragari potuit, quia ſententia de infinita intenſiua, & extenſiua ſacrificij, quoad effectū impetratorium, & ſatisfactorium, (quā nouiſsimè ex Caietano mordicus defendit Vincentius Baronius *2. p. Manuductionis diſp. 2. ſect. 4. fol. 263. & 264.*) probabilitatem tantū ſpeculatiuam habere poterat (ſicut & modò retinet, quia nō eſt damnata; licet opus Baronij damnatū ſit) non verò practicā, vtpotè repugnantē cōtractui offerentium ſtipendiū, qui fructū certum vnius ſacrificij exigunt, & non dubium. Sub opinione enim poſitum eſt, an pro multis applicatū ſingulis æquè proſit, ac ſi pro vno tātū? Quod negant grauiſsimi Doctores, D. Bonauentur. Sotus, Belarm. Valentia, Lugo, Azor, & alij, apud Leandrū à Sacram. *tom. 2. tr. 8. diſp. 3. q. 11.* Reſpondet Baronius, hoc argumentum ſolum probare *noſtram opinionem eſſe tutiorē, non verò evincere contrariam non fuiſſe practicè probabilem, ante decreta Pontificia.* Sed valde miror, hominem, qui totis nixibus, pluribus in locis, (quos dedi *tr. 1. de opinion. prob. q. 5.* & nouiſsimè in duplici tomo Ethices Chriſtianæ, quos poſt omnia alia ipſius opera prohibita, edidit anno 1673.) Valde, inquam, miror, quod, cum ea, qua potuit tenacitate, defendat, eſſe obligationem iure naturali ſequēdi in praxi opinionem tutiorem, etiam ſi minùs probabilem, idque tenuiſſe, vt inconcuſſum dogma. Omnes Thomiſtas cum D. Thoma; hanc ſibi contrariam ſolutionem modo exhibuerit. Sed demus illi ſuam opinionem ante Pontificū decreta practicè probabilem fuiſſe; demus, inquā, in compenſatio nem ſuę retractionis, qua nobis iam concedit licitum eſſe, & fuiſſe vſum opinionis probabilis minùs tutæ; idque in caſu, de quo agitur Thomiſtarum teſtimonio comprobari. Quod ſufficit, vt ex conſequentia ad alios extendatur, & ex inconſequētia, falſitas opinionis huius doctoris, cōtrà vſum probabiliū inferatur.

12 Ex dictis etiam enervatur fundamentum, cui Doctores ſententiæ, vltimo loco poſitæ, innitebantur. Licèt enim certum ſit, Sacerdoti celebranti correſpondere ſpecialiſsimum fructum ex opere operato; certum tamen non eſt poſſe hunc fructum alteri applicari: inſuper dubium valdè eſt, an eius valor ſit æqualis ſatisfactionis cū fructu, ſeu valore illo, qui conferenti ſtipendiū applicatur. Qui autem ſtipendium confert, exigit ex cōtractu fructum omnino certū ſacrificij: ergo abſque iniuſtitia nequit probabilis tantùm fructus illi applicari. Ideòque hanc ſententiā ante decretū ſacræ Congregationis, plures doctiſſimi tenuerant: & poſt illud non potuiſſe in dubium revocari dixerat Eminētiſsimus Cardinalis de Lugo *tom. de Sacram. diſp. 11. n. 33.* cuius ſententiā poſtea approbauit Sacra Cōgregatio iuſſu Alexand. VII. *die 29. Ianuarij, anno 1659.* declarans hunc caſum ſub primo decreto, iuſſu Vrbani edicto, comprehenſum fuiſſe, & denique, vt ſuprà dixi, contrariā ſententiā, vt ſcandaloſam in Sacra Generali Inquiſitione Romana Alex. VII. damnauit *anno* 1665.

§. II.

Corollaria.

13 Denique ex dictis deducitur eum, qui ignorantia, vel opinione ductus duplex ſtipendium pro eodem ſacrificio recepe- rit, poſt decretū Sacræ Congregationis iuſſu Vrbani editū *anno 1625.* teneri falſitate opinionis cognita, poſt nouiſsimū Alex. VII. decretum, reficere Miſſas relictas, aut ſtipendiū reſtituere, vt benè cum pluribus tradit M. Donatus *tom. 4. tr. 7. q. 70. fol. mihi 170.* Quod ego tradideram *in opuſculo pro Ieſuitis, tract. de Sacrif. Miſſæ, prop. 2. num. 16. in editione Matritenſi, anno 1664.* contra Bordonum tertij Ordinis S. Franciſci *in conſilijs regularium reſ. 25. q. 13. n. 22* oppoſitam ſententiam tuentem. Quia ratione rei acceptæ, ſi extet, vel factus ſit ditior, abſque dubio tenetur, ſicut poſſeſſor bonæ fidei, quando cognoſcit rem eſſe alienam, aut ſine titulo adquiſitam. Ni fortè Sacerdos ad tàm miſerum ſtatum deuenerit, vt ex ſolo Sacrificio Miſſæ victum habere queat. Imò ſi modus alius illi nòn ſupperat, quo congruam pauperis Sacerdotis ſuſtentationem habere poſsit; non facilè credam piā Matrem Eccleſiā ei prohibere, quòd iure naturali illicitum illi non eſt, vt loquētes de decreto Sacræ Cōgregationis iuſſu Vrban. VIII. edito, notant Franciſc. de Lugo *de Sacram. lib. 5. cap. 12. num. 688* & Diana *p. 11. tract. 7. Miſcellan. reſol. 27.* & tenet M. Araujo vbi ſuprà. Si enim in graui neceſsitate res alie-

alienas ſubripere licèt, ſecundum opinionem Sylveſtr. Medin. Nauar. Petri de Nauarra, & aliorum, quos citatos ſequitur Diana *p.2.tr. 3. Miſcell. reſ.29 & 5.p.tract.8.reſ.23. & p. 11 tr.1. reſ.13.* Quod tenuit etiam M. Bañez 2.2.q.66. art.7. neceſsitatem grauem explicans per hæc verba: [quando eſt periculum amittendi honorem, & homini valde inhoneſtum eſſet mendicare, dummodo aliter non poſsit ſibi ſuccurrere, & habeat animum reſtituẽdi, cum poſsit.] Si, inquam, hoc probabiliter licet, cur non, & illa opinione vti? quia ſpeculatiuè probabiliſsimum eſt, nullum offerenti ſtipendium præiudicium eſſe, & quam in his circunſtantijs ad praxim deducere, non videtur opponi contractui, quia proximus in illis rationabiliter inuitus non eſt Imò factũ Sacerdotis pauperis, cui ex miſericordia tenebatur ſubuenire, ratum ex eadem habere debet. Ita ego cenſeo, dum ab Eccleſia hunc etiam caſum ſub prohibitis contineri, nõ declaretur; & nouiſsimè id tradit Doctor Garſi *cent.2.cap.70 num.4. & 5.* & ante illum M. Araujo, vbi ſuprà.

14 Addit Thomas Hurtado *tom. 2. de ſuſtentatione, lib. ... n. 2144.* in prædicto decreto Vrbani VIII. non fuiſſe reuocata priuilegia conceſſa regularibus a Iulio Secundo *in Bulla* 28. §. 4. Generali Minimorum, vel à Leone X. (vt ex Paſqualigo *q.959.* refert Garſi *centur. 2. cap. 70. nu. 7.*) vt oblatione vnius Sacrificij, cum tot collectis, ſatisfaciant obligationi multorum ſacrorum, quando congrua illorum ſuſtentatio reuocatur ad Miſſarum ſtipendia. Cenſeo tamen id eſſe de ſubiecto non ſupponente, quia congrua Religioſorum ſuſtentatio nullibi ex ſolis Miſſarum ſtipendijs, ſed ex eleemoſynis in longè maiori quantitate comparatur. Ideòque nullum eſſe Regularibus priuilegiũ ad multiplex ſtipendium pro eodem ſacro recipiendum, ſed omnia reuocata fuiſſe, conſtat ex verbis Sacræ Cogregationis de mandato Vrbani VIII. Quod ad verbum adducit Barboſa *de poteſtate Epiſcopi, p.3. in fine, fol. 59.* Et tradit nouiſſimè M. Hyacintus Donatus *tom.4.tr.7.q.54 & 57.* & nullam eſſe Religionem, cui hoc ex priuilegio competat, multis ſuadere conatur Fr. Ludouicus a Conceptione *in exam. veritatis, tract. 2. caſu 23. fol. mihi 179.* ægrè ferens oppoſitũ eſſe vulgariter ſparſum in grauiſsimum Religionum præiudicium. Qua propter audiendus non eſt Doctor Garſi, vbi ſuprà. dum priuilegium Minimis a Leone X. conceſſum non eſſe hodie reuocatum ſupponit, dicens in illo concedi, vt cum ſeptem, vel nouem cõmemorationibus ſatisfaciant ſeptem, vel nouem Miſsis.

15 Rogabis; quid faciet Religioſus, qui bona fide plura Miſſarum ſtipendia expendit, & non poteſt celebrare ob ſuperueniens Impedimentum? P. Granado *in 3. p. tract. 14. diſput. 11. num. 4. & 5.* ab obligatione reſtituendi illum excuſat, dicens ſatisfacere ſuæ obligationi, ſi pauciores dicat; eas nimirum, quas potuerit ſine magno detrimento. Idemque cẽſet de communitate Religioſorum, poſtquam bona fide accepit plura ſtipendia, vero animo celebrandi omnes Miſſas, pro quibus ſtipendia fuerunt accepta. Quia cum notabili detrimento nemo tenetur ad reſtitutionem. Vnde ſi Religioſi ad eam paupertatem deuenerint, vt vix poſsint ſuſtentari, ſi reddant debitoribus ſtipendia accepta, quę bona fide expenderant, ad id præſtandum non tenebuntur. Cæterum mihi certiſsimum eſt meliori modo, quo abſque graui ſuo incõmodo poſſint, ſatisfacere teneri. Nimirum applicando, in quantum ipſis liceat, Miſſas, quorum ſtipendia in poſterum accipiant, pro defunctis, & perſonis, quibus ſe debitores agnoſcunt, vel fuerint: quia fortè ſine vllius pręiudicio ſic applicatæ tantùm illis proderunt, ac ſi pro ipſis tantùm. Inſuper tenentur applicare fructum ſpecialem ipſiſmet Religioſis celebrantibus correſpondentem; item opera ſatisfactoria, imò, & lucrari indulgentias pro defunctis. His enim modis aliqua ſaltem parte ſatisfacere poſſunt pro Miſsis, quas celebrare nõn poſſunt. Vt benè ait Lezana, *verb. Miſſ. num.24.* Poterunt inſuper, & tenebuntur ſollicitare a Summo Pontifice, vt de Theſauro Eccleſiæ applicet pro defunctis, a quibus ſtipendia acceperant, eam quantitatem ſatisfactionis, quæ ex Miſsis, illis proveniret. Quod autem Pontifex ex cauſa rationabili id poſsit, tradunt Pater Henriquez *lib. 9. c. 22. §. 7.* & Suarez *de Euchariſtia, diſp. 87. ſect. 4.* quos ſequitur Pater Granado vbi ſuprà. Quod verò cauſa hæc rationabilis ſit, mihi non eſt dubium. Et quidem quando ipſis animabus purgatorij Miſſæ debentur, eò quòd ipſi defuncti ſtipendium dederunt, cum fortè animæ acerbiſsimas pœnas in purgatorio patiantur; difficilè valdè eſt ab onere reſtituendi, etiam ſi cum graui ſuo detrimento, Religioſos eximere, quia grauius eſt damnum creditoris in purgatorio detenti, quàm Religioſorum reſtituentium, quando quidem extremam neceſsitatem ex reſtitutione non contraherent, & quævis alia abſque dubio eſt minor. Qua propter res manebit multis ſcrupulis expoſita, ni Summus Pontifex Miſſarum defectum ſuppleat. Tametſi Pater Granado *ſuprà numero 5.* incertitudinem detentionis animæ in purgatorio exiſtimet ſufficere ad excuſandum à reſtitutione cum detrimento notabili certo Religioſorum. [Quia nemo, inquit, tenetur, cum notabili dãno ſuo certo reſtituere

Digitized by Google

creditori, cuius damnum eſt incertũ.] Si verò Religioſus aliquis, cui Monaſterium ſuppeditat neceſſaria ad victum, & veſtitum, onere Miſſarum ſit oppreſſus, quibus ſatisfacere nõ poteſt, tenebitur, ſi ſtipendia expenderit, ea ſolvere ex bonis illis, quorum ipſe a Prælato liberam diſpoſitionem habet, vt teneretur ex illis ſolvere mutuum male conſumptum; vt benè cum Zeballos, & Sanchez ait Palao *tom. 3. tr. 16. diſp. 3. punct. 16. in fine.*

16 Rogabis 2. An Sacerdos, qui ſtipendio accepto, Miſſam celebrat, poſsit ſimul eã applicare pro intentione alterius Sacerdotis, ad exonerandum illum ab obligatione celebrandi, quam ex Capellania, vel ratione ſtipẽdii celebrare tenebatur? Ratio dubitandi eſt, quia tàm decreta Sacræ Cõgregationis, quàm nouiſsimum Alexand. VII. anno 1665. ſolùm videtur procedere cõtra Sacerdotem duplex ſtipendium pro vna Miſſa accipientem, nec tot Miſſas, quot ſtipendia acciperet, celebrãtem: quando autem ipſe in his non deficit, nulla occurrit prohibitio. Quia probabilitas ſpeculatiua opinionis Caietani, & aliorum, qui valorem infinitum ſacrificio concedunt, & tàm prodeſſe ſingulis, quando pro multis offertur, ac ſi pro vno tantum; nullibi eſt dãnata: ergo dum Sacerdos tot Miſſas celebret, quot accepit ſtipendia; & ſimul illas offerat pro alterius Sacerdotis intentione, obligati aliunde celebrare, verè illum exonerabit ab onere celebrandi, quo aliàs erat adſtrictus. Quia licèt non ſit certum, eũdem fructum ex opere operato a fundatore Capellaniæ percipiendum, eſt tamen probabile. Nec obſtare videtur, quod obijci ſolet, nempè ad extinguẽdum certum debitum, requiri certam ſolutionem. Sufficit enim, quod ſit probabiliter certa: debitumque iuſtitiæ extinguitur ad æqualitatem moraliter, ſiquis ad ęqualitatem certò, vel probabiliter ſatisfaciat: aliàs qui iudicat probabiliter ſuo creditori ſatisfeciſſe, teneretur adhuc ad ſolutionem. Quod eſt cõtra communem Doctorum de alijs præceptis indubitatis loquentes.

17 Propter hæc; iſtam ſententiam amplectitur nouiſsimè Ioannes Ioſeph Garſi *cent. 2. cap. 70 n. 17.* cui facit authoritas Doctorum aſſerentium, ex opinione probabili, poſſe quẽ cõpenſationẽ facere totius debiti incerti: quã inequalitatem metaphiſicam opinio probabilis, in eorum opinione, moraliter tollit. Cæterũ licèt hanc Garſi opinionem nullibi prohibitam iure politico inuenerim; eiuſdem tamen rationem naturalem, qua ductus eſt Summus Pontifex ad prohibendum duplex ſtipendium pro eadem Miſſa, contra illa militare. Quia ſicut quando duo fideles ſtipendio oblato vni Sacerdoti Miſſam exigunt, vnuſquiſque ad diuerſam ius adquirit, nec Sacerdos ſatisfacit vnam pro vtroque offerẽdo; quia ex contractu cum duobus celebrato ad duas celebrandas manet adſtrictus. Ita ſimiliter quando duobus Sacerdotibus duplex ofertur ſtipendium a duobus fidelibus, idem ius ipſis adquiritur; nec vno ſacrificio vtrique ſatisfieri poteſt: eſt enim contra contractum explicitum, vel implicitum, quo vnuſquiſque intendit integrum, & certum Miſſæ fructum pro ipſo applicari certò, & non probabiliter tantum. Ergo Capellanus liber non manet ab obligatione iuſtitię, quam ratione Capellaniæ, vel accepti ſtipendij contraxit; licèt Sacerdos alter pro eius intẽtione ſimul, vt ſuprà manet explicatum, ſacrificium obtuliſſet. Conſequentia mihi eſt omninò certa, alias quilibet Sacerdos poſſet duplici ſtipendio accepto, vna Miſſa pro vno offerente oblata, petere ab altero Sacerdote, vt ab onere, quoad alteram pro alio oferenda, tenetur, eum (vt ſuprà dictũ eſt) liberet: & ita duo Sacerdotes mutuam ſibi vicem rependentes, duplex ſtipendium, vna Miſſa, poſſent ſemper comparare: quo inanè prorſus redderetur decretum Pontificis prohibentis plura ſtipendia recipere, quàm ſint ſacrificia a Sacerdote offerenda.

18 Verùm hoc non tollit, quòd qui ſtipendio Miſſam celebrat, queat pro alijs ex liberali promiſsione, vel donatione ſacrificiũ idẽ offerre, quia nulli periculo exponit eum, qui ſtipendium dedit, carendi fructu, qui ex opere operato illi correſpondet. Hęc enim eſt intentio Sacerdotis explicita, vel implicita, cùm nil illicitè facere intendat, ideòque ſolũ pro alijs offert, quod vltra ex libertate poteſt, ſiue æquale, vt Deus ſcit. Vnde benè faciet Sacerdos, qui alterũ Sacerdotem ad plura ſacrificia, quibus nequit ſatisfacere, obligatum, eo modo, quo licitè poteſt, adiuuat; offerendo ſimul pro illius intentionem quando, accepto ſtipendio, celebrat.

AD TRACTATVM TERTIVM,

DE POENITENTIA SACRAMENTO, APPENDIX.

DISPVTATIO PRIMA,

DE INSTITVTIONE, ET PRÆCEPTO.

QVÆSTIO PRIMA.

Quo tempore fuerit inſtitutum Pœnitentiæ Sacramentum?

1 SAcramentum hoc eſſe diſtinctum a Sacramento Baptiſmi, eſt definitum in Concilio Conſtantienſi, *ſect.8. & 15.* contra Vvicleph: & in Florentino, in decreto Eugenij, & tandem in Tridēt. *ſeſ.*14. Ratio eſt facilis, quia Baptiſmus primò & per ſe ordinatur ad tollendū peccatum originale; ſecundario verò ad actuale, ſi fortè ſit: è contra autem pœnitentia 1. & per ſe ad tollendum actuale, quod, poſt originale iam remiſſum, humana fragilitate patratum fuerit. Igitur pœnitentia, & Baptiſmus, non vnum, ſed duplex eſt ſacramentum. Ideòque apud P.P. & concilia appellari ſolet pœnitētia lavacrum lacrymarum, ſecunda purgatio, ſeu iterabilis Baptiſmus.

2 Quoad tempus inſtitutionis veritas fidei eſt, Sacramentum Pœnitentiæ a Chriſto Domino fuiſſe inſtitutum poſt reſurrectionē. *Ioann.*20. illis verbis: *Quorum remiſeritis peccata, remituntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Ita definitum eſt in Tridentin. *ſeſſ.* 14. *c.*1. Nec obſtat, quòd ibi Concilium aſſerat Chriſtum Dominum, *tunc præcipuè inſtituiſſe*: hæc enim verba non ideò addita exiſtimes, quod antea fuerit minùs præcipuè inſtitutum: alias Chriſtus Dominus Sacramentū Pœnitentiæ non ſemel, ſed bis inſtituiſſet. Præter quàmquod impropriè ſatis diceretur inſtitutio, quæ verbis allatis *Ioann.*20. continetur; quia inſtitutio ſignificat novitatē rei, quæ inſtituitur. Qua ergo ratione dici poſſet præcipua inſtitutio, quæ aliam ſupponeret, cùm nominis rationem adeò analogicè participaret? Dicitur igitur *tunc præcipuè inſtituiſſe*; quia antea *Matth.* 16. & 18. regni Cœlorum claues Petro promiſerat. Nec amplius dubitare licet, quia omiſſa illa particula *præcipuè*, definitam reperies hanc veritatem à Concilio *ſeſſion. 6.c.* 14. verbis iſtis: *Etenim pro his, qui poſt Baptiſmum in peccata labūtur, Chriſtus Sacramentum Pœnitentiæ inſtituit, cū dixit, accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata remittūtur eis, &c.* quæ ſunt Ioannis verba, *ex cap.* 20.

3 Rogabis, vnde probabitur ratione, hāc inſtitutionem non fuiſſe priùs factam *Matth.* 18? dum Chriſtus Dominus Apoſtolis ſuis dixit, *amen dico vobis, quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlo, & quæcumque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta in Cœlo.* Non ne peccata ſolvere, eſt remittere? & peccata alligare, idem quod retinere? Ergo idem eſt ſenſus, inverſo tamen verborum ordine: vtrobique igitur, vel nullibi, huius ſacramenti inſtitutio continetur. Reſpōdeo ex multiplici capite rationem deſumi poſſe. 1. quia conſtat ex verbis Chriſti, & authoritate concilij, poſtea inſtitutum *Ioann.* 20. & non eſt credibile, imò repugnat, bis fuiſſe inſtitutum. 2. quia *Matth.* 18. nondum erāt diſcipuli conſtituti Sacerdotes: & veriſimile non eſt, eis, ante Sacerdotium, abſolvendi poteſtatem tribuiſſe. 3. quia *Matth.* 18. nullum de præſenti ponitur verbum, ſed omnia de futuro. *Ioann.* autem 20. reperitur illud *accipite Spiritum Sanctum*, quod ſignificat traditionem de præſenti, vt omnes ſacræ Scripturæ Interprætes ad hunc locum adnotant. Non igitur ſola authoritate, ſed ſolida ratione poteſt probari *Matth.* 18. huius Sacramenti inſtitutionem fuiſſe Apoſtolis promiſſam, & poſtea *Ioann.* 20. à Chriſto Domino factam.

***

QVÆSTIO II.

Vtrùm ſit humanum confeſſionis præceptum, an diuinum?

1 HÆreticorum erroribus omiſsis, quos noſtri Doctores longè, latèque referunt, & refellunt, præcipuè Bellarm. *lib. 1. de pœnitentia, c. 10. n. 13.* non defuere aliqui catholici aſſerentes confeſsionem non fuiſſe à Chriſto Domino præceptam, ſed inſinuatam. Vt Apoſtoli, authoritate ipſis cõmiſſo, eam præciperent. Ita D. Bonauent. *in 4. diſt. 17. 2. p art. 1. q. 3.* Et Hugo de S. Victor. *lib. 2. de Sacramentis, part. 14. cap. 1.* Sed magis expreſsè loquuntur Gloſſator *in principi s de pœnitentia, d. 5.* & Panormitanus *in cap. omnis vtriuſque ſexus de pœnitentijs, & remiſsionibus*; vbi docent, confeſsionem fuiſſe præceptam lege humana Eccleſiaſtica, aut Eccleſiaſtica traditione antiqua?

2 Cæterum præceptum confeſsionis eſſe de iure diuino, eſt iam veritas de fide tenenda; ita enim definitum eſt in Concilio Conſtantienſi, *ſeſsione 8.* & in Trident. *ſeſsion. 14. c. 5.* vbi definit, [*inſtitutum eſſe à Domino integram peccatorum confeſsionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis, iure diuino, neceſſariam exiſtere: quia Dominus Ieſus Chriſtus, è terris aſcenſurus ad Cœlos, Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit; tamquã iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur; quo pro poteſtate clauium remiſsionis, aut retentionis peccatorum ſententiam pronuntient.*] Ex his duo inferuntur: primum; hoc Sacramentum inſtitutum eſſe ad modum iudicij, in quo pœnitens eſt accuſator, & Sacerdos iudex; qui audita accuſatione ſententiam profert. Secundum; in illis verbis *Ioann. 20. quorum remiſeritis peccata, &c.* nõ ſolum inſtitutionem Sacramenti, ſed etiam præceptum diuinum confeſsionis contineri: quia ex illis tale præceptum colligit Trident. loco citato, vt conſtat. Vnde iam non ſunt audiendi Scot. Caietan. Medina, Ianſenius, & Gabriel. aſſerẽtes ex verbis Ioann. 20. huiuſmodi præceptum non colligi. Eos citant, & refutant Vazquez, *hic q. 90. dub. 2.* & Suarez *d. 16. à ſectione 5.* vbi *n. 5.* concludit; hanc opinionem ante Tridentinum tollerari poſſe, quia nondum res erat ſatis declarata.

3 Sed ecce grauis iam inſurgit difficultas: qua ſcilicèt ratione, præter authoritatẽ Concilij, poſsit probari in verbis Ioann. non ſolum inſtitutionem, ſed etiam præceptũ contineri? Fateor libenter Chriſtum Dominum conſtituiſſe Sacerdotes iudices: inde tamen non videtur inferri, hoc iudicium eſſe medium neceſſarium ad peccatorum remiſſionem, ſeu Sacramentalem illorum confeſſionem eſſe præceptam: ratio cuique obvia: primò, quia etiam illis verbis conſtituit Sacerdotes iudices peccatorum venialium, & tamen horum confeſsio præcepta non eſt, 2. quia potuit Chriſtus conſtituere Sacerdotes iudices pro his, qui vellent ab ipſis iudicari; & veniam peccatorum per medium faciliùs conſequi; nempe per attritionem, confeſsione ſubſequuta. Vnde igitur convincetur non ita conſtituiſſe? Ergo ex eo, quod Chriſtus Dominus conſtituerit Sacerdotes iudices, cum poteſtate abſolvendi, & retinendi peccata, non benè deducitur præceptum diuinum confeſſionis.

4 P. Vazquez ſupra *dub. 2 n. 11.* & P. Suarez *d. 16. ſect. 2. n. 13.* reſpondent, præceptum confeſsionis nec contineri; nec colligi a Trident. ex illis tantùm verbis, quibus poteſtas abſoluendi confertur, ſed ex vtraque poteſtate ſimul, (abſoluendi ſcilicèt & retinendi:) quamvis enim deficiente præcepto cõfeſsionis, poſſent Sacerdotes remittere peccata, non tamen retinere poſſent, vt de facto in venialibus contingit. Ergo vtraque poteſtas ſimul ſumpta manifeſtè convincit dari præceptum diuinum confeſsionis mortalium.

5 Quid verò ſit hæc poteſtas retinendi peccata? hoc opus, hic labor eſt. P. Vazquez ſupra *num. 18.* dicit eſſe poteſtatem negandi abſolutionem, ita vt, ſi à Sacerdote negetur, detineantur peccata, nec à Deo remittãtur. Vidit ſtatim doctiſsimus P. huius rationis infirmitatem; ac proinde illa quieſcere non potuit: quia nequit Sacerdos, ita negare abſolutionem peccatorum; vt ea negata, nõ poſſint non detineri peccata: eſt enim modus alius obtinendi veniam; cùm poſsit pœnitens vera contritione apud Deum iuſtificari; Ergo non datur in Sacerdote poteſtas negandi abſolutionem, eo modo, quo à P. Vazquez explicatur: qua igitur ratione poteſtas retinendi in illa poteſtate conſiſtet?

6 Propter hæc addit Vazquez *à num. 22.* poteſtatem retinendi peccata eſſe poteſtatem ligandi pœnitentem, non ſolum ad opera ſatisfactoria, ſed etiam ad alia in medellam, & præparationem exhibenda, quæ niſi pœnitens præſtare velit, grauiter peccabit, & conſequẽter actum contritionis elicere non poterit, niſi paratus ſit obedire Sacerdoti, cuius præcepto eſt adſtrictus. Ecce iam quomodo Sacerdos poteſt impedire veniam, & retinere peccata, cum nullo modo poſsit pœnitens iuſtificari, niſi eius voluntati ſubijciatur. Eſt autem hoc diſcrimen, inquit Vazquez, inter mortalia & venialia, quod pro mortalibus, poſsint iniungi ſatisfactiones, & medellæ adimplendæ, antequam abſolvatur, taliter, vt ſi pœnitens nolit confeſſario parere, eius pec-

cata

Digitized by Google

cata maneant detenta & non remiſſa: ſecus autem eſt de venialibus: quia pro illis non tenetur parere inſtructioni Sacerdotis, ſed liberum eſt pœnitenti poſt confeſsionem ante abſolutionē retrocedere, opera iniuncta non adimplendo, & actu doloris eorum veniam impetrare.

7 Acutè ſanè excogitata, ſed quæ difficultatem non evacuant: nam dum Vazquez *num.*25. aſſerit, ante abſolutionem poſſe iniungi à Confeſſario ſatisfactionem, priùs quam abſoluatur, adimplendam: vel loquitur de ſatisfactione, vt eſt purè vindicta, vel vt eſt medela: ſi primum, (vt contendit P. Meratius *de pœnitentia, d.*14.*ſect.*4.*num.*11.) valdè durum eſt, vt benè Suarez; cum nullo teſtimonio, nec ex principijs reuelatis inferri poſsit, Sacerdotem habere poteſtatem imponendi ſpeciale præceptum poſitiuum ex ſua voluntate profectum, quo ante abſolutionem non obſeruato, nequeat pœnitens talis peccati remiſsionem obtinere. Ratio eſt, quia Sacerdos non habet ius negandi abſolutionem pœnitenti acceptanti ſatisfactionem pœnalem, de quo nulla eſt ratio exiſtimandi eam non adimpleturum, poſt abſolutionem. Confirmatur, quia obligatio pœnitentis ad acceptandam pœnitentiam probari ſolet à Doctoribus ex obligatione confeſſarij ad illam imponendam (de quo poſteà) confeſſarius autem non tenetur imponere adimplendam ante abſolutionem. Ergo nec pœnitens illam acceptare.

8 Probatur tandem: nam ex eo, quod ante abſolutionem nolit adimplere pœnitentiam, non facit pœnitens contra Sacramenti integritatem, cum nondum detur eius eſſentia. Ergo nullum eſt caput, vnde poſsit obligari ad opera iniuncta implenda, priùs quam abſolutionis beneficiū obtineat: præcipuè ſi (vt plures ſentiunt) pœnitētia in mortali adimpleta nullum habeat effectum ex opere operato, nec ſtatim, nec recedente fictione. Vt omittam quàm plures eſſe Doctores, etiam poſt Triden. aſſerentes pœnitentem non teneri acceptare pœnitentiam à Confeſſario iniunctam, etiam poſt abſolutionem adimplendam, ſed abſoluendum eſſe, licèt nullam acceptare velit. Cuius ſententiæ ſunt Gregor. Ruiz. Raphael. de Ceſare, Beia, Navarro, Iribarne, Pitigian: & putant probabilem Sot. Ioann. de la Cruz, Villalob. Pharoannius, Vega, & Æſtius, quos citatos inuenies apud Dianam 2.*p.tr.*1.*Miſc.reſolut.*52. & 3.*part.tract.*4.*reſolut.*5. quorum opinionem nō approbo, ſed refero, ne poteſtas certa & indubitata detinendi peccata à re opinabili, & dubia dependeat; ſed quæratur efficax ratio, quæ in omni catholica opinione, intentum convincat.

9 Quod ſi P. Vazquez loquatur de ſatisfactione, vt eſt purè medela, & præparatio requiſita in pœnitente, vt poſsit a peccatis abſolvi, vt planè loquitur *num.*22. dum inquit, *quia obligat ad quædam opera exhibenda in medellam, & præparationem*: reſpondeo, quod hoc non eſt confeſſarium detinere peccata, ſed pœnitentem ſua peccata detinere, cùm non curet habere diſpoſitionem, ad eorum remiſsionem requiſitam. Vnde illud, quod Vazquez vocat præceptum a confeſſario impoſitum, non tam eſt noua impoſitio, quàm declaratio obligationis, quam pœnitens ipſe iure diuino habeat, non accedendi abſque diſpoſitione. Ergo ſi poteſtas detinendi peccata, vt ait Vazquez, nihil aliud eſt, quàm poteſtas imponendi hanc obligationem pœnitenti, nihil aliud erit, quàm poteſtas declarandi pœnitenti ſuam obligationem: hæc autem non eſt illa poteſtas, quæ Sacerdotibus a Chriſto Domino ſpecialiter fuit collata. Cuilibet enim etiam laico talis eſt poteſtas. Præterquam, quod non videò, qua ratione, ex poteſtate detinendi ſic explicata, efficaciter inferatur præceptum diuinum cōfeſsionis, quia benè compatitur, poſſe; imò & teneri Sacerdotem pœnitenti ad ſe accedenti declarare ſuam obligationem, vt virtute clauium poſsit abſolutionem obtinere, & quod pœnitenti omnino liberum ſit accedere, ſicut de facto contingeret, ſi pœnitēs habens tantum venialia, intenderet abſque dolore aliquo abſolutionem obtinere; nonne, tunc poſſet, & teneretur Sacerdos illū de ſua obligatione monere? Alio igitur modo eſt declaranda poteſtas detinendi peccata, vt ex illa præceptum diuinum confeſsionis evidenter poſsit inferri.

§. Vnicus.

Vera & efficax concluſionis probatio.

10 CONvenio cum Doctoribus citatis, præceptum diuinum confeſsionis contineri, ſeu euidenter inferri ex verbis illis Chriſti Domini, *quorum remiſeritis peccata, &c. & quorū retinueritis, &c.* Quod hoc argumento convinco. Veritas verborum Chriſti nequit ſubſiſtere abſque obligatione confeſsionis ex parte pœnitentium. Ergo in verbis Chriſti confeſsionis præceptum continetur, ſeu ex illis evidenter infertur. Antecedens patet, quia ſi peccator non teneretur ſubijcere clauibus ſua lethalia, non daretur in Sacerdotibus poteſtas retinendi, vt contingit in venialibus; ſed in Sacerdotibus eſt poteſtas retinendi læthalia. Ergo & in peccatore obligatio illa ſubijciendi. Eſt argumentum evidens, vtpotè quod procedit ab oppoſito conſequentis ad oppoſitū antecedētis.

11 Iam

11 Iam igitur totius difficultatis nervus conſiſtet in explicandis verbis illis: *Quorum retinueritis peccata*: quibus hoc diuinũ præceptum continetur. Aliorum explicationibus omiſsis, ea mihi placet, quam ſatis indicat S. Leo Papa, *in epiſt. 91. ad Theodorum Forlibienſem Epiſcopum*, quam approbat P. Valētia *de pœnitentia, d. 7. q. 9. puncto 2.* nempè retinendi poteſtatem, nil aliud eſſe, quam talem poteſtatem remittendi mortalia, vt nullum in Cœlis remittatur, quin re, vel in voto, clauibus ſubiectum fuerit. Vnde fit, quod verbis illis, *Quorum retinueritis, &c.* nulla concedatur poteſtas noua Sacerdoti, quæ iam non ſupponatur conceſſa per verba illa præcedētia: *Quorum remiſeritis, &c.* Solum igitur declaratur verbis illis à Chriſto Domino, & explicatur Apoſtolis excellentia poteſtatis ipſis conceſſæ, quaſi diceret: [non vtcumque poteſtatem remittendi peccata vobis concedo; ſed ita vos Iudices conſtituo, vt nullum mortale in Cœlis remittendum ſit, abſque beneficio clauium: id eſt, in re, vel ſaltem in voto.] Sic ſubijci dicitur, quod in propoſito ſaltem implicito confitendi continetur, vt in actu contritionis, & amoris Dei ſuper omnia.

12 Ex hac verborum Chriſti explicatione, quæ difficultatem penitus eneruat, apertè colligitur, poteſtatem retinendi peccata duo dicere: nempè poteſtatem remittendi in recto; & in obliquo obligationem pœnitentis ſubijciendi clauibus. Probatur 1. à ſufficiente partium enumeratione: quia poteſtas retinendi peccata non eſt præciſè poteſtas non abſoluendi: tum quia nihil ſpeciale adderent verba illa, *Quorum retinueritis, &c.* Nam poteſtas remittendi, vtpotè libera, formaliter includit poteſtatem abſolvendi, & non abſoluendi: tum quia, iuxta hanc explicationē, poſſet etiam Sacerdos peccata venialia retinere, cum poſsit abſolvere; & non abſoluere. Nec poteſtas retinēdi eſt poteſtas non remittendi obligationem ad pœnam, vt malè putauit Adrian. *in 4. q. 2. de confeſſ.* quia circa id conceditur poteſtas retinendi, circa quod fuerat conceſſa poteſtas remittendi; ſed poteſtas remittendi non verſatur, circa obligationem pœnæ, ſed circa peccata. Ergo nec poteſtas retinendi. Denique poteſtas retinendi, non eſt poteſtas iniungendi pœnam antè abſolutionem adimplendam (vt probaui contra Meracium) nec iniungendi opera in medelam, & præparationem, (vt contra Vazquez ſtatui) in nullo igitur alio poteſt conſiſtere, quàm in poteſtate remittendi mortalia, connotante obligationem ſubijciendi clauibus.

Probatur inſuper optima ratione. Poſitis omnibus alijs, & deficiente obligatione confeſsionis, non datur poteſtas retinendi peccata. Ergo obligatio confeſsionis eſt aliquod intrinſecè complens eius modi poteſtatem; alioquin non eſſet, cur non poſſet dari poteſtas retinendi peccata abſque obligatione confeſsionis in pœnitente: tunc enim datur aliquid, cùm nihil intrinſecum illi deeſt. Si ergo deficiente obligatione confitendi mortalia, deficit etiam poteſtas retinendi, non eſt cur dicamus obligationem confeſsionis non eſſe aliquid intrinſecum tali poteſtati, non in recto, vt patet, ergo in obliquo.

13 Dices, Sacerdotes non habent poteſtatem retinendi venialia modo explicato. Ergo nec retinendi mortalia. Probatur conſequentia. Tum quia verba Chriſti Domini non magis hæc, quàm illa exprimunt: tum quia circa eadem peccata conceditur poteſtas retinendi, circa quam fuerat conceſſa poteſtas remittendi: Sed hæc non ſolùm mortalia, ſed etiam venialia comprehendit, vt contra Medinam *codice de confeſsione, q. 5.* docent omnes Theologi. Ergo poteſtas retinēdi, non ſolum ad mortalia, ſed etiam ad venialia debet extendi: aliàs diuidendus eſſet verborum Chriſti ſenſus, ita vt *quorum remiſeritis, &c.* omnia comprehendant: *& quorum retinueritis, &c.* ad lethalia ſolum reſtringantur. Reſpondeo cum Suarez *d. 17. ſect. 2. num. 22.* & P. Meratio, *ſect. 7. num. 7. & 8.* poteſtatem remittendi per ſe, & primariò datam eſſe propter mortalia; ſecundariò verò & conſequenter propter venialia: quia mortalia claudunt ianuam regni Cœlorum; venialia autem ad tempus introitum impediunt. Clauis igitur, quæ ſufficit ad impedimentum perpetuum auferendum, cur ad tēporale non ſufficiet? nec ex hoc inferas, poſſe etiam venialia retineri: non enim rectè argues [Chriſtus obligauit ad mortalia; ergò & ad venialia] nam cùm temporale hoc impedimentum ſit, & in purgatorio auferibile; non erat congruum, vt illorum cōfeſsio præciperetur à Chriſto, vt medium neceſſarium ſalutis Quod autem ita res ſe habuerit, manifeſtè probatur; quia vniuerſa Eccleſia ſemper ita intellexit traditione Apoſtolorum, & diuino numine edocta; vnde licet verba Chriſti Domini ex ſe vniformia videantur, quia tamen in ipſo nomine *peccata*, vt ait Suarez, analogia quædam includitur, cũ debita proportione, ratione materiæ, intelligēda ſunt: ſicut & iſta *niſi pœnitentiam egeritis, eorum veniam*, (id eſt peccatorum) *non conſequemini*: in quibus duæ continentur propoſitiones. 1. Quod ſi egerint pœnitentiam, veniam cōſequentur, & hæc tam mortalia, quàm venialia comprehendit. 2. Quod ſi non egerint, nō obtinebunt, quæ tantũ ad mortalia extendūtur. Idem igitur in noſtro caſu dicto.

QVÆS-

Digitized by Google

QVÆSTIO III.

Quo tempore obliget confeſsionis divinum præceptum?

1 PRima ſententia aſſerit obligare ſtatim poſt mortale commiſſum. Ita Guilielmus Pariſienſ. Angel. Alenſis Raynaldus; & pro Religioſis tenet D. Bonauentura, apud Suarez *diſp.*35.*ſect.*3. qui hanc ſententiam non eſſe admodum probabilem modeſtè aſſerit. Sed acrius in illam invehitur Vazquez *quæſt.*90.*art.*3. dicens; iam non poſſe de hac re eſſe opinionem, quia oppoſitum videtur expreſsè definitum *in Trid.ſeſſ.*14.*cap.*5. ibi enim ait Concilium, Eccleſiam ſtatuiſſe, vt præceptum confeſsionis ſaltem ſemel in anno adimpleretur. Quod nihil aliud eſt, quā eius obligationē ſemel tantùm in anno conſtituiſſe. 2. probatur ex praxi, & vſu totius Eccleſiæ intelligentis præceptum diuinū confeſsionis: quis enim pœnitentium, quamtumuis ſcrupuloſus, de omiſſa ſtatim poſt læthale confeſsione vnquā ſe accuſauit? quis ve confeſſarius adeò impertinens extitit ſenex, vt de eiuſmodi omiſsione ſuam interrogatiunculam fecerit? 3. quia cum Eccleſia conſcia ſit homines frequenter intra annum in mortalia ſe ſe præcipites agere, occaſsionem certè tribuiſſet errandi, cùm ex modo imponendi præceptum, in communi hominum ſenſu, ſignificet, ſemel tantum in anno ad confeſsionem teneri. 4. quia tale confitendi onus intolerabile omnino eſſet: non igitur ſine fundamento fidelibus imponendum: hoc autem nullum dabis, nec ab authoritate, nec a ratione petitum; nam ſi aliquod maximè, quia ſtatim poſt mortale teneremur iuſtificari; id autem, præterquam quod a Thomiſtis communiter negatur, poſſet per contritionem rectè fieri: nam licet confeſsio ſit tutior, & facilior modus obtinendi veniam; nullus tamen tenetur tutiorem, & faciliorem modum eligere, ſed ſufficientem, vt cum Medina, Soto, & Adrian. docet P. Vazquez, *q.*90.*art.*1. *dub.*1. *num.*20.

2 Rationes adductæ etiam convincunt contra Sotum *in* 4. *diſt.*18. & contra Medinā *q.*14. *de confeſsione*, non obligare confeſsionis præceptum quovis tempore, quo mortale obliuionis mortalis periculum immineat: id enim omni fundamento deſtitutum eſt; quia integritas, iure diuino neceſſaria, in eo ſalva tur, quod pœnitens ea peccata confiteatur, quorum, poſt diligentem excuſsionem memoriam habeat, vt conſtat ex Tridentino, *ſeſſ.*14. *cap.*5. & praxis communis fidelium ſuadet.

3 2. Communis, & vera ſententia Theologorum aſſerit, præceptum diuinum confeſsionis per ſe obligare in articulo mortis: probatur quia hoc præceptum, etiam ſecluſa determinatione Eccleſiæ, obligat in aliquo tempore; ſed nullum eſt ante mortis articulum aſsignabile, in quo per ſe obliget. Ergo obligat in articulo mortis. Hanc obligationem ſupponit caput *cum infirmitas, de pœnit. & remiſ.* & Pius V. in motu proprio *edito, anno* 1568. qui incipit *ſuper gregem*, vbi præcipit, ne medicus inuiſet infirmum vltra tertium diem, niſi de eius confeſsione ſibi conſtet, per fidem confeſſoris in ſcriptis datam addēs, vt ante gradum Doctoratus exigatur à medicis iuramentum ſeruandi hanc conſtitutionem. Cæterum hoc præceptum, & Pij V. conſtitutio non videtur cum tantò rigore vſu recepta: nam Villalob. aſſerit, Salmanticę non eſſe in vſu, vt medici tale iuramentum præſtent. Sed quidquid ſit de hoc; vbi præſtiterint, ſolum obligabit in quantum cōſtitutio Pij V. fuerit vſu recepta, vt ipſe Villalob. cum Sanchez, & Scortia tenet: vſu autem videtur receptum, vt medicus tunc ſolum teneatur, quando morbus in principio periculoſus iudicatur. Ita Suarez, Vega, Nugnus, Angel, Graſſius; quod ſi infirmus in probabili mortis periculo conſtitutus confiteri renuat, non ideò eſt a medico deſerendus, imò nec monendus, ſi certò credatur monitionem non profuturam, vt docent Sanchez, Villalob. Filliucis, & alij. Inſuper non tenetur exigere fidem Sacerdotis de confeſsione inſcriptis, ſed ſufficiet teſtimonium eorum, qui infirmi curam agunt, ſi fide digni ſint. Sic Philiucius, Scortia, & alij, quos omnes citatos invenies apud Dianam 3. *p. tract.*4. *reſol.* 93. Huius doctrinę ratio videtur eſſe primò: quia lex Pij V. cum toto rigore intellecta eſt valde rigida, & obſeruatu difficilis. Lex autē humana, quam obſeruare, valde difficile eſt, non obligat in conſcientia, vt ait P. Sa, *verb. Lex, n.*1. Deinde quia hæc lex, vel nō fuit vſu recepta, vel partim ſaltem eſt conſuetudine abrogata, vt cum Caietano, & alijs docet Suarez *diſt.*15. *ſect.*3. *n.*5.

4 Eſt tamen valde advertendum, eum, qui poſt confeſsionem in articulo mortis factam, in nouum mortale inciderit, teneri durante mortis periculo, iterum confiteri, imò toties, quoties de nouo laberetur, vt notat Meratius *d.*24. *ſect.*7. quia iure diuino, tenētur fideles omnia ſua læthalia in mortis articulo confiteri: hoc autem præceptum non adimplet, qui habens mortale non vult ante mortem illud confiteri; cùm nolit ante mortem iuſtificari per medium à Chriſto Domino inſtitutum, & præceptum. Deinde quia manifeſtè ſequeretur, aliquod mortale poſſe in hac vita ſine ordine ad claues remitti; hoc eſt ſine

ſine confeſsione in re, vel in voto: cum peccator ille poſſet actu contritionis ſalvari ſine propoſito confitendi: imò & cum voluntate oppoſita. Quod abſque errore in ſide concedi non poteſt.

QVÆSTIO IV.

An præceptum divinum confeſsionis per ſe obliget extra articulum mortis?

1 NOn eſt ſermo de confeſsione ante communionem præmittenda ab eo, qui mortalis peccati conſcientiam habet; de hoc enim quæſtione ſequenti. Præſentis igitur ſenſus eſt; an Chriſtus dominus impoſuerit præceptum confitendi extra articulum mortis; licèt temporis determinationem arbitrio Eccleſiæ faciendam reliquerit? Prima ſententia negat, quam tenent S. Thomas, Scot. Durand. Gabriel. Ricard. Palud. apud Suarez *ſupra num.* 8. Secunda ſententia affirmat, quam ita mordicus defendit P. Vazquez *q.* 90. *art.* 1. *num.* 26. vt definitam eſſe putet in Trident. *ſeſſ.* 14 *cap.* 5. Eandem, licèt non eadem tenacitate, tenent P. Meratius *ſupr. ſect.* 8. Eminentiſsimus noſter Lugo, *diſp.* 15. *de pænitentia*, *ſect.* 3. *n.* 39 & probabilem ait Suarez *ſupr. num.* 9 & mihi placet.

2 Sed valde diſplicet ratio, qua P. Vazquez id probare contendit: eiuſmodi eſt. Sacerdotes habent poteſtatem detinendi peccata, hoc eſt imponendi præceptum ſatisfactionis ante abſolutionem adimplendam ſed hanc poteſtatem non haberent, ſi nemo extra mortis articulum ad confeſsionem teneretur, cum in eo articulo illa poteſtas exerceri nequeat. Ergo, eadem ferè ratione vtitur P. Meratius, ſed vterque meo iudicio efficaciter impugnatur: retorqueo ad hominem argumentum Sacerdos non habet poteſtatem, vt fateris, detinēdi peccata in articulo mortis, quia hæc poteſtas in eo articulo exerceri nequit. Ergo fideles non tenentur iure diuino in illo articulo confiteri: patet conſequētia, quia in doctrina P. Vazquez, & communi Theologorum obligatio confitendi iure diuino, infertur ex poteſtate retinendi peccata. Ergo in ea temporis duratione, qua non eſt poteſtas retinendi, non erit obligatio confitendi.

3 Vrgetur, hæc eſt bona conſequentia: datur in Sacerdote poteſtas remittendi peccata, & obligatio confeſsionis in pœnitente. Ergo datur in Sacerdote poteſtas retinendi: vt igitur hæc poteſtas in articulo mortis deficiat, aliqua huius complexi pars deficere debet; ſed in eo articulo non deficit poteſtas remittendi in Sacerdote. Ergo deficit obligatio confeſsionis in pœnitente. Non concedes.

4 Dices poſſe Sacerdotem etiam in hoc articulo peccata aliqualiter detinere, quia poteſt ſatisfactionem aliquam iniungere, quā ſi pœnitens acceptare nolit, non abſolvatur. Sed contra eſt: quia vel pœnitentia, ante abſolutionem adimplenda, eſt medicinalis, vel eſt pœnalis; non hæc, quia vt probaui, nō habet confeſſarius aliquod ius, vt ante abſolutionem adimpleatur: præterquam quod pœna, quæ iñ illo articulo imponi poteſt, adeò leuis eſt, vt vix poſſet ſub mortali obligare, etiam poſt abſolutionem: non medicinalis, quia cum hæc ordinetur ad præcauendum in poſterum nullum fructum videtur poſſe tunc afferre, nec temporis anguſtiæ permittunt dilationem abſolutionis. Sed quidquid ſit: amice, volo, totum, quod intendis concedere; quid inde habebis? Sanè etiam in articulo mortis poſſe detineri peccata. Non igitur benè arguis eſſe iure diuino obligationem cōfitendi extra articulum mortis, ne alias cogamur dicere, non eſſe in Sacerdotibus poteſtatem detinendi peccata.

5 Veroſimilius igitur, non incongrua coniectura, poteſt hæc ſententia probari: quia hoc Sacramentum, non ſolùm inſtitutum eſt, vt vltimò diſponat hominem iam iam animā agentem, ſed præcipuè ad curandos animi morbos, & ad præſeruandum in poſterum. Congruum igitur eſt, vt non tantùm in articulo mortis, ſed etiam extra illū per ſe obligationem inducat, licèt temporis determinationem ſupremo Eccleſiæ Paſtori, Chriſtus Dominus aſsignandam reliquerit. Secūdò efficaciter probatur authoritate Tridentini *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. vbi ſic habet: *Neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit, vt Chriſti fideles confiterentur, quod iure diuino neceſſarium, & inſtitutum eſſe intellexerat, ſed vt præceptum confeſsionis ſaltem ſemel in anno ab omnibus, & ſingulis, cùm ad annos diſcretionis perueniſſent, adimpleretur.* Ex his, ſic argumentum conficio, Concilium ſtatuit vt præceptum diuinum confeſsionis ſemel in anno adimpleretur, ſed id non ſtatuit de præcepto confitendi in articulo mortis; cùm hoc repugnet; alias ſingulis annis eſſet mortis articulus. Ergo datur aliud præceptum diuinum, de quo id ſtatuit concilium. Ergo eſt præceptum diuinum confitendi extra mortis articulum: relicta tamen Eccleſiæ temporis determinatione, quæ ſi omiſſa ab Eccleſia fuiſſet, non eſſet extra illum articulū obligatio cōfitēdi; eo quod deficeret aſsignatio temporis, quo diuinum præceptum vrgeret, vt docent Vazquez *q.* 90. *art.* 1. *dub.* 5. *n.* 4. & P. Meratius *ſupr. ſect.* 8.

6 Diſputant hic aliqui, an propter periculum

culum reincidendi in noua mortalia, præcepto ſaltem naturali teneantur fideles frequētius, quàm ſemel in anno confiteri? Affirmāt P. Valent. *d. 7. de confeſ. q. 9. punct. 4.* Suar. Reginald. Philiuc. & Fagundez, apud Lugo *de pœnit. diſp. 15 ſect. 4.* Et in eam inclinant Sotus, Caiet. & alij. Fundamentum ſumitur ex eo, quod experientia doceat, hanc confeſsionis frequentiam eſſe medium moraliter neceſſarium ad vitanda peccata: finem autem præcepti, & media ad illum neceſſariò requiſita, ſub eandem obligationem cadere, nullus negat.

7 Contraria tamen ſententia mihi placet, quæ, vt communis, & certa a Theologis ſupponitur: probatur, quia nulla ratione cōvinci poteſt, confeſsionem eſſe medium vnicè neceſſarium ad vitanda peccata; & nō poſſe id fieri per attritionem, & contritionem; ſeu per orationem, & diſciplinam, vel librorum ſpiritualium lectionem. Ergo talis obligatio naturalis confitendi, abſque fundamēto imponitur. 2. quia inficiari nemo poteſt eſſe rem valde dubiam, ſit, necnè, confeſsio medium vnicè neceſſarium ad vitanda peccata, ergo eſt valde dubia hæc obligatio: patet conſequētia, nam obligatio oritur ex neceſsitate medij: ergo nequit eſſe magis certa obligatio, quā fuerit certa medij neceſsitas: dubium igitur eſt eiuſmodi præceptum confeſsionis. In dubio autem, ſit ne præceptum, (ſive humanum, ſive diuinum) nemo illo tenetur, vt benè docent P. Thomas Sanchez *in ſum. lib. 1. c. 10. n. 32.* P. Suarez *tom. 5. in tertiam part. d. 4 ſect. 5. n. 15.* P. Enriquez *lib. 8. de Euchar. c. 45. n. 3. in Gloſſ. littera P.* P. Sà *in ſum. verb. Dub. n. 2.* Cum enim voluntas ſuam poſsideat libertatem ad confeſsionē efficiēdam, congruum non eſt præcepto dubio libertate certa priuari: melior etenim eſt conditio poſsidentis. Præter quamquod mirum ſanè eſſet, talem obligationem nullum vſque ad noſtra tempora Theologorum cognouiſſe; præcipuè, cùm iugum legis antiquis ferreum, & plumbeū fuerit, modernis verò ſuaue, & onus leue. Et magis mirabile, Eccleſiā eam obligationem fidelibus non declaraſſe, ſed ipſo imponendæ obligationis modo, oppoſitum ſemper inſinuaſſe. Obligatio autem adeò valde onerosa, & ſcrupuloſa nō eſt abſque vrgentiſsimo fundamento fidelibus imponenda: alias huius Sacramenti inſtitutio non in remedium, ſed in laqueum eſſet animarum; cum adeò ſit difficile cognitu talis obligationis tempus, & conſequenter mille irretirentur ſcrupulis fidelium conſcientiæ. Vide Eminent. Lugo ſupr. vbi ſatis doctè & accutè, vt aſſolet.

***

QVÆSTIO V.

An præceptum confitendi mortalia ante communionem, ſit diuinum, an Eccleſiaſticum?

1 Diſputauimus in præcedētibus, quo tempore per ſe obliget præceptum diuinum confeſsionis: nunc verò agendum nobis eſt de obligatione confitendi ratione communionis. Quamvis autē ad tractatum de Euchariſtia hanc quæſtionem alij communiter reſervent, hic mihi opportuniùs; viſus eſt locus, vt plena huius præcepti notitia ſtudioſis tradatur. Suppono igitur vt certū poſt decretum Tridentin. *ſeſſ. 13. cap. 7. & canone 11.* in dubium reuocari non poſſe dari in Eccleſia præceptum præmittendi confeſsionem mortalium ad communionem; ibi enim ſtatuit, ac declarat Sancta Synodus: *Illis, quos conſcientia peccati mortalis grauat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia confeſſoris, neceſſariam eſſe confeſsionem ſacramentalem.* Ex quibus patet, mortaliter peccaturum, qui ad ſacram Communionem accederet habens copiam confeſſoris, non præmiſſa mortalium confeſsione, quamtumvis contritus accedat. Quam ob rem cautè legendus eſt Caietanus *in ſumm. verb. Communio, & prim. ad Corinth. 11.* qui oppoſitum affirmat. Verba Caietani in ſumma in editione Veneta, anno 1584. [Secundum Sancti, & Generalis Concilij Tridentini Canones, (vt ibi dicitur) caſtigatiſsima,] hæc ſunt. [Si autem commoditas adeſt confitendi, & habens cōſcientiam peccati mortalis differre vult confeſsionem, & nihilominus communicare, nō damno ipſum peccati mortalis.] Quod tentauit probare ex profeſſo 3. *p. q. 80. art. 4.* cuius opinionem probabilem putauit M. Fumus in Armilla Venetijs cuſa anno 1587. *verb. Communio.* Et M. Paludanus apud Canum *relect. de Pœnit. p. 5.* Et amplectitur M. Baltanàs *in Margarita Confeſſorum, in editione Complutenſi anno 1554. fol. 226.* Quorum ſententiam fuiſſe vt hæreticam damnatam in Tridentino ait M. Corradus eiuſdem inſtituti 2. *p. Reſp. q. 469* Sed oppoſitum tradunt M. Petrus de Soto, M. Victoria, & alij apud Amadæum in editione Matritenſi, *anno 1664. tr. de Euchar. Prop. 3. num. 8.* doctiores iudicent. In gratiam tamen Caietani non ſugillare nō poſſum M. Bañez 1. *p. tom. 1. q. 1. art 8 pag. 121.* dicentem: [Caietanum in contemptu doctrinæ Sanctorum ſe habuiſſe, vt Arrium, Neſtorium, & Eutichem, famoſos ſanè hæreticos.] Potuiſſet ſaniùs viriatis editionibus irreuerentiam tribuiſſe, *vt in Expurg. anno* 1640. notatur. Omiſsio verò confeſsionis, (cum

(cum per ſe non præcipiatur confeſsio, ſed ſolùm vt medium ad finem dignè ſuſcipiendi Euchariſtiam,) nō conſtituit diſtinctum peccatum ab indigna ſuſceptione, quia medium & finis vnū efficiunt in genere moris, vt benè docent Azor. Fagundez, Enriquez, & alij, quos refert, & ſequitur Diana. 2. *part. tract.* 14. *reſolut.* 24. His poſitis.

2. Prima ſententia docet præceptum præmittendi confeſsionem ad communionem eſſe poſitiuum Eccleſiaſticum, perpetua Eccleſiæ conſuetudine obſeruatum. Ita Medina *Codice de confeſsione*. q. 17. Palatius *in* 4. *diſt*. 9. q. 10. & ortum eſſe hoc præceptum ex cōſuetudine Eccleſiæ docet Nauarrus *in ſummac*. 21 *n*. 49. Cuius opinioni videtur fauere Trident ſupra, illis verbis *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius peccati mortalis, &c*. Vbi aſſerere videtur, quod Eccleſiaſtica conſuetudo introduxerit, ac determinauerit ad confeſsionem, probationem illam, quam exigit Paulus. 1. *ad Chorint*. 11. quæ de ſe indifferens erat, vt per confeſsionem, vel per contritionem fieret. Quo ſenſu, vt ait Suarez *tom*. 3. *in tertiam partem*, *d*. 66. *ſect*. 3. vera erunt Concilij verba, etiam ſi hoc præceptum Eccleſiaſticum eſſet. Quod ipſemet Suarez putat probabile, [quia admittendo, inquit, *hoc vniuerſale et antiquum præceptum; an illud ſit iuris humani, vel diuini, mera opinio eſt, vtramque ſententiam* (*nempè eſſe Iuris Diuini*) *ſolùm vt probabiliorem, & magis piam defendimus*. Et hoc præceptum eſſe humanum docet Stephanus Bauni *to*. 1. *de Sacram*. *tract*. 5. *de Euchariſtia*. *quæſt*. 22. Et hanc ſententiam eſſe probabilem dicunt Lælius *in* 3. *partem*, q. 80. *ar*. 4 *dub*. 1. *n* 8. P. Amicus *in curſu Theolog*. *t*. 7. *diſp*. 37. *ſect*. 1. *n*. 8. & Coninch. *in*. 3. *partem* q 80. *arti*. 4. *dub*. 1. *n*. 13. & *dub*. 2. *n*. 17. Pro hac etiam ſententia, militant Armilla, & alij apud Suarez ſupra: & addunt hoc præceptum eſſe nouum in Eccleſia, a Concilio Trident. impoſitum: in quo manifeſtè decipiuntur. Verba enim allata Concilij apertè dicunt, non ipſum hanc neceſitatem impoſuiſſe, ſed Eccleſiaſticam cōſuetudinem illam declaraſſe. Quare ſententiam iſtam, vt erroneam in fide, damnant Catharin. *lib*. 5. contra Caietan. & Syxtus Senenſis. *lib*. 6. *Bibliothecæ annotatione* 261. Quibus accedere videtur Suarez ſupra.

3 Quod hoc præceptum non ſit diuinum poteſt ſuaderi: 1. quia nullibi oſtendi poteſt, nec ſcriptum, nec traditum, nam ſi alicubi, maximè in illis verbis *Pauli*. 1. *ad Chorint*. 11. *probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat*. In his autem ſolùm ſignificatur hominem debere ſuam conſcientiam diligenter examinare; vt ſi indignam ſe inuenerit, non accedat, donec Deo reconciliatus, & amicus factus de pane illo edat, & de calice bibat. Quod quidem non exigit neceſſariò confeſsionem, cùm per actum contritionis, æquò benè obtineri poſsit finis à Paulo intentus: qui alius non eſt, quam ne indignè Euchariſtia ſuſcipiatur, vt conſtat ex verbis illis: *qui manducat, & bibit indignè*. Sic exponit hunc locum Paul. Chryſoſtom. *Homil*. 28. in eam epiſtolam, dicens: *Non præcipit vt alter alteri probetur, ſed ipſe ſibi ſine traductore faciens iudicium, & ſine teſte redargutionem*. Conſonat etiam Theophil. *non, inquit, alium tibi iudicem tribuo, ſed te ipſum tibi ipſi committendo, iudica igitur, & explora conſcientiam tuam, & ſic accede*. Et ſic etiā exponit Paulum Div. Thomas 3. *part*. *quæſt*. 80. *art*. 4. *ad* 5. ibi: *Dicendum quod hoc,* [*quod non habet quis conſcientiam peccati mortalis*] *poteſt contingere dupliciter, vno per culpam ſuam*, &c. *Quia negligens in examinatione ſui ipſius, contra id, quod Apoſtolus dicit* 1. *ad Chorint*. 11. *probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de Calice bibat*. Hæc D. Thomas, ſi igitur Paul. alium iudicem homini non tribuit; non ei præcipit confeſsionem, in hac enim Sacerdotes ſunt à Chriſto Domino Iudices conſtituti.

4 Secundò. Si verba Pauli diuinum præceptum continerent de confeſsione ad communionem præmittenda; non eſſet, cur recurreret & Concilium ad Eccleſiæ conſuetudinem, vt confeſsionis neceſsitatem probaret. Ergo tale præceptum in illis minimè continetur. Accedit, quod ex verbis Pauli, ea generalitate prolatis, obligatio confeſsionis colligi non poteſt; vt expreſsè docent noſter Lugo *tract*. *de Sacram*. *Euchariſt*. *diſput*. 14. *ſect*. 4. *numer*. 72. & Suarez ſupra, §. *Dico* 3. *in medio*, vbi ait; Paulum non ibi agere de obligatione orta ex ſpeciali præcepto præmittendi confeſsionem; ſed ex generali lege dignè, & ſanctè tractandi, quæ ſancta ſunt: hæc autem ſufficienter per actum contritionis adimpleretur: cùm ad alia Sacramenta viuorum recipienda, non requiratur confeſsio, ſed actus contritionis ſufficiat, vt docent communiter Theologi. Ergo tota obligatio confeſsionis, non aliunde ortum habere poteſt, quàm ex conſuetudine Eccleſiæ, quæ probationem de ſe indifferentem determinauit, vt per confeſsionem fieret.

5 3. Adhuc conceſſo, verba D. Pauli præceptum de præmittenda confeſsione con-

tinere: hoc præceptum non domini, ſed Pauli eſſet: iuxta veriorem explicationem Tridentini dicentis: *Quare communicare volenti, reuocandum eſt in memoriā eius præceptum: probet ſe ipſum homo*, &c. vbi illud relatiuum *eius*, non ad dominum, ſed ad Paulum refertur, vt docent Vazquez, & Lugo. Si igitur præceptum non domini, ſed Pauli eſt: cùm ad ſolos Chorinthios illud dirigat Paulus, eos ſolos obligauit, non alios, ad quos Paulus nō ſcripſit, vt omittam, quod leges condere, quæ totam Eccleſiam obligarent, nec Paulus potuit, nec Apoſtolorum alius, præter Petrum; vt docet P. Suarez *l. 10 de fid.*, *ſect. 1. num. 25*. Verum, ſi mauis, conced m libenter Paulo poteſtatem imponendi præceptum toti Eccleſiæ; & quod verbis citatis de præmittenda ad communionem confeſſione, omnibus fidelibus impoſuerit: quid inde? habebis ſanè a temp. re Pauli præceptum Eccleſiaſticum confeſſionis; quod tibi non infecior: ſed vnde probabis efficaciter dari præceptum diuinum? cum nec ex Scriptura, nec ex Concilijs, nec ex Patribus id conſtare poſsit. Propter hæc fortaſſe Scot. *in 4. diſt. 9. quæſt. 1. in extremis verbis* aſſerere videtur, hoc præceptum eſſe Apoſtolicum, ac proinde Eccleſiaſticum.

§. Vnicus.

Probabilior ſententia proponitur, & fundamentis contrariæ ſatisfit.

6 Secunda & probabilior ſententia docet, hoc præceptum eſſe iuris diuini à Chriſto domino latum; ita Suarez, Vazquez, Lugo, ſuprà, & reliqui Theologi Communiter, Corduba, Sotus, Valentia, Coninch, Henriquez; quos cum alijs refert, & ſequitur Bonacina *tom. 1. de ſacram. Euchariſtia, diſp. 4. quæſt. 6. punct. 1. num. 35*. Probatur 1. ex Patribus Aug. Genadio, Cypriano, & alijs, apud Vazquez *ſupra num. 6.* & ex Leone 1. *epiſtola 91. ad Theodorum Epiſcopum, cap. 2.* (Mediator, inquit, Dei, & hominum homo Ieſus Chriſtus hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, id eſt abſoluendi) vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos, ad cōmunionem, per ianuam reconciliationis, admitterent. (Ex quibus argumentum hoc validum videtur confici: ſi actus contritionis ſufficeret, & non eſſet iure diuino confeſsio læthalium præmittenda, non eſſet a Chriſto Domino tradita Sacerdoti poteſtas admittendi ad communionem; hæc enim poteſtas videtur ſupponere, quod pœnitens non habeat ex ſe plenam poteſtatem accedendi, ſed ab alterius voluntate aliquando dependentem. Petrus enim non dicitur habere poteſtatem admittendi regem in Curiam, eo quod ipſe rex de ſe plenam ad id poteſtatem habeat a voluntate Petri omnino independentem. Ergo vt Sacerdos poſsit verè dici habere poteſtatem admittendi ad communionem, opus eſt, vt pœnitens aliquando teneatur, non præmiſſa confeſsione, non accedere. 2. probatur ex Trident. quia loco citato non dixit Eccleſiaſticam cōſuetudinem hoc præceptum introduxiſſe, ſed *declaraſſe*, quod eſt idem, ac dicere, non eſſe ab Eccleſia introductum, ſed perpetuò obſeruatum, quod Eccleſiaſtica conſuetudo declarat.

7 3. Iuxta regulam Aug. *lib. 5. de Baptiſmus, cap. 24* indicium iuris domini eſt, quando aliquid ab vniuerſa Eccleſia obſeruatur, quod nec ab aliquo Pontifice, nec a Concilio præceptum eſt, ſed initium eius ignoratur; ac perpetuò in Eccleſia eſt obſeruatum: ſed eiuſmodi eſt conſuetudo, de qua hic diſputatur, vt ex dictis patet: ergo. Neque enim credibile eſt totam Eccleſiam in hanc conſuetudinem præmittendi confeſsionem ad communionem potius, quàm ad alia ſacramenta recipienda, conſpiraſſe, niſi præcepto aliquo diuino ad id cogeretur: cum adeò intolerabile onus ſit, vt nulla conſuetudine, vtpote legis humanæ tantum vim habente, potuerit hæc obligatio introduci (iuxta plurium Doctorum ſententiam de qua infra) ſignum igitur euidens eſt, traditione Apoſtolica in Eccleſia ſemper conſtitiſſe, hoc præceptum a Chriſto Domino latum fuiſſe. Ex hoc fundamento poteſt non leuiter coniectari, illud Pauli præceptum, *probet ſe ipſum homo*, de ea probatione loqui, quæ tunc temporis, ſicut & modo, præcepta a Chriſto Domino, & per Apoſtolos explicita ſupponebatur: nempè de probatione per SacramentalemConfeſsionem. Cū enim hæc probatio, & non alia ad communionem ſufficeret, non potuit D. Paulus de alia probatione ſermonem inſtituere. Verba etenim, licèt in differentia, & ea generalitate prolata, communi praxi, & intelligentia, fidelium, ad confeſsionem reſtringebantur. Accedit, quod Paulus, ſe accepiſſe a Domino, hoc præceptum, planè fatetur, præcedentibus verbis: *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis*; quæ ad omnia ſubſequentia, circa Euchariſtiæ cultum, referenda ſunt.

8 4. Probatur ab abſurdo: nam ſi hoc præceptum eſſet Eccleſiaſticum, non eſſet certa, ſed probabilis tantum obligatio confiten-

tendi peccata mortalia ante communionem; cum probabilier plures Doctores teneanr Eccleſiam non habere poteſtatem præcipiendi confeſsionem. Ita cenſet Durand. Sotus, Caietanus, Nauarr. & Paludan. apud Vazquez *de pœnitentia, quæſt. 90. artic. 1. dub. 4.* Et ſaltem non poſſe eam præcipere, ea integritate, qua de facto eſt a Chriſto Domino inſtituta, docet Eminentiſsimus noſter Lugo *de pænitentia, diſput. 15. ſect. 6.* Dices, hoc non ſequi: nam hoc præceptum eſt Eccleſiaſticum, quoadmodum tantum, & diuinum quoad ſubſtantiam. Eccleſia enim determinauit, vt præceptum diuinum confeſsionis ante communionem adimpleretur, ſicut de præcepto annuæ confeſsionis ſuprà diximus *cap. 5.* Contra eſt: quia ſaltem ante Tridentinum, non fuiſſet obligatio præmittendi confeſsionem, cum nullibi antea inveniatur facta hæc temporis determinatio. Quod fuit erroris Caietani fundamentum: deinde nobis conſtat, ex declaratione Tridentini, Eccleſiam determinaſſe, vt præceptum diuinum confeſsionis ſaltem ſemel in anno adimpleretur, & nobis non conſtat determinauiſſe, vt præceptum diuinum confeſsionis ante communionem adimpleatur. Concilium etenim tantùm dixit, *ſeſtatuere, ac declarare neceſſariam eſſe confeſsionem.* Quibus verbis, ſi confeſsionem præcipit, non eſt vnde colligatur modificare præceptum diuinum, potius quàm ipſius confeſsionis ſubſtitutiam præcipere. Et cùm hæc expoſitio fauorabilior eſſet, hæc eſſet amplectenda: ea autem poſsita, negari non poſſet probabilitas noſtræ ſequelæ, quæ omnino improbalis, & falſa eſt.

9 5. Tandem probatur, quia ſi præceptum illud Eccleſiaſticum eſſet, non obligaret, vbi receptum non eſſet, vt de reliquis Eccleſiaſticis legibus docent plures Theologi. Præterea poſſet, contra illud contraria conſuetudine præſcribi: & in illo poſſet Pontifex diſpenſare: poſſentque plures aliæ latitudines huic præcepto applicari; quæ præceptis recitandi horas, & audiendi ſacrum, conferuntur. Et conſequenter poſſet alicubi eſſe vera doctrina Caietani negans obligationem confeſsionis præuiæ ad communionem; *quam ſiquis docere, prædicare, vel pertinaciter aſſerere, ſeu publicè diſputando defendere præſumpſerit*, eo ipſo excommunicatur a Concilio. Quod ſignum euidens eſt, eam obligationem non eſſe talem, quæ recipi non poſsit, aut contra illam per conſuetudinem præſcribi: aliàs poſſet doceri, & prædicari doctrina negans, ſine incurſione cenſuræ. Hæc omnia ſufficienter ſuadent hoc præceptum eſſe diuinum ex Apoſt. & ex Eccleſiæ determinatione, ita perpetuò obſeruatum.

10 Ad argumenta ſententiæ oppoſitæ: Ad primum reſpondeo, verba illa Pauli, licèt de ſe indifferentia, determinatè ſemper ſignaſſe probationem per confeſsionem, quia praxis præcepti diuini per Apoſtolos publicati iam illa determinauerat; & fortè Paul. de hac probatione neceſſaria, prius inſtruxerat Chorintios. Quod videtur ſupponere in illis verbis: *Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis.* Verba enim vltima, vtpotè de præterito, hunc ſenſum planum efficere videntur. Ad Chriſoſtomum, & Teophil. reſpondeo, cum Vazquez, & Lugo ſuprà, hos Patres committere primum conſcientiæ examen ipſimet pœnitenti; qui ſolus abſque teſte, & iudice, debet ſe examinare, vt ſi dignum invenerit, ad communionem accedat; quodſi indignum ſe reperiat, dignum ſe opera Sacerdotis efficiat, vt eorum verba expendenti conſtabit.

11 Ad ſecundum reſpondeo, Concilium non recurriſſe ad conſuetudinem Eccleſiæ tanquam ad radicem, ſed tanquam ad ſignum obligationis, & ideò dixit conſuetudinem illam obligationem declaraſſe, non verò introduxiſſe, quod eſt valde notandum. Ad tertium facilè reſpondeo, hoc præceptum eſſe Pauli, & Domini: illius vt cauſæ inſtrumentalis publicantis præceptum; illius verò vt cauſæ principalis illud imponentis: nec mirum, quod in moralibus, ſicut in phiſicis, indiſcriminatim tribuatur effectus inſtrumento, & cauſæ principali.

QVÆSTIO VI.

Quo tempore anni obliget præceptum Eccleſiaſticum confeſsionis?

1 SVppono 1. in Concilio Lateranenſi *cap. omnis vtriuſque ſexus*, præceptum contineri, vt ſemel, ſaltem, in anno ſua quiſque fidelis mortalia confiteatur. Quod definitum eſt in Tridentino *ſeſsione 14. canone 8.* vnde non eſt audiendus Durand. *in 4. diſtinct. 17. q. 14.* aſſerens tale præceptum in dicto capite non contineri. Suppono 2. hoc præceptum non eſſe purè Eccleſiaſticum, ſed mixtum, ideſt, diuinum quoad ſubſtantiam rei præceptæ, & humanum quoad circunſtantiam temporis extrinſeci; vt conſtat ex doctrina, quam ſuprà reiecimus. Cũ enim detur præceptum diuinum confeſsionis extra articulum mortis vage, relinquendo Eccleſiæ determinationem temporis; Eccleſia dum annuam confeſsionem præcipit, nihil aliud facit, quàm modificare præceptum illud diuinum, determinando

tempus obligationis a Chriſto Domino impoſitæ.

2 Difficultas igitur eſt, quo anni tempore obliget confeſsionis præceptum? In qua omiſsis varijs dicendi modis, quos apud Authores paſsim invenies: duplex eſt in hac materia communior. Primus, tempus huius obligationis eſſe integrum annum: quem alij computandum dicunt ab vna Quadrageſima ad alteram, vel ab vno Paſchate in alterum: ita Laiman, Bonacina, Reginaldus, & alij, quos ſequitur Leander *tract. 5. diſput. 3. quæſt.* 40. Alij verò computandum a prima die Ianuarij, vſque ad vltimam Decembris; ita vt quouis die anni, adimpleatur præceptum. Probant ex verbis Concilij Lateranenſi ſtatuentis, *vt ſaltem ſemel in anno fiat*: quod verificatur, quocum die anni fiat: ſicut ſemel in die recitatur officium, quavis diei hora recitetur, ita Meratius *diſp. 25. ſect. 4.* Lugo *diſp. 15. ſect. 7.* Vazquez *quæſt. 90. artic. 3. dub.* 1. Philliucius, Nugnus, Azor, Valentia, Henriquez, & alij, quos citat & ſequitur Diana *2. parte, tract. 3. Miſcellan. reſolut. 54. & 3. parte, tract. 4. reſolut.* 81.

3 Secundus dicendi modus eſt, huiuſmodi præceptum obligare ad confeſsionem faciendam, tempore Quadrageſimæ; includendo dies illos 8. proxime ſubſequentes Paſcha; ita vt infra hoc tempus confiteri teneatur, qui habuerit conſcientiam peccati mortalis non confeſsi. Hæc ſententia eſt expreſſa Patris Fagundez *2. præcepto Eccleſiæ, libr. 1. cap. 3. numer. 5.* Patris Azor *tom. 1. libro ſeptimo, cap.* 41. & tenet Medina *Codice de Confeſsione, quæſt. de Confeſsione ſemel in anno.* Petrus de Soto *lectio 5. de Confeſsione.* Pater Suarez *diſput. 30. ſect. 3. numer. 10. & 11.* & mihi arridet; moueor, quia licèt verba Concilij maiorem latitudinem videantur continere, tamen tum ex fine legis, tum ex communi vſu, & conſuetudine, optima legum interpræte, ita reſtringenda videntur; nec enim de obligatione confeſsionis ſemel in anno philoſophandum eſt, ſicut de obligatione ieiunandi ſemel in hebdomada, ſiue recitandi officium ſemel in die, vt ipſi adverſarij fatentur. Quod ex eo patet; quia vt ipſi meritò docent, cum Soto, Nauarro, Medina, & tenent Henriquez, Fagundez, Laiman, Villalobos, Coninch, quos citat, & ſequitur Diana *3. part. tract. 4. reſolut. 130. & 135.* ille qui toto anno confeſſus non eſt, tenetur initio ſequentis anni ſtatim confiteri; eo quod finis huius præcepti ſit, ne fideles nimium differant confeſsionem: ſecùs autem contingit in præcepto recitandi; qui enim hodierna die non recitaſſet, non teneretur die craſtina ad Officium omiſſum.

4 Ex his poteſt in hunc modum formari argumentum: præceptum annuæ confeſsionis, partim affirmatiuum, partim negatiuum eſt, vt conſtat ex fine præcepti, quem adverſarij non negant. Quare hæc duo implicitè, ſeu explicitè continet: *ſubij celitibus tua peccata ſemel in anno*; quod eſt affirmatiuum: *& ne differas confeſsionem vltra annum*, quod negatiuum eſt. Ergo, qui vltra annum ſaltem Eccleſiaſticum, nempe a Quadrageſima in quadrageſimam, differat confeſsionem, faciet manifeſtè contra hoc præceptum: ſed ſi in quolibet anni die, computatione facta a Ianuario ad Decembrem, poſſet adimpleri præceptum, poſſet vltra annum differri confeſsio. Ergo non eſt ſic facienda computatio. Minor patet: quia poterit quis confiteri initio anni 76. & differre confeſsionem vſque ad finem anni 77. ac proinde fere per biennium: ergo iuxta mentem Concilij, non eſt ſic intelligendum præceptum; nec anni computatio facienda. Digluriunt abſurdum illarum Vazquez, *quæſt. 90. art. 1. dub. 4. numer.* 23. & Lugo *diſput. 15. de pœnitentia, ſect. 7. numer.* 161. Sed conſequentiam doctrinæ non capio: ſi enim differre confeſsionem per biennium non videtur ipſis dilatio ſufficiens ad contraveniendum menti Concilij, vnde colligunt ex fine à Concilio intento, eum, qui hoc anno non adimpleuit confeſsionis præceptum, teneri initio anni ſequentis, ſtatim confiteri? quamvis enim, hoc anno elapſo, obligatio confitendi in eo, finiatur; non differetur confeſsio vltra biennium; cùm ſequenti anno confeſsionis præceptum vrgeat. Confirmatur: licèt verba Concilij affirmatiua ſint, & ſemel in anno affirmatiuè confeſsionem præcipiant; tamen ex fine Concilij manifeſtè colligitur, continere etiam præceptum negatiuum, non differendi confeſsionem vltra annum, vt libenter adverſarij fatentur; ergo licèt verba Concilij, vt ſonant, nil aliud videãtur præcipere, quàm confiteri intra annum; tamen ex fine Concilij manifeſtè colligi debet tempus huius obligationis ſic præſcribendum, & annum computandum; vt confeſſio nequeat per biennium differri. Et ſanè ſi Concilij verbis præcisè, & non fini præcepti attendendum; magis conſequenter loquuntur Philliucius, Sylveſter, Tabiena, Valentia, & Megala, apud Dianam *3. part. tract. 4. reſolut. 130. & 135.* qui elapſo anno obligationem confitendi finiri etiam exiſtimant. Verba enim Concilij; ſi ab intento fine preſcindas; maiorem obligationem non præſeferunt, quàm præcepti affirmatiui cõfitendi

ſemel

Digitized by Google

ſemel in anno. Ergo ſicut præceptum recitandi officium diuinum, quod affirmatiuum tantum eſt; intra diem, & non vltra obligat; ita præceptum confitendi intra annum, & non vltra obligaret. Ergo qui hoc anno non confiteretur, non teneretur initio ſequẽtis confiteri.

5 Hinc ratio a priori noſtræ concluſionis. Eo modo debet intelligi præceptum, & fieri anni computatio; quo mens concilij, de non differẽda vltra annum mortalium confeſsione, adimpleatur: ſed ſi præceptum non accipiatur modo, quo diximus, non adimpletur mens concilij. Ergo ſic & non aliter eſt accipiendum. Obligat igitur præceptum confeſsionis intra tempus præfixum Quadrageſimæ, nec illi ſatiſfit per confeſsionem alio tempore factam. Quod verò aliquando inter vnam, & alteram confeſsionem vndecim menſes, & aliquãdo 13. interfluxerint; parum intereſt, annus enim Eccleſiaſticus hãc patitur latitudinem.

6 3. Probatur ex conſuetudine, communi praxi fidelium, & Eccleſiæ authoritate comprobata: nullus enim eſt, qui tempore Quadrageſimæ conſcientiam lethalis habens, non exiſtimet ad confeſsionem teneri; licèt alias intra annum de mortalibus iam fuerit confeſſus, & hoc licèt communicaturus non eſſet: quando confeſsionem, & communionem omittunt, duplicis peccati putantur rei. Deinde Parochi denuntiant omnes, qui eo tempore non confitentur, & cenſuris ad confeſsionem compellere ſolent. Signum ergo eſt, conſuetudine Eccleſiæ hoc præceptum ſic intellectum, & interpretatum fuiſſe. Quod clarè conſtare videtur, ex Tridentin. *ſeſsion.* 14 *cap.* 5. vbi ait: *Vnde iam in vniuerſa Eccleſia obſeruatur mos ille ſalutaris confitendi ſacro illo, & maximè acceptabili tempore Quadrageſimæ; quem morem hæc Sancta Synodus maximè probat, & amplectitur, tanquam pium, & meritò retinendum.* Quod autem mos iſte vim præcepti habeat, colligitur clarè *ex canone* 8. eiuſdem ſeſsionis, in quo ait Concilium. *Siquis dix. rit ſuadendum eſſe Chriſti fidelibus, vt non confiteantur tempore Quadrageſimæ, anathema ſit.* Ex quibus ſic vrgeo; ſi non eſſet præceptum confitendi tempore Quadrageſimæ, rectè poſſet ſuaderi fidelibus, vt tempore Quadrageſimæ non confiteantur, ſed hoc facientes anathematizat Concilium. Ergo extat præceptum confitendi tempore Quadrageſimæ.

7. 4. Probatur ex extravag. Syſti IV. *de tregua, & pace.* vbi dicit parochianos de iure teneri *ſaltem in Paſchate proprio Sacerdoti confiteri.* Quod ſi reſpondeas cum Pa-tre Lugo, ibi non determinari tempus excluſiue, ita vt non in alio debeat obſeruari præceptum, ſed ſaltem tunc ratione communionis debere fieri: contra eſt; quia verba illa tempus confeſsionis ita determinãt; vt confeſsione ante illud facta nequeat præcepto fieri ſatis. Ratio eſt, quia eodem modo determinat Syſtus IV. tempus Paſchatis, ac Conciliũ Lateranenſe tempus vnius anni: concilium enim ait *ſaltem ſemel in anno*, & Syſtus IV. *ſaltem in Paſchate teneri*: ſed præcepto Lateranẽſi nequit ſatiſfieri per cõfeſsionem factam ante annum inceptũ: ergo præcepto Syſti IV. ſeu declarationi iuris; nequit ſatiſfieri confeſsione facta ante Paſcha. Quod autem addit P. Lugo extrauagantem illam eſſe reuocatam, quoad onus confitendi proprio Parocho; non inficior: hoc tamen nõ tollit manere in ſua vi, quoad tempus adimpletionis præcepti in ea determinatum. Illud enim per Religionum priuilegia eſt poſtea reuocatum; iſtud verò non conſtat, nec priuilegio, nec conſuetudine reuocatum fuiſſe; porius hæc firmat oppoſitum: & hoc innuit Syſtus IV. verbis illis *de iure teneri, &c.* Significat enim ius commune *in capite omnes vtriuſque ſexus*, conſuetudine vbique recepta, ita declaratum fuiſſe. Ergo abſolutè tenendum eſt præceptum confeſsionis annuæ obligare in Quadrageſima, ſeu Paſchate, omnes Chriſti fideles; qui tunc temporis conſcientiam peccati mortalis habeant.

§. Conſectaria.

Ex doctrina tradita aliqua dubiola reſoluuntur.

8 Dubitabis 1. an; qui initio anni confitetur mortalia, quorum tunc recordatur, ſi ante finem anni Eccleſiaſtici, mortaliter iterum delinquat; teneatur illo anno iterum confiteri. Negant Lugo d. 15. *ſect.* 6. Pater Conich *de Sacramentis*, *diſput.* 5. *dub.* 7. *numer.* 58. Pater Henriquez *libr.* 4. *de Sacramentis*, *cap.* 4. *numer* 7. affirmant Suarez d. 36. *ſect.* 3. *numer.* 9. & 10. Sotus *de neceſsitate confeſsionis*, *ſect.* 5. Megala *primera part. libr.* 5. *cap.* 3. *numer.* 3. & mihi conſequenter ad dicta placet, quia nequit fieri ſatis præcepto, per confeſsionem non præceptam; ſed confeſsio mortalium extra tempus Quadrageſimæ, ſeu Paſchatis, non eſt illa, quam præcipit Eccleſia ſemel in anno. Ergo per illam non fit ſatis præcepto annuæ confeſsionis. Confirmatur: nam qui intra annum ſæpius de venialibus ſe accuſaſſet,

ſaſſet, ſi poſtea in mortale laberetur, teneretur illud confiteri: (quidquid in contrarium dicat Petrus de Ochagauia, cuius opinionem putat Mercerus probabilem, apud Dianam 4. *parte, tract. 4. reſolut. 206*) ratio eſt; quia præceptum non eſt de confeſsione vt cumque, ſed de mortalium confeſsione, vt benè docent Vazquez, *quæſt. 90. artic. 3. dub. 1. num. 16.* Lugo *ſuprà ſect. 7. num. 162.* ſi igitur, vt ex dictis conſtat, non ſatis ſit præcepto confeſsionis per mortalium confeſsionem intra annum factam, tenebitur in Quadrageſima, ſeu Paſchate, iterum confiteri, ſi tunc temporis conſcientiam mortalis habeat; ſecus minimè: quia Eccleſia non intendit obligare ad bis confitendum idem læthale, nec ad confitenda venialia, deficiente mortali; vt meritò tenent Suarez Vazquez, Laiman, Fagundez, quos refert, & ſequitur Diana 3. *parte tract. 4. reſolut. 125.* (quamuis Diu. Thomas in oppoſitum magis inclinet *in additione ad tertiam partè, quæſt 6 artic. 3. in corpore, & ad 3.*) cuius ratio eſt, quia præceptum Eccleſiaſticum, vt vidimus, eſt modificatiuum diuini, tempus obligationis determinans. Ergo ſolum obligat ad confitendum tempore determinato ea peccata, quæ iure diuino tenentur fideles confiteri; ſed iure diuino, nec ad venialia, nec ad mortalia iam ſemel ritè confeſſa tenentur. Ergo.

9 Quod ſiquis in confeſsione mortalium, qua præcepto ſatisfecit, aliquod peccatum ex iuſta cauſa, ſeu ex obliuione omiſerit, non tenebitur vſque adſequentem Quadrageſimam illud confiteri; vt benè aduertunt Pater Lugo ſuprà *num. 165.* & Pater Meratius *d. 25. ſect. 5.* & tenent Villalobos, Suarez, Laiman, Phillucius, Fagundez, Toletus, Victoria, quos ſequitur Diana *ſuprà reſolut. 224.* Probatur, quia iam ſemel in anno, & in Quadrageſima, ſeu Paſchate confeſſus eſt omnia mortalia, quorum poſt diligens ſuæ conſcientiæ examen recordatur; & quo tunc poterat clauibus ſubijcere. Ergo verè ſatisfecit præcepto; ergo non tenetur illo anno iterum confiteri: ſecus verò dicendum, ſi confeſsio, in qua interuenit obliuio, ſeu iuſta cauſa tacendi, fuiſſet facta extra prædictum tempus, & poſtea intra tempus, pro quo eſt latum præceptum, recordaretur peccati mortalis, ſeu ceſſaret cauſa tacendi; tunc enim teneretur intra illud Quadrageſimæ tempus confiteri; quia tempore, quo vrget præceptum, eſt conſcius mortalis, & per priorem confeſsionem, vtpotè ante Quadrageſimam, præceptum non adimpleuit.

10 Dubitabis 2. vtrum, qui elapſo tempore Paſchatis, initio Ianuarij ſequentis, cõfiteretur, eo quod tempore præſcripto præceptum non adimpleuerit, teneatur eodem anno iterum confiteri? Reſpondeo affirmatiuè cum Suarez: nec in noſtris principijs, poteſt eſſe controuerſia; cum præceptum confeſsionis obliget in Quadraſima; ſi verò anni computatio fiat a Ianuario in Decembrem, conſequenter aſſerit Lugo non teneri iterum eo anno confiteri; quia ſi initio anni ſequentis ob rationem prædictam confiteatur, iam ſemel in eo anno eſt confeſſus; & non tenetur confeſsiones præteritas compẽſare: alias qui per 20. annos, non eſſet confeſſus, teneretur in vno 20. confeſsiones facere; quod nullus vnquam ſomniauit. Ideò hanc ſententiam tenet etiam P. Meratius *d. 25. ſect. 4. in fine.*

QVÆSTIO VII.

Vtrum prævidens poſtea ſibi non futuram opportunitatem confitendi, teneatur ante Quadrageſimam prævenire confeſsionem?

1 Reſpondent affirmatiuè communiter Doctores. P. Meratius *diſp. 25. ſect. 5.* Lugo *diſp. 15. ſect. 7. num. 182* Valentia hic *diſp. 7. q. 9. punct. 4* Fagundez *præcepto 3 lib. 1. cap. 6.* Vazquez *q. 90. art 3. dub. 2.* Suarez *d. 36. ſect. 5. num. 5.* & alij apud ipſos. Omnium ratio eſt, quia obligatio confitendi ſemel in anno, directè cadit in totum annum, nec vltimum eius diem determinat. Ergo intra annum tenetur quis prævenire confeſsionem; ſi in parte reſtante nequeat præceptum adimplere. Vt conſtat in habente præceptum recitandi horas, & in præcepto audiendi Sacrum, & in alijs huius generis: teneretur quippè quis mane totum officiũ recitare, ſi veſpere non poſsit, & ſacrum audire hora 8. ſi non poſsit in reliquis. Horum Doctorum ratio, meo iudicio, manifeſtè cõuincit intentum, in opinione computante annum à Ianuario in Decembrem: ſecùs in noſtra aſſerente obligationem hanc ſolum eſſe confitendi in Quadrageſima, ſeu Paſchate. Quare miror Patrem Suarez, & Fagundez nobiſcum ſentientes in hanc opinionem veniſſe.

2 Nihilominus ſecunda ſententia negat talem obligationem, quomodocumque fiat anni computatio: aſſerit enim abſolutè, neminem teneri præuenire confeſsionem, licèt previdea in toto reliquo anni non habiturum confeſſarium, aut qui poſsit a reſeruatis abſoluere. Hanc tenent aliqui apud Petrum de Ledeſma, *cap. 8 de pœnitent. fol. 49.* & ipſe aſſerit non eſſe improbabilem: & eam probabilem vocat Ioannes de la Cruz *in di-*

recto-

rectorio conſcientiæ, part. 2. de Sacram. Pœnitentiæ, q. 3. dub. 3. concluſ. 2. & probabilē etiā videntur putate Ioann. Sanch. *in ſelectis, diſp. 11. num. 6.* & P. Sà *verbo Confeſsio, num. 5.* & Fr. Leander *diſp. 3. q. 47.* quia contrarium vocet longè probabilius: & Antoninus Diana *3. part. tract. 4. de Sacram. reſolut.* 69. illam referens, non improbat, quod eſt ſignum approbationis, iuxta doctrinam P. Sāch. *in ſumm. lib. 2. cap. 39. num. 4.* Hæc ſententia, licet in principijs horum doctorum falſa ſit; eſt tamen milu tenenda in conſequentia doctrinæ, quam ſupra ſtatui, vbi probaui præceptum confeſsionis ſolùm obligare in Quadragcſima & Paſchate.

3 Probatur ratione: quia nullus tenetur ad rem præceptam ante tempus, pro quo eſt latum præceptum: ſed præceptum confeſsionis non eſt latum pro tempore antecedente Quadrageſimam. Ergo ante hoc tempus nemo tenetur ad confeſsionem præveniendā. Coiiſequentia eſt legitima, minor ſupra probata. Maior eſt communis Theologorum ſententia; & poteſt plurimis demonſtrari exemplis. Qui præuidet fore, vt non poſsit die Dominica audire ſacrum, non tenetur in die Sabbati audire, & qui præuidet fore, vt non poſsit ieiunare in Quadrageſima, non debet ante illam ieiunare: & qui prævidet non habiturum confeſſarium anno ſequenti, non tenetur in præſenti prævenire confeſsionem ſequentis, (vt fatentur Fr. Leander *ſup. tract. 5 diſp. 3. q. 46.* & alij apud ipſum.) Ergo, qui præuidet in tota Quadrageſima, & Paſchate, non habiturum confeſſarium, non tenetur ante inceptam Quadrageſimam confiteri: patet conſequentia, quia ſicut in contraria opinione tempus, pro quo eſt latum præceptum, eſt annus integer, ita in noſtra eſt Quadrageſima cum Paſchate. Ergo ſicut in ea opinione cōparatur præſens annus cū ſeqnēte; ita, in noſtra, tempus ante Quadrageſimam debet cum ipſa comparari. Ergo ſicut, in contraria opinione, non eſt obligatio ante annum inceptum, ita in noſtra, non erit ante Quadrageſimam inceptam.

4 Confirmatur, qui præuidet futurum vt in Paſchate non poſsit Euchariſtiam accipere, non tenetur ante Paſcha communicare, (vt docent Azor. *tom. 1. lib. 7. cap. 41. q. 13.* Pitigian & alij, quos refert & ſequitur Diana *3. par. tract. 4. reſol. 42.* Suarez, Reginald. Filliucius, Ægidius, Ionacina, Victorelus & alij quos citatos ſequitur Leander *de Euchariſtia, tract. 7. diſp. 3. q. 30.*) Ergo quis præuidet in Quadrageſima, & Paſchate, non poſſe confiteri; non tenetur ante Quadrageſimam: eadem enim eſt vtriuſque ratio, vt benè cum Fagundez tradit Leander *ſupra tract. 5. de Pœnitentia citato, diſp. 3.* & idem præcepti finis, vt benè advertit Vazquez ſupra *num. 13.* quia non tantùm inſtitutum eſt præceptum Euchariſtiæ in honorem Cœnæ Dominicæ; ſed etiam eo præcepto frequentia huius Sacramenti ſtatuitur; & modificatur præceptum diuinum communicandi extra articulum mortis: ac proinde Eccleſia determinando tempus: frequentiam etiam determinat: ſi igitur non tenetur quis præuenire communionem, (quod ita certum ait Azor; vt nullum ipſe viderit contrarium aſſerentem) cur non idem in noſtro caſu dicemus?

5 Obijcies; ſi nemo tenetur præuenire confeſsionem ante Quadrageſimam, non frequentabitur Sacramentum, iuxta præceptum Concilij: quia poſſet integer annus ſine confeſsione præteriri, &, eo elapſo, obligatio penitentis non eſſet vſque ad ſequentem Quadrageſimam. Reſpondeo 1. per inſtantiam, in Sacramento Euchariſtiæ, contra cuius etiam frequentiam æquè militat obiectio. Reſpondeo 2 ex dictis, neminem teneri ante tempus obligationis præuenire confeſsionem: aliàs, qui per 20. annos non eſſet habiturus confeſſarium, teneretur hoc anno 20. confeſsiones præuenire, caſu, quo poſt quamlibet illarum, grauiter iterum peccaſſet. Ad obiectionem igitur fateor, concilium intendere frequentiam annualem confeſsionis, & communionis: hic enim eſt Concilij finis; freqnētia autem non eſt præcepta ea latitudine, qua finis eſt, ſed tantùm præcipitur frequentia, in Quadrageſima, & Paſchate, determinando tempus, vltra quod Sacramenti ſuſceptio nō differatur, ita vt ſi tempore præfixo non adimpleatur præceptum, non eo ipſo finiatur, ſed potiùs continuetur obligatio confitendi; propter quod ſupra monui, præceptum iſtud partim affirmatiuum, partim negatiuum eſſe.

6 Huius expoſitionis præcepti veritas efficaciter probatur, authoritate totius Eccleſiæ, & communi praxi Prælatorum excommunicantium eos, qui in Quadrageſima non confitentur, ſeu in Paſchate non communicant; quam excommunicationem illi tantùm incurrunt, qui hebdomada ſequenti tempus ab Eccleſia inductum, hæc Sacramenta non recipiunt. Ergo omnes Eccleſiæ Prælati ſupponunt, eo tempore tranſacto, manere obligationem: aliàs, cùm ipſi non poſsint præcipere confeſsionem, nec modificare præceptum diuinum, quoad circunſtantiam temporis: nulli præcepto opponeretur confeſsionis, & communionis omiſsio: & conſequenter, qui, Quadrageſimæ, & Paſchatis tempore tranſacto, non confiteretur, ſeu non communicaret, non incurreret excommunicationē, quæ neceſſariò peccatum ſupponit. Hæc ratio evidenter probat confeſsionis, & communionis

nis præceptum ſic ab vniuerſa Eccleſia intellectum & conſuetudine interpretatum fuiſſe. E contra verò nunquam vidimus excommunicationis ſententiam fulminatam in eos, qui poſteà non habituri opportunitatem cōfeſsionis & communionis, eas non præueniunt; imò de hoc nunquam Parochi curant; licèt caſum præuiderint: nec ſubditos de iſta obligatione monent. Signum igitur eſt præceptum Eccleſiæ ad hæc minimè obligare. Nec obſtat, quòd frequentia annualis fuerit finis præcepti: finis enim præcepti non cadit ſub præcepto; vt patet, etenim qui ſemel in die ieiunij ea abundantia comedit, vt nihil famis vltra patiatur, verè adimplet præceptum, & tamen facit contra legis intentionē, quæ alia non eſt, quàm fame carnem macerare. Vnde conſtat regulam illam iuris: *is in legem delinquit, qui verba legis amplectens contra legis nititur voluntatem, & intentionē*; ſano modo intelligendam eſſe, hoc eſt de eo, qui facit contra voluntatem intrinſecam legis; quia intendit obligare ad aliquid, tāquam ad materiam præcepti: ſecus ſi tantum faciat contra voluntatem intendentem aliquid, vt materię illius præceptæ finem: vt cum Adriano, & S. Thoma, explicat P. Thomas Sanchez *lib. 1. ſumm. cap. 14. num. 4.* An verò teneatur anticipare confeſsionem, vt adimpleat præceptum confitendi in articulo mortis, qui in India, vel alibi timet non habiturum confeſſarium in articulo mortis; negat Leander *tom. 1. de Sacram. tract. 5. diſp. 3. q. 11.* affirmant P. Amicus, Rocaful, & Dicaſtillo, quos citatos ſequitur Diana *part. 11. tract. 8. reſol. 37.* Vnum mihi certum, ex præcepto Eccleſiaſtico non teneri. An ex præcepto naturali charitatis, ne ſe exponat periculo decedendi in mortali? Partem etiam negatiuam probabiliorem cenſeo, quia hæc virtus ad ſolam contritionem ſuo tempore eliciendam obligat.

DVBIVM INCIDENS.

An teneatur prævenire Horas Canonicas, qui prævidet impedimentum ſuper venturum.

7 OCcaſione doctrinæ capitis precedentis, poterit quis contra noſtram ſententiam in hunc modum inſurgere: nemo tenetur pręuenire confeſsionem, eo quod tempus Quadrageſimæ eſt huic obligationi definitum; ſed recitationi horarum canonicarum ſunt certę diei horæ definitæ. Ergo qui pręvideat impedimentum ſuper venturum, tempore definito, non tenebitur recitationęm illius horæ pręuenire. Non deſunt Doctores, qui conſequentiam concedāt, ſi periculum, ſeu impedimentum ſuper venturum ſit à natura, vel a violentia, vel morbo. Ita Canus *relectione pænitentiæ, 5. part. §. ſunt tamen, & §. circa tertium caſum.* Petrus de Ledeſma *in ſumma, vbi de pænitentia, c. 8. fol. mihi 491.* P. Enriquez, *lib. 4. cap. 4.* dicens eſſe communem, *in gloſſ. litera Q.* & probabilem vocant Thomas Sanchez *in conſilys, lib. 7. cap. 2. dub. 43.* Leſius & Diana, *4. part. tract. 4. reſolut. 10.* Qui non ſolum docent nō teneri prævenire horas, ſed nec teneri poſtponere: quos ſequitur Caramuel *in Theologia fundamentali, fundamento 53 §. 22. fol. 523.* Et quod non teneatur præuenire; tradit etiā Angelùs Verrecelli *in qq. moral. tract. 8. q. 28. num 8.* Cum Caramuele ſentit Candidus apud Dianam *part. 7. tract. 11. reſolut. 14.* aſſerens eſſe opinionem ſatis probabilem. Imò addunt aliqui, non teneri ad Horam, quacūque ex cauſa legitima, præfixo tēpore omiſſam, ſi tanta diei pars percurrerit, vt in reliqua, non ſoleat recitari, v. g. ſi dimiſiſſet matutinas vſque ad meridiem: ita tenet P. Sà, verbo *Horæ, num. 1.* vbi ait, *non teneri recitare, qui vrgente negotio eſt impeditus: huic enim ſufficit recitare horas temporis non impediti.* Cui conſentiunt nonnulli recentiores à me conſulti. Huius ſententiæ ſunt Alexandrin. & Coſmas, vt refert Nauarrus *in cap. quando, c. 11.* & Vmbertus; quem refert, & ſequitur Turrec. *cap. Presbiter. diſt. 91. n. 6.* Qui addūt tranſacto tempore definito, neminem teneri recitare, licèt ſine cauſa omiſerit; ſed debere agere delicti pœnitentiam.

Verùm hæc doctrina, quando nullum vrget negotium, ſuſtineri nequit: quia ex ea manifeſtè ſequitur, poſſe Horas Canonicas voluntariè omitti abſque culpa graui, quia omiſsio facta tempore definito non eſt peccatum læthale, vt omnes Theologi fatentur; deinde, eo tempore tranſacto, nemo, iuxta hos Doctores, recitare tenetur, & in omnium opinione, quando nullum ſuperuenturum eſt impedimentum, nemo tenetur prævenire. Ergo abſque graui peccato poſſet Sacerdos horas Canonicas voluntariè omittere: quod nullus dicere audebit.

8 Quando autem impedimentum ſuper venturum eſt à natura, violentia, vel morbo, difficilè traditur ratio, cur teneatur quis tēpus definitum præuenire. Vazquez ſupra ex eo probat; quia ita ſingulis horis tempus definitum eſt, vt liberum à mortali ſit, intra diem anticipare, ſeu poſtponere: imò & a veniali, quando hora etiam voluntariè legitimè eſt impedita: ſi autem poſſumus implere hoc pręceptum, & ſine vllo etiam peccato, cur (inquit,) non tenebimur anticipare. Hæc tamen ratio, niſi magis explicetur, infirma eſt, & plurimis inſtatur exemplis: primò, quia habens

Digitized by Google

bensBullam Cruciatæ, tempore interdicti poteſt die feſto audire ſacrum, abſque culpa etiã veniali; & tamen ad id non teneri, docent Avila *de cenſuris, part. 5. d. 4. ſect. 2. dub. 6.* & plures allegans Henriquez *lib. 9. cap. 48. num. 5. in gloſſ. lit.* D. Suarez *tom. 3. in 3. partem, d. 88. ſect. 6.* Victoria, Cano, Alterius, Coninch Ledeſma, & alij, quos congerit, & ſequitur *Diana 1. part. tract. 11. reſolut. 2.* Secundò: excommunicatus, qui facilè excommunicationis abſolutionem conſequi poteſt, vt in die feſto ſacrum audiat, verè eſt potens audire ſacrum, auferendo impedimentum; & tamen non audiendo, non peccat, vt docet Suarez Coninch, Avil. Sayrus, Henriquez, Hurtado Complutenſis: quibus ſubſcripſit Diana 4. *part. tract. 4. reſolut. 57.* & tenet Thomas Sãchez *in ſumma, lib. 1. cap. 15.* dicens ferè omnes ita docere. Tertiò: Qui in die ieiunij voluntariè de fatigatur ob recreationem, v. gr. ex ludo pilæ, vel ob conſequendam concubinam, alia vè ex cauſa prævidens de fatigationem illam futuram eſſe impedimentum ad ieiunandum, verè eſt potens eo die ieiunare, cùm poſsit impedimentum non ponere; & tamen illum non peccare, adhuc in cauſa, omittendo ieiunium, docent Medina in ſumma *lib. 1. cap. 14. §. 10.* Villalob. *tom. 1. ſummæ tract. 23. diffic. 4. num. 11.* quod verum putant Ioann. Sanchez *in ſelect. d. 54. num. 20.* Rocaful, & Paſqualigo, apud Dianam *part. 10. tract. 14. reſolut. 11.* & probabilem putat, apud ipſum Martinus de S. Ioſeph (& in eam inclinauit Diana *part. 1. tract. 9. reſolut. 52.* & ſi poſtea eam retractet, *part. 10.* vbi ſupra) Quod procedit, ſecundum aliquos, etiam ſi in fraudem ieiunij, & ſolo animo non ieiunandi laborem illum ſuſcepit, de quo alibi.

9. 4. Et magis ad rem noſtram, cæcum memoriter ſcientem Pſalmos tantùm, non teneri recitare, & ſi facilè poſsit habere ſocium, qui illum adiuvet; docet Sanchez *in ſelect. d. 15. num. 2.* quem ſequitur Caramuel *in Theologia fundamentali fundamento 53. num. 1093. fol. 508.* & putat probabile Diana *part. 7. tract. 11. reſolut. 3.* Et ſaltem non teneri ſocium vocare, quãdo non erat ſolitus recitare cum illo, docent Sayrus *in Theologia morali, lib. 4. tract. 1. cap. 6. num. 2.* & Garcia *de beneficijs, tom. 1. part. 3. cap. 1. num. 215.* imò addunt alij, eum, qui legere non poteſt, nõ teneri recitare, licèt memoriter ſciat integras horas. Ita Sotus, & aliqui docti Magiſtri: & probabile putat Thomas Sanchez, apud Dianam 4. *part. tract. 4. reſolut. 10.* Et tamen dubium non eſt, cæcum iſtum poſſe adimplere præceptum recitandi: ergo licèt anticipãdo horas poſsit quis præceptum adimplere, non benè infertur, quod eas anticipare teneatur: ratio pro hoc, & ſimilibus caſibus traditur à Cano ſupra, quia facultas antevertendi Officium Diuinum, vt quis poſsit obſervare præceptum, eſt preuilegium in eius fauorem conceſſum, nemo autem tenetur ſuo privilegio vti; aliàs non favor, ſed odium eſſet.

10 Alia igitur reſponſio adhibenda eſt, quam vt fœliciùs præſtem, ſuppono 1. ex Patre Thom. Sanchez *lib. 1. ſummæ, cap. 15. num. 4.* nullam poſſe certam regulam tradi pro obſervatione præceptorum, quæ omnia in vniuerſum complectatur: ſed ſpectandam eſſe vim, & rigorem præcepti: quædam enim benigniùs explicantur, & minoribus excuſationis cauſis indigent. Poteſt enim quis impedimentum ieiunio ponere, non verò auditioni ſacri; vt omnes fatentur. Suppono 2. præceptum recitandi Horas duplex, eſſe aliud quoad ſubſtantiam officij, obligans ſub mortali ad recitandum intra diem naturalem, vel Eccleſiaſticum: aliud quoad circunſtantiam temporis, intra eundem diem ſingulis Horis aſsignatum: quod præceptum ſub venlali tantum obligat, iuxtà Communem Doctorum ſententiam. Suppono 3. quoad tempus pro Horis Canonicis ab Eccleſia definitum, conſtantem omnium opinionem eſſe, *Primam* debere recitari, vna hora ante, vel poſt ſolis ortum: *Tertiam* hora tertia a ſolis ortu: *Sextam* hora meridiana: *Nonam* tertia poſt meridiem hora: *Veſpertina* hora duodecima a ſolis ortu: *Completam* hora poſt ſolis abſceſſum: *Matutinas* cum laudibus, media nocte, vel duabus, vel tribus horis ante ſolis ortum. Hæc inquit Azor 1. *part. lib. 10. cap. 8.* ſunt debita tempora, ſecundum canones, & iura: [at vſu receptum eſt, vt ſingularum officia per ſoluantur iuxta conſuetudinem Provintiæ, vel patriæ,] &, vt ait Caramuel *in regula S. Benedicti, diſp. 112. numer. 1411.* ex praxi virorum grauium, & timoratæ conſcientiæ, nulla eſt culpa non recitare priuatim Horas, temporibus a iure determinatis. His poſitis.

11 Dico 1. ſi impedimentum ſuperuenturum ſit a morbo, neminem teneri præuenire Horas: in hoc conuenio cum Doctoribus citatis. Ratio eſt, quia præceptum recitandi hac benignitate eſt communi praxi timoratorum declaratum: nullus enim adcò ſcrupulosè cum infirmo procedet, vt habituro poſt meridiem ardentem febrim, per reliquum diei duraturam, obliget præuenire manè officium diuinum; nec credibile eſt piam Matrem Eccleſiam cum tanto rigore intendere infirmos ad Horas obligare. Rogabis: quæ infirmitas à recitatione excuſabit? Reſpondeo, eam, quæ impediat, quominus attentè fiat oratio, vt benè Thomas Sanchez

chez

chez *in conſilijs lib. 7. cap. 2. dub. 27.*

12 Notandum hic eſt, pro infirmis, eum, qui nequit totum officium commodè recitare, ſed ſolum partem, ad illam non teneri: ita aliqui, inter quos Manuel Rodriguez, apud Sanchez *in ſumm. lib. 1. cap. 10. num. 2.* Qui abſolutè docent, adhuc non teneri recitare eam partem, quam commodè poteſt. Alij verò putant teneri, ſi maiorem partem poſſit: ita Azor *lib. 10. cap. 13. quæſt. 4. & 3.* Petrus de Ledeſma *cap. 37. num. 54.* Garcia *de Beneficijs, 3. part. cap. 1. num. 226.* vbi addit nõ eſſe cum infirmo vtendum eiuſmodi rigore, niſi clarè appareat, quod poteſt id facere. Et cõcludit: *vnde rarò infirmi tenebuntur aliquid recitare.* Maior autẽ officij pars reputatur matutinum cum laudibus, ſecundum Garciam, ſupra *num. 222.* & Rodriguez; quem refert & ſequitur Diana *tr. de Horis Canonicis, reſolut. 29.* Advertendum eſt ſecundò, vt benè Sanch. *in Selectis, diſp. 15. num. 2.* abſque lectionibus non eſſe Officium Canonicũ: vnde benè concludit, quòd qui non poteſt lectiones legere, nõ tenetur recitare, nec ſocium quærere. Inquires: an teneatur recitare horas temporis impediti infirmitate, caſu quo poſſit poſtea omnes commodè recitare? Negant conſequẽter Doctores ſuprà citati, quia non apparet maior obligatio poſtponendi Horas, quàm anteponendi. Si ergo infirmitas ex Eccleſiæ benignitate ad hoc non obligat, cur ad illud obligare dicemus?

13 Dico 2. ſi impedimentum ſuperuenturum ſit a natura, (& non a morbo) vel ex eo, quod legitimo aliquo negotio erit quis impeditus tempore ad Horam deſignaro; tenetur illam antevertere, ſeu poſtponere: aliàs in opinione horum Doctorum, ſciens intra diem ſuperventurum ſomnium, vel negotiũ aliquod eo tempore, quod pro Hora recitanda eſt definitum, poſſet abſolutè eam omittere: quod manifeſtè opponitur cõmuni omnium intelligentiæ. Idẽ dicito, ſi impedimentum futurum ſit à violentia: Ratio eſt manifeſta, quia præceptum recitandi obligans ſub mortali, quod reſpicit ſubſtantiam officij, habet pro termino adimplectionis integrum diem. Ergo qui non poteſt recitare veſpere, tenetur manè prævenire officium. Confirmatur: qui non poteſt audire Sacrum hora 12. tenetur antea audire; & qui non poteſt confiteri in reliquo Quadrageſimæ, tenetur initio confiteri. Ergo qui non poteſt veſpere recitare, tenetur manè prævenire. Secundò probatur *ex cap. Præsbiter. de celebrat. Miſſarum, & cap. Præsbiter. diſt. 91.* vbi dicitur: quod Clerici varijs occupati negotijs, manè diurnum officium vſque ad veſpertinum per ſoluant. Qua propter virum occupatum nõ ego excuſarem ab obligatione recitandi Horas temporis impediti: potius conſulerem; vt cõmutaret officium illius diei in officium reſurrectionis; ſi pluribus negotijs eſſet implicatus.

14 Obijcies, dies Eccleſiaſticus incipit à primis veſperis: qua propter matutinum diei Craſtinæ poteſt hodie hora ſecunda poſt meridiem recitari: vt cum Molfeſio, Fabro, Martino de Ledeſma, & Thom. Sanchez, docet Diana *2. p. tract. 12. reſol. 59. & 4. p. tr. 4. reſol. 9.* imò addit P. Thomas Sanchez *lib. 7. conſ. c. 2. dub. 27.* poſſe abſque mortali recitari maturinas ſtatim poſt meridiem, ſaltem in Quadrageſima, vbi veſperæ dicuntur ante prandium; & hoc, etiam ſi quis non recitaſſet veſperas, & completorium diei hodiernæ: & rationem reddens, inquit, *quia illud temporis pertinet ad ſequentem diem, recitare autem intra diem præueniendo tempus non eſt mortale;* et go totum officium diei ſequentis poteris hodie recitare. Probatur, quia præuenire Horas intra diem eundem Eccleſiaſticum, non eſt mortale: ſed dies Eccleſiaſticus incipit à primis Veſperis. Ergo à Veſperis hodiernis poteſt quis totum officium craſtinũ abſque mortali perſolvere. Patet conſequentia: quia recitat, præueniendo Horas, intra eundem diem; quod ſufficit ad ſatisfaciendũ præcepto. Difficilis ſanè obiecto, & fortè non deficiet, qui vi argumenti oppreſſus conſequẽtiam deglutiat: Cæterum concedere non audeo, quia conſuetudo eſt in contrarium, quæ practicè improbabilem reddit: ac proinde dicendum eſt, intra diem Eccleſiaſticum non concedi ab Eccleſia facultatem præveniendi omnes Horas, ſed matutinas cum Laudibus tantum; ſecus intra diem naturalem. Quamuis vtrumque ex graui cauſa concedat Ioannes de la Cruz *in directorio 1. p. 3. præcepto, art. 3. dub. 5.* his verbis: [*à fortiori ſatisfacis, ſi ſciendo te ſequenti die occupatiſsimum fore, anticipas horas in præcedenti veſpere.*] Et hoc tenuiſſe Nauarrum, putat Prado, apud Leandrum *tom. 6. in decalog. tract. 8. diſp. 4. quæſt. 96.* ſed falsò, vt Leander oſtendit. Vide illum.

15 Notat hic Sanchez, vbi ſupra, ſtudium eſſe iuſtam cauſam, vt abſque veniali differantur horæ in verſpertinum tempus, quod etiam tenet Diana *4. p. tract. 4. reſolut. 9.* & Vazquez cum alijs *opuſculo de benefic. art. 2. dub. 3.* Imò de facto nullum dari præceptum de tempore legendi Horas, tradit Caramuel *in Theologia fundamentali fundamento 53. n. 1117. fol. 527.* & Diana *p. 7. tract. 11. reſol. 12.* Vnde infert Caramuel, nec venialiter peccare eum, qui ſine vlla cauſa, tempus alteret. Iuſta autem cauſa omittendi in totum Horas Canonicas erit, ſi alicui Scholaſtico immineat publica lectio, quam ſine detrimento

præ-

pretermittere non poteſt; aut concio aliqua per concurſum; ſi putat forè ſibi nocumentũ eas recitare. Ita Henricus, Maior, Sylveſter, Nauarrus, quos refert, & ſequitur Vazquez ſupra *art.1.dub.* 12. & Caſtro Palao *tom.* 2. *diſp.*2.*puncto* 4. Addunt alij, poſſe etiam abſque culpa totum officium omittere, qui (ex quacumque cauſa proveniat,) non poteſt recitare horas matutinas cum laudibus: nam omnes Horæ vnicum diuinum Officium cõſtituunt, & qui non poteſt maiorem partem, non tenetur ad minorem. Ita Torre, & Ioannes de la Cruz, quam opinionem putat probabilem Leander *tract.*6.*de Ordine, diſp.* 13. *quæſtione* 10. qui iudicat idem dicendum de eo, qui ex quacumque cauſa non tenetur ad matutinum cum Laudibus. Verum non eſt audiendus Aragon, cui fauet etiam Sotus apud Dianam 5.*part.tract.*5.*reſol.*26. exiſtimantes non eſſe mortale ſemel, aut bis in anno non recitare. Nec excuſabitur à culpa lethali, qui die 2. Novembris, non recitat Officium defunctorum: licet contradixerint quidam recentiores apud Molfeſium, & doctus Theologus noſtræ Societatis: quibus conſentit Machado, vt ait Leander *tract.* 6.*de ordine*; *diſp.*13. *q.* 33. & fauent plures apud Dianam 4.*part.reſolut.*243. & ipſe non improbat. Nec item eſt audiendus Angelus *Verbo horæ Canonicæ*, vbi apertè probat ſententiam Ricardi tanquam humaniorem; qui ait, non eſſe mortale relinquere Horas ex negligentia; ſed ex faſtidio domini cultus, vel ex comptentu, vel ex conſuetudine. Vide P.Salas *de legibus, diſp.* 10. *ſect.* 8. & doctum Machado, *tom.*1. *lib.* 2. *fol.* 472. apud quos plures Doctores invenies amplectentes opinionem Angeli pro omnibus præceptis humanis, ſed abſque vllo prorſus fundamento, quia præceptum obligat ex virtute Religionis ad recitandum quotidie, ac proinde, quocumque die omittatur Officium, erit peccatum læthale, etiam ſi deficiat cõtemptus, quia hic non requiritur ad peccandum contra omne præceptum, alias rariſsimè daretur culpa grauis in violatione præceptorum, vt ex terminis patet.

QVÆSTIO VIII.

An Sacramentalis confeſsio poſsit cadere ſub præcepto purè Eccleſiaſtico?

1 DIximus ſupra q.1. præceptum cõfeſsionis eſſe diuinum quoad ſubſtantiam actus, & humanum, quoad circunſtantiam temporis: quærimus modo, vtrùm ipſa ſubſtantia actus confeſsionis omnium peccatorum, qualis de facto à Chriſto Domino præcipitur, poſſet ab Eccleſia præcipi, ſi diuinum præceptum non ſtaret? Dupliciter poſſet hoc contingere; vel ſuppoſita inſtitutione à Chriſto Domino facta, vel eâ non ſuppoſita: in primo ſenſu, diſputāt Vazquez *quæſt.* 90.*a.*1.*dub.*4.*num.* 43. & Suarez, *diſp.*35.*ſect.*1.*num.*16. qui cum alijs affirmativè reſpondent. Idem etiam ſentit P.Meratius *d.* 25.*de pœnitentia, ſect.*2.*num.* 4. Alij verò abſolutè negant Eccleſiæ talem poteſtatem. Ita Durand. Sotus, Canus, & Paludanus apud Vazquez ſupra. Alij, inter quos P. Lugo *d.*15 *de pœnitentia, ſect.* 6. tam in vno, quàm in altero caſu exiſtimant Eccleſiam non poſſe præcipere confeſsionem, ea integritate, qua de facto eſt à Chriſto Domino inſtituta. Ratio eius eſt, quia adeò grauis & difficilis res eſt, vt videatur non cadere ſub poteſtate Eccleſiæ: ſicut propter eandem rationem non cadunt paupertas, nec religio. [Confeſsio autem, inquit Lugo, aliquorum peccatorum non videtur tã graue onus, ac proinde deficiente inſtitutione, quæ modò eſt, poſſet propter aliquam iuſtam cauſam ab Eccleſia præcipi.]

2 Dico 1. ſi Chriſtus non inſtituiſſet Sacramentum pœnitentiæ; non poſſet Eccleſia præcipere confeſsionem actus interni determinatè, ita vt homo alia etiam peccata potens confiteri ad interius peccatum confitendum teneretur. In hoc convenio cum Durando, & Doctoribus citatis. Ratio ſumitur ex D.Thoma 1.2.*quæſt.*91.*a.*4. & *q.*100. *a.*9. & ex communi Theologorum ſententia; aſſerentium Eccleſiam non habere poteſtatem directè in actus internos, ſed ſolùm indirectè; quatenus ipſi ſubijciantur actus externi, qui ſine internis conſiſtere non poſſunt. Ergo Eccleſia, præcipiens actum externum confeſsionis, tantùm obligaret ad id, ſine quo non poſſet conſiſtere talis actus; ſed in habente alia peccata externa, ſiue venialia, ſiue mortalia, ſiue iam confeſſa, ſiue non, poſſet conſiſtere actus externus confeſsionis abſque expoſitione actus interni; ergo non obligaret confiteri actum internum.

3 Cæterum, poſſet Eccleſia obligare ad confeſsionem actus interni, ſi pœnitens nullum haberet peccatum, niſi purè internum: eſt contra Meratium ſupra, & contra Sotum, Ledeſmam, Caietanum, & alios, quos citat, & ſequitur P.Henriquez *lib.* 4.*cap.* 4 *num.*1. *in Gloſſ. litera D.* Moueor, quia confeſsio eſt actus externus, & propriæ humiliationis, ac proinde honeſtus, & meritorius: ergo poteſt præcipi ab Eccleſia; ſed nullum habens peccatum, niſi purè internum, nequit adimplere præceptum, quin illud declaret. Ergo indirectè, & ex ſuppoſitione ſtatus teneretur cõfiteri actum internum. Hinc fit non eſſe audiendos Durand. Sotum, Canum, & Navarrũ,

qui

qui aſſerunt actum externum confeſsionis non poſſe ab Eccleſia præcipi, eo quod adeò ſecretè fiat, vt nullus, qui nouerit, poſsit in iudicio deponere; & ſi deponat; non audiatur: ac proinde non poſsit Eccleſiæ conſtare de actu confeſsionis. Hæc enim ratio nullius eſt momenti; vt benè expendunt Vazquez, & Lugo ſupra; quia alij ſunt actus externi, de quibus non poteſt Eccleſiæ conſtare, cùm eorum notitiam ille tantùm habeat, qui facit, & tamen poteſtati Eccleſiæ ſubduntur: ſufficit enim, quod actus ſit externus, licèt occultus, vt ad exteriorem gubernationem pertineat, quam lex Eccleſiaſtica etiam intendit. Nequiret tamen Eccleſia obligare ad confeſsionem omnium actuum interiorum propter rationem ſupra traditã, in habente alia peccata, ſiue interna, ſiue externa. Vnico enim actu interiori, ſiue exteriori manifeſto, daretur adimpletio præcepti.

4 Dico 2. Eccleſiam non poſſe præcipere confeſsionem omnium actuum externorum. In hoc conuenio cum Eminentiſsimo Lugo, quia licèt actus externi ſubdantur poteſtati Eccleſiæ, adeò graue, & difficile eſſet onus, vt non ſit veriſimile poſſe cadere ſub poteſtatem hominum. Secus dicerem, ſi tantùm præcepiſſet confeſsionem aliquorum, cuius præcepti adimpletio in prudentium æſtimatione, non videretur adeò difficilis. Pro hac ſententia ſtabit abſque dubio P. Sà, qui *verbo lex, n. 1.* aſſerit legem non obligare, cùm eſt valdè difficile eam obſervare, quia id in iure reputatur impoſsibile; quam doctrinam Theologi, & iuris periti paſsim amplectuntur. Hæc, vt dixi procedunt, caſu quo Chriſtus Dominus non inſtituiſſet Sacramentum Pœnitentiæ; ſed quid inſtitutione ſemel facta dicendum?

5 Dico 3. caſu, quo confeſsio modo à Chriſto Domino inſtituta ab eo non præciperetur, non poſſet Eccleſia confeſsionem peccatorum abſolutè præcipere. Ratio ſumitur ex dictis de difficultate, & grauitate oneris: licèt enim non eſſet præceptum affirmatiuum confeſsionis à Chriſto Domino latum, eſſet præceptum negatiuum prohibens fieri non integrè, ac proinde eo ipſo, quod facta inſtitutione, quę de facto eſt, poſſet Eccleſia abſolutè præcipere confeſsionem poſſet etiam indirectè obligare ad confeſsionẽ omnium mortalium, tàm internorum, quàm externorum. Quod propter rei difficultatem ab Eccleſię poteſtate excluſimus. Hæc concluſio eſt Card. de Lugo contra Meratium, & Vazquez locis citatis. Aduertenter dixi, Eccleſiam non poſſe abſolutè præcipere cõfeſsionem, quia ſi conditionatè tantùm præciperet, illis videlicèt, qui conſcientiam nimis grauatam non haberẽt, ſeu quibus attenta qualitate perſonarum, & peccatorum, non eſſet nimis oneroſa confeſsio, conſtituendo vnunquemque ſuæ conſcientiæ iudicem, ceſſaret ratio pro parte contraria adducta; ac proinde non eſſet, cur non poſſet Eccleſia confeſsionem præcipere? Iudico tamen non conuenire talem præcipiendi modum: quia plurimis ſcrupulis daretur occaſio, relinquendo penes reum ſuæ conſcientiæ iudicium?

6 Ex dictis ab aliquorum caſuum reſolutione facilè me expediam. Dubitabis 1. an Eccleſia poſsit præcipere confiteri bis idem peccatum? Reſpondeo idem omnino dicendum eſſe modo, quod diceretur, ſi non extaret præceptum diuinum confeſsionis: nam modò non eſt diuinum preceptum de ſecunda peccati eiuſdem confeſsione; ac proinde iuxta ſupradicta, poterit obligare ad confitendum aliquod peccatum iam confeſſum: non verò ad omnia. Si autem ponamus nullum habere peccatum non confeſſum, & omnia iam ſemel ritè confeſſa actus interiores fuiſſe, tenebitur ad aliquod interius iam ſemel confeſſum repetendum: cum nequeat aliter actum externum, & honeſtum confeſsionis adimplere.

7 Dubitabis 2. an Eccleſia poſsit præcipere confeſsionem venialium externorum? reſpondeo iuxta dicta. Poſſe præcipere confeſsionem aliquorum, nõ verò omnium. Hoc enim nimis difficile eſt, ac proinde impoſsibile. Vnde partim conuenio, & partim diſſentio à Paludano, Sylveſtro, & Soto apud Suarez *diſp. 22. ſect. 8. n. 2. &* ab Henriquez, & Rodriguez, quos refert, & non improbat Diana, *3. part. tract. 4. reſolut. 125.* abſolutè aſſerentibus Eccleſiam non poſſe præcipere confeſſionem venialium; cuius oppoſitum docent communiter Theologi: media autem via incedo cum P. Lugo ſupra dicente plures Doctores ita hanc obligationem explicare. Vnde caſu quo *in Clementina 1. de ſtatu Monachorum* contineatur præceptum (quod à multis negatur) non tenebuntur Monachi confiteri venialia, niſi caſu, quo mortalia non habuerint: imò & tunc ſatisfacient vnum, vel alterum veniale, ſeu aliquod ex mortalibus iam confeſsis ſubijciendo.

QVÆSTIO IX.

Vtrùm liceat confiteri in ſcriptis Sacerdoti præſenti?

1 QVod inquirimus eſt, an liceat pœnitenti præbere confeſſario ſua peccata ſcripta, & eo præſente, verbaliter ſe accuſare de illis, dicendo: *De his omnibus, quæ legiſti me accuſo*, vel in ipſa ſcriptura, quæ in præſentia.

ip-

ipſius pœnitentis à confeſſario legatur. 1. ſententia abſolutè negat, aſſeritque eſſe obligationem ſub mortali confitendi per voces, quoties id fieri poſsit. Ita Suarez *diſp.21.ſect.3.* Vazquez *q.91.artic.4 dub.4. n.7.* Fagundez, & Syluius apud Dianam *3. parte tract.4. reſolut.127.* Probant ex conſuetudine, & praxi totius Eccleſiæ. Alij vero putant venialiter tantùm peccaturum, qui ſine cauſa in ſcriptis confiteretur. Ita Diana, ſupra, Villalob. & Laimam, quod ſi ex cauſa aliqua fieret, nullum eſſe peccatum, defendunt cum Molina, & Coninch, & admittunt Suarez & Vazquez ſupra, caſu quo, propter verecundiam, difficultatem magnam haberet pœnitens ore proferendi ſua peccata. Quod cũ Cano tenet etiam P. Valentia *d.7.q.11.punct.1.*

2 Dico 1. nullum eſſe præceptum, nec diuinum, nec humanum obligans confiteri per voces, etiam ſi commodè fieri poſsit. Ita cum Vazquez, Suarez, Hurtado, & Lugo, tenet Fr. Leander *tract.5. de pœnitentia diſp.6.q.12.* Non diuinum; quia in illis verbis: *quorum remiſeritis peccata, &c.* nullum eſt, quod talem obligationem indueat; eodem enim fundamento poſſet dici inſtitutum eſſe hoc Sacramentum in confeſsione vocali; ac proinde aliter factam inualidam eſſe: cuius contrarium tenet communis Theologorum ſententia, cum D. Thoma *diſt.17.quæſt. 3.articulo 4.quæſtiuncula 2.ad ſecundum*, Suarez d. 21. *ſect. 3.* Vazquez *quæſt.91.art 4.dub. 4.* aliàs pœnitens, qui non aliter, quam nutibus, vel ſcripto poſſet confiteri; non poſſet in articulo mortis abſolui. Quod autem in Concilio Florentino dicatur, materiam huius Sacramenti eſſe *oris confeſsionem*; parum probat, vt benè notat Lugo, ſuprà *diſp. 15. ſect. 5. num. 77.* verba enim illa *oris confeſsio*, non ſunt ſtrictè accipienda, ſed latè; id eſt *manifeſtatio peccati*: ac proinde in Tridentino *ſeſsione 14. cap. 3.* inter partes huius Sacramenti, non aſsignatur *oris confeſsio*, ſed confeſsio ſimpliciter, & abſque addito.

3 Quod autem nullum ſit præceptum humanum confitendi per voces, probatur: quia præceptum confeſsionis, vt ſæpè dixi, tantùm eſt modificatiuum præcepti diuini: etenim, vt ait Tridentin. Eccleſia tantùm ſtatuit, vt adimpleretur ſemel in anno præceptum diuinum confeſsionis. Ergo illa confeſsio præcipitur ab Eccleſia fieri ſingulis annis, quæ iure diuino eſt præcepta, ſed iure diuino non eſt præcepta confeſsio vocalis, vt probaui. Ergo confeſsio vocalis non eſt ab Eccleſia præcepta. Quod verò conſuetudine ſit ita introductum, non probat talem conſuetudinem obligare; quia conſuetudo ex deuotione introducta (qualis iſta videtur, tùm ex materia, quia communiter cum præſentibus non loquimur in ſcriptis, tùm ex coniectura moraliter euidenti) non habet vim obligandi: vt docent Suarez, Vazquez, Azor, Rebellus, Laimam, Reginaldus, Fagundez, Granadus, quos citat, & ſequitur Diana *1.p.tract.10.reſol.30. & 3.p.tract.1. reſolut.28. & 4.part.tract.3.reſolut.14. & 48.* Præterquam quod dubitare non poſſumus, valdè dubium eſſe, an hæc conſuetudo confitendi per voces fuerit introducta ex animo deuotionis, an ex animo ſe obligandi, & ſic communiter accepta: In dubio autem præſumendum eſt, ex deuotione fuiſſe introductam: vt tradunt Suarez *de legibus, lib.7.cap.15.num.13.* P. Reginaldus *in praxi, tom.1.lib.13.cap.23.ſect.1. nu. 224.* P. Azor *p.1.lib.5.c.18.* & ideò prædictam conſuetudinem confitendi per voces non obligare ſub mortali, docent Villalob. Diana, Benzonius, Petrus de Ledeſma; & putat probabile eis citatis Leander *de pœnitentia, tract.5.diſp.6.q.13.*

4 Dico 2. nullo modo peccare pœnitentem, qui ſe in ſcriptis accuſat Sacerdoti præſenti; etiam ſi poſt lectam ſcripturam, nullum proferat verbum; ſcriptura enim pro vocibus ſubrogatur; ac proinde ad nihil aliud tenetur, quàm teneretur, ſi vocaliter confeſſus fuiſſet. Stat pro hac ſententia Scotus *in 4.diſt.17.q.vnica ad finem.* Et Sotum idem ſentire, teſtatur P. Suarez *diſp.31. ſect.3.n.6.* ſaltem quando ſcripturæ coniunguntur alij nutus: & aſſentit Leander cum Hurtado, quando confeſsio nequit fieri voce abſque nimia verecundia; quod ſentiunt Molina, Vazquez, & Suarez ſupra citati. Hæc concluſio euidenter infertur ex proximè dictis; quia nec præcepto, nec conſuetudine tenetur pœnitens ſua peccata aliter explicare, ſi verò peccata ſcripta confeſſario traderet, & nec in ſcriptura ſe accuſaret, nec ſigno aliquo exteriore, vt genuflexione ad pedes Sacerdotis; vel ictu pectoris; exiſtimò abſque dubio tenendum, non ſatiſfacere debito ſuo, quia traditio peccatorum in ſcriptura, præciſſo quocumque alio, non eſt accuſatio, nec confeſsio in ordine ad claues, ſed actio de ſe indifferens, non magis ſignificans eorum dolorem, & propoſitum cauendi de cætero, quàm actum complacentiæ de illis.

5 Iuxtà hæc dubitari non poteſt, quod ſi poſt ſcripturam datam, & lectam a confeſſario, ſubiungat pœnitens voce: *De his omnibus, quæ legiſti me accuſo,* manifeſtè adimplebit præceptum confeſsionis, nec pec-

catum aliquod in hoc confitendi modo interuenire poterit , quia iam ore confitetur , quantum ſatis eſt : ita pluribus citatis Fr. Leander *ſuprà quæſt.* 14.& Eminentiſſimus Lugo *vbi ſuprà*. Vbi rectè arguit in conſequentiæ P. Vazquez : quia cùm exppeſsè ipſe ſupponat poſſe pœnitentem confiteri peccata, quibus confeſſarius præſens fuit , dicendo : *Accuſo me de peccatis heri commiſsis , quæ tu benè noſti* , vt tenet Theologorum communis ſententia, teſte Suarez *d.* 22.*ſect*: 6. *num.* 5. contrariam tamen concluſionem modo defendit. Ratio inconſequentiæ eſt ; nam cùm iam per ſcripturas habeat confeſſarius certam peccatorum notitiam , perinde eſt dicere : *de his omnibus me accuſo* , ac dicere *accuſo me de peccatis illis , quæ tu benè noſti*. Vrgetur , quia notitia habita extra confeſſionem eſt ſufficiens , additis illis verbis accuſationis verbalis, vt tenet Vazquez. Ergo notitia habita in ipſa confeſſione per ſcripturam , potiori iure ſufficiet : quia ſi requiſita eſſet notitia , verbis habita; non ſufficeret, ſi per viſum haberetur : ac proinde , licèt ipſemet Confeſſarius peccatum pœnitentis vidiſſet, teneretur adhuc pœnitens , verbis illud manifeſtare , cuius oppoſitum ſupponit Vazquez. Non igitur conſequenter in ſua doctrina.

6 Addit tamen Lugo , ſi ante lectam à Sacerdote ſcripturam , ſe accuſaret dicendo : *Accuſo me de omnibus , quæ in hac ſcriptura leges* , non ſatisfacere pœnitentem debito ſuo, quia accuſatio verbalis non explicaret ſufficienter peccata , ſed compleretur per ſcripturam poſteà legendam , ac proinde non ſufficienter ſe accuſaret vocaliter, cùm ante ſcripturam lectam confeſſarius peccata ignoraret. Cæterum quod accuſatio compleatur per ſcripturam , nihil facit ad rem , ſi hæc fiat cum circunſtantijs ſuprà relatis : nec poteſt illicitam reddere eiuſmodi confeſsionem, cum abſque verbis poſsit in ſcriptura fieri; eo quod nullum ſit caput maiorem obligationem inducens. Chriſtus enim , & Eccleſia eam tantum confeſsionem exigit , qua pœnitens ſua peccata confeſſario manifeſtet : & certè ad ferendum iudicium , nihil aliud requiritur.

QVÆSTIO X.

Sitne præceptum confitendi aliquando in ſcriptis , ſeu per interpretem?

1 PRocedit quæſtio quando pœnitens nequit aliter confiri : tunc enim poſſe per interpretem facere , omnes Theologi ſupponunt , & vſus fidelium ſuadet : cuius ratio eſt, quia ad valorem huius Sacramenti ſolùm requiritur, vt peccata manifeſtentur Sacerdoti , vt iudici, quòd ita planè fit , quamvis confeſsio per interpretem fiat. Neque eſt præceptum aliquod diuinum, vel humanum, quod id fieri prohibeat. His poſitis.

2 Prima ſententia diſtinguit inter præceptum diuinum , & Eccleſiaſticum : aſſeritque ex præcepto Eccleſiæ neminem teneri ad confeſsionem per interpretem, ſecus verò ex præcepto diuino in articulo mortis : hanc tenet Sylveſter , Canus , Archidiaco.& alij apud Suarez , *diſp.*36.*ſect.* 6. Qui aſſerit hanc ſententiam eſſe valdè probabilem,& ſpeculativè veriorem ; eam etiam tenet Lugo *diſp.*15.*ſect.* 5. *num.* 65. & 75.

3 Secunda, & vera ſententia abſolutè negat eiuſmodi obligationem, tàm ex præcepto Diuino, quàm Eccleſiaſtico: vnde qui in articulo mortis, non poſſet niſi per interpretem confiteri , non ligaretur præcepto Confeſsionis. Ita Vazquez *quæſt.* 91. *art.* 3. *dub.* 3. Valent. *de pœnitentia, d* 7. *quæſt.* 11. *punct.* 11. Caietan. Sotus , Ledeſma , Victoria, Medina , Paludan. & alij apud Suarez, ſuprà num. 3. qui hanc ſententiam probabilem putat, licèt pro mortis articulo, magis in oppoſitam inclinet.

4 Vt probem, ſuppono 1. eandem confeſsionem,& cum eiſdem circunſtantijs eſſe iure Diuino præceptam in articulo mortis, & extra illum : ſicut idem pro vtroque eſt inſtitutum pœnitentiæ Sacramentum: nullum enim eſt verbum in præcepto diuino confeſsionis; ex quo poſsit colligi diuerſa obligatio in vno tempore , quàm in alio. Suppono 2. confeſsionem ſemel in anno ab Eccleſia præceptam, illam eſſe, quæ iam ſupponebatur præcepta à Chriſto Domino; Eccleſia enim, vt ex Tridentino conſtat, ſolùm determinauit tempus, quo diuinũ præceptum adimpleretur.

5 Ex his ; quod ſaltem extra articulum mortis, nullum ſit præceptum cõfitendi per interpretem, eſt mihi certum,& tenet cum pluribus Leander *diſp.*3.*quæſt.*62. Probatur: con-

Digitized by Google

confeſsio, quæ ſingulis annis ab Eccleſia præcipitur, eſt illa, quæ à Chriſto Domino fuerat præcepta; ſed confeſsio, quæ præcipitur ab Eccleſia, non eſt confeſsio per interpretem. Ergò neque confeſsio, quæ à Chriſto Domino fuerat præcepta. Conſequentia eſt legitima. Maior eſt certa. Minor probatur. Quia, vt benè notarunt Suarez, & Lugo hic, *num. 65.* præceptum annuæ confeſsionis, iuxtà verba capitis: *Omnis vtriuſque ſexus*, ſolùm eſt, vt omnis fidelis *teneatur ſolus confiteri ſua peccata proprio Sacerdoti*: vbi patrium *ſolus* non caſu, ſed ex induſtria poſuiſſe Concilium, credendum eſt; vt clarè conſtaret neminem teneri ſua peccata confiteri, ſi ſolus manifeſtare non poſsit. Ergo ſaltem extra mortis articulum, nec diuino, nec Eccleſiaſtico præcepto, tenetur quis per interpretem confiteri.

6 Quod autem neque in articulo mortis teneatur; probatur ex prima ſuppoſitione ſupra facta, quia eadem confeſsio, & idem confitendi modus præcipitur à Chriſto Domino, pro mortis articulo, & extra illum: ſed extra mortis articulum, non præcipitur confeſsio, ſi pœnitens nequeat ſolus confiteri. Ergo nec in mortis articulo. Ergo nunquam eſt obligatio confitendi per interpretem. Poteſt inſuper probari, quia ex Concilio Tridentino, *ſeſsio. 14. cap. 5.* ſecreta & auricularis confeſsio eſt illa, quæ ſoli Sacerdoti fit. Ergo quæ non fit ſoli Sacerdoti publica cenſenda eſt in hoc foro. Ergo & quæ fit per interpretem: ſed ad publicam confeſsionem nemo tenetur, vt ex ipſo Concilio manifeſtè conſtat. Ergo neque ad confitendum per interpretem.

7 Cæterum licèt nec ex præcepto diuino, nec humano, prædicta obligatio conſurgat; exiſtimo tamen cum Suarez *ſuprà num. 5.* & Vazquez *num. etiam 5.* & Leandro *hic, diſp. 3. quæſt. 63.* quemlibet læthali macula infectum teneri ex præcepto naturali charitatis propriæ, ad confitendum per interpretem, quoties in articulo mortis de ſua contritione moraliter certus non eſſet: nec enim probabilis exiſtimatio ſufficeret, vt benè advertit Lugo contra Layman, Fagundez, Villalob. & Philiucium apud Dianam *3. part. tract. 4. reſolut. 120.* arguendo inconſequentiæ Suarez, & Dianam: quia vt ipſi meritò affirmant, quivis tenetur confiteri per interpretem, quando probabiliter timet, vel de ſua contritione dubitat: ſed probabilis timor, & dubitatio non excluduntur à probabili exiſtimatione de contritione, potiùs eam ferè ſemper comitantur. Ergo in horum Doctorum ſententia non ſufficit probabilis exiſtimatio de contritione; ſed neceſſaria erit moralis certitudo, quæ timorem, & dubitationem, ſeu formidinem excludat. Vnde fit, quòd ex præcepto charitatis ferè ſemper tenebitur ad confeſsionem in articulo mortis, quia vix vllus invenietur, qui moralem hanc certitudinem habeat. Verùm, tunc caſus, ſufficiet ſe accuſare de aliquibus venialibus, vel ſe accuſare in genere de mortalibus, vt benè Coninch, & Molfeſius. Vel ſaltem poterit tacere peccata maioris infamiæ, vt docet Nugnus, Suarez, & Laimam, apud Dianam ſuprà. Adderem ego, nec in tali caſu teneri per interpretem confiteri, ſed ex præcepto naturali obligari ſe ſiſtere ante confeſſarium, & nutibus & ſignis, manifeſtare ſe peccaſſe, & habere voluntatē confitendi, & abſolutionem obtinendi: nam hāc confeſsionem eſſe ſufficientem ad obtinendam à Deo peccatorum veniam, eſt communis Theologorum ſententia. Quam tenent Vazquez, Suarez, Bonacina, Megala, Salas, & alij innumeri, apud Leandrum hic, *diſp. 5. q. 38. & 42.* & apud Dianam *3. part. tract. 3. reſolut. 2.* qui eos citatos ſequuntur. Cùm autē præceptum charitatis tantùm obliget ſe reconciliare cum Deo per confeſsionem; ſatiſfaciet pœnitens modo prædicto confitendo. Prædictam enim confeſsionem ſufficere ad abſolutionem, expreſſum habemus in Concilio Arauſicano, in Rituali Romano, & declaratum à Clemente VIII. de quo alibi plura. Vide *primam partem ſelect. tr. 3. diſp. 6. quæſt. 2. num. 6.*

8 Aduertendum tandem eſt, non eſſe eandem rationem de obligatione confitendi per interpretem; ac de obligatione confitendi in ſcriptis: nam, qui ſcriptura Sacerdoti tradita, confiteri poteſt, verè poteſt ſolus confiteri. Ergo nullum eſt caput excuſationis: ac proinde tàm ex præcepto diuino, quam humano, tenebitur in ſcriptis confiteri, quoties nequeat ſua peccata confeſſario aliter manifeſtare. Ita docent Vazquez, & Suarez ſuprà, cum Palud. Sylveſtr. Maiore, Caietan. Soto, & alijs: & cum Lugo, Granado, & pluribus alijs, tenet Leander *hic diſp. 6. q. 17. & diſp. 3. q. 61.* Sunt etiam pro hac ſententia Turrian. & Becan. apud Dianam *3. part. tract. 4. reſolut. 128* ipſe verò contrariā tenet cum Philiucio, Henriquez, & Ioann de la Cruz. Sed immeritò: quia præceptum tàm diuinum, quàm humanum obligat ad cōfeſsionem ſecretam, quoties commodè, & abſque detrimento graui, fieri poteſt: ſed ita poteſt fieri inſcriptis. Ergo. Cū enim poſt lectam ſcripturam poſsit confeſſarius dirumpere, nullum eſt periculum in confeſsione ſcrip-

ſcripta, quod in vocali nō reperiatur: quod ſi timeas confeſſarium ſeruaturum peccata in ſcriptura, vt alijs manifeſtet, meritò etiam poteris timere ſeruaturum memoria. Hoc autem temerè timebis. Si autem probabilis eſſet hic timor; nec voce, nec ſcriptura confiteri teneberis: vnde patet æquam eſſe vtriuſque confeſſionis obligationem, & excuſationem.

9 Ex dictis infertur mutum, ſcientem ſcribere, teneri ſic confiteri, vt benè cum Henriquez, & alijs docet Fr. Leander, *tract.* 5. *diſp.* 6 *quæſt.* 18 quod ſi neſciat ſcribere; tenebitur, per nutus, & ſigna, vt benè idem Leander cum Fernandez, Naldo, Diana, Suarez, Sanctio, & alijs, aſſerentibus poſſe confeſſarium tempore, quo obligat præceptum confeſſionis, abſoluere mutum, qui præbet ſigna doloris, etiam ſi nullum poſsit ex eius ſignis intelligere peccatum. Quod etiam procedit extra tempus præcepti, vt cum Lopez, & Soto, notat Fr. Leander, *quæſt.* 18. *&* 19. Vnde concluditur eum, qui non poteſt per voces, nec in ſcriptis confiteri, teneri tam diuino, quàm Eccleſiaſtico præcepto, confiteri per nutus, & ſigna, tàm extra articulum mortis, quàm in illo.

QVÆSTIO XI.

Per quam confeſſionem adimpleatur Eccleſiæ præceptum.

1 EX dictis in ſuperioribus planè conſtat, ad ſatisfaciendum præcepto Eccleſiæ, opus eſſe quod, tempore ab ea determinato, diuinum confeſsionis præceptum adimpleatur: quod quidem eſt præceptum recipiendi verum Sacramentum: ac proinde, qui ratione alicuius defectus verum Sacramentum non recipiat, non ſatisfaciet præcepto; & conſequenter tenebitur confeſsionem iterare. Hinc fit 1. contra Victoriam, apud Vazquez, *quæſt.* 92. *art.* 3. *dub.* 5. & contra Ludouicum de S. Juan, apud Leandrum hic, *diſp.* 3. *quæſt.* 55. Non ſatisfieri præcepto Eccleſiæ per confeſsionem non ſubſequuta abſolutione: quia abſque forma non eſt verum Sacramentum. Quorum ſententiam (quam ſecutus fuerat M. Canus *in Relect. de Pœnitent. p.* 5. *fol.*43. *§. Ad tertium iam patet*) damnauit, *vt ſcandaloſam, vt minimum*, Sanctiſsimus Alex. Septimus, die 24. Sept. anno 1665. Fit 2 per confeſsionem non integram, in qua voluntariè omittatur peccatum grave externum, non adimpleri præceptum annuæ confeſsionis; ita ex Communi Doctorum contra Sylveſtrum, Victoriam, Gabrielem, Paludanum, & Canum, docet Leander hic *diſp.* 3. *quæſt.* 52. tametſi non benè cum Diana contrarium putet probabile. Nam qui facit confeſsionem voluntariè nullam, non ſatisfacit præcepto. Et oppoſita doctrina eſt damnata ab Alex. ſup. Præfatam autem confeſsionem eſſe nullam, docent ferè omnes. Fit 3. per confeſsionem factam ſine dolore, & propoſito non adimpleri annuæ confeſsionis præceptū; ſicut nec quando aliquod peccatum internum abſque vrgenti cauſa in confeſsione taceatur. Ratio eſt, quia ad verum Sacramentum non minus requiritur materia, quam forma. Ergo deficiente dolore, & propoſito, ſeu integritate, quæ ſunt materia Sacramenti, non erit verum Sacramentum. Ergo per confeſsionem in qua horum aliquid deficiat, non ſatisfiet præcepto Eccleſiæ: ac proinde ſi pœnitenti talis defectus conſtiterit; confeſsionem iterare tenebitur. Ita Suarez de *Pœnitentia, diſp.* 36. *ſect.* 7. *num.* 5. Coninch *de Sacram. diſp.* 5. *dub.* 9. Layman *in Theologia morali, libr.* 5. *tract.* 6. *cap.* 5. *num.* 10. Pitiliuc. *tom.* 1. *tract.* 67. *cap.* 13. *numer.* 64. Sa *verb. Confeſsio, num.* 10.

2 Non me latet contrariam ſententiam tenere apud Fagundez 2. *præcepto, libr.* 1. *cap.* 4. Victori. *in ſumma, quæſt.* 16. Sylveſt. *verbo Confeſsio* 4. *num.* 3. & plures alios. Quorum fundamentum eſt, quia omittens aliquod interius, nihil omittit ex his, quæ præcepto Eccleſiæ ſubiacere poſſunt, eo quod eius poteſtas non extendatur ad actus internos. Ergo licèt ſine propoſito, & dolore, ſeu tacendo aliquod peccatum interius confiteatur, verè ſatisfaciet præcepto Eccleſiæ. Verùm hæc ratio nullius momenti eſt: tùm quia præceptum Eccleſiæ annuæ confeſsionis non verſatur circa ſubſtantiam confeſsionis, ſed circa modum, determinando tempus ad diuinum præceptum adimplendum: Vnde violare præceptum Eccleſiæ, nihil aliud erit, quàm non adimplere diuinum tempore ab Eccleſia determinato. Sed qui ſine dolore, ſeu propoſito, ſeu aliquod interius omittens, confitetur, non adimplet præceptum diuinum tēpore ab Eccleſia determinato. Ergo non adimplet Eccleſiæ præceptum. Tum quia ſi Eccleſia præciperet cōfeſsionem quoad ſubſtantiam, verè etiam obligaret ad eos actus internos, ſine quibus cō ſtare nō poſſet Sacramētalis confeſsio, ſemel facta inſtitutione: ſi enim Eccleſia præciperet hoſtiæ cōſacrationē, quis diceret adimpleri præ-

præceptum; per prolationem verborum abſque intentione? inſuper quis audebit dicere beneficiarios, habentes præceptum largiendi eleemoſynam ex ſuperfluis, ſatiſfacere præcepto Eccleſiæ dando exteriùs pecuniam abſque animo transferendi dominium? Cuius alia ratio non eſt, niſi quia intentio hæc neceſſariò requiritur ad eleemoſynam: aliàs, qui à paupere illam pecuniam ſubrripuiſſet, non pauperi, ſed beneficiario, cuius erat dominium, iniuſtitiam feciſſet. Ergo Eccleſiæ, cui data eſt poteſtas præcipiendi actum externum, data eſt etiam ad præcipiendum internum, qui eſt veluti forma exterioris, ſine qua conſiſtere nequit: vt benè Suarez *d. 36. ſect. 7.* & Lugo *d. 15. ſect. 6.*

3 Ex his concludo contra Vazquez, *quæſt. 92. art. 3. dub. 5.* confitentem ſine dolore, non ſolùm peccaturum contra præceptum diuinum negatiuum prohibens recipere indignè Sacramentum, ſed etiam contra præceptum annuæ confeſſionis, cui etiam actus illi interni, quibus externus actus formatur, ſubijciuntur. Ac proinde non eſt caput, vnde poſsit excuſari ab incurrenda excommunicatione, qui ſine dolore, & propoſito voluntariè faceret confeſſionem nullam: Eccleſia enim in hoc caſu actum internum præcipere poteſt, ſaltem indirectè, cum poſsit actum externum, qui, ſemel inſtitutione Sacramenti facta, nequit aliter ſine peccato exerceri. Ex quibus conſtat non eſſe audiendos Sylveſtrum *verbo confeſſio 1. quæſt. 21.* Roſellam ibidem, *§. 4.* nec Angelum, aſſerentes, non eſſe obligationem repetendi confeſſionem ſine vllo dolore factam, de quo alibi.

4 Dico 3. quoties ex culpa graui omittitur in confeſſione peccatum aliquod læthale, eo quòd non occurrerit memoriæ ex defectu diligentiæ indicio prudentis requiſitæ, non ſatisfit præcepto per talem confeſſionem, ſed neceſſariò eſt iteranda. Ita Valentia *d. 7. quæſt. 11. punct. 3. §. ego vero.* Navarrus *in manual, cap. 9. num. 13.* Meratius *d. 29. num. 7.* Hęc concluſio eſt contra Henriquez, cui ſubſcripſit Diana *3. part. tract. 4. reſolut. 65. & 2. part. tract. 3. Miſcelan. reſolut. 31.* & P. Sà, *verbo Confeſſio, num. 7.* Eſt etiam contra Sotum, & Canum, apud Meratium ſuprà, qui putant tunc ſolùm eſſe invalidam confeſsionem, quando omittitur peccatum ex negligentia affectata, ſeu nimis craſſa; ſecus quando talis non fuerit, licèt grauiter culpabilis, ita vt in omiſsione peccati culpa mortalis interueniat. Contra omnes tamen probatur: nam, qui non facit confeſſionem formaliter integram, non adimplet præceptum, vt in confeſſo eſt apud omnes, ex Concilio Trident. *ſeſsion. 14. cap. 5.* integritas autem formalis in eo ſtat, vt omnia peccata confiteatur, ad quæ tacenda, cauſam legitimè excuſantem non habuerit. Vnde qui ita tacet aliquod peccatum in confeſsione, vt eius omiſsio ad culpam grauem imputetur, non faciet confeſſionem formaliter integram: ſed, qui ex defectu diligentiæ, iudicio prudentis requiſitæ, omittit in confeſsione aliquod peccatum læthale, imputatur illi ad culpam grauem talis omiſsio, vt ipſimet aduerſarij fatentur. Ergo non facit confeſsionem formaliter integram. Ergo non adimplet præceptum confeſsionis. Secundò probatur ratione P. Meratij: quia peccatum exterius, factum ſcienter, vel ex ignorantia grauiter culpabili, eiuſdem ſpeciei eſt. Sed omiſsio peccati læthalis, facta ſciēter in confeſsione, facit confeſſionem invalidam. Ergo omiſsio ex ignorantia grauiter culpabili invalidam etiam faciet: & ita cum Vazquez, Soto, Navarro, Hurtado, Laiman, Suarez, & Lugo, tenet Fr. Leander *de Pœnitentia, tract. 5. diſp. 5. quæſt. 65.* & contrariam, quam prius tenuerat Diana, retractauit *part. 10. tract. 14. reſolut. 19. in fine.*

5 Obijcit Canus: ſi vulgaris quidam homo integrè de omnibus peccatis, quæ memoriæ occurrunt, confiteretur; omitteret tamen vnum aliquod commiſſum ex ignorantia, non nimis craſſa; non cogeretur repetere confeſsionem, vt docent Navarrus, Sylueſter, Beia, Vazquez, Reginaldus, quibus adhæſit Diana eos citans *3. part. tract. 4. reſolut. 108.* Ergo ſi ex negligentia non nimis craſſa, omittat in confeſsione peccatum aliquod læthale, non tenebitur iterare confeſsionem. Ergo per illam ſatisfaciet præcepto. Reſpondeo, conceſſo antecedenti, negando conſequentiam: magna enim verſatur diſparitas, quia licèt ea ignorantia non excuſauerit perpetrantem à culpa graui in commiſſione, excuſabit tamen à culpa graui in omiſsione confeſsionis: rectè enim compatitur cum ea ignorantia, tempori peccandi occurrente, quod poſtea tempore examinis, diligentiam faciat, iudicio prudentis, ad confeſsionem requiſitam; quin memoriæ occurrat peccatum illud, cum ea ignorantia cōmiſſum, & conſequenter confeſsionem formaliter integrā faciet. Ideòque nō tenebitur ad eā iterandā, ſed ad confitendū illud peccatum, quando aduerterit ignorantiam fuiſſe grauiter culpabilem. Quod etiam tenendum eſt, quoties poſt factam ſufficientem diligētiam, nō occurrerit memoriæ peccatum aliquod ſciēter cōmiſſum. Ex his colliges, quātū

debeant pœnitentes inuigilare, vt diligentem peccatorum excuſſionem efficiant. Ob id tamen, (vt benè aduertit Eminentiſsimus Lugo, *diſp.16 ſect.14. num. 590.*) pœnitens non obligatur ad exactiſsimum examen, ſed ad humanum; hoc eſt tale, vt Sacramentum iſtud non reddatur nimis graue, & oneroſum.

6 Dico 4. qui excommunicatione minori, vel maiori, etiam reſeruata adſtrictus, bona fide, confiteretur, & à peccatis abſolueretur, non præmiſſa abſolutione cenſuræ, ſatisfaceret Eccleſiæ præcepto: probatur; quia validè abſoluitur à peccatis, etiam non ablatis cenſuris. Sic docent Nauarrus, Ricardus, Caietanus, quos refert, & ſequitur P. Valentia, *diſp.7.q.11 punct.3.* & Toletus, Laimā, Coninch, Suarez, quibus ſubſcripſit Diana, *3. part. tract.4. reſolutione 78.* contra Vazquez, Ioann. Sancium, Ledeſmam, & Philiuci. Aduertit etiam, & benè Diana, hoc procedere, licèt confeſſarius ex malitia ſciens excommunicationem reſeruatam abſolueret à peccatis. Probatur, quia excommunicatio pœnitentis non operatur, vt nequeat Sacramentum validè percipi, ſed vt nequeat licitè; vt patet in Sacramento Ordinis ab excommunicato recepto (imò & abſolutionem ab excommunicato vitando collatam validam eſſe, tradit, licèt immeritò, Victoria, quem citatum ſequitur Petrus Marchantius, apud Dianam, *part.10. tract.15. reſolut.14.*) cum igitur ignorans ſtatum excommunicationis, ſeu prohibitionem confitendi Sacerdoti, qui à cenſuris abſoluere nequeat, non faciat cōtra præceptum, non ponit obicem Sacramento: ac proinde ſi ex parte materiæ, & formæ, vel iuriſdictionis in Sacerdote non ſit defectus, validum conficietur Sacramentum. Ergo verè ſatisfaciet præcepto per talem confeſsionem.

7 Rogabis: quid dicendum, quando hæc incogitantia, ſeu ignorantia excommunicationis, ſeu prohibitionis eſſet grauiter culpabilis? Reſpondeo cum Nauarro, & Valentia, adhuc talem confeſsionem fore validam, ſi cum debita attritione, & ſufficiente, iudicio prudentis, examine, confiteatur peccata omnia, quæ memoriæ occurrerint: quia ſicut poteſt memoriæ non occurrere peccatum aliud occultum antea commiſſum, ſic etiam poterit tempore examinis non occurrere peccatum illud, quod tunc committit, non inquirendo, an ſit excommunicatus, vel an ratione illius prohibeatur recipere Sacramenta. Quæ quidem ignorantia, vt rectè P. Valentia, quo ad finem eam vitādi, erit grauiter culpabilis; & quoad finem confitendi, erit inculpabilis; cum adhibeatur à pœnitēte ſufficiens, prudentis arbitrio, diligētia pro ſuæ conſcientiæ examine. An verò tale Sacramentum eſſet informe, ab alia quæſtione dependet, nempè an poſsit dari Sacramentum validum, & informe, in quo partem negatiuam tenendam, conſtat ex dictis *1. part. ſelect. tr.3. diſp.5. q.3.*

8 Dico 5. per Sacramentum validum, & informe, ſi fortè detur, verè adimpletur præceptum confeſsionis. Ita Cardinalis Lugo, & Valentia ſupra. Ratio eſt; quia præceptum à Chriſto Domino latum non eſt præceptum recipiendi effectum huius Sacramēti; ſed ipſum Sacramentum. Sed qui faceret confeſsionem validam, & informem, verùm Sacramentum reciperet, quamvis ei non cōferatur gratia, quæ eſt eius effectus. Ergo verè ſatisfaceret præcepto. Vnde fit, ſecundum opinionem probabilem, non eſſe iterandam talem confeſsionem.

9 Dico 6. per confeſsionem factam ex fine venialiter peccaminoſo, vt propter honorem, vel vanam gloriam, ſatis fit præcepto confeſsionis. Eſt doctrina communis, quá cum Soto, Nauarro, & alijs, tenet Suarez *diſp.20. ſect.3.* Cardin. Lugo *ſupr. ſect.9.* cōtra Sylueſtrum, Angelum, Tabienam, Armillam, & alios Et tenet Diana, cum Vazquez contra Sylueſtrum *4. part. tract. 4. reſol. 212* Ratio eſt, quia in tali confeſsione nullum interuenit mortale. Ergo cum affectu vanæ gloriæ, rectè compatitur dolor excludens voluntatem grauiter peccandi: Ergo & diſpoſitio ex parte pœnitentis requiſita ad verum Sacramentum recipiendum. Secus autem eſſet, ſi finem grauiter malum intenderet: quia, cum hac intentione peccati, non compatitur voluntas efficax non peccandi; ac proinde nec diſpoſitio ad hoc Sacramentum requiſita

QVÆSTIO XII.

Qui teneantur præcepto confeſsionis?

1 Quæſtio poteſt eſſe, vel de præcepto diuino confeſsionis, vel de Eccleſiaſtico: ſuppono ex communi Theologorum ſententia, infideles, id eſt, non baptizatos, nullo ex his præceptis teneri: non diuino; quia vt conſtat ex Trident. materia huius Sacramenti ſunt peccata poſt baptiſmum commiſſa: non Eccleſiaſtico; quia non baptizati non ſunt Eccleſiæ ſubditi: ac proinde eius præceptis ligati non poſſunt. His poſitis.

2 Duplex venit exagitanda quæſtio: prima, an ſummus Pontifex teneatur præcepto Eccleſiaſtico? Secunda, qua ætate pueri ad confeſsionem teneantur? Quod ad primam: communis opinio aſſerit Pontificem, vi directi-

rectiua, teneri præcepto Eccleſiaſtico confeſsionis. Ita Suarez *d.* 37. *ſect.* 2. Vazquez *q.*90.*a.*1.*dub.*5. Meratius *d.*25 *ſect.*6. Cæterum obligationem ex vi directiua ortam non eſſe ſub mortali, docent Læſius, Salas, Azor, Philiucius, quorum opinionem vocat probabilem Diana, 1.*part. tract.*10. *reſolut.* 10. Præter quam, quod vt benè advertit Lugo *d.* 15.*ſect.* 7. poſſet Pontifex ſecum diſpenſare in præcepto Eccleſiaſtico: Quod, ſi faceret ſine rationabili cauſa, ſolùm venialiter peccaret, iuxta ſententiam Villalob. Taner. Laimam, quibus accedit Diana 1.*part. tract.*10. *reſolut.*32.*&* 35 & P. Sanchez *libr.*8. *de matrimonio, d.*18.*num.*7. cum multis alijs: Imò licèt ſit culpa venialis in tali diſpenſatione, talis culpa non erit in eius vſu, vt aſſerunt Suarez, Azor, cum Diana ſuprà. Ergo ex obligatione orta ex vi directiva, nequit concludi grauis obligatio confitendi.

3 Alij, quibus partim adheret Cardinalis Lugo ſupra, hanc obligationem probant ex eo, quod Pontifex habeat præceptum diuinum determinandi tempus, vt impleatur præceptum confeſsionis. Verum ex hoc fundamento grauis obligatio inferri non poteſt: quia probabilius eſt ante Concilium Lateran. non fuiſſe hoc tempus ab Eccleſia determinatum. Et mirum ſanè eſſet tot Pontifices latuiſſe obligationem hanc determinandi tempus. Præterea cur non poterit Pōtifex determinationem pro ſe aliter facere; volendo vt pro hac vice eſſet biennium: nulla igitur ratione poteſt efficaciter probari Pontificem teneri præcepto Eccleſiaſtico confeſsionis. Ac proinde ab hac obligatione graui omnino liberum exiſtimo, & ſaltem non teneri ſub mortali, tradunt Navarrus *de Pœnitentia, diſt.* 5. *num.* 32. cum Ioann. Andr. & Fœlin. Vnde Richardus, & Sotus, quos citat Fagundez *præcepto* 2. *Eccleſiæ, lib.* 4.*cap.*3.*num.*19. dixerunt Pontificem ſolùm teneri ex congruitate quadam morali, ac proinde ſub veniali.

4 De pueris eſt maior difficultas, qua ſcilicet ætate ad confeſsionem teneantur? Prima ſententia eſt Sancti Antonini 2. *part. titulo* 9 *cap.*8. §. 2. aſſerentis pueros non teneri confiteri, nec alijs præceptis Eccleſiæ, vſque ad decimum, & dimidium, & aliquantulum vltra, & fœminam vſque ad nonum, & dimidium annū. Secūda opinio eſt Soti *in* 4. *diſt.*12.*q.*1.*a.*11.*ad finem corporis*, Vbi ait pueros non teneri ad Eccleſiaſticum confeſsionis præceptum, nec ad reliqua Eccleſiæ præcepta, vſque ad annum 12. Tertia eſt P. Sà, verbo *Confeſsio, num.*3. aſſerentis confeſsionis præceptum minimè obligare, vſque ad pubertatem. Pubertas autem, vt docent Læſius *de iuſtitia, lib.*2.*cap.* 8. incipit in maſculis in termino anni decimiquarti; in fœminis verò in termino anni duodecimi. Verum has opiniones, vt nimis laxas Doctores reijciunt. Vt videre licèt apud Dianam *part.* 11. *tr.*2.*reſ.*56.

5 Communis Doctorum opinio, quam tenet P. Sanchez *in ſumma lib.*1.*cap* 12.*num.* 0. P. Suarez *diſp.*36.*ſect.*2. Cardin. Lugo *ſup. ſect.*6 & P. Meratius *d.*25 *ſect.*6. aſſerit pueros ad confeſsionem teneri, cum ad annos diſcretionis pervenerint. Ratio eſt, quia ita determinatur *in capite omnis vtriuſque ſexus*. Ego verò exiſtimo, quo ad hanc partem iam eſſe caput illud conſuetudine ipſa abrogatū, ſcientibus, & permittentibus Prælatis, ſicut derogatum eſt, quoad obligationem communionis: quam, ait Diana cum Corrado, *part.*3.*tract.*6.*reſolut.*70. & alibi, non obligare ante duodecimum annum. Imò addit P. Meratius *ſupra* non obligare, ante annos pubertatis: quod tenet etiam Laymam, *lib.* 5.*tract.* 4.*cap* 6. & tamen in eo capite æqualiter præcipitur communio, ac confeſſio. Iam verò id, quod reſpondet Lugo, nempe ibi poni limitationem pro communione, verbis illis: *Niſi forte de proprij Sacerdotis cōſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tēpus, ab eiuſmodi perceptione duxerit abſtinendum*, non habet multum roboris, quia hæc limitatio tantum eſt pro caſu aliquo particulari; & pro aliqua determinata perſona, non vero pro omnibus, & pro omni caſu: nec poteſt eſſe rationabilis cauſa, vt pueri à communione abſtineant, non attigiſſe annos pubertatis: nam cum hæc ſit omnibus pueris communis, non eos obligaret abſolutè lex, poſtquam ad annos diſcretionis peruenerint, vt ex terminis liquet. Ergo dicendum eſt caput *omnis vtriuſque ſexus*, quoad hanc partem conſuetudine ipſa abrogatum eſſe. Propter hæc ſentio, hæc præcepta confeſsionis, & communionis extra articulum mortis, non aliter, neque anteà obligare pueros, quam iuxtà conſuetudinem locis ſingulis receptam. In articulo autem mortis vtroque præcepto tenentur, dum primum habuerint vſum rationis, vt docent communiter Theologi. Imò ſi dubium ſit de vſu rationis, & aliquod peccatum confiteantur, abſolui debent ſub conditione, vt cum Chapeauilla, & alijs docet Diana 5.*part. tract.*3.*reſolut.*68. quia melius, & tutius eſt, Sacramento dubio ſuccurrere infirmo, quam nullo: imò id etiam fieri poſſe in vita, putat probabile Diana 4. *part. tract.*5.*reſolut.*53.

6 Non poſſum tamen non reprobare opinionem Soti ſupra relatam aſſerentis pueros vſque ad annum 12. nullis Eccleſiæ præceptis teneri: quis enim timoratæ conſcientiæ excuſare audebit a lethali puerum, qui

vſ-

vſque ad 12. non audiret ſacrum, aut carnibus diebus prohibitis veſceretur. Non me latet Marchantium, quem refert, & non improbat Diana 5. *part. tract.* 13. *reſolut.* 77. putare præceptum Miſſæ obligare, quando obligat præceptum Euchariſtiæ; ac proinde aſſerit, ſe non audere condemnare mortalis puerum, qui non attingit 12. annum, & M. Serra 2. *par. tom.* 2. *q.* 96. *art.* 1. cum alijs Recẽtioribus docere [pueros vſque ad hanc ætatem non peccare carnes in diebus prohibitis comedendo.] Communis tamen, & vera; & conſuetudine recepta ſententia eſt, ſeptennio expleto pueros his præceptis teneri. Qua autem ætate ad communionem teneantur alibi dicam, *tr.* 4. *q.* 3. *in fine*.

7 Advertendum tamen eſt, pueros ante annos pubertatis non incurrere excommunicationem contra præcepti confeſsionis tranſgreſores. Ratio ſumitur ex Eccleſiæ benignitate, quæ nulla eos ab homine cenſura, ligari ante pubertatem ſtatuit. Vt benè docet Vazquez, Sanchez, Ioann. Sanchez; quos citat, & ſequitur Diana 3. *part. tract.* 6. *reſolut.* 88. & 4. *part. tract.* 4. *reſolut.* 207. & licèt de excommunicationibus latis a iure, incurri ante pubertatem putent Suarez, Azor, Sanchez, Henrriquez, Ioann. Sanchez: ipſe tamen Diana contra ipſos cum Caſtro Palao, & Philincio, quos refert. 3. *par. tract.* 4. *reſolut.* 120. Id tenet de ſola excõmunicatione, ob percuſsionem Clerici: imò Nugnus apud Dianam, videtur vniuerſaliter pro omni caſu negare: ſic enim ait [mihi ſatis probabile eſt pueros ante annos pubertatis non ligari excommunicatione, vel alijs pœnis Eccleſiaſticis]. Idem P. Sà tenet *verbo Cenſura n.* 2 his verbis [cenſuram nemo incurrit vſque ad annos pubertatis ſecundum quorumdam probabilem ſententiam] Qui cum non excipiant cenſuram canonis; ſed vniuerſaliter negent, videtur manifeſtè illam etiam comprehendere. Idem dicito de excommunicatione lata contra ingredientes ſepta monialium: licèt Pontifex dicat *cuiuſcumque ætatis ſint*, vt benè Meratius *d.* 25. *ſect.* 6. intelligitur enim ſi capaces ſint prædictæ excommunicationis, qua non ſunt, ex pietate Eccleſiæ, vſque ad pubertatem De meretricibus putat Manuel Rodriguez, Vivaldus, & Zerola apud Fagundez *lib.* 1. *ſecundo præcepto Eccleſiæ, cap.* 4. non incurrere pœnas contra tranſgreſores præcepti confeſsionis, ex benignitate prælatorum, & videtur probabile putare P. Lugo *d.* 15. *ſect.* 7. *n.* 148 ſed ipſe contrarium meritò tenet cum Fagundez, & alijs. Æquitas enim non patitur, vt lucrum ex ſuo vitio reportent. Senes octogenarios a præcepto annuæ confeſsionis, & communionis excuſat Doctor Didacus Narbona apud Leandrum *tract.* 5. *de pœnitẽtia, diſp.* 3. *quæſt.* 29. eo quod eiuſmodi ætatis ſenes, infantes pueri ſunt, vt ait Hipocrates. Ceterum non omnes octogenarij tales ſunt; ac proinde hæc ſententia, nulla adhibita limitatione, improbabilis iudicatur a Leandro ſupra, & meritò. Eſt enim contra praxim, & conſuetudinem totiùs Eccleſiæ, & contra omnes Theologos, abſque vllo fundamento.

8 Ex dictis colligitur omnes baptizatos teneri præcepto Diuino, & Eccleſiaſtico cõfeſsionis, vnde hæretici non excuſantur à præcepto annuæ confeſsionis (quidquid aliqui Recentiores dixerint) verbum enim *fidelis* in Concilio Lateran. & Trident. ſepiùs repetitum nihil aliud ſignificat, quàm *baptizatus*: aliàs, qui in peccatum laberetur contra fidem, eo ipſo liberaretur ab onere confeſsionis annuæ, quod nullus dicere audebit. Dixi *omnes fideles* quod intellige de omnibus habentibus peccatum poſt baptiſmum commiſſum; nam adultos, qui nullum commiſerint, certum eſt non teneri: imò nec poſſe cõfiteri, vtpotè, qui nullam poſſunt præbere abſolutionis materiam.

DISPVTATIO II.

De munere Confeſſarij, Appendix.

QVÆSTIO I.

Quomodo ſe habere debeat Confeſſarius cum hæretico occulto, non valente adire Summum Pontificem pro abſolutione.

1 PAucis ab hinc annis à Confeſſario magnæ authoritatis cõſultus, reſpondi, debere illum mittere ad Epiſcopum, vel Inquiſitorem, quibus à Summo Pontifice, quando ad ipſum non patet aditus, facultas abſoluendi ab hæreſi conceſſa eſt; vt tradunt plures Doctores, quos referunt P. Thomas Sanchez *in ſum. lib.* 2 *cap.* 11. *n.* 27. & *cap.* 12. Thomas Hurtado *tom.* 1. *tr.* 5. *cap.* 4. *reſ.* 18. *n.* 162. & Diana 1. *p. tr.* 5. *reſ.* 2. & 3. Cæterum his non quieuit; quia huic opinioni diſſentiebat, cum doctiſsimis alijs cenſens nec Epiſcopum, nec Inquiſitores poſſe, in foro conſcientiæ, hæreticum occultum abſoluere. Non Epiſcopum: quia eius facultatem fuiſſe reuocatam per Bullam Cœnæ, quoad abſolutionem ab hæreſi, & cæteris caſibus Bullæ Cœnæ, eſt communior Doctorum ſententia, pro qua P. Thomas Sanchez, vbi ſupra *n.* 26. plures refert, concludens *n.* 27. in fine [tenenda eſt omnino hæc ſententia, quam Doctores non pœnitendi à Pontifice declaratam teſtantur, & ſupremæ Inquiſitionis

Tri-

Digitized by Google

Tribunal amplecti iubet: nec in re tàm graui amplectenda eſt ſententia contraria, valdè dubia, & parum tuta]. Sic P. Sanchez, cuius ſententiam vltra Authores, quos ipſe citat, ſequuntur quindecim alij, quos refert Diana *reſ.2.citata*, & P. Suarez vbi infra.

2 Quod autem Domini Inquiſitores abſoluere nequeant in foro conſcientiæ ab hæreſi occulta, defendunt ipſimet doctiſsimi viri, P. Sanchez *cap.12.citato n.3.* & P. Suarez *tom. de fide, diſp. 21.n.24.* vbi ait: [nec Epiſcopum, nec Inquiſitores habere iuriſdictionem ad abſoluendum in foro conſcientiæ à crimine hæreſis] Quod ſupponit à ſe traditum *n.17.* vbi probat [quod ſi prædicta facultas alicubi fuiſſet conceſſa; per Bullam Cœnæ eſſet iam reuocata, quia vt rectè argumentatur Nauarrus *conſil.11.de priuileg.* incredibile eſt per Bullam Cœnæ reuocari facultatem datam Epiſcopo in foro conſcientiæ, & non eſſe reuocatam, ſi data eſſet Inquiſitoribus: cùm verba generalia ſint, & ad omnes cuiuſcumque dignitatis extendantur. Atque ita inter declarationes Cardinalium, tàm manu ſcriptas, quàm typis mandatas (ſubnectit Suarez) vnam inuenio circa dictum caput ſextum *ſeſ.24.* Concilij Trid. in qua expreſſè dicitur, nec Epiſcopos, nec Inquiſitores poſſe abſoluere ab hac cenſura, vtique in foro conſciētiæ.] Sic Suarez. Quæ declaratio forſan alia non eſt ab ea, quam adducit Barboſa *ſeſ. 24. Concilij n.7.* in hæc verba: *Epiſcopus, aut Inquiſitor abſoluere iam non poſſunt hominē hæreticum in foro conſcientiæ, licèt hæc facultas à Concilio ſit ipſis tradita.* Idem ſentiunt Farinatius *de hæreſi q.192.n.54.* Gartia *de Beneficijs p.11.cap.10.n.121.* & Barboſa *de poteſtate Epiſcopi alleg.40.n.28.* Quos citatos ſequitur Caſtro Palao *tom.1.tr.4.diſp.4.punct.3.§.2.n.3.* Marchinus de Sacramento Ordinis *tr.1.p.9. diffic. 11.* Bonacina *de cenſuris diſp.2.q.5.n.11.* Quibus adde Sanctarellum, Zechium, Ioannem Valerum, Ricium, & alios apud Dianam *p.1.tr. de abſolutione ab hæreſi, reſ.3.* Quorum ſententiam P. Suarez, & P. Sanchez vbi ſupra, Couarrubiæ, Peñæ, & alijs paucis adſcribunt. Et ſaltem non poſſe, ſi hæreſis occulta ſit probabilis in iudicio per duos teſtes, tradit Hurtado, ſupra *n.166.*

3 Ex hac opinione, per euidentem conſequentiam deducitur, hæreticum occultum diſtantem à Papa, quem præ impotentia phiſica, vel morali adire non poteſt, v.g. propter ægritudinem, aut membrorum læſionem, aut nimiam ſenectutem, vel paupertatem, vel ob clauſuræ votum, vel propter ſexum, rigoroſè, & propriſsimè carere copia confeſſoris: quia re vera nullus eſt confeſſarius, qui habeat iuriſdictionem directam ad illum abſoluendum.

4 Quid ergo faciet confeſſarius, occurrente neceſsitate celebrandi, vel communicandi, quando abſque graui infamiæ nota, Pœnitens omittere non poteſt? Reſpondi hæreticum poſſe impetrare iuriſdictionem directam, fatendo hæreſim extra confeſsionem, coram Secretario, & quæſitore aliquo, confeſsione deſcripta in libro Tribunalis (vt de more eſt in Sancta Inquiſitione) ab illo enim, præcedente abiuratione, à ſententia excommunicationis abſoluitur: qua ablata, poteſt pœnitens à quolibet confeſſario approbato in ea Diœceſi abſolui, vt docent communiter Doctores; quia iam non manet caſus reſeruatus. Sed non acquieuit confeſſarius, dicens pœnitentem in hæreſim occultam lapſum non teneri, per hoc medium, abſolutionem directam procurare; quia nullus tenetur ad materialem integritatem confeſſionis cum graui ſuo damno: vt conſtat ex communi Doctorum, cum Santo Thoma *in 4.diſt.17.q.3.art.3. quæſtiunc.4. ad quintum argumentum.* Vbi in exemplum grauis damni imminentis, adhibet, ſi confeſſarius *reuelator confeſsionis probabiliter exiſtimaretur*, in quo caſu, inquit, [quod ſi licentiam à ſuperiore alteri confitendi habere non poſsit, *aut ad illum recurrere nequeat, idem eſt iudicandum, quod de eo, qui non habet copiam Sacerdotis.*] Si ergo infamia a confeſſore reuelante, & ſi vni tantum, eſt graue damnum excuſans ab eius confeſsione, ſimile à fortiori erit infamia ſequuta ex confeſsione in foro externo iudiciali, coram Inquiſitore, & Secretario.

5 Confirmatur, quia nemo, ob integritatem materialem confeſsionis, tenetur vti interprete, vt docent Suarez, Vazquez, Syiveſter, Sayrus, Nugnus, & plures alij, quos citatos ſequitur Bonacina, *tom.1.diſp.5. de pœnit.q.5.ſeſſ.2.puncto vltimo, num. 5.* Quibus adde Laymam, Fagundez, Villalobos, Filliucium, & alios, quos citatos ſequitur Diana *3.part. tr.4. reſ. 129.* qui etiam in articulo mortis, ſi de ſua contritione probabilem habeat exiſtimationem, ab obligatione confitendi per interpretem illum excuſant. Et ſaltem ſufficere ſe accuſare de venialibus in ſpecie, & de mortalibus in genere; ſentiunt Coninch, & Molfeſius. Si ergo pœnitens non tenetur ſe manifeſtare extra Sacramentum, neque vni dumtaxat; ſed poteſt confeſsionem dimidiare, vel vrgente neceſsitate in totum omittere; à fortiori idem poterit hæreticus occultus: nec cogi poterit, vt coram Inquiſitore, & Notario abſolutionem ab excommunicatione, propter hæreſim incurſa, in foro externo obtineat; vt poſsit, ablata reſeruatione, peccatum hæreſis cuilibet confeſſario approbato confiteri.

6 Propter hæc, ab hac obligatione liberum

rum eſſe hæreticum occultum (quoties hoc medium non ſit vnicè neceſſarium ad vitandum relapſum) ſupponit Suarez *diſp. 21. de fide, ſect. 4. num. 16.* & veluti commune inter Doctores præmittit M. Prado, *tom. 1. qq. cap. 8. de hæreſ. quæſt. 9. §. 4. num. 12. & ſequent.* [quia durißimum, inquit, videtur cogere Sanctimonialem, vel nobilem Matronam, vt confiteatur hæreſim occultam coram Inquiſitore, & Notario; ideò videndum quid tunc ſit faciendum:] & docent Petrus Hurtado de Mendoza *2. 2. tom. 1. diſp. 84. ſect. 5. n. 85. & ſequentibus, n. 99. &* 100. & P. Thomas Sanchez *in ſum. lib. 2. cap.* 12. *n.* 4. & fauent alij apud illum, & tradit ex profeſſo Palao *tom* 1. *tr.* 4. *diſp.* 4. *punct.* 3. *§.* 6. *n.* 2. dicens; [poſſe hæreticum in hoc caſu dimidiare confeßionem, quia ſufficiens cauſa eſt graue damnum imminens, vt communis Theologorum ſententia tenet. Sed graue damnum, inquit, eſt, te obligare ad manifeſtandum peccatum, coram Inquiſitoribus, & Secretario, & ſcriptum relinquere; vt colligitur ex Doctoribus, & ex ratione manifeſta.] Et in hoc tantùm ſenſu vera eſſe poteſt ſententia Dianæ 1. *p. tr. de abſolutione ab hæreſi reſ. 3.* vbi ait, confeſſarium nō poſſe cogere hæreticum occultum, vt prodat ſe Inquiſitoribus [vt alibi, inquit, fuſè probabitur.]

7 Dixi: *in hoc ſenſu*; non in eo, quo aſſeritur ab ipſo Diana; ſentit enim (& valdè quidem probabiliter) quemlibet Inquiſitorem poſſe in foro conſcientiæ ab hæreſi occulta abſoluere, & eandem facultatem cuilibet confeſſario approbato delegare. In hac autem ſuppoſitione, ſi oporteret licentiam abſoluendi alteri ſacerdoti denegare, maneret pœnitens obligatus, ſi aditus pateret, coram Inquiſitore ſe præſentare, vt Sacramentaliter ab ipſo abſolueretur. Et ad hoc poſſet confeſſarius illum cogere, iuxtà dicta 1. *p. Selectarum tr. 3. diſp. 8. q. 12. n. 8. & ſequent.* vbi contra plures probaui in caſu, quo ſuperior iuſtè negaſſet facultatem ſubdito, vt a ſibi reſeruatis, ab alio abſoluatur, teneri coram ipſo comparere. Recole ibi dicta. Contingere tamen poſſet Dominum Inquiſitorem grauiter peccaturum contra charitatem negando talem facultatem, v. g. quando prudēter cenſeret, hæreticum ob difficultatem non confeſſurum, vt benè ait Hurtado §. 94. & conſtat ex dictis à nobis 1. *p. ſelectarum* loco ſupra citato. Et tradit expreſsè D. Thom. *in 4. diſt. 17. quæſt. 3. art. 3. q. 4. ad* 6.

8 Ex dictis recrudeſcit præſens difficultas. Quidnam teneatur efficere confeſſarius, quando pœnitens hæreſi occulta infectus, nec phiſicè, nec mortaliter Pontifici ſe præſentare poteſt? Non eſt ſermo de articulo, ſeu periculo mortis: in his enim certiſsimum eſt ex *Tridentino ſeſ. 14. c. 7. de Sacram. Pœnitentiæ*; à quolibet Sacerdote poſſe hæreticum, etiam publicum in foro conſcientiæ abſolui, cum onere comparendi coram Pontifice, cum poſſit: non quidem pro abſolutione a peccato, neque à cenſura, à quibus iam directè abſolutus eſt, ſed vt medicinam, & ſatisfactionem, quā Pontifex maluerit, adhibeat. Quod ſi non ſe præſentauerit, cum commodè poſſit, reincidet in ſimilem cenſuram, Summo etiam Pontifici reſeruatam: ni per ignorantiam, aut obliuionem huius obligationis, quam ex iure Canonico habet, à nouo peccato excuſetur. Hoc onus ſub iuramento imponendum hæretico, docent plures, quia in abſolutione ab excōmunicatione ob percuſsionem Clerici, ſic decernitur *cap. quamvis, & cap. ea noſcitur, eodem tit.* Verum cùm pro abſolutione ab alijs excommunicationibus Summo Pontifici reſeruatis, id deciſum non ſit, & materia ſit odioſa, non eſt, cur diſpoſitio iſta ſit extendenda; ſufficit hæreticum de ſua obligatione comparendi admonere, & quod iuramentum præſtet de parendo mandatis Eccleſiæ, & quod illud crimen iterum non patrabit; hoc enim requiritur quoties abſoluitur ab excommunicatione ob magna crimina impoſita: vt *ex cap. ex tenore de ſentent. excommunicat.* docent communiter Theologi. Vide Suarez *tom. 5. in 3. p. diſp. 19. ſect. 2. n. 10.*

9 Difficultas igitur ſolùm eſt de abſolutione ab hæreſi occulta, extra articulū mortis, quando inſtat neceſsitas communicandi, & non patet recurſus ad Pontificem. Audiamus Doctores: P. Granado *22. controv. 1. tr. 15. diſp. 16. ſect. 4. n. 18.* [Si daremus facultatem Epiſcoporum eſſe reuocatam, & Quæſitores fidei nō poſſe in foro conſcientiæ hanc abſolutionem impendere; vera nihilominus ſententia eſt, etiam quando adeſt ligitimum impedimentum adeundi Papam, non poſſe hæreticum occultum ab alio abſolui.] P. Suarez *tom. de fide, diſp 21. ſect. 4. num. 26.* loquens de perpetuò impeditis ſe Pontifici præſentare, pro abſolutione ab hæreſi; ſic ait [qui voluerit in illo ſtatu conſtitutus, ante periculum mortis, abſolui, neceſſe eſt, vt vel coram Inquiſitoribus, modo ſupradicto, (nempè coram Notario, & præmiſſa abiuratione) occultè compareat, vel per viam ſecretam, & tacito nomine remedium à Pōtifice obtineat.] P. Thomas Sanchez *in ſum. lib. 2. cap. 13. in fine.* [Nullum huic impedito ſupereſt medium, vt abſolvatur, niſi vt ad Inquiſitores confugiat (nempè vt ſupra dixit Suarez) vel ad Pontificem per Procuratorem, aut litteras, tacitò nomine] Quibus adde M. Dominicū de Soto, Bartholomæum de Ledeſma, Vivaldum, Rodriguez, & alios,

quos

quos citat Leander à Murcia *tom.2.diſquiſ. moral. diſp.1.reſ.17.n.12.& 17.* Ex quibus videtur dicendum hæreticum occultum in caſu vrgentis neceſsitatis, cùm non habeat copiam Confeſſoris, poſſe communicare cōtritum, non verò vllo modo abſolui. Et ita de quolibet peccato reſeruato, docent Vazquez *tom.4.in 3.p.q.91.art.3.dub.9.* & Gaſpar Hurtado de Pœnitentia *diſp.11. diffic.14.* & de habentibus excommunicationem reſeruatam tenent Paludanus, S. Antoninus, M. Sotus, Ledeſma, Syluester, & alij apud Prado ſupra *q.9.n.23.& 24.*

10 Cæterum, quod indirectè poſsit confeſſarius hæreticum occultum, in caſu vrgentis neceſsitatis, abſoluere, eſt communior ſententia; & ita docet expreſſe M. Ioannes Martinez de Prado *tom.1.qq.cap.8. de hæreſi q.9.n.24.* dicens [ideò iſte hæreticus ſic impeditus validè poteſt abſolui, directè à non reſeruatis, & indirectè a reſeruatis.] Pro qua parte *n.21.* adducit plures ex antiquis: & ex Recentioribus Cardinalem de Lugo, Leandrum à Sacramento, Torreblancam, & Lezana m; imò P. Puente Hurtado de Mendoza *2.2.diſp.84.ſect.7.§.188.* inquit; quod quando Suarez, & Sanchez locis ſupra citatis, negant facultatem abſoluendi ab hoc crimine, in caſu neceſsitatis, extra articulum mortis; agunt de abſolutione directa; *Non verò negant abſolutionem indirectam*: hoc eſt, quod vrgente neceſsitate celebrandi, vel communicandi, poſsit hæreticus occultus ab alijs peccatis abſolui ab habente iuriſdictionem in illa; tacitò pecato hæreſis, quod, remiſsis alijs, nequit non remiſſum manere; quia nullum peccatum lethale eſt compatibile cum gratia habituali, virtute abſolutionis aliorum comparata; ex quo dicitur indirectè remiſſum, ſeu abſolutum. De hac indirecta abſolutione, vide Thomam Hurtado *tom.1.fol.290.n.168.* Quintanadueñas *tom.2.fol.281.& tom.1.fol.68.n.7.* & Trullench in *expoſitione Bullæ lib.1.§.7.cap.2. dub.7.verſ. Sed dices in 3.editione: & tom.1.in decalogum lib.1.cap.3.dub.4.in fine.* Videatur etiam Suarez *tom.4.in 3.p.diſp.23.ſect.2.n.7.* vbi ait ſufficientem cauſam dimidiandi confeſsionem eſſe neceſsitatem vitādi aliquam infamiam. [Quarta, inquit, occaſio, vel neceſsitas erit vitandi aliquā infamiam propriam, vel aliud ſimile incommodum, quod quis timet, niſi confiteatur eo modo, quo poteſt: & tunc eſt etiam ſufficiens ratio, vt homo poſsit licitè ſic confiteri, non tamen obligatur, ſaltem ſub mortali, quia illud incommodum temporale eſt, & proprium, & poteſt homo cedere iuri ſuo. Secus verò erit, ſi ſcandalum aliorum ex dilatione, vel omiſsione confeſsionis timeatur; tunc enim non ſolùm licebit, ſed etiam neceſſarium erit, eo modo confiteri iuxta qualitatem ſcandali, quod ſemper ex charitate vitandum eſt. Quintò contingere poteſt, vt nulla ſit confeſsionis neceſsitas ſimpliciter, ſit tamen magna vtilitas, quam per ſe affert Sacramentum, & augetur ex frequentia eius: vndè ſi propter eam occaſionem multò tempore differendum ſit, conſulius erit ita confiteri, licèt non ſit ſub obligatione. Et hoc ſignificauit Soto ſupra.] Sic P. Suarez ibi.

11 Videatur iterum *diſp.31.ſect.3.* vbi ex profeſſo probat, non eſſe neceſſarium ad valorem abſolutionis, habere iuriſdictionem in omnia peccata, quibus re ipſa pœnitens ligatus eſt: & vrgente neceſsitate licitum eſſe indirectè a reſeruatis abſoluere, licèt habeant excommunicationem annexam, idque honeſtari, quoties poſsit quis accipere Sacramentum Euchariſtiæ, ad vitandum ſcandalum, ſeu grauem infamiæ notam; præmiſſa tantùm contritione. Quod tenet plures, quos adduxi *1.p.ſelectarum, tr.3.diſp.8.q.12.* & tradit Quintanadueñas, *to.2.fol.231.ſing.* Abſolutio enim Sacramentalis impenſa excommunicato valet, vt cum Caietano, Navarro, Suarez, Bonacina, Medina, Ioañe de la Cruz, Nuño, Candido, & duodecim alijs authoribus, tradit M. Prado, vbi ſupra *num.24. citato.* Ac proinde, in tali caſu, ea non ablata, licitè poteſt confeſsio dimidiari. Nā quod à præcepto diuino confeſsionis excuſat, ab eius materiali integritate excuſare certiſsimum eſt. Secundò, quia non eſt minùs prohibita excommunicato ſuſceptio Euchariſtiæ, quàm Sacramenti Pœnitentiæ; vt ex terminis patet. Ergo quoties licitum fuerit communicare, præmiſſa tantùm contritione, (vt in caſu neceſsitatis prædicto, docent plures; eo quod non eſt copia confeſſoris potentis abſolvere directè a reſervatis, ſeu ab excommunicatione reſeruata) tunc etiam licebit confiteri dimidiatè inferiori, cum onere comparendi pro reſeruatis, vel hæc etiam explicando in confeſsione ſimul cum alijs, ſecundum diuerſas probabiles opiniones: quia idem eſt referre reſeruata non iudici, ac non confiteri. Sic in caſu hæreſis, ait Diana infrà *reſ.9.* cum Hurtado de Mendoza vbi ſupra: & de alijs caſibus reſeruatis, quando longa temporis mora eſt interijcienda, antequàm legitimus iudex poſſit adiri; tradit ipſe cum Suarez, & Granado *5.part.tr.13.reſ.8.* Vide quæ diximus *1.part. ſelect.tr.3.diſp.8.quæſt.12.* & laxiora apud Dianam *1.part.tr.5.reſ.4.& part.7.tr.2.reſ.23.* [Notandum (inquit) eſt hic obiter: ſi Epiſcopus ſequens noſtram ſententiam; & nolens abſolvere hæreticum occultum, quid faciendum? Reſpondent aliqui, quod ſi periculum

ſit

ſit infamiæ, vel ſcandali, ſi Sacerdos ſit, niſi celebret; vel laicus, niſi communicet; poteſt indirectè abſolvi ab hæreſi, & directè ab alijs peccatis à quocumque Confeſſario: & idem dicendum, ſi ob paupertatem, vel aliud impedimentum, non poſsit Romam adire, vel litteras mittere ad Summos Pœnitentiarios, ſi eſt contritus, poteſt ſumere Euchariſtiam; vel celebrare, ſi ſit Sacerdos, (attende) *etiam ſi non adſit periculum infamiæ, vel ſcandali*: nam ille apud Deum excuſatur; quia fecit, quantum potuit. Et ita me citato Marchinus *de Sacram. Ordinis tr.1.p.9. cap.1. diffic.* 10.*n*.6. & etiam me citato Trullench in Decalogum *tom.1.lib.1.cap.3. dub.4.n.13.* ſed recognoſce me ipſum *in p.1.tr.5.reſ.4. & in p.4.tr.4.reſ.242.* ſic Diana, *qui* 1.*p.* loco citato, pro parte non requirente periculum Infamiæ, vel ſcandali, adducit Nauarrum, & Fagundez, quorum ſententia ipſi ibi non placuit; & meritò. Vide tamen ſup.n.10.

12 In hoc igitur ſenſu, ab abſolutione indirecta, occurrente neceſsitate, nullum caſum excipit Suarez *diſp.31. citata ſect.3.* In præcedenti verò *diſp.30.ſect.3.n.8.* Vbi de abſolutione directa loquitur, inquit, quod in caſibus Pontificijs, generalis iuris regula eſt, *quoties non patet aditus ad Summum Pontificem, vel legatum, vel delegatum eius, niſi cum magna difficultate, & mora, poſſe peccatorem abſolui ab inferiore Sacerdote, cum onore comparendi coram Pontifice.* Quam regulam, dicit, extendere Doctores ad omnem caſuum reſeruationem. [Non enim (inquit) fuit aliqua ratio particularis inuenta in vna reſeruatione potiùs, quam in alia; ſed illa generalis, *ne pro dilatione pænitentiæ periculum immineat animarum. Argum. cap. vlt. de pænit. & remiſſ. in 6.* & ne reſeruatio, quæ pro bono Charitatis introducta eſt; contra Charitatem vergat. *Quæ* (inquit Suarez) *ratio in omnibus peccatis mortalibus locum habet; nempè in omnibus Pontificijs, qui in iure exprimuntur*, vt ſe explicat *diſp.31.ſect.3. num.2. in fine.* Et ſic intelligendus *diſp.30.ſect.3.numer.9.* vbi dicit inconſequenter loquutum Sylveſtrum excipiendo ab hac vniuerſali regula caſus contentos in Bulla Cœnæ, & omnes illos, in quibus nullus poteſt abſolvere, niſi in articulo mortis. Quia in omnibus caſibus Pontificijs tenor reſeruationis eſt, vt ab illis nullũ abſoluat, niſi in articulo mortis, ac proinde à nullo poſſet quis abſolvi.] Hæc eſt ſententia Patris Suarez loco ſuprà citato. In illo autem nullam fecit mentionem criminis hæreſis, aut excommunicationis propter illud incurſæ. Quia huius abſolutionem, niſi expreſsè concedatur, ſemper intelligit excluſam, vt videre licèt *tom. de fide, diſput.21. ſect.4.num.21.* & cum Sanchez, Garcia, Barboſa, Azor, Covarr. Vgolino, Aragõ, & alijs tradit Palao *tom.1.tr.4.diſp.4.p.3. §.4.n.2.* contra Sotum, & alios, quos adduxi *in opuſculo pro Ieſuitis, tr. de fide, prop.2.* Et contra quindecim alios, quos refert M. Prado ſuprà *q.8.num.8. & ſeqq.* dicens eſſe probabile, & ſecurum in praxi; ſed oppoſitum fuit poſteà declaratum ab Alexandro VII. pro ſententia Patris Suarez, & aliorum. Quapropter ex doctrina ſupra tradita à Suarez nequit inferri, concedere abſolutionem directam ab hæreſi in caſu neceſsitatis communicandi, aut celebrandi. Quod vrgentius evincitur ex his, quæ tradit *tr. de fide, diſp.21.* vbi, nec habentibus impedimentum perpetuum adeundi Summum Pontificem, illam concedit.

13 Addunt verò ipſemet Suarez in citato loco *de fide, ſect.4.num.26.* & P. Sanchez vbi ſuprà, perpetuò impeditos adire Summũ Pontificem teneri per viam ſecretam remedium à Pontifice obtinere. Hoc autem minùs conſequenter dictum videtur. Nam Sanchez ibidem, nempe *lib.2.ſum. cap.13. num.* 14. plures referens; tradit expreſsè, abſolutum in articulo mortis ſub onere comparẽdi, ſi poſteà *perſonaliter comparere non poſsit*, non cogi per alium, ſeu per procuratorem adire Superiorem; vt docent Navarrus, & Vgolinus. Cuius ratio, inquit, eſt: quia onus committendi negotiũ tertiæ perſonæ eſt valde graue & non carens periculo infamiæ in re grauiſsima, quod ſine cogente iure (quod re vera nullum datur) non eſt imponendum] Sic ibi cum citatis, quos ſequuntur Fioronus, & Henriquez; quibus adhæret Diana *p.5. tr.3.reſ.65.* [Nam ius, inquit, non obligat pœnitentem, vt ſe per tertiam perſonam ſuperiori præſentet, ſed per ſe ipſum, & quando per ſe ipſum non poteſt, illum impeditum iudicat, *cap. Quamvis de ſentẽt. excommunic.*] Vnde Doctores benè probant, verè dici non adeſſe copiam confeſſoris, quando quis eſt impeditus Superiorem perſonaliter adire, neque cum commodè accerſere: quia aut non veniet, aut non ſine magna nota. Idem cum Navarro ſentit Trullench *in expoſit. Bullæ, lib.1.§.7. cap.2.dub.5.num.* 6 his verbis [Non tenetur Procuratorem mittere, quia ius non obligat pœnitentem, vt ſe per tertiam perſonam Superiori abſoluturo præſentet, ſed per ſe ipſum, & quando per ſe ipſum non poteſt, iudicat illum legitimè impeditum. Colligitur aperte, *ex cap. de his*, & *cap. de cætero de ſententia excommunicationis*, & præcipuè, *cap. quamvis eodem titulo.* Vbi ad obtinendam abſolutionem ſolùm expoſtulatur, *vt quolibet impedimento canonico retrahatur, quominus Romam in Pontificem poſsit adire.*] Ideòque non teneri facultatem

per

Digitized by Google

per Procuratorem, nec per Confeſſariũ, nec per litteras impretare, tradit cũ Corduba, Valencia, Azor, Henriquez, & Sanchez, Caſtro Palao *tom.1.tr.4.diſp.4.punct.3.* Non per procuratorẽ, ſicut nec per interpretem confiteri, quia eſt reuelare peccatũ non habenti obligationem ex ſigillo ad non reuelandũ. Non per litteras, quia exponit ſe periculo ſui criminis detegendi; non per confeſſariũ, quia hoc onus non eſt confeſſoris, ſed ipſius pœnitentis, neque hoc mediũ; & ſi confeſſarius ſpõte ſe offerat, (ad quod non tenetur) obligatur pœnitens eligere, (ait Palao ſup.§.5.*n.6.*) quia eſt alienũ à reſeruatione, & illam tollens. ſic ibi ex Sanchez ſuprà. Et ita tradit Fr. Leander à Murcia *tom.2.diſquiſ.Mor.lib.4.diſp.1.reſ.* 19. vbi citatis Cornejo, Diana, Caſpenſi, cum Henriquez, Vgolino, & Duardo apud Bonacinam, docet legitimè impeditum impedimento perpetuo, non teneri recurrere ad Papã, per epiſtolã, vel Nuncium, & hanc ſententiam eſſe veriſsimam ex Navarro. Quam ſequitur M. Prado vbi ſuprà, q.9.*§.1.n.4.*

14 Et P.Suarez *de fide diſp. 21. ſect. 4. n.* 25. eum, qui poſtquam periculũ mortis evaſit, non poteſt perſonaliter comparare; non obligat, vt per litteras, confeſſariũ, vel procuratorem, compareat, vt conſtat ex ipſius, quæ ſubnecto, verbis. [Tertiò obſeruandum eſt, abſolutionem in illo articulo relinquere obligationem comparendi corã Pontifice, ſi pœnitens periculum illud euadat, *& poſsit perſonaliter comparere.* Ita ſumitur *ex cap.eos, qui de ſent.excom.in 6.* & ratio eſt, quia poteſtas abſolvendi, ſub ea tantùm conditione datur, & eſt iuſta cõditio, quia illo modo ſufficiẽter ſubvenitur neceſsitati peccatoris, & per illã providetur meliùs animæ eius, & cõſulitur etiã bono fidei, & Eccleſiæ. Vnde tenetur cõfeſſor admonere pœnitẽtẽ de huiuſmodi onere, & cautionẽ aliquam de implenda huiuſmodi obligatione, ab illo exigere; & communiter cenſent Doctores iuratoriam cautionem eſſe poſtulandam, vt videri poteſt in Sanctio ſuprà in ſuo numero 17. *Dixi autem, ſi perſonaliter comparere poſsit*: nam ſi per ſe non poſsit, non cogitur per alium, ſeu per procuratorẽ adire ſuperiorem, vt docent Nauarr. *in ſum.c.27.n.* 90. *ad 5 quæſtionem*, & Vgolinus *de cenſuris Põtifici reſeruatis 3.p.cap.2.ſub tit.de mortis articulo q.4.n.1.* & Sãctius referens plures alios in *n.14.* Et ratio eſt, quia iura non imponunt hoc onus, vt videri poteſt *in dicto c.eos, qui* & *in cap.vlt.26.q.6.in Concilio Auauſic.1.cap.2.* Eſt autem onus committendi hoc negotium tertiæ perſonæ valdè graue, & non carens periculo infamiæ in re grauiſsima, ideòque non eſt ſine cogente iure imponendum] Hæc Suarez, idem tenent apud Sanchez ſupra Corduba *in ſumma, q.18.punct.2.* Valentia 4. *tom.diſp.* 7.q.10.*punct.2.* & P Azor *tom.1. lib. 8. inſtit. moral.cap.19.q.5.* Vbi ait deficere copiam confeſſoris, vel ſuperioris ad abſolutionem ab hæreſi [cùm Epiſcopus, & Inquiſitores, qui poſſunt ab hæreſi abſolvere; præſentes non ſunt.] Cuius rationem reddit Sanchez *lib.2. ſum.cap.3.n.14.* [Quia ius non obligat pœnitentem, vt ſe per tertiam perſonam ſuperiori abſoluturo præſentet, ſed per ſe ipſum, & quãdo per ſe ipſum nequit, iudicat illum legitimè impeditum.] ſic ille cum communi Doctorum, quos ſequitur Cardinalis de Lugo *tom.de pœnit. diſp.18.ſect.2. num.* 32. & plures alij, quos ſequitur Trullench *in decalog. lib.1.cap.3.dub.7.n.8.*

15 Ex his principijs, quæ pro articulo, ſeu periculo mortis, ab omnibus fere Theologis admittuntur, pro abſolutione directa ab omnibus caſibus Pontificijs, etiam hæreſis; decidenda videtur quæſtio præſens in re morali difficilis, de habentibus impedimentum perpetuum. An eodem prorſus modo ſit de illis diſcurrendum, (ſaltem, quando hæreſis eſt occulta) ac de conſtitutis in articulo, ſeu periculo mortis? nempè an poſsint directè ab hæreſi abſolvi, eo modo, quo poſſent in articulo mortis conſtituti? Affirmat Palao *tom. 1.tr.4.diſp.4.p.3.§.5.n.5. & 6.* vbi ſic ait, [ſi licèt proferre, quod ſentio, exiſtimarem ſanè æquè de hæreſi, ac de alijs criminibus poſſe ſic impeditum abſolui à quolibet confeſſario; quia poteſtas vtendi hoc priuilegio fundatur in neceſsitate pœnitẽtis: at quo delictum grauius, grauiorem neceſsitatem pœnitens habet. Ergo non ob grauitatem hæreſis limitandum eſt. Adde, quia, vt ipſemet Sãchez, *n.14.* affirmat, & ſtatim dicemus, nullus tenetur in periculo mortis conſtitutus medio procuratore, aut litteris miſsis abſolutionis beneficium impetrare, quia nemo tenetur medium aſſumere, quo eius delictum manifeſtari poſsit. Ergo neque etiam tenetur adſtrictus illo perpetuò impedimento, quod mortis periculo æquiualet, aſſumere procuratorem, vel litteris facultatem procurare. Aliàs ſi propter grauitatem hæreſis, & illius ſpecialem reſeruationem, deberet pœnitens impeditus confugere ad Inquiſitionem, vel ad Pontificem, per procuratorem, etiam in articulo mortis conſtitutus deberet eam diligentiam adhibere. Neque videtur eſſe ſpecialior ratio in vno caſu, quàm in alio.] Hactenus Palao. Quam ſententiam ait Trullench *tom. 1. in Decolog. cap. 3. dub. 7. numer.* 19. [exiſtimo probabilem, & poſſe tutè ſequi] & talem videtur cenſere Ioannes Martinez de Prado *ſuprà quæſt. 9. num.* 10. & Leander à Murcia *loco citato, reſol.* 17. *num.* 17. quia M. Prado contrariam, quam

ſequitur, dicit videri probabiliorem, & Leãder eſſe tutiorẽ. Qui *num.* 2. pro ſentẽtia Caſtri Palai adducit Homobonum referentem pro illa Ruardum; quos videre non licuit.

16 Pro hac tamen ſentẽtia alios Authores in terminis diſputantes, de perpetuo impeditis adire Pontificem pro abſolutione à crimine hæreſis, non invenio: licèt de alijs criminibus loquentes communiter ſentiant, idem foré, ſecundum ius, ferendum iudicium de perpetuo impeditis, ac de cõſtitutis in articulo mortis. Quia per inde ſe habẽt, quoad impotentiam adeundi Pontificem, (vt benè ponderat Suarez *de fide diſp.* 21 *ſect.* 4. *n.* 26.) ac ſi eſſent in articulo mortis. Ergo moraliter videtur reputandum totum illud tempus, ac ſi iam mors inſtaret. Cur enim iſte homo tanto tempore abſolutione carebit ſine fructus?

17 Verùm ipſe Suarez, ibidem ſententiã communem, quoad alios caſus, limitat in caſu hæreſis: verbis ex illo ſupra datis. Quem ſequuntur, vt vidimus P. Sanchez, & Granado. Quibus adde M. Candidum *tom.* 1. *diſqu.ſ.* 3. *art.* 8 *ub.* 5. *n.* 5. vbi ſic ait: [Poteſtas abſolvendi ad hæreſi in articulo mortis non eſt extendenda, vt poſsit quis abſolvi alia ratione impeditus, puta paupertate, inimicitijs, ſenectute, aut ſimilibus impedimentis. Vnde in tali caſu extra articulum mortis ad Inquiſitores, vel ad Pontificem per procuratorem, aut litteras, tacitò nomine, recurrendũ eſt. Quia cum non exprimatur *in c. ea noſcitur de ſent. excomm.* & in alijs, caſus hæreſis; non cenſetur in illo comprehendi, propter ſtrictiſsimã eius reſervationẽ.] Ita Cãdidus.

ſ. Vnicus.

Quæſtionis reſolutio.

18 QVoties in hanc quæſtionẽ incidi, diſſonum mihi viſum fuit, rigoroſam reſeruationẽ peccati hæreſis, ſic à Doctoribus explicari, vt conſcientias potiùs laxet, quã conſtringat. Nã qui fieri poterit, vt à tãto crimine retrahat, quod à ſolo Pontifice poſsit directè, extra articulũ mortis, hæreticus occultus abſolui, ſi inde cõmodum iſtud reportet, *vt quoties neceſsitas occurrerit communicandi, vel celebrandi, poſſit, vel ſola contritione accedere, vel confiteri alia peccata, omiſſo grauiſsimo hæreſis, vſque ad mortis articulum?* Quid ergo aliud rigor reſeruationis operabitur, quã ſuſpendere obligationem confitendi ſimile peccatum, etiam ſæpiùs iteratum? Quandoquidem neque impedit iuſtificari per contritionem, omittendo confeſsionem, nec dimidiatè confiteri, omiſſo peccato hæreſis?

19 Propter hæc mihi ſuadeo opiniones, ex quibus hoc cõlectariũ neceſſaria cõſequutione deducitur, nõ eſſe cõprobabiles; neque omnes ſimul à Theologo morali cõcedi poſſe: licèt omnes diuiſsivè probabiles ſint. Sicut ab ſcholaſtico iudicari poteſt probabile, dari phiſicã prædeterminationẽ, & ſimiliter eſſe probabile tollere libertatẽ: & tamẽ hæreſis aperta eſſet, vtrũque ſimul concedere. Sed qui affirmat prædeterminationem dari; negare debet repugnare libertati, & qui hoc concedit, primũ negare. Similiter, qui affirmaret, ſolùm Pontificẽ poſſe in foro conſciẽtiæ abſolvere à peccato hæreſis, Inquiſitores verò in ſolo externo, coram Notario deponente in ſcriptis & teſtimoniũ ferẽte de crimine, & de perſona; & neminẽ ſe præſentare ſub hac forma teneri; & eos, qui nequeãt perſonaliter ſe præſentare, nõ debere per alia media facultatẽ ad abſolutionem ſolicitare: rẽ ſanè mihi improbabilem diceret. Hæc enim principia ſimul ſumpta non ſunt comprobabilia, vtpotè ex quibus ſequitur neminem, ex perpetuò impeditis ſe præſentare Summo Põtifici, teneri extra articulũ mortis, confiteri peccatũ hæreſis, etiam publicæ, ſed toto vitæ curriculo, occurrente neceſsitate cõmunicãdi, id præſtare poſſe contritũ, non præmiſſa cõfeſsione; vel alia peccata confitendo, tacere peccatũ hereſis, vſque ad articulũ mortis. Vnde fieret, rigorẽ reſeruationis, potiùs allicere, quàm ab atroci hoc peccato committendo retrahere.

20 Fateri ergo debemus, deficiente copia cõfeſſoris, cui peccatũ hæreſis fuerit reſeruatum, quemcumque cõfeſſarium approbatum habentem iuriſdictionem ad confeſsiones excipiendas; poſſe (data ſimul alia materia) occurrente neceſsitate cõmunicandi, abſolvere hæreticum occultum, ſeruatis ſeruandis, de quibus infrà; & illum teneri ad confeſsionem hæreſis cum onere cõparendi corã ſuperiore. Ratio me iudice convincit intentũ, quia cum reſeruatio rigoroſa huius criminis eo tẽdat, vt homines ab eo committendo retrahat, neceſſarium prorſus eſt, eam in caſu neceſsitatis à Summo Pontifice delegati iuriſdictionẽ, & legẽ imponi; quæ pœnitens, occurrente neceſsitate cõmunicandi, non excuſet ab eius confeſsione; ne conſcientiæ laxentur habenæ ablata obligatione confitendi vſque ad articulũ mortis, ob defectũ copiæ confeſſoris. Eccleſiã autẽ poſſe præcipere idẽ peccatũ bis cõfiteri, probaui ſup. *diſp.* 1. *q.* 8. *n.* 6. Si ergo poteſt, nõ eſt cur de facto in hoc caſu nõ fecerit. Dicendũ ergo eſt, poſſe ita abſolvi, vt hæretico occulto præcludatur aditus ad ſe excuſandũ ab integritate materiali confeſsionis, aut ad illã omittẽdã ex defectu copiæ cõfeſſoris. Pro hac parte ſtare debent Doctores, qui aſſerũt; in caſu vrgentis neceſsitatis confitendi, abſente Prælato, in alijs reſeruatis, prudenter præ-

præſumi, *ſuperiorem nolle pro eo caſu, eſſe reſeruata*. Quos ſequitur Dicaſtillo *de Sacr. to. 2. tr. 8. diſp. 11. dub. 17.* Cuius ſententiã valdè probabilem vocat Dian. *p 11. tr. 8. reſ. 49.* & tenent expreſsè Doctor D. Franciſcus Verde, in opere pro Caramuel *q. 12. p. 7. §. 40. n. 633.* & Quintanadueñas *tom. 1. tr. 3. ſing. 11. n. 7.* ne ob reſeruationẽ dimidietur, aut omittatur confeſsio.

21 Iam verò quomodo ſit conferenda abſolutio ab excommunicatione, propter hæreſim incurſa, perpetuò impeditis ſe præſentare Pontifici; nihil in iure expreſſum habemus. Nam licèt *cap. eos qui de ſent. excõm.* Non concedatur facultas, niſi ſub onere perſonaliter comparendi, ita vt ſi pœnitens poſteà ſit in mora culpali, in ſimilem excõmunicationem incidat. Hoc onus, vt declaratur *in cap. Quamvis de ſentent. excomm.* non eſt imponendum habenti impedimentũ perpetuum; cuius ceſſatio expectari nequit: vt notant Suarez, *tom. 5. in 3. p. diſp. 22. ſect. 1.* Sylveſt. *verb. Abolutio 4. n. 3.* & Trullench ſuprà *cap. 3. dub. 7. n. 14.* Ac proinde in caſu noſtro fruſtra iniungeretur, cùm ponamus pœnitentem numquam futurum in mora culpabili; quia perpetuum habet impedimentum ad ſe præſentandum. Ergo nec opus eſt, hoc onus el aperiri, nedum ſub iuramento iniungere. Quid ergo? Dicemus perpetuò impeditos adire Romã immunes eſſe à reſeruatione caſuũ Bullæ Cœnæ, etiam hæreſis? Abſit.

22 Propter hæc cõcedendum neceſſariò eſt, Pontificis mentem eſſe, vt impeditis Romam adire, abſolvi poſsint ab hæreſi in foro conſcientiæ, vel ab Epiſcopis, ex iure cõmuni, *cap. de cætero, & cap. Non dubium, & quod de his, & cap. Quamvis de ſent. excõm.* Quia ratio horum textum in omnibus excommunicationibus Summo Pontifici reſervatis militat. Et quod, vbi Sanctum Hiſpaniæ Inquiſitionis Tribunal viget, abſolvi poſsint in foro conſcientiæ, (vt aliquando fit,) à Dominis Inquiſitoribus: & conſtringere pœnitentes, vt quam primùm poſsint, ſe illis præſentẽt, aut facultatem per confeſſarium idoneum ab eis obtinere procurẽt: Ac proinde grauiter peccaturos, qui ex induſtria, ad eaſum vrgentis neceſsitatis, recurſum differant, in quo nulla erit opportunitas petendi facultatem. Quod ſi pœnitens in mora culpabili fuerit, nec ad ſuperiorem, vrgẽte neceſsitate, patet aditus; poterit Confeſſarius, ſubiecta ſimul alia materia, illum abſolvere, impoſito, ſub iuramẽto, onere per ſe, cùm poſsit, coram ſuperiore comparendi, vel per confeſſarium, cœlata perſona delinquentis, (ſi iſte adire nõ renuat) vt à crimine hæreſis in foro conſcientiæ iterum abſoluatur, & ad pœnitentiã ab illo acceptandam, & adimplendam teneatur. Hoc enim onus rectè poteſt pœnitens vi iuramẽti ſubire, & ius eſt confeſſario nõ aliter abſolvendi. Quod ſi ille id ſtat, poterit iuſtè nõ abſolvere, nec pœnitens titulo vitandi infamiam poterit cõmunicare, quia in eius poteſtate eſt vitare infamiam, & obſervare præceptum de integritate confeſsionis.

23 Sed quid ſi perpetuum illi ſit impedimentum ſe præſentandi Epiſcopo, vel Inquiſitori? Reſpondebit Palao, quod ſuprà *num. 5.* nempè reputandũ, ac ſi eſſet in articulo mortis conſtitutus. Ego verò reſpondeo in hoc caſu eſſe pœnitenti obligationem petẽdi ab illis per idoneum confeſſarium facultatẽ ad abſolutionem. (hæc enim eſt vis huius rigoroſæ reſeruationis, quidquid de aliorum criminum reſeruatione ſit) ſi verò confeſſarius eam petere nequeat, vel nolit; vel petitam non obtinuerit, vel pro foro tantùm externo, & neceſsitas communicandi inſtet, poterit illum, vt ſuprà abſolvere, impoſito, ſub iuramento, onere ſe præſentandi per ſe (ſi forte aliquando poſsit,) Epiſcopo, vel Inquiſitori, aut alijs ab eis habentibus iuriſdictionem. Pœnitens verò non tenetur vocare Superiorem, vt cum Sanchez ſuprà, & cum Henriquez bene ait Trullench *cap. 3. citato, dub. 7. n. 8.* [Quia nullibi (inquit) adeſt tale præceptum, aliàs eſſet impoſitum de grauando ſuperiore. Præterquam quod tale præceptum rarò exequi poteſt ſine nota. Ergo nõ poteſt obligare ad id, quod regulariter non eſt poſsibile.] ſic ille. Poterit ergo interim, dum Epiſcopus, vel Inquiſitor abeſt, & dum ab eis obtinetur per confeſſarium facultas, indirectè abſolvi, vrgente neceſsitate, præſtito iuramento, vt dictum eſt. Et quod directè poſſit, tradit Leander à Murcia *ſup. diſp. 1. lib. 4. reſ. 21.* dicens eum, qui, cũ non poſsit ſe præſentare Pontifici, procurat per alium obtinere facultatem, vt poſsit abſolvi, *poſſe interim directè abſolui*, ſub iuramento præſtito de ſtando mandatis Pontifici.

24 Et abſolutè M. Prado *tom. 1. qq. cap. 8. de hæreſi, q. 9. n. 11.* ſic rem concludit. [Quando potens abſolvere ab hæreſi occulta tam longè abeſt, vt aditus ad eum ſit moraliter impoſsibilis, non videtur mihi improbabile, quod Epiſcopus, vel immediatus Religionis Prælatus valeat directè in foro cõſciẽtiæ abſolvere. Quod generaliter tradidiſſe Suarez videtur *tom. 4. diſp. 30. ſect. 3 n. 8.* Et latè proſequitur Hurtadus de Mẽdoza *illa ſect. 9. dẽc. 2. § 171. & duabus ſequentib.* & potiſsima ratio ſumitur ex illo celebri dicto Sancti Bernardi, *quod eſt inſtitutum pro charitate, contra charitatem non debet militare.* Si autem reſeruatio eſſet tam ſtricta; quod ſtante morali impoſsibilitate adeundi habentem facultatem, non poſſet ab immediato Prælato in

foro conſcientiæ, abſolvi, reſervatio verteretur in perniciem animarum, & arctaretur via ſalutis.] Hæc autem ratio æquè probat de alijs Confeſſarijs approbatis, quando aditus ad Epiſcopum eſt moraliter impoſsibilis. Quamvis autem M. Prado iuramenti præſtandi, vt ſuprà, non meminerit, quando ſubditi à ſuo immediato Prælato Religionis, ſunt directè abſolvendi, propter moralem impotentiam adeundi ſuperiorem alium potentem directè abſolvere; cenſeo tamen ſemper præfatum iuramentum præmitti debere; quia ſic bono fidei, & conſcientiæ conſulitur. Neque Domini Inquiſitores aliter conſentient.

25 In hac reſolutione Dominorum Inquiſitorum iudicium ſpero. Cenſeo verò maximum animabus periculum imminere, ſi poteſtas abſolvendi directè, vel indirectè à peccato hæreſis negetur Confeſſarijs approbatis; vel vt minimum, Parochis; quando inſtat neceſsitas communicandi, & non poteſt eſſe recurſus ad ſuperiorem, cui eſt reſeruatum. Et quamvis in articulo mortis, nec per litteras, nec per procuratorem, nec per Confeſſarium, teneatur hæreticus facultatem ad abſolutionem impetrare; quia omnes Sacerdotes pro eo articulo iuriſdictionem habent, nec rigorem in illo obſeruari oporteat: extra illum verò, ni ex vi reſeruationis compellantur, tempore opportuno, priùs quàm neceſsitas communicandi vrgeat, facultatem procurare, (eo quod, illa iam vrgente, rariſsimè poſsit ad Epiſcopum, vel Inquiſitorem, nedum ad Summum Pontificem, recurri) aut ſi neceſsitas vrgeat, teneantur ad confeſsionem hæreſis, incidendum in abſurdum de differenda confeſsione hæreſis vſque ad articulum mortis. Ergo iniungenda eſt pœnitenti obligatio procurandi præviè facultatem ad abſolutionem: aut vrgente neceſsitate præſtandi iuramentum per ſe, vel per confeſſorem, ſi iſte velit (celata perſona delinquentis) comparendi, vt à Prælato de medicina opportuna vulneri curando provideatur; audita confeſsione peccati hæreſis, quam ex præcepto Summi Pontificis, vel ex vi præſtiti iuramenti, hæreticus iterare tenetur; ſiue per primam abſolutionem directè, ſiue indirectè tantùm à peccato hæreſis abſolutum dixeris. Quod ad quæſtionē de nomine reduci videtur, iuxtà principia iacta, cùm illum conſtringamus ad cōfeſsionem peccati hæreſis in quocumque caſu permittatur à Doctoribus indirectè abſolui, & ſimul remaneat obligatus ad iterandā confeſsionem cum ſuperiori, quando ſe dederit occaſio. Verùm ne aliquis ineptè ex dictis ad improbabilem conſequentiam animam arripiat; placet exprimere peccatum hæreſis indirectè tantum abſolvi, quoties non à legitimo Superiori, tùm quia opus eſt aliud peccatum, in quod confeſſarius habeat iuriſdictionem, ſimul ſubijcere; tùm quia hæreticus cùm eadem obligatione cōfitendi remanet, ac ſi non fuiſſet confeſſus, à qua ſola impoſſibilitate phyſica, vel morali adimplendi eximi poteſt. Vnde concluditur noſtram ſententiam circa abſolutionem hæretici non laxare habenas, ſed reſtringere.

QVÆSTIO II.

Quomodo ſe habere debeat Confeſſarius cum moribundo habente filios naturales, vel ſpurios?

1 OMiſsis varijs acceptionibus filiationis naturalis, & ſpurię, de quibus latè apud Iuriſtas. Filij naturales dicuntur, qui concepti, vel nati ſunt ex parentibus ſolutis; id eſt, qui tempore conceptionis, vel natiuitatis nullum habent impedimentū dirimens matrimoniū. Vnde, ſi fuerint ex cognatis, vel affinibus tempore copulæ inceſtuoſæ geniti, tempore verò natiuitatis diſpēſatio fuiſſet obtenta ad contrahendum matrimonium; filius tunc natus, nō ſpurius; ſed naturalis erit; quia licet tempore conceptionis erat impedimentum dirimens, non tamē fuit tēpore natiuitatis. Filij ſpurij dicuntur filij omnes ex copula adulterina, vel ſacrilega, vt ſi ex Clericis ordine ſacro inſignitis, vel ex Religioſis profeſsis, aut non profeſsis, habētibus impedimentum dirimens, quale etiam habent Religioſi Societatis poſt trieniū, per ſimplicia vota in illa emiſſa. Nouitius verò, aut equites militares, qui ſolùm caſtitatis coniugalis votum emittunt, non efficient filium ſpurium, ſed naturalē, propter ſuperiùs dicta: & falsò oppoſitum dixit Sarmiento de Nouitio, & Clerico Beneficiario, nondum in ſacris, *lib. 1. ſelect. cap. 5. n. 7.* & alij, quos refert Sanchez *in conſilijs, lib. 4. cap. 3. dub. 3.* quos ibi meritò reijcit, & *lib. 1. de matr. diſp. 2. n. 8.* & cum Vazquez idem præſtit Card. de Lugo *tom. 2. de iuſtitia, c. 24. ſect. 6. n. 83* qui tamen benè impugnat Patrē Vazquez dicētē, filium ex matre non Catholica eſſe ſpuriū; nec legitimati per ſubſequens matrimonium. Hæc enim aſſertio non cohæret cum principijs ſupra iactis. Nam matrimonium Catholici cum hæretica validum eſt, nullum enim habent impedimentum dirimens, ſed ſolam prohibitionem Eccleſiæ. Ergo verè eſt naturalis filius ex illis conceptus, vel natus; & ideò per ſubſequens matrimonium legitimabitur. Secus verò eſſet, ſi mater eſſet infidelis, quia infidelitas eſt impedimentū di-

ri-

rimens, quod vocatur *diſparitas cultus*. Quoad ſucceſsionem autẽ; ſi filij ſint legitimi, ſiue legitimati; antiquitas legitimitatis, non natiuitatis attenditur; vt cũ Molina *diſp.172.* & comm. DD. ait Lugo ſup.*n.8.* Quod maximopere obſervari debet, ad conferendũ feudum, vel maioratum, qui filio maiori debetur: cõtingere enim poteſt, quod ſit maior natu, non verò in legitimate, & iure ſuccedẽdi: An verò legitimati in maioratu ſuccedere debeãt? Ex eius fundatione colligi debet: ſicut & an ex matrimonio invalido, bona tamẽ fide ex parte vtriuſque contracto: ſi enim cõtrariũ nõ exprimatur, vt legitimi quoad omnia reputãtur. Eſt tamen advertendũ, quod ſi concurrant filij legitimati per reſcriptũ Principis, cum filijs legitimis, iſti, & non illi Patribus ſuccedunt: vt ex lege Tauri notat Villalobos *tom.2.tr.30.d.13.n.12.*

2 Duo etiã alia animadvertere oportet. Primò, filium natum ex matrimonio invalido, ſed bona fide ex parte contracto, non eſſe naturalem, nec ſpurium; licèt impedimentũ dirimens interuenerit; ſed legitimum, ſi matrimonium in facie Eccleſiæ contractum ſit: cuius ratio alia non eſt, quã ita iure deciſum eſſe, *cap.2. & cap. ex tenore: Qui filij ſint legitimi.* Vnde ſi in facie Eccleſiæ matrimoniũ non fuerit contractum, licèt alias ex ignorãtia aliqua fuerit, validũ reputatũ, vt coniugati cum ſoluta, prima vxore repudiata; non videtur hoc prævilegium ad illud extendendũ, cùm deficiat conditio, ſub qua eſt cõceſſum; licèt contrarium ſentiat Molina *diſp.165.§. Vtrùm verò*; non tamen eſt filius ſpurius in opinione P.Sà, *verb. Filius, num. 7.* vbi ſic: *Qui autem eſt ex ſoluta, & coniugato, non dicitur ſpurius*, in cuius ſententia, quoad ius ſucceſsionis, ab inteſtato, & ex teſtamento deficientibus filijs legitimis, inter naturales computandus erit. Sed mihi non placet, quia nullo iure probat, & repugnat dictis de conſtitutiuo filiationis ſpuriæ.

3 Dico 2. Per matrimonium ſubſequẽs, re ipſa invalidum, non legitimari filium naturalem antea conceptum, quia hoc priuilegium ſolùm conceditur vero, & valido matrimonio: ſimiliter dicendum, filium ſpuriũ, non legitimari, per matrimonium ſubſequẽs validum; quia hoc prævilegium legitimationis per ſubſequens matrimonium ſolùm cõceditur pro filijs naturalibus, non pro ſpurijs. Dices poſſe contingere fœminam tempore conceptionis ignoraſſe virum eſſe coniugatum, aut aliud impedimentum dirimens habuiſſe. Reſpondeo, id ſolùm probare, in tali caſu malitiam tantùm ſimplicis fornicationis eam contraxiſſe, non verò filium eſſe naturalem, cùm re vera ex habentibus impedimentum dirimens tempore conceptionis, & natiuitatis (vt ponimus) proceſſerit: Quidquid contradixerint plures apud Molinam, *diſp. 172.* & apud Vazquez *ſupra §.2.num. 34.* Quorum ſententiam, quoad vtrumque caſum impugnat, cum P. Molina, Cardin. de Lugo *ſupra num. 87.* His poſitis.

4 Dicendum eſt. 1. iure noſtri Hiſpaniarum Regni, diſpoſitum eſſe circa ſucceſsionem filiorum naturalium, *l.9.tit.13. part.6.* Quod filius naturalis ſuccedat in ſexta parte bonorum Patris ab inteſtato decedentis, ita tamen vt ſi mater eius ſuperſtes ſit, diuidatur hæc quantitas inter filium, & matrẽm; nempè, ſi deficiant hæredes neceſſarij, quales ſunt deſcendentes, vel aſcendentes; vt exponunt DD. Eſt tamen aduertendum: quod ſi pater filium non recognoſcit, eſſe ſuum: non eſt talis quoad ſucceſsionem habendus, niſi probetur filiatio, *ex l.11. Tauri, lib.9. tit. 8. lib.5. Recopil.* & ibi Antonius Gomez, & cõmunis, apud Sanchez *in conſil. tom. 1. libr.4. cap.3. dub.2. n.2.*

5 Dicendum ſecundò: in hoc Regno Patrem filij naturalis, deficientibus legitimis deſcendentibus, etiam ſi aſcendentes habeat; poſſe totam ſuam ſubſtantiam filio naturali relinquere, & vniuerſalem inſtituere hæredem. Sic decernitur, *l.10. Tauri*, & antea *in leg.10. tit.6. lib. 3. Fori.* Idque extenditur ad nepotes, ſiue legitimi ſint, ſiue naturales, ſiue filij naturalium, vel legitimorum, vt ait Antonius Gomez *ad leg.10. Tauri, n.7.* Quòd verum etiam eſt in caſu, quo filij legitimi in fauorem Patris hæreditatem ſuam renuntiauerint: quia in hoc evẽtu, quoad ius ad bona Patris hi ſunt, quaſi non eſſent, & Pater in ordine ad diſpoſitionem ſe habet, ac ſi nullũ filium haberet legitimum: hoc enim renuntiatio præcedens operatur. Poterit ergo filium naturalem vniuerſalem ſuorum bonorum hæredem inſtituere. Sic & benè cum Cobarrub. tradit P. Vazquez, *cap. 5. de teſtam. §.6. dub.4. num* 84. qui ſubnectit, idem dicẽdum, ſi filius legitimus profiteatur in Religione, in qua non ſucceditur in hæreditate; vt in Religione Minorum, & Societatis Ieſu; ſecus in alijs: quia licèt filius non ſuccedat, quia eſt inhabilis, ſuccedit tamen Monaſterium vt hæres legitimus. Si verò renuntiatio fuerit facta, non ſimpliciter, ſed contemplatione aliorum fratrum legitimorum, & filio, qui renuntiauit, ſuperſtite, alij moriantur, bona renuntiata ad illum redire debebunt, nec poterit Pater filium naturalem vniuerſorũ hæredem inſtituere. Quia deficiente conditione implicita, vel explicita, ſub qua renuntiatio facta fuit, nullum poteſt habere effectum.

6 Dicendum eſt. 3. filium naturalem, exiſtentibus legitimis, non ſuccedere patri,

nec matri: ſed tamen poteſt illi relinqui pars illa bonorum, quæ Pater, vel Mater extraneo legare poſſunt, nempè quintum bonorum, dempto funerali. Limitant aliqui, dummodo quinta pars bonorum non excedat legitimam, quæ legitimis contingit; vt ſi ſex, vel ſeptem forent. Sed non video, cur in hoc euētu poſsit Pater, aut Mater hanc quintam bonorum partem in præiudicium filiorum legitimorum extraneis legare, & nequeat filio naturali relinquere.

7 Dicendum 4. ſi non extent filij legitimi, naturales ſuccedunt matri ab inteſtato, & ex teſtamento, vt legitimi, etiam ſi exiſtant aſcendentes legitimi. Sic diſponitur *in leg.9. Tauri*, & ibi tradunt Doctores communiter. Hoc tamen limitat Antonius Gomez, niſi mater fuerit illuſtris. Sed contrarium cum P. Molina tenet Villalobos *in ſum. tom. 2. tr. 30. diffi. 13. n. 10.* & cum Tello Fernandez, P. Vazquez *opuſ. de teſt. cap. 5. §. 6. dub. 5. n. 91.* Vide Sāchez *fol. 90. n. 4.* Vnde fit filios naturales, non extantibus legitimis ex parte matris, etiam illuſtris, ſuccedere aſcendentibus ex parte matris, in cuius iura ſuccedunt. Eo autem iure, quo filij naturales ſuccedunt parentibus, & auis eorum, ſuccedunt ipſi aſcendentes filijs naturalibus tàm ex teſtamento, quàm ab inteſtato. Ita *in Authentica quibus modis naturales efficiantur ſui, §. ſi nepotibus, col. 6.* & ex alijs, quæ congerit Ant. Gomez *ad l. 9. Tauri, n. 8.* & eſt communis D.D. vt ait Molina *diſp. 166. concl. 8.*

§. I.

Quid circa ſpurios in legibus diſponatur?

8 Dixi in præcedenti de ſucceſione naturalium, modo verò quid circa ſpurios diſpoſitum habeatur, breuiter referam. Et primò certum eſt, filios ſpurios, qui non ſunt ex damnabili coitu, ſuccedere matri, ab inteſtato, & ex teſtamento, non exiſtentibus legitimis; etiam ſi aſcendentes legitimos mater habeat. Sic ſtatuitur *leg. 9. Tauri*: vbi communiter D.D.

9 Iam qui ſpurij dicantur ex damnabili coitu? Omnes illi, quorum mater propter concubitum, meretur (ſecundùm leges) pœnam mortis. 1. Quando mulier proprio ſeruo ſe immiſcuit. 2. Quādo filius naſcitur ex adulterio, & inceſtu ſimul. 3. Quando ex concubitu Iudæi, vel Mauri cum Chriſtiana. 4. Quando ex adulterio coniugate. Sic tradunt communiter Doctores, quos citatos ſequitur Sanchez *tom. 1. conſil. lib. 4. cap. 3. dub. 5.* licèt alij de adultera aliter cenſeant; quia aliud, inquiunt, eſt, legem permittere viro, vt occidat vxorem adulteram; quod per leges eſt ſtatutum; aliud ſtatuere illi pœnam mortis, quæ quidem ſtatuta non eſt. Quam opinionem probabilem eſſe dicit Sanchez vbi ſupra. Quod eſt valdè notandum pro ſucceſione quoad bona matris, & aſcendētium. Quia iuxta hanc ſententiam dici probabiliter debet filium ſpurium adulteræ illi ſuccedere, ac ſi naturalis eſſet, vel legitimus, alijs deficientibus.

10 An verò filij ſpurij Clericorum ordinis ſacri, vel Religioſorum profeſſorum, vel profeſſarum (licèt mater pœnam mortis non mereatur) poſſint illi ſuccedere, res inter DD. controuerſa eſt; affirmant aliqui Iuriſtæ, quorum ſententiam non improbabilem cēſet Sanchez *ſupr. dub. 10.* negant plures alij: quia l. 9. Tauri loquens de ſucceſsione materna, vbi dixerat, ſpurios ſuccedere matri; ſubdit, *ſaluo ſi fueren hijos de Clerigos, ò Frayles, ò Monjas Profeſſas, q̃ en tal caſo, queremos que ſe guarde la ley del Rey Don Iuan, hecha en Soria*: nempè circa ſucceſsionem paternam, à qua omnino excluduntur, tàm ab inteſtato, quam ex teſtamento, etiam per viam donationis. Verùm cùm lex pœnalis ſit, & mitior ideò interpretatio adhibenda ſit, poterit Confeſſarius in foro conſcientiæ filio Clerici in ſacris, vel Religioſi profeſsi, applicare bona Matris, quidquid ſit de foro externo: quibus donec per ſententiam priuetur, poterit licitè frui.

11 Quod dictum eſt de ſucceſsione Matri, dicendum eſt de ſucceſsione conſanguineis ex parte Matris: tum quia in iure non prohibetur ſuccedere conſanguineis, qui primo ſtipiti ſuccedere non prohibetur: tùm quia ipſimet Doctores, qui Matri filium Clerici, vel Religioſi, ſuccedere negant, affirmant adhuc poſſe ſuccedere conſanguineis Matris: eo quod *lex 9.* Tauri tantùm ampliat legem de Soria, reſpectu Matris, à qua filium Clerici excludit, non verò à ſuccedēdo conſanguinis ex parte Matris, & cùm lex ſit odioſa, non eſt amplianda ad ſucceſſionem conſanguineis ex parte Matris, quibus iure communi talis ſucceſsio conceſſa erat. Ergo lex Tauri, vtpotè correctoria limitanda eſt ad caſum, de quo loquitur. Sic Thomas Sanchez *ſup. num. 11. & 14.* cum Socino, Greg. Lopez, Gutiertez, Spino, & alijs.

(·✠·)

§. II.

An filij ſpurij poſsint aliquid recipere à Patre ex teſtamento, vel donatione, abinteſtato?

12 NON Eſt ſermo de alimentis, quæ iure naturali Parres tenētur filijs relinquere: nam cùm natura omnes comprehēdat, nullum excludunt leges, quibus quintam bonorum partem, quam dempto funerali extraneis legare poſſent, in alimenta, etiam ſi alij ſint legitimi, donare, vel legare in teſtamento poſſunt. Quod verum habet, quamvis hæc quinta pars maior ſit portio, quàm quæ filijs legitimis continget: vt eveniet, quoties quinque, aut plures fuerint, vt ex terminis patet. Sic tenet verior ſententia, contra plures apud Sanchez, *ſupra dub.*15. Quia nullibi facultas hæc diſpoſitiua quoad extraneos conceſſa, quoad filios ſpurios limitatur. Difficultas igitur ſolum eſt, de bonis alijs vltra alimenta.

13 Er quidem de filijs ſpurijs Clericorum in Sacris, aut Religioſorum profeſſorum, certum omnino eſt, eſſe incapaces recipiendi aliquid à Patre, nec à cognatis ex parte Patris, nec ab inteſtato, nec ex teſtamento, nec ex liberali donatione: in hoc omnes Theologi, & Iuriſtæ conueniunt. De filijs autem ſpurijs ſæcularium aliter ſentit, apud Sanchez vbi infra, M. Sotus *in 4. diſt.* 41. *quæſtione vnica, art.* 4. per hæc verba [Diſcrimen eſt, inquit, inter filios, ex adulterio, ſæcularium, & filios Clericorum: quod licèt vtrique priventur hæreditate, non tamen prorſus æqualiter fiunt inhabiles ad ſuſcipiendum: & ideò ſi Pater adulter ſæcularis carens legitimè prole relinquat bona ſua filio ſpurio; quamuis Fiſcus poſsit ſibi adiudicare; nihilominus lex illa pœnalis eſt: & ideò quovſque filius condemnetur, poteſt illa bona abſque culpa poſsidere.] Hæc Sotus: quem ſequitur M. Martinus de Ledeſma 2. 4. *quæſt.* 18. *art.* 1. *dub.* 16. *ad* 3. Verùm horum Doctorum ſententiam *falſiſsimam, & erroneam eſſe*, dicit Rojas *in epitome ſucceſſ. p.* 6. *num.* 144. *&* 145. Eos tamen excuſat Thomas Sanchez *in conſilys, lib.* 4. *cap.* 3. *dub.* 19. dicens, hos Authores deceptos fuiſſe, eo quod non viderunt leges expreſſas prohibētes donationem fieri à patte cuicūque ſpurio. Cui conſonat M. Petrus de Ledeſma, *in additionibus ad tertiam partem, quæſt.* 68. *art.* 2. *concluſ.* 2. *provè finem.* [His verbis, ſed licèt Sotus ſequutus fuerit illam ſententiam, non mirum eſt, quod in re, quæ pertinebat ad ius Cæſareum, & Regium, erraret non conſulens Iuriſperitos, & ius ipſum] Sed quid ſit de cenſura, (a qua lubens ſemper abſtineā) Soti ſententiam eſſe improbabilem multis, & expreſsis legibus, evincit Pater Thomas Sanchez vbi ſuprà.

§. III.

An ſpurius incapax recipiendi aliquid à Patre, ſit capax recipiendi per fidei commiſſum?

14 CAſus eſt, exoptat Pater, vt bona ſua ad ſpurium filium perveniant, nouit legibus eſſe incapacem recipiēdi ab ipſo, poterit ne fidei amici committere, vt iſte ſpurio donet?

Certiſsimum eſt, nullam in hoc caſu opinionem habere locum poſſe in fauorem ſpurij, quin firmum relinquat eum, cuius fidei ſua bona Pater committit, verum eorū dominium adquirere, & ex Patris voluntate in illum immediatè transferri: aliàs bona immediatè tranſirent ex dominio Patris in dominium filij, quod ſupponimus eſſe non poſſe ex diſpoſitione legum.

15 Certum etiam eſt amicum, cui Pater ſpurij dominium bonorum tradit, eius fidei illa committens, vt poſtea donet ſpurio, non poſſe licitè ſe obligare ad donandum, nec Patrem ſpurij hunc contractum poſſe licitè cum illo celebrare: eſt enim per leges prohibitum. Et ideò grauiter peccarent, vtpotè in re graui contra legem deficientes, vt docent Communiter Doctores, quos ſequuntur Lugo, Sanchez, & Molina, locis citandis, & Diana *part.* 5. *tr.* 11. *reſ.* 121. licèt M. Sotus, & M. Martinus de Ledeſma ſubdubitant, apud Sanchez *cap.* 3. *citato, dub.* 21. *num* 12.

16 Ego verò, iuxtà alibi dicta in tractatu de ſimonia, vbi ex communi Doctorum defendi, pactum amicitiæ, per quod nulla obligatio de nouo inducitur, ſed manifeſtatur animus ſe gratum exhibendi, non continere ſimoniam; exiſtimo nullum interuenturum peccatum, ſi Pater ſpurij, & fidei commiſſarius nullam intendant, aut inijcere, aut ſubire obligationem; ſed vnus alteri ſpem gratitudinis manifeſtet, & alter animum & propoſitum ſe exhibendi gratum donando fillo bona accepta, vel accipienda: hæc enim fides non eſt fides iuſtitiæ, quæ legibus eſt prohibita, cùm enim pœnales ſint, de fide ſtricta ſeu iuſtitiæ, vel ſaltem fidelitatis, intelligendæ ſunt. Qua propter tuta via hæc eſt patri, vt abſque vllo conſcientiæ ſcrupulo conceptam ſpem manifeſtare poſsit, & amicitiæ fide ab amico præſtita quieſcat; vt benè ait Card. de Lugo *tom.* 1. *de iuſt. diſp.* 24. *ſect.* 6. *n.* 95. quem alij ſequuntur. Sic ergo amicū allo-

quar;

vſque ad 12. non audiret ſacrum, aut carnibus diebus prohibitis veſceretur. Non me latet Marchantium, quem refert, & non improbat Diana 5. *part. tract. 13. reſolut. 77.* putare præceptum Miſſæ obligare, quando obligat præceptum Euchariſtiæ; ac proinde aſſerit, ſe non audere condemnare mortalis puerum, qui non attingit 12. annum, & M. Serra 2. *par. tom. 2. q. 96. art. 1.* cum alijs Recẽtioribus docere [pueros vſque ad hanc ætatem non peccare carnes in diebus prohibitis comedendo.] Communis tamen, & vera; & conſuetudine recepta ſententia eſt, ſeptennio expleto pueros his præceptis teneri. Qua autem ætate ad communionem teneantur alibi dicam, *tr. 4. q. 3. in fine.*

7 Aduertendum tamen eſt, pueros ante annos pubertatis non incurrere excommunicationem contra præcepti confeſsionis tranſgreſſores. Ratio ſumitur ex Eccleſiæ benignitate, quæ nulla eos ab homine cenſura, ligari ante pubertatem ſtatuit. Vt benè docet Vazquez, Sanchez, Ioann. Sanchez, quos citat, & ſequitur Diana. 3. *part. tract. 6. reſolut.* 88. & 4. *part. tract. 4. reſolut.* 207. & licèt de excommunicationibus latis a iure, incurri ante pubertatem putent Suarez, Azor, Sanchez, Henrriquez, Ioann. Sanchez: ipſe tamen Diana contra ipſos cum Caſtro Palao, & Philiucio, quos refert. 3. *par. tract. 4. reſolut.* 120. Id tenet de ſola excõmunicatione, ob percuſsionem Clerici: imò Nugnus apud Dianam, videtur vniuerſaliter pro omni caſu negare: ſic enim ait [mihi ſatis probabile eſt pueros ante annos pubertatis non ligari excommunicatione, vel alijs pœnis Eccleſiaſticis]. Idem P. Sà tenet *verbo Cenſura n.* 2 his verbis [cenſuram nemo incurrit vſque ad annos pubertatis ſecundum quorumdam probabilem ſententiam] Qui cum non excipiant cenſuram canonis; ſed vniuerſaliter negent, videtur manifeſtè illam etiam comprehendere. Idem dicito de excommunicatione lata contra ingredientes ſepta monialium: licèt Pontifex dicat *cuiuſcumque ætatis ſint*, vt benè Meratius *d. 25. ſect.* 6. intelligitur enim ſi capaces ſint prædictæ excommunicationis, qua non ſunt, ex pietate Eccleſiæ, vſque ad pubertatem De meretricibus putat Manuel Rodriguez, Viualdus, & Zerola apud Fagundez *lib. 1. ſecundo præcepto Eccleſiæ, cap.* 4. non incurrere pœnnas contra tranſgreſſores præcepti confeſsionis, ex benignitate prælatorum, & videtur probabile putare P. Lugo *d. 15. ſect. 7. n.* 148 ſed ipſe contrarium meritò tenet cum Fagundez, & alijs. Æquitas enim non patitur, vt lucrum ex ſuo vitio reportent. Senes octogenarios a præcepto annuæ confeſsionis, & communionis excuſat Doctor Didacus Narbona apud Leandrum *tract. 5. de pœnitẽtia, diſp. 3. quæſt.* 29. eo quod eiuſmodi ætatis ſenes, infantes pueri ſunt, vt ait Hipocrates. Cęterum non omnes octogenarij tales ſunt; ac proinde hæc ſententia, nulla adhibita limitatione, improbabilis iudicatur a Leandro ſupra, & meritò. Eſt enim contra praxim, & conſuetudinem totiùs Eccleſiæ, & contra omnes Theologos, abſque vllo fundamento.

8 Ex dictis colligitur omnes baptizatos teneri præcepto Diuino, & Eccleſiaſtico cõfeſsionis, vnde hæretici non excuſantur à præcepto annuæ confeſsionis (quidquid aliqui Recentiores dixerint) verbum enim *fidelis* in Concilio Lateran. & Trident. ſępiùs repetitum nihil aliud ſignificat, quàm *baptizatus*: aliàs, qui in peccatum laberetur contra fidem, eo ipſo liberaretur ab onere confeſsionis annuæ, quod nullus dicere audebit. Dixi *omnes fideles* quod intellige de omnibus habentibus peccatum poſt baptiſmum commiſſum; nam adultos, qui nullum commiſerint, certum eſt non teneri: imò nec poſſe cõfiteri, vtpotè, qui nullam poſſunt præbere abſolutionis materiam.

DISPVTATIO II.

De munere Confeſſarij, Appendix.

QVÆSTIO I.

Quomodo ſe habere debeat Confeſſarius cum hæretico occulto, non valente adire Summum Pontificem pro abſolutione.

1 PAucis ab hinc annis à Confeſſario magnæ authoritatis cõſultus, reſpondi, debere illum mittere ad Epiſcopum, vel Inquiſitorem, quibus à Summo Pontifice, quando ad ipſum non patet aditus, facultas abſoluendi ab hæreſi conceſſa eſt; vt tradunt plures Doctores, quos referunt P. Thomas Sanchez *in ſum. lib. 2 cap. 11. n. 27. & cap. 12.* Thomas Hurtado *tom. 1. tr. 5. cap. 4. reſ. 18. n. 162.* & Diana *1. p. tr. 5. reſ. 2. & 3.* Cæterum his non quieuit; quia huic opinioni diſſentiebat, cum doctiſsimis alijs cenſens nec Epiſcopum, nec Inquiſitores poſſe, in foro conſcientiæ, hæreticum occultum abſoluere. Non Epiſcopum: quia eius facultatem fuiſſe reuocatam per Bullam Cœnæ, quoad abſolutionem ab hæreſi, & cæteris caſibus Bullæ Cœnæ, eſt communior Doctorum ſententia, pro qua P. Thomas Sanchez, vbi ſupra *n. 26.* plures refert, concludens *n. 27.* in fine [tenenda eſt omnino hæc ſententia, quam Doctores non pœnitendi à Pontifice declaratam teſtantur, & ſupremæ Inquiſitionis

Tri-

Tribunal amplecti iubet: nec in re tàm graui amplectenda eſt ſententia contraria, valdè dubia, & parum tuta]. Sic P. Sanchez, cuius ſententiam vltra Authores, quos ipſe citat, ſequuntur quindecim alij, quos refert Diana *reſ. 2. citata*, & P. Suarez vbi infra.

2 Quod autem Domini Inquiſitores abſoluere nequeant in foro conſcientiæ ab hæreſi occulta, defendunt ipſimet doctiſsimi viri, P. Sanchez *cap. 12. citato n. 3.* & P. Suarez *tom. de fide, diſp. 21. n. 24.* vbi ait: [nec Epiſcopum, nec Inquiſitores habere iuriſdictionem ad abſoluendum in foro conſcientiæ à crimine hæreſis] Quod ſupponit à ſe traditum *n. 17.* vbi probat [quod ſi prædicta facultas alicubi fuiſſet conceſſa; per Bullam Cœnæ eſſet tam reuocata, quia vt rectè argumentatur Nauarrus *conſil. 11. de priuileg.* incredibile eſt per Bullam Cœnæ reuocari facultatem datam Epiſcopo in foro conſcientiæ, & non eſſe reuocatam, ſi data eſſet Inquiſitoribus: cùm verba generalia ſint, & ad omnes cuiuſcumque dignitatis extendantur. Atque ita inter declarationes Cardinalium, tàm manu ſcriptas, quam typis mandatas (ſubnectit Suarez) vnam inuenio circa dictum caput ſextum *ſeſ. 24.* Concilij Trid. in qua expreſſe dicitur, nec Epiſcopos, nec Inquiſitores poſſe abſoluere ab hac cenſura, vtique in foro conſciētiæ.] Sic Suarez. Quæ declaratio forſan alia non eſt ab ea, quam adducit Barboſa *ſeſ. 24. Concily n. 7.* in hæc verba: *Epiſcopus, aut Inquiſitor abſoluere iam non poſſunt hominē hæreticum in foro conſcientiæ, licèt hæc facultas à Concilio ſit ipſis tradita.* Idem ſentiunt Farinatius *de hæreſi q. 192. n. 54.* Gartia *de Beneficys p. 11. cap. 10. n. 121.* & Barboſa *de poteſtate Epiſcopi alleg. 40. n. 28.* Quos citatos ſequitur CaſtroPalao *tom. 1. tr. 4. diſp. 4. punct. 3. §. 2. n. 3.* Marchinus de Sacramento Ordinis *tr. 1. p. 9. diffic. 11.* Bonacina *de cenſuris diſp. 2. q. 5. n. 11.* Quibus adde Sanctarellum, Zechium, Ioannem Valerum, Ricium, & alios apud Dianam *p. 1. tr. de abſolutione ab hæreſi, reſ. 3.* Quorum ſententiam P. Suarez, & P. Sanchez vbi ſupra, Couarrubiæ, Peñæ, & alijs paucis adſcribunt. Et ſaltem non poſſe, ſi hæreſis occulta ſit probabilis in iudicio per duos teſtes, tradit Hurtado, ſupra *n. 166.*

3 Ex hac opinione, per euidentem conſequentiam deducitur, hæreticum occultum diſtantem à Papa, quem præ impotentia phiſica, vel morali adire non poteſt, v.g. propter ægritudinem, aut membrorum læſionem, aut nimiam ſenectutem, vel paupertatem, vel ob clauſuræ votum, vel propter ſexum, rigoroſè, & propriſsimè carere copia confeſſoris: quia re vera nullus eſt confeſſarius, qui habeat iuriſdictionem directam ad illum abſoluendum.

4 Quid ergo faciet confeſſarius, occurrente neceſsitate celebrandi, vel communicandi, quando abſque graui infamiæ nota, Pœnitens omittere non poteſt? Reſpondi hæreticum poſſe impetrare iuriſdictionem directam, fatendo hæreſim extra confeſsionem, coram Secretario, & quæſitore aliquo, confeſsione deſcripta in libro Tribunalis (vt de more eſt in Sancta Inquiſitione) ab illo enim, præcedente abiuratione, à ſententia excommunicationis abſoluitur: qua ablata, poteſt pœnitens à quolibet confeſſario approbato in ea Diœceſi abſolui, vt docent communiter Doctores; quia iam non manet caſus reſeruatus. Sed non acquieuit confeſſarius, dicens pœnitentem in hæreſim occultam lapſum non teneri, per hoc medium, abſolutionem directam procurare; quia nullus tenetur ad materialem integritatem confeſsionis cum graui ſuo damno: vt conſtat ex communi Doctorum, cum Santo Thoma *in 4. diſt. 17. q. 3. art. 3. quæſtiunc. 4. ad quintum argumentum.* Vbi in exemplum grauis damni imminentis, adhibet, ſi confeſſarius *reuelator confeſsionis probabiliter exiſtimaretur*, in quo caſu, inquit, [quod ſi licentiam à ſuperiore alteri confitendi habere non poſsit, *aut ad illum recurrere nequeat, idem eſt iudicandum, quod de eo, qui non habet copiam Sacerdotis.*] Si ergo infamia a confeſſore reuelante, & ſi vni tantum, eſt graue damnum excuſans ab eius confeſsione, ſimile à fortiori erit infamia ſequuta ex confeſsione in foro externo iudiciali, coram Inquiſitore, & Secretario.

5 Confirmatur, quia nemo, ob integritatem materialem confeſsionis, tenetur vti interprete, vt docent Suarez, Vazquez, Sylveſter, Sayrus, Nugnus, & plures alij, quos citatos ſequitur Bonacina, *tom. 1. diſp. 5. de pœnit. q. 5. ſeſſ. 2. puncto vltimo, num. 5.* Quibus adde Laymam, Fagundez, Villalobos, Filliucium, & alios, quos citatos ſequitur Diana *3. part. tr. 4. reſ. 129.* qui etiam in articulo mortis, ſi de ſua contritione probabilem habeat exiſtimationem, ab obligatione confitendi per interpretem illum excuſant. Et ſaltem ſufficere ſe accuſare de venialibus in ſpecie, & de mortalibus in genere; ſentiunt Coninch, & Molfeſius. Si ergo pœnitens non tenetur ſe manifeſtare extra Sacramentum, neque vni dumtaxat; ſed poteſt confeſsionem dimidiare, vel vrgente neceſsitate in totum omittere; à fortiori idem poterit hæreticus occultus: nec cogi poterit, vt coram Inquiſitore, & Notario abſolutionem ab excommunicatione, propter hæreſim incurſa, in foro externo obtineat; vt poſsit, ablata reſeruatione, peccatum hæreſis cuilibet confeſſario approbato confiteri.

6 Propter hæc, ab hac obligatione liberum

rum eſſe hæreticum occultum (quoties hoc medium non ſit vnicè neceſſarium ad vitandum relapſum) ſupponit Suarez *diſp. 21. de fide, ſect. 4. num. 16.* & veluti commune inter Doctores præmittit M. Prado, *tom. 1. qq. cap. 8. de hæreſ. quæſt. 9. §. 4. num. 12. & ſequent.* [quia durisſimum, inquit, videtur cogere Sanctimonialem, vel nobilem Matronam, vt confiteatur hæreſim occultam coram Inquiſitore, & Notario; ideò videndum quid tunc ſit faciendum:] & docent Petrus Hurtado de Mendoza 2. 2. *tom. 1. diſp. 84. ſect. 5. n. 85. & ſequentibus, n. 99. & 100.* & P. Thomas Sanchez *in ſum. lib. 2. cap. 12. n. 4.* & fauent alij apud illum, & tradit ex profeſſo Palao *tom 1. tr. 4. diſp. 4. punct. 3. §. 6. n. 2.* dicens; [poſſe hæreticum in hoc caſu dimidiare confeſsionem, quia ſufficiens cauſa eſt graue damnum imminens, vt communis Theologorum ſententia tenet. Sed graue damnum, inquit, eſt, te obligare ad manifeſtandum peccatum, coram Inquiſitoribus, & Secretario, & ſcriptum relinquere; vt colligitur ex Doctoribus, & ex ratione manifeſta.] Et in hoc tantùm ſenſu vera eſſe poteſt ſententia Dianæ 1. *p. tr. de abſolutione ab hæreſi reſ. 3.* vbi ait, confeſſarium nõ poſſe cogere hæreticum occultum, vt prodat ſe Inquiſitoribus [vt alibi, inquit, fuſè probabitur.]

7 Dixi: *in hoc ſenſu*; non in eo, quo aſſeritur ab ipſo Diana; ſentit enim (& valdè quidem probabiliter) quemlibet Inquiſitorem poſſe in foro conſcientiæ ab hæreſi occulta abſoluere, & eandem facultatem cuilibet confeſſario approbato delegare. In hac autem ſuppoſitione, ſi oporteret licentiam abſoluendi alteri ſacerdoti denegare, maneret pœnitens obligatus, ſi aditus pateret, coram Inquiſitore ſe præſentare, vt Sacramentaliter ab ipſo abſolueretur. Et ad hoc poſſet confeſſarius illum cogere, iuxtà dicta 1. *p. Selectarum tr. 3. diſp. 8. q. 12. n. 8. & ſequent.* vbi contra plures probaui in caſu, quo ſuperior iuſtè negaſſet facultatem ſubdito, vt a ſibi reſeruatis, ab alio abſoluatur, teneri coram ipſo comparere. Recole ibi dicta. Contingere tamen poſſet Dominum Inquiſitorem grauiter peccaturum contra charitatem negando talem facultatem, v. g. quando prudẽter cenſeret, hæreticum ob difficultatem non confeſſurum, vt benè ait Hurtado *§. 94.* & conſtat ex dictis à nobis 1. *p. ſelectarum* loco ſupra citato. Et tradit expreſsè D. Thom. *in 4. diſt. 17. quæſt. 3. art. 3. q. 4. ad 6.*

8 Ex dictis recrudeſcit præſens difficultas. Quid nam teneatur efficere confeſſarius, quando pœnitens hæreſi occulta infectus, nec phiſicè, nec mortaliter Pontifici ſe præſentare poteſt? Non eſt ſermo de articulo, ſeu periculo mortis: in his enim certiſsimum eſt ex *Tridentino ſeſ. 14. c. 7. de Sacram. Pœnitentiæ*; à quolibet Sacerdote poſſe hæreticum, etiam publicum in foro conſcientiæ abſolui, cum onere comparendi coram Pontifice, cum poſſit: non quidem pro abſolutione a peccato, neque a cenſura, à quibus iam directè abſolutus eſt, ſed vt medicinam, & ſatisfactionem, quã Pontifex maluerit, adhibeat. Quod ſi non ſe præſentauerit, cum commodè poſſit, reincidet in ſimilem cenſuram, Summo etiam Pontifici reſeruatam: ni per ignorantiam, aut obliuionem huius obligationis, quam ex iure Canonico habet, à nouo peccato excuſetur. Hoc onus ſub iuramento imponendum hæretico, docent plures, quia in abſolutione ab excõmunicatione ob percuſsionem Clerici, ſic decernitur *cap. quamvis, & cap. ea noſcitur, eodem tit.* Verum cùm pro abſolutione ab alijs excommunicationibus Summo Pontifici reſeruatis, id deciſum non ſit, & materia ſit odioſa, non eſt, cur diſpoſitio iſta ſit extendenda; ſufficit hæreticum de ſua obligatione comparendi admonere, & quod iuramentum præſtet de parendo mandatis Eccleſiæ, & quod illud crimen iterum non patrabit; hoc enim requiritur quoties abſoluitur ab excommunicatione ob magna crimina impoſita: vt *ex cap. ex tenore de ſentent. excommunicat.* docent communiter Theologi. Vide Suarez *tom. 5. in 3. p. diſp. 19. ſect. 2. n. 10.*

9 Difficultas igitur ſolùm eſt de abſolutione ab hæreſi occulta, extra articulũ mortis, quando inſtat neceſsitas communicandi, & non patet recurſus ad Pontificem. Audiamus Doctores: P. Granado 22. *controv. 1. tr. 15. diſp. 16. ſect. 4. n. 18.* [Si daremus facultatem Epiſcoporum eſſe reuocatam, & Quæſitores fidei nõ poſſe in foro conſcientiæ hanc abſolutionem impendere; vera nihilominus ſententia eſt, etiam quando adeſt ligitimum impedimentum adeundi Papam, non poſſe hæreticum occultum ab alio abſolui.] P. Suarez *tom. de fide, diſp 21. ſect. 4. num. 26.* loquens de perpetuò impeditis ſe Pontifici præſentare, pro abſolutione ab hæreſi; ſic ait [qui voluerit in illo ſtatu conſtitutus, ante periculum mortis, abſolui, neceſſe eſt, vt vel coram Inquiſitoribus, modo ſupradicto, (nempè coram Notario, & præmiſſa abiuratione) occultè compareat, vel per viam ſecretam, & tacito nomine remedium à Põtifice obtineat.] P. Thomas Sanchez *in ſum. lib. 2. cap. 13. en fine.* [Nullum huic impedito ſupereſt medium, vt abſolvatur, niſi vt ad Inquiſitores confugiat (nempè vt ſupra dixit Suarez) vel ad Pontificem per Procuratorem, aut litteras, tacitò nomine] Quibus adde M. Dominicũ de Soto, Bartholomæum de Ledeſma, Vivaldum, Rodriguez, & alios,

quos

quos citat Leander à Murcia *tom.2.diſquiſ. moral. diſp.1.reſ.17.n.12.& 17.* Ex quibus videtur dicendum hæreticum occultum in caſu vrgentis neceſsitatis, cùm non habeat copiam Confeſſoris, poſſe communicare cõtritum, non verò vllo modo abſolui. Et ita de quolibet peccato reſeruato, docent Vazquez *tom.4.in 3.p.q.91.art.3.dub.9.* & Gaſpar Hurtado de Pœnitentia *diſp.11. diffic.* 14. & de habentibus excommunicationem reſeruatam tenent Paludanus, S. Antoninus, M. Sotus, Ledeſma, Sylueſter, & alij apud Prado ſupra *q 9 n.23.& 24.*

10 Cæterum, quod indirectè poſsit confeſſarius hæreticum occultum, in caſu vrgentis neceſsitatis, abſoluere, eſt communior ſententia; & ita docet expreſſè M. Ioannes Martinez de Prado *tom.1.qq.cap.8. de hæreſi q.9.n.24.* dicens [ideò iſte hæreticus ſic impeditus validè poteſt abſolui, directè à non reſeruatis, & indirectè a reſeruatis.] Pro qua parte *n.21.* adducit plures ex antiquis: & ex Recentioribus Cardinalem de Lugo, Leandrum à Sacramento, Torreblancam, & Lezanam; imò P. Puente Hurtado de Mendoza *2.2.diſp.84.ſecl.7.§.188.* inquit; quod quando Suarez, & Sanchez locis ſupra citatis, negant facultatem abſoluendi ab hoc crimine, in caſu neceſsitatis, extra articulum mortis; agunt de abſolutione directa; *Non verò negant abſolutionem indirectam*: hoc eſt, quod vrgente neceſsitate celebrandi, vel communicandi, poſsit hæreticus occultus ab alijs peccatis abſolui ab habente iuriſdictionem in illa; tacitò pecato hæreſis, quod, remiſsis alijs, nequit non remiſſum manere; quia nullum peccatum læthale eſt compatibile cum gratia habituali, virtute abſolutionis aliorum comparata; ex quo dicitur indirectè remiſſum, ſeu abſolutum. De hac indirecta abſolutione, vide Thomam Hurtado *tom.1.fol. 290.n.168.* Quintanadueñas *tom.2.fol.281. & tom.1.fol.68.n.7.* & Trullench in *expoſitione Bullæ lib.1.§.7.cap.2. dub.7.verſ.Sed dices in 3.editione: & tom.1.in decalogum lib. 1.cap.3.dub.4.in fine.* Videatur etiam Suarez *tom.4.in 3.p.diſp.23.ſect.2.n.7.* vbi ait ſufficientem cauſam dimidiandi confeſsionem eſſe neceſsitatem vitãdi aliquam infamiam. [Quarta, inquit, occaſio, vel neceſsitas erit vitandi aliqua infamiam propriam, vel aliud ſimile incommodum, quod quis timet, niſi confiteatur eo modo, quo poteſt: & tunc eſt etiam ſufficiens ratio, vt homo poſsit licitè ſic confiteri, non tamen obligatur, ſaltem ſub mortali, quia illud incommodum temporale eſt, & proprium, & poteſt homo cedere iuri ſuo. Secus verò erit, ſi ſcandalum aliorum ex dilatione, vel omiſsione confeſsionis timeatur; tunc enim non ſolùm licebit, ſed etiam neceſſarium erit, eo modo confiteri iuxtà qualitatem ſcandali, quod ſemper ex charitate vitandum eſt. Quintò contingere poteſt, vt nulla ſit confeſsionis neceſsitas ſimpliciter, ſit tamen magna vtilitas, quam per ſe affert Sacramentum, & augetur ex frequentia eius: vndè ſi propter eam occaſionem multò tempore differendum ſit, conſultius erit ita confiteri, licèt non ſit ſub obligatione. Et hoc ſignificauit Soto ſupra.] Sic P. Suarez ibi.

11 Videatur iterum *diſp.31.ſect.3.* vbi ex profeſſo probat, non eſſe neceſſarium ad valorem abſolutionis, habere iuriſdictionem in omnia peccata, quibus re ipſa pœnitens ligatus eſt: & vrgente neceſsitate licitum eſſe indirectè a reſeruatis abſoluere, licèt habeant excommunicationem annexam, idque honeſtari, quoties poſsit quis accipere Sacramentum Euchariſtiæ, ad vitandum ſcandalum, ſeu grauem infamiæ notam; præmiſſa tantùm contritione. Quod tenet plures, quos adduxi *1.p.ſelectarum, tr.3.diſp.8.q.12.* & tradit Quintanadueñas, *to.2.fol.231.ſing.* Abſolutio enim Sacramentalis impenſa excommunicato valet, vt cum Caietano, Navarro, Suarez, Bonacina, Medina, Ioanne de la Cruz, Nuño, Candido, & duodecim alijs authoribus, tradit M. Prado, vbi ſuprà *num. 24. citato.* Ac proinde, in tali caſu, ea non ablata, licitè poteſt confeſsio dimidiari. Nã quod à præcepto diuino confeſsionis excuſat, ab eius materiali integritate excuſare certiſsimum eſt. Secundò, quia non eſt minùs prohibita excommunicato ſuſceptio Euchariſtiæ, quàm Sacramenti Pœnitentiæ; vt ex terminis patet. Ergo quoties licitum fuerit communicare, præmiſſa tantùm contritione, (vt in caſu neceſsitatis prædicto, docent plures; eo quod non eſt copia confeſſoris potentis abſolvere directè a reſervatis, ſeu ab excommunicatione reſeruata) tunc etiam licebit confiteri dimidiatè inferiori, cum onere comparendi pro reſeruatis, vel hæc etiam explicando in confeſsione ſimul cum alijs, ſecundum diuerſas probabiles opiniones: quia idem eſt referre reſeruata non iudici, ac non confiteri. Sic in caſu hæreſis, ait Diana infrà *reſ.9.* cum Hurtado de Mendoza vbi ſuprà: & de alijs caſibus reſeruatis, quando longa temporis mora eſt interijcienda, antequàm legitimus iudex poſſit adiri; tradit ipſe cum Suarez, & Granado *5.part.tr.13.reſ.8.* Vide quæ diximus *1.part. ſelect.tr 3.diſp.8.quæſt.12.* & laxiora apud Dianam *1.part.tr.5.reſ.4.& part.7.tr.2.reſ. 23.* [Notandum (inquit) eſt hic obiter: ſi Epiſcopus ſequens noſtram ſententiam; & nolens abſolvere hæreticum occultum, quid faciendum? Reſpondent aliqui, quod ſi periculum

ſit

ſit infamiæ, vel ſcandali, ſi Sacerdos ſit, niſi celebret; vel laicus, niſi communicet; poteſt indirectè abſolvi ab hæreſi, & directè ab alijs peccatis à quocumque Confeſſario: & idem dicendum, ſi ob paupertatem, vel aliud impedimentum, non poſsit Romam adire, vel litteras mittere ad Summos Pœnitentiarios, ſi eſt contritus, poteſt ſumere Euchariſtiam; vel celebrare, ſi ſit Sacerdos, (attende) *etiam ſi non adſit periculum infamiæ, vel ſcandali*: nam ille apud Deum excuſatur; quia fecit, quantum potuit. Et ita me citato Marchinus *de Sacram. Ordinis tr.1.p.9.cap.1. diffic.* 10.*n*.6. & etiam me citato Trullench in Decalogum *tom.1.lib.1.cap.3.dub.4.n.13.* ſed recognoſce me ipſum *in p.1.tr.5.reſ.4.& in p.4.tr.4.reſ.242.* ſic Diana, *qui* 1.*p*. loco citato, pro parte non requirente periculum infamiæ, vel ſcandali, adducit Nauarrum, & Fagundez, quorum ſententia ipſi ſibi non placuit; & meritò. Vide tamen ſup.n.10.

12 In hoc igitur ſenſu, ab abſolutione indirecta, occurrente neceſsitate, nullum caſum excipit Suarez *diſp.31. citata ſect.3.* In præcedenti verò *diſp.30.ſect.3.n.8.* Vbi de abſolutione directa loquitur, inquit, quod in caſibus Pontificijs, generalis iuris regula eſt, *quoties non patet aditus ad Summum Pontificem, vel legatum, vel delegatum eius, niſi cum magna difficultate, & mora, poſſe peccatorem abſolui ab inferiore Sacerdote, cum onere comparendi coram Pontifice.* Quam regulam, dicit, extendere Doctores ad omnem caſuum reſeruationem. [Non enim (inquit) fuit aliqua ratio particularis inuenta in vna reſeruatione potiùs, quam in alia; ſed illa generalis, *ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum. Argum. cap. vlt. de pœnit. & remiſſ. in 6.* & ne reſeruatio, quæ pro bono Charitatis introducta eſt, contra Charitatem vergat. *Quæ* (inquit Suarez) *ratio in omnibus peccatis mortalibus locum habet; nempè in omnibus Pontificijs, qui in iure exprimuntur*, vt ſe explicat *diſp.31.ſect.3. num.2. in fine.* Et ſic intelligendus *diſp.30.ſect.3.numer.9.* vbi dicit inconſequenter loquutum Sylveſtrum excipiendo ab hac vniuerſali regula caſus contentos in Bulla Cœnæ, & omnes illos, in quibus nullus poteſt abſolvere, niſi in articulo mortis. Quia in omnibus caſibus Pontificijs tenor reſeruationis eſt, vt ab illis nullũ abſoluat, niſi in articulo mortis, ac proinde à nullo poſſet quis abſolvi.] Hæc eſt ſententia Patris Suarez loco ſuprà citato. In illo autem nullam fecit mentionem criminis hæreſis, aut excommunicationis propter illud incurſæ. Quia huius abſolutionem, niſi expreſsè concedatur, ſemper intelligit excluſam, vt videre licèt *tom. de fide, diſput.21. ſect.4.num.21.* & cum Sanchez, Garcia, Barboſa, Azor, Covarr. Vgolino, Aragõ, & alijs tradit Palao *tom.1.tr.4.diſp.4.p.3.§.4.n.2.* contra Sotum, & alios, quos adduxi *in opuſculo pro Ieſuitis, tr. de fide, prop.2.* Et contra quindecim alios, quos refert M. Prado ſuprà *q.8.num.8.& ſeqq.* dicens eſſe probabile, & ſecurum in praxi; ſed oppoſitum fuit poſtrà declaratum ab Alexandro VII. pro ſententia Patris Suarez, & aliorum. Qua propter ex doctrina ſupra tradita à Suarez nequit inferri, concedere abſolutionem directam ab hæreſi in caſu neceſsitatis communicandi, aut celebrandi. Quod vrgentius evincitur ex his, quæ tradit *tr. de fide, diſp.21.* vbi, nec habentibus impedimentum perpetuum adeundi Summum Pontificem, illam concedit.

13 Adduut verò ipſemet Suarez in citato loco *de fide, ſect.4.num.26.* & P. Sanchez vbi ſuprà, perpetuò impeditos adire Summũ Pontificem teneri per viam ſecretam remedium à Pontifice obtinere. Hoc autem minùs conſequenter dictum videtur. Nam Sanchez ibidem, nempe *lib.2.ſum. cap.13. num.* 14. plures referens; tradit expreſsè, abſolutum in articulo mortis ſub onere comparẽdi, ſi poſtcà *perſonaliter comparere non poſsit*, non cogi per alium, ſeu per procuratorem adire Superiorem; vt docent Navarrus, & Vgolinus. Cuius ratio, inquit, eſt: quia onus committendi negotiũ tertiæ perſonæ eſt valde graue & non carens periculo infamiæ in re grauiſsima, quod ſine cogente iure (quod re vera nullum datur) non eſt imponendum] Sic ibi cum citatis, quos ſequuntur Floronus, & Henriquez; quibus adhæret Diana *p.5. tr.3.reſ.65.* [Nam ius, inquit, non obligat pœnitentem, vt ſe per tertiam perſonam ſuperiori præſentet, ſed per ſe ipſum, & quando per ſe ipſum non poteſt, illum impeditum iudicat, *cap. Quamvis de ſentẽt. excommunic.*] Vnde Doctores benè probant, verè dici non adeſſe copiam confeſſoris, quando quis eſt impeditus Superiorem perſonaliter adire, neque eum commodè accerſere: quia aut non veniet, aut non ſine magna nota. Idem cum Navarro ſentit Trullench *in expoſit. Bullæ, lib.1.§.7.cap.2.dub.5.num.* 6 his verbis [Non tenetur Procuratorem mittere, quia ius non obligat pœnitentem, vt ſe per tertiam perſonam Superiori abſoluturo præſentet, ſed per ſe ipſum, & quando per ſe ipſum non poteſt, iudicat illum legitimè impeditum. Colligitur aperte, *ex cap. de his*, & *cap. de cætero de ſententia excommunicationis*, & præcipuè, *cap. quamvis eodem titulo.* Vbi ad obtinendam abſolutionem ſolùm expoſtulatur, *vt quolibet impedimento canonico retrahatur, quominus Romam in Pontificem poſsit adire.*] Ideòque non teneri facultatem

per

Digitized by Google

per Procuratorem, nec per Confeſſariũ, nec per litteras impetrare, tradit cũ Corduba, Valencia, Azor, Henriquez, & Sanchez, Caſtro Palao *tom.1.tr.4.diſp.4.punct.3*. Non per procuratorẽ, ſicut nec per interpretem confiteri, quia eſt reuelare peccatũ non habenti obligationem ex ſigillo ad non reuelandũ. Non per litteras, quia exponit ſe periculo ſui criminis detegendi; non per confeſſariũ, quia hoc onus non eſt confeſſoris, ſed ipſius pœnitentis, neque hoc mediũ; & ſi confeſſarius ſpõte ſe offerat, (ad quod non tenetur) obligatur pœnitens eligere, (ait Palao ſup.§.5.*n*.6.) quia eſt alienũ à reſeruatione, & illam tollens.]ſic ibi ex Sanchez ſuprà. Et ita tradit Fr. Leander à Murcia *tom.2.diſquiſ.Mor.lib.4.diſp.1.reſ.* 19. vbi citatis Cornejo, Diana, Caſpenſi, cum Henriquez, Vgolino, & Duardo apud Bonacinam, docet legitimè impeditum impedimento perpetuo, non teneri recurrere ad Papã, per epiſtolã, vel Nuncium, & hanc ſententiam eſſe veriſsimam ex Navarro. Quam ſequitur M. Prado vbi ſuprà, q.9.§.1.*n*.4.

14 Et P. Suarez *de fide diſp.* 21. *ſect.* 4. *n*. 25. eum, qui poſtquam periculũ mortis evaſit, non poteſt perſonaliter comparare; non obligat, vt per litteras, confeſſariũ, vel procuratorem, compareat, vt conſtat ex ipſius, quæ ſubnecto, verbis [Tertiò obſeruandum eſt, abſolutionem in illo articulo relinquere obligationem comparendi corã Pontifice, ſi pœnitens periculum illud euadat, *& poſsit perſonaliter comparere*. Ita ſumitur *ex cap. eos, qui de ſent. excom. in 6*. & ratio eſt, quia poteſtas abſolvendi, ſub ea tantùm conditione datur, & eſt iuſta cõditio, quia illo modo ſufficiẽter ſubvenitur neceſsitati peccatoris, & per illã providetur meliùs animæ eius, & cõſulitur etiã bono fidei, & Eccleſiæ. Vnde tenetur cõfeſſor admonere pœnitẽtẽ de huiuſmodi onere, & cautionẽ aliquam de implenda huiuſmodi obligatione, ab illo exigere; & communiter cenſent Doctores iuratoriam cautionem eſſe poſtulandam, vt videri poteſt in Sanctio ſuprà in ſuo numero 17. *Dixi autem, ſi perſonaliter comparere poſsit*: nam ſi per ſe non poſsit, non cogitur per alium, ſeu per procuratorẽ adire ſuperiorem, vt docent Nauarr. *in ſum. c.27.n.* 90. *ad 5 quæſtionem*, & Vgolinus *de cenſuris Põtifici reſeruatis 3.p.cap.2.ſub tit. de mortis articulo q.4.n.1*. & Sãctius referens plures alios in *n*.14. Et ratio eſt quia iura non imponunt hoc onus, vt videri poteſt *in dicto c. eos, qui* & in *cap. vlt. 26.q.6. in Concilio Auauſic.1.cap.2*. Eſt autem onus committendi hoc negotium tertiæ perſonæ valdè graue, & non carens periculo infamiæ in re grauiſsima, ideòque non eſt ſine cogente iure imponendum] Hæc Suarez, idem tenent apud Sanchez ſupra Corduba *in ſumma, q.18.punct.2*. Valentia 4. *tom. diſp.* 7.*q.10.punct.2*. & P. Azor *tom.1.lib.8.inſtit. moral.cap.19.q.5*. Vbi ait deficere copiam confeſſoris, vel ſuperioris ad abſolutionem ab hæreſi [cùm Epiſcopus, & Inquiſitores, qui poſſunt ab hæreſi abſolvere; præſentes non ſunt.] Cuius rationem reddit Sanchez *lib.2. ſum.cap.3.n.14*. [Quia ius non obligat pœnitentem, vt ſe per tertiam perſonam ſuperiori abſoluturo præſentet, ſed per ſe ipſum, & quãdo per ſe ipſum nequit, iudicat illum legitimè impeditum.] ſic ille cum communi Doctorum, quos ſequitur Cardinalis de Lugo *tom. de pœnit. diſp.18.ſect.2. num.* 32. & plures alij, quos ſequitur Trullench *in decalog. lib.1.cap.3.dub.7.n.8*.

15 Ex his principijs, quæ pro articulo, ſeu periculo mortis, ab omnibus ferè Theologis admittuntur, pro abſolutione directa ab omnibus caſibus Pontificijs, etiam hæreſis; decidenda videtur quæſtio præſens in re morali difficilis, de habentibus impedimentum perpetuum. An eodem prorſus modo ſit de illis diſcurrendum, (ſaltem, quando hæreſis eſt occulta) ac de conſtitutis in articulo, ſeu periculo mortis? nempè an poſsint directè ab hæreſi abſolvi, eo modo, quo poſſent in articulo mortis conſtituti? Affirmat Palao *tom. 1.tr.4.diſp.4.p.3.§.5.n.5. & 6*. vbi ſic ait, [ſi licèt proferre, quod ſentio, exiſtimarem ſanè æquè de hæreſi, ac de alijs criminibus poſſe ſic impeditum abſolui à quolibet confeſſario; quia poteſtas vtendi hoc præuilegio fundatur in neceſsitate pœnitẽtis: at quo delictum grauius, grauiorem neceſsitatem pœnitens habet. Ergo non ob grauitatem hæreſis limitandum eſt. Adde, quia, vt ipſemet Sãchez, *n*.14. affirmat, & ſtatim dicemus, nullus tenetur in periculo mortis conſtitutus medio procuratore, aut litteris miſsis abſolutionis beneficium impetrare, quia nemo tenetur medium aſſumere, quo eius delictum manifeſtari poſsit. Ergo neque etiam tenetur adſtrictus illo perpetuò impedimento, quod mortis periculo æquiualet, aſſumere procuratorem, vel litteris facultatem procurare. Aliàs ſi propter grauitatem hæreſis, & illius ſpecialem reſeruationem, deberet pœnitens impeditus confugere ad Inquiſitionem, vel ad Pontificem, per procuratorem, etiam in articulo mortis conſtitutus deberet eam diligentiam adhibere. Neque videtur eſſe ſpecialior ratio in vno caſu, quàm in alio.] Hactenus Palao. Quam ſententiam ait Trullench *tom. 1. in Decalog. cap. 3. dub. 7. numer.* 19. [exiſtimo probabilem, & poſſe tutè ſequi] & talem videtur cenſere Ioannes Martinez de Prado *ſuprà quæſt. 9. num.* 10. & Leander à Murcia *loco citato, reſol.* 17. *num.* 17. quia M. Prado contrariam, quam

ſequitur, dicit videri probabiliorem, & Leãder eſſe tutiorẽ. Qui *num.* 2. pro ſententia Caſtri Palai adducit Homobonum referentem pro illa Ruardum; quos videre non licuit.

16 Pro hac tamen ſententia alios Authores in terminis diſputantes, de perpetuo impediris adire Pontificem, ut abſolutione à crimine hæreſis, non invenio: licèt de alijs criminibus loquentes communiter ſentiant, idem forè, ſecundum ius, ferendum iudicium de perpetuò impeditis, ac de cõſtitutis in articulo mortis. Quia per inde ſe habet, quoad impotentiam adeundi Pontificem, (vt benè ponderat Suarez *de fide diſp.* 21 *ſect.* 4. *n.* 26.) ac ſi eſſent in articulo mortis. Ergo moraliter videtur reputandum totum illud tempus, ac ſi iam mors inſtaret. Cur enim ille homo tanto tempore abſolutione carebit ſine fructus?

17 Verùm ipſe Suarez ibidem ſententiã communem, quoad alios caſus, limitat in caſu hæreſis: verbis ex illo ſupra datis. Quem ſequuntur, vt vidimus P. Sanchez, & Granado. Quibus adde M. Candidum *tom.* 1. *diſqui.* 3. *art.* 8 *dub.* 5. *n.* 5. vbi ſic ait: [Poteſtas abſolvendi ad hæreſi in articulo mortis non eſt extendenda, vt poſsit quis abſolvi alia ratione impeditus, puta paupertate, inimicitijs, ſenectute, aut ſimilibus impedimentis. Vnde in tali caſu extra articulum mortis ad Inquiſitores, vel ad Pontificem per procuratorem, aut litteras, tacitò nomine, recurrendũ eſt. Quia cum non exprimatur *in c. ea noſcitur de ſent. excomm.* & in alijs, caſus hæreſis; non cenſetur in illo comprehendi, propter ſtrictiſsimã eius reſervationẽ.] Ita Cãdidus.

ſ. Vnicus.

Quæſtionis reſolutio.

18 Quoties in hanc quæſtionẽ incidi, diſſonum mihi viſum fuit, rigoroſam reſeruationẽ peccati hæreſis, ſic à Doctoribus explicari, vt conſcientias potiùs laxet, quã conſtringat. Nã qui fieri poterit, vt à tãto crimine retrahat, quod à ſolo Pontifice poſsit directè, extra articulũ mortis, hæreticus occultus abſolui, ſi inde cõmodum illud reportet, *vt quoties neceſsitas occurrerit communicandi, vel celebrandi, poſſit, vel ſola contritione accedere, vel confiteri alia peccata, omiſſo grauiſsimo hæreſis, vſque ad mortis articulum?* Quid ergo aliud rigor reſeruationis operabitur, quã ſuſpendere obligationem confitendi ſimile peccatum, etiam ſi piùs iteratum? Quandoquidem neque impedit iuſtificari per contritionem, omittendo confeſsionem, nec dimidiatè confiteri, omiſſo peccato hæreſis?

19 Propter hæc mihi ſuadeo opiniones, ex quibus hoc cõſectariũ neceſſaria cõſequutione deducitur, nõ eſſe cõprobabiles; neque omnes ſimul à Theologo morali cõcedi poſſe: licèt omnes diuiſiuè probabiles ſint. Sicut ab ſcholaſtico iudicari poteſt probabile, dari phiſicã prædeterminatiõnẽ, & ſimiliter eſſe probabile tollere libertatẽ: & tamẽ hæreſis aperta eſſet, vtrũque ſimul concedere. Sed qui affirmar prædeterminationem dari, negare debet repugnare libertati, & qui hoc concedit, primũ negare. Similiter, qui affirmaret, ſolũm Pontificẽ poſſe in foro conſciẽtiæ abſolvere à peccato hæreſis, Inquiſitores verò in ſolo externo, coram Notario deponente in ſcriptis & teſtimonijs ferẽte de crimine, & de perſona; & neminẽ ſe præſentare ſub hac forma teneri; & eos, qui nequeãt perſonaliter ſe præſentare, nõ debere per alia media facultatẽ ad abſolutionem ſolicitare: rẽ ſanè mihi improbabilem diceret. Hæc enim principia ſimul ſumpta non ſunt comprobabilia, vtporè ex quibus ſequitur neminem, ex perpetuò impeditis ſe præſentare Summo Põtifici, teneri extra articulũ mortis, confiteri peccatũ hæreſis, etiam publicè, ſed toto vitæ curriculo, occurrente neceſsitate cõmunicãdi, id præſtare poſſe contritũ, non præmiſſa cõfeſsione; vel alia peccata confitendo, tacere peccatũ hęreſis, vſque ad articulũ mortis. Vnde fieret, rigorẽ reſeruationis, potius allicere, quàm ab atroci hoc peccato committendo retrahere.

20 Fateri ergo debemus, deficiente copia cõfeſſoris, cui peccatũ hæreſis fuerit reſeruatum, quemcumque cõfeſſarium approbatum habentem iuriſdictionem ad confeſsiones excipiendas; poſſe (data ſimul alia materia) occurrente neceſsitate cõmunicandi, abſoluere hæreticum occultum, ſeruatis ſeruandis, de quibus infrà; & illum teneri ad confeſsionem hæreſis commonere cõparendi corã ſuperiore. Ratio me iudice convincit intentũ, quia cum reſeruatio rigoroſa huius criminis eo tẽdat, vt homines ab eo committendo retrahat, neceſſarium prorſus eſt, eam in caſu neceſsitatis à Summo Pontifice delegari iuriſdictionẽ, & legẽ imponi; quæ pœnitens, occurrente neceſsitate cõmunicandi, non excuſet ab eius confeſsione: ne conſcientiæ laxentur habenæ ablata obligatione confitendi vſque ad articulũ mortis, ob defectũ copiæ confeſſoris. Eccleſiã autẽ poſſe præcipere idẽ peccatũ bis cõfiteri, probaui ſup. *diſp.* 1. *ſ.* 8. *n.* 6. Si ergo poteſt, nõ eſt cur de facto in hoc caſu nõ fecerit. Dicendũ ergo eſt, poſſe ita abſolvi, vt hæretico occulto præcludatur aditus ad ſe excuſandũ ab integritate materiali confeſsionis, aut ad illã omittẽdã ex defectu copiæ cõfeſſoris. Pro hac parte ſtare debent Doctores, qui aſſerũt; in caſu vrgentis neceſsitatis confitendi, abſente Prælato, in alijs reſeruatis, prudenter præ-

præſumi, *ſuperiorem nolle pro eo caſu, eſſe reſeruata*. Quos ſequitur Dicaſtiſſo *de Sacr.to.* 2.*tr.*8.*diſp.*11.*dub.*17. Cuius ſententiã valdè probabilem vocat Dian.*p* 11.*tr.* 8.*reſ.*49. & tenent expreſsè Doctor D. Franciſcus Verde, in opere pro Caramuel *q.*12.*p.*7.§.40.*n.*633. & Quintanadueñas *tom.*1.*tr.*3.*ſing.* 11. *n.* 7. ne ob reſeruationẽ dimidietur, aut omittatur confeſsio.

21 Iam verò quomodo ſit conferenda abſolutio ab excommunicatione, propter hæreſim incurſa, perpetuò impeditis ſe præſentare Pontifici; nihil in iure expreſſum habemus. Nam licèt *cap. eos qui de ſent. excõm.* Non concedatur facultas, niſi ſub onere perſonaliter comparendi, ita vt ſi pœnitẽns poſteà ſit in mora culpali, in ſimilem excõmunicationem incidat. Hoc onus, vt declaratur *in cap. Quamvis de ſentent. excomm.* non eſt imponendum habenti impedimentũ perpetuum; cuius ceſſatio expectari nequit: vt notant Suarez, *tom.*5.*in* 3.*p.diſp.*22.*ſect.*1. Sylveſt. *verb. Abolutio* 4.*n.*3. & Trullench ſuprà *cap.*3.*dub.*7.*n.*14. Ac proinde in caſu noſtro fruſtra iniungeretur, cùm ponamus pœnitentem numquam futurum in mora culpabili; quia perpetuum habet impedimentum ad ſe præſentandum. Ergo nec opus eſt, hoc onus ei apetiri, nedum ſub iuramento iniungere. Quid ergo? Dicemus perpetuò impeditos adire Romã immunes eſſe à reſeruatione caſuũ Bullæ Cœnæ, etiam hæreſis? Abſit.

22 Propter hæc cõcedendum neceſſariò eſt, Pontificis mentem eſſe, vt impeditis Romam adire, abſolvi poſsint ab hæreſi in foro conſcientiæ, vel ab Epiſcopis, ex iure cõmuni, *cap. de cætero, & cap. Non dubium, & quod de his, & cap. Quamvis de ſent. excõm.* Quia ratio horum textum in omnibus excommunicationibus Summo Pontifici reſervatis militat. Et quod, vbi Sanctum Hiſpaniæ Inquiſitionis Tribunal viget, abſolvi poſsint in foro conſcientiæ, (vt aliquando fit,) à Dominis Inquiſitoribus: & conſtringere pœnitentes, vt quam primùm poſsint, ſe illis præſentẽt, aut facultatem per confeſſarium idoneum ab eis obtinere procurẽt: Ac proinde grauiter peccaturos, qui ex induſtria, ad caſum vrgentis neceſsitatis, recurſum differant, in quo nulla erit opportunitas petendi facultatem. Quod ſi pœnitens in mora culpabili fuerit, nec ad ſuperiorem, vrgẽte neceſsitate, patet aditus; poterit Confeſſarius, ſubiecta ſimul alia materia, illum abſoluere, impoſito, ſub iuramẽto, onere per ſe, cùm poſsit; coram ſuperiore comparendi, vel per confeſſarium, cœlata perſona delinquentis, (ſi iſte adire nõ renuat) vt à crimine hæreſis in foro conſcientiæ iterum abſoluatur, & ad pœnitentiã ab illo acceptandam, & adimplendam teneatur. Hoc enim onus rectè poteſt pœnitens vi iuramẽti ſubire, & ius eſt confeſſario nõ aliter abſolvendi. Quod ſi ille reſiſtat, poterit iuſtè nõ abſolvere, nec pœnitens titulo vitandi infamiam poterit cõmunicare, quia in eius poteſtate eſt vitare infamiam, & obſervare præceptum de integritate confeſsionis.

23 Sed quid ſi perpetuum illi ſit impedimentum ſe præſentandi Epiſcopo, vel Inquiſitori? Reſpondebit Palao, quod ſupra *num.*5. nempè reputandũ, ac ſi eſſet in articulo mortis conſtitutus. Ego verò reſpondeo in hoc caſu eſſe pœnitenti obligationem petẽdi ab illis per idoneum confeſſarium facultatẽ ad abſolutionem. (hæc enim eſt vis huius rigoroſæ reſeruationis, quidquid de aliorum criminum reſeruatione ſit) ſi verò confeſſarius eam petere nequeat, vel nolit; vel petitam non obtinuerit, vel pro foro tantùm externo, & neceſsitas communicandi inſtet, poterit illum, vt ſuprà abſolvere, impoſito; ſub iuramento, onere ſe præſentandi per ſe (ſi forte aliquando poſsit,) Epiſcopo, vel Inquiſitori, aut alijs ab eis habentibus iuriſdictionem. Pœnitens verò non tenetur vocarè Superiorem, vt cum Sanchez ſuprà; & cum Henriquez benè ait Trullench *cap.* 3. *citato, dub.*7.*n.*8. [Quia nullibi (inquit) adeſt tale præceptum, aliàs eſſet impoſitum de grauando ſuperiore. Prætérquam quod tale præceptum raro exequi poteſt ſine nota. Ergo nõ poteſt obligare ad id, quod regulariter non eſt poſsibile.] ſic ille. Poterit ergo interim, dum Epiſcopus, vel Inquiſitor abeſt, & dum ab eis obtinetur per confeſſarium facultas, indirectè abſolvi, vrgente neceſsitate, præſtito iuramento, vt dictum eſt. Et quod directè poſſit, tradit Leander à Murcia *ſup. diſp.* 1. *lib.*4. *reſ.*21. dicens eum, qui, cũ non poſsit ſe præſentare Pontifici, procurat per alium obtinere facultatem, vt poſsit abſolvi, *poſſe interim directè abſolui*, ſub iuramento præſtito de ſtando mandatis Pontifici.

24 Et abſolutè M. Prado *tom.* 1. *qq. cap.* 8. *de hæreſi, q.*9.*n.*11. ſic rem concludit. [Quã do potens abſolvere ab hæreſi occulta tàm longè abeſt, vt aditus ad eum ſit moraliter impoſsibilis, non videtur mihi improbabile, quod Epiſcopus, vel immediatus Religionis Prælatus valeat directè in foro cõſciẽtiæ abſolvere. Quod generaliter tradidiſſe Suarez videtur *tom.*4.*diſp.*30.*ſect.*3 *n.*8. Et latè proſequitur Hurtadus de Mẽdoza *illa ſect.* 9. *cõc.* 2.§ 171. & *duabus ſequentib.* & potiſsima ratio ſumitur ex illo celebri dicto Sancti Bernardi, *quod eſt inſtitutum pro charitate, contra charitatem non debet militare*. Si enim reſeruatio eſſet tam ſtricta, quod ſtante morali impoſsibilitate adeundi habentem facultatem, non poſſet ab immediato Prælato in

foro conſcientiæ, abſolvi, reſeruatio verteretur in perniciem animarum, & arctaretur via ſalutis.] Hæc autem ratio æquè probat de alijs Confeſſarijs approbatis, quando aditus ad Epiſcopum eſt moraliter impoſsibilis. Quamvis autem M. Prado iuramenti præſtandi, vt ſuprà, non meminerit, quando ſubditi à ſuo immediato Prælato Religionis, ſunt directè abſolvendi, propter moralem impotentiam adeundi ſuperiorem alium potentem directè abſolvere; cenſeo tamen ſemper præfatum iuramentum præmitti debere; quia ſic bono fidei, & conſcientiæ conſulitur. Neque Domini Inquiſitores aliter conſentient.

25 In hac reſolutione Dominorum Inquiſitorum iudicium ſpero. Cenſeo verò maximum animabus periculum imminere, ſi poteſtas abſolvendi directè, vel indirectè à peccato hæreſis negetur Confeſſarijs approbatis, vel vt minimum, Parochis; quando inſtat neceſsitas communicandi, & non poteſt eſſe recurſus ad ſuperiorem, cui eſt reſeruatum. Et quamvis in articulo mortis, nec per litteras, nec per procuratorem, nec per Confeſſarium, teneatur hæreticus facultatem ad abſolutionem impetrare, quia omnes Sacerdotes pro eo articulo iuriſdictionem habent, nec rigorem in illo obſeruari oporteat: extra illum verò, ni ex vi reſeruationis compellantur, tempore oportuno, priùs quàm neceſsitas communicandi vrgeat, facultatem procurare, (eo quod, illa iam vrgente, rariſsimè poſsit ad Epiſcopum, vel Inquiſitorem, nedum ad Summum Pontificem, recurri) aut ſi neceſsitas vrgeat, teneantur ad confeſsionem hæreſis, incidendum in abſurdum de differenda confeſsione hæreſis vſque ad articulum mortis. Ergo iniungenda eſt pœnitenti obligatio procurandi præviè facultatem ad abſolutionem: aut vrgente neceſsitate præſtandi iuramentum per ſe, vel per confeſſorem, ſi iſte velit (celata perſona delinquentis) comparendi, vt à Prælato de medicina oportuna vulneri curando provideatur; audita confeſsione peccati hæreſis, quam ex præcepto Summi Pontificis, vel ex vi præſtiti iuramenti, hæreticus iterare tenetur; ſiue per primam abſolutionem directè, ſiue indirectè tantùm à peccato hæreſis abſolutum dixeris. Quod ad quæſtionẽ de nomine reduci videtur, iuxtà principia iacta, cùm illum conſtringamus ad cõfeſsionem peccati hæreſis in quocumque caſu permittatur à Doctoribus indirectè abſolui, & ſimul remaneat obligatus ad iterandã confeſsionem cum ſuperiori, quando ſe dederit occaſio. Verùm ne aliquis ineptè ex dictis adimprobabilem conſequentiam anſam arripiat; placet exprimere peccatum hæreſis indirectè tantum abſolvi, quoties non à legitimo Superiori, tùm quia opus eſt aliud peccatum, in quod confeſſarius habeat iuriſdictionem; ſimul ſubijcere; tùm quia hæreticus cùm eadem obligatione cõfitendi remanet, ac ſi non fuiſſet confeſſus, à qua ſola impoſſibilitate phyſica, vel morali adimplendi eximi poteſt. Vnde concluditur noſtram ſententiam circa abſolutionem hæretici non laxare habenas, ſed reſtringere.

QVÆSTIO II.

Quomodò ſe habere debeat Confeſſarius cum moribundo habente filios naturales, vel ſpurios?

1 OMiſsis varijs acceptionibus filiationis naturalis, & ſpuriæ, de quibus latè apud Iuriſtas. Filij naturales dicuntur, qui concepti, vel nati ſunt ex parentibus ſolutis; id eſt, qui tempore conceptionis, vel natiuitatis nullum habent impedimentũ dirimens matrimoniũ. Vnde, ſi fuerint ex cognatis, vel affinibus tempore copulæ inceſtuoſæ geniti, tempore verò natiuitatis diſpẽſatio fuiſſet obtenta ad contrahendum matrimonium; filius tunc natus, nõ ſpurius; ſed naturalis erit; quia licet tempore conceptionis erat impedimentum dirimens, non tamẽ fuit tẽpore natiuitatis. Filij ſpurij dicuntur filij omnes ex copula adulterina, vel ſacrilega, vt ſi ex Clericis ordine ſacro inſignitis, vel ex Religioſis profeſsis, aut non profeſsis, habẽtibus impedimentum dirimens, quale etiam habent Religioſi Societatis poſt trieniũ, per ſimplicia vota in illa emiſſa. Nouitius verò, aut equites militares, qui ſolùm caſtitatis coniugalis votum emittunt, non efficient filium ſpurium, ſed naturalẽ, propter ſuperius dicta; & falsò oppoſitum dixit Sarmiento de Nouitio, & Clerico Beneficiario, nondum in ſacris, *lib. 1. ſelect. cap. 5. n. 7.* & alij, quos refert Sanchez *in conſilijs, lib. 4. cap. 3. dub. 3.* quos ibi merito reijcit, & *lib. 1. de matr. diſp. 2. n. 8.* & cum Vazquez idem præſtat Card. de Lugo *tom. 2 de iuſtitia c. 24. ſect. 6. n. 83* qui tamen benè impugnat Patrẽ Vazquez dicẽtẽ, filium ex matre non Catholica eſſe ſpuriũ; nec legitimari per ſubſequens matrimonium. Hæc enim aſſertio non cohæret cum principijs ſupra iactis. Nam matrimonium Catholici cum hæretica validum eſt, nullum enim habent impedimentum dirimens, ſed ſolam prohibitionem Eccleſiæ. Ergo verè eſt naturalis filius ex illis conceptus, vel natus; & ideò per ſubſequens matrimonium legitimabitur. Secus verò eſſet, ſi mater eſſet infidelis, quia infidelitas eſt impedimentũ dirimens

rimens,quod vocatur *diſparitas cultus*. Quoad ſucceſsionem autē;ſi filij ſint legitimi, ſiue legitimitati;antiquitas legitimitatis,non natiuitatis attenditur;vt cũMolina *diſp.172.* & comm. DD.ait Lugo ſup.*n.8*. Quod maximopere obſervari debet, ad conferendũ feudum,vel maioratum,qui filio maiori debetur:cõtingere enim poteſt,quod ſit maior natu,non verò in legitimate,& iure ſuccedēdi: An verò legitimati in maioratu ſuccedere debeāt ? Ex eius fundatione colligi debet: ſicut &an ex matrimonio invalido,bona tamē fide ex parte vtriuſque contracto.ſi enim cõtrariũ nõ exprimatur,vt legitimi quoad omnia reputātur. Eſtramen advertendũ, quod ſi concurrant filij legitimati per reſcriptũ Principis,cum filijs legitimis,iſti,& non illi Patribus ſuccedunt:vt ex lege Tauri notat Villalobos *tom.2.tr.30.d.13.n.12*.

2 Duo etiã alia animadvertere oportet. Primò,filium natum ex matrimonio invalido,ſed bona fide ex parte contracto,non eſſe naturalem,nec ſpurium; licèt impedimentũ dirimeus interuenerit;ſed legitimum, ſi matrimonium in facie Eccleſiæ contractum ſit: cuius ratio alia non eſt,quã ita iure deciſum eſſe, *cap.2.& cap.ex tenore*: *Qui filij ſint legitimi*. Vnde ſi in facie Eccleſiæ matrimoniũ non fuerit contractum,licèt alias ex ignorãtia aliqua fuerit,validũ reputatũ,vt coniugati cum ſoluta,prima vxore repudiata;non videtur hoc præuilegium ad illud extendendũ, cùm deficiat conditio,ſub qua eſt cõceſſum; licèt contrarium ſentiat Molina *diſp.165.§. Vtrùm verò*; non tamen eſt filius ſpurius in opinione P.Sà,*verb. Filius, num. 7.* vbi ſic: *Qui autem eſt ex ſoluta,& coniugato, non dicitur ſpurius*, in cuius ſententia, quoad ius ſucceſsionis, ab inteſtato, & ex teſtamento deficientibus filijs legitimis, inter naturales computandus erit. Sed mihi non placet,quia nullo iure probat, & repugnat dictis de conſtitutiuo filiationis ſpuriæ.

3 Dico 2.Per matrimonium ſubſequēs, re ipſa invalidum,non legitimari filium naturalem antea conceptum, quia hoc priuilegium ſolùm conceditur vero,& valido matrimonio:ſimiliter dicendum, filium ſpuriũ, non legitimari, per matrimonium ſubſequēs validum;quia hoc præuilegium legitimationis per ſubſequens matrimonium ſolùm cõceditur pro filijs naturalibus, non pro ſpurijs.Dices poſſe contingere fœminam tempore conceptionis ignotaſſe virum eſſe coniugatum,aut aliud impedimentum dirimens habuiſſe. Reſpondeo, id ſolùm probare, in tali caſu malitiam tantùm ſimplicis fornicationis eam contraxiſſe, non verò filium eſſe naturalem, cùm re vera ex habentibus impedimentum dirimens tempore conceptionis,& natiuitatis(vt ponimus) proceſſerit. Quidquid contradixerint plures apud Molinam,*diſp. 172.* & apud Vazquez *ſupra §.2.num. 34*. Quorum ſententiam, quoad vtrumque caſum impugnat, cum P. Molina,Cardin.de Lugo *ſupra num. 87*. His poſitis.

4 Dicendum eſt.1.iure noſtri Hiſpaniarum Regni,diſpoſitum eſſe circa ſucceſsionem filiorum naturalium, *l.9.tit.13. part.6.* Quod filius naturalis ſuccedat in ſexta parte bonorum Patris ab inteſtato decedentis, ita tamen vt ſi mater eius ſuperſtes ſit, diuidatur hæc quantitas inter filium,& matrēm; nempè,ſi deficiant hæredes neceſſarij, quales ſunt deſcendentes,vel aſcendentes; vt exponunt DD. Eſt tamen aduertendum: quod ſi pater filium non recognoſcit eſſe ſuum:non eſt talis quoad ſucceſsionem habendus, niſi probetur filiatio, *ex l.11.Tauri, lib.9.tit 8. lib.5. Recopil.*& ibi Antonius Gomez, & cõmunis,apud Sanchez *in conſil. tom. 1. libr.4. cap.3.dub.2.n.2*.

5 Dicendum ſecundò: in hoc Regno Patrem filij naturalis, deficientibus legitimis deſcendentibus,etiam ſi aſcendentes habeat;poſſe totam ſuam ſubſtantiam filio naturali relinquere, & vniuerſalem inſtituere hæredem.Sic decernitur,*l.10.Tauri*,& antea *in leg.10.tit.6.lib. 3. Fori*. Idque extenditur ad nepotes,ſiue legitimi ſint, ſiue naturales, ſiue filij naturalium,vel legitimorum, vt ait Antonius Gomez *ad leg.10.Tauri,n.7*. Quòd verum etiam eſt in caſu, quo filij legitimi in fauorem Patris hæreditatem ſuam renuntiauerint:quia in hoc evētu,quoad ius ad bona Patris hi ſunt,quaſi non eſſent,& Pater in ordine ad diſpoſitionem ſe habet, ac ſi nullũ filium haberet legitimum: hoc enim renuntiatio præcedens operatur. Poterit ergo filium naturalem vniuerſalem ſuorum bonorum hæredem inſtituere. Sic & benè cum Cobarrub.tradit P.Vazquez,*cap. 5. de teſtam. §.6.dub.4.num* 84.qui ſubnectit, idem dicēdum,ſi filius legitimus profiteatur in Religione,in qua non ſucceditur in hæreditate; vt in Religione Minorum,& Societatis Ieſu;ſecus in alijs:quia licèt filius non ſuccedat,quia eſt inhabilis, ſuccedit tamen Monaſterium vt hæres legitimus. Si verò renuntiatio fuerit facta, non ſimpliciter, ſed contemplatione aliorum fratrum legitimorum, & filio, qui renuntiauit,ſuperſtite, alij moriantur, bona renuntiata ad illum redire debebunt, nec poterit Pater filium naturalem vniuerſorũ hæredem inſtituere. Quia deficiente conditione implicita, vel explicita, ſub qua renuntiatio facta fuit,nullum poteſt habere effectum.

6 Dicendum eſt. 3. filium naturalem, exiſtentibus legitimis, non ſuccedere patri,

nec matri: ſed tamen poteſt illi relinqui pars illa bonorum, quæ Pater, vel Mater extraneo legare poſſunt, nempè quintum bonorum, dempto funerali. Limitant aliqui, dummodo quinta pars bonorum non excedat legitimam, quæ legitimis contingit; vt ſi ſex, vel ſeptem forent. Sed non videò, cur in hoc euētu poſsit Pater, aut Mater hanc quintam bonorum partem in præiudicium filiorum legitimorum extraneis legare, & nequeat filio naturali relinquere.

7 Dicendum 4. ſi non extent filij legitimi, naturales ſuccedunt matri ab inteſtato, & ex teſtamento, vt legitimi, etiam ſi exiſtant aſcendentes legitimi. Sic diſponitur *in leg. 9. Tauri*, & ibi tradunt Doctores communiter. Hoc tamen limitat Antonius Gomez, niſi mater fuerit illuſtris. Sed contrarium cum P. Molina tenet Villalobos *in ſum. tom. 2. tr. 30. diffi. 13. n. 10.* & cum Tello Fernandez, P. Vazquez *opuſ. de teſt. cap 5. §. 6. dub. 5. n. 91.* Vide Sāchez *fol 90. n. 4.* Vnde fit filios naturales, non extantibus legitimis ex parte matris, etiam illuſtris, ſuccedere aſcendentibus ex parte matris, in cuius iura ſuccedunt. Eo autem iure, quo filij naturales ſuccedunt parentibus, & auis eorum, ſuccedunt ipſi aſcendentes filijs naturalibus tàm ex teſtamento, quàm ab inteſtato. Ita *in Authentica quibus modis naturales efficiantur ſui, §. ſi nepotibus, col. 6.* & ex alijs, quæ congerit Ant. Gomez *ad l. 9. Tauri, n. 8.* & eſt communis D.D. vt ait Molina *diſp. 166. concl. 8.*

§. I.

Quid circa ſpurios in legibus diſponatur?

8 Dixi in præcedenti de ſuccesſione naturalium, modo verò quid circa ſpurios diſpoſitum habeatur, breuiter referam. Et primò certum eſt, filios ſpurios, qui non ſunt ex damnabili coitu, ſuccedere matri, ab inteſtato, & ex teſtamento, non exiſtentibus legitimis; etiam ſi aſcendentes legitimos mater habeat. Sic ſtatuitur *leg. 9. Tauri*: vbi communiter D.D.

9 Iam qui ſpurij dicantur ex damnabili coitu? Omnes illi, quorum mater propter concubitum, meretur (ſecundùm leges) pœnam mortis. 1. Quando mulier proprio ſeruo ſe immiſcuit. 2. Quādo filius naſcitur ex adulterio, & inceſtu ſimul. 3. Quando ex concubitu Iudæi, vel Mauri cum Chriſtiana. 4. Quando ex adulterio coniugatæ. Sic tradunt communiter Doctores, quos citatos ſequitur Sanchez *tom 1. conſil. lib. 4. cap. 3. dub. 5* licèt alij de adultera aliter cenſeant; quia aliud, inquiunt, eſt, legem permittere viro, vt occidat vxorem adulteram; quod per leges eſt ſtatutum; aliud ſtatuere illi pœnam mortis, quæ quidem ſtatuta non eſt. Quam opinionem probabilem eſſe dicit Sanchez vbi ſupra. Quod eſt valdè notandum pro ſucceſsione quoad bona matris, & aſcendētium. Quia iuxta hanc ſententiam dici probabiliter debet filium ſpurium adulteræ illi ſuccedere, ac ſi naturalis eſſet, vel legitimus, alijs deficientibus.

10 An verò filij ſpurij Clericorum ordinis ſacri, vel Religioſorum profeſſorum, vel profeſſarum (licèt mater pœnam mortis non mereatur) poſsint illi ſuccedere, res inter DD. controuerſa eſt; affirmant aliqui Iuriſtæ, quorum ſententiam non improbabilem cēſet Sanchez *ſupr. dub. 10.* negant plures alij: quia l. 9. Tauri loquens de ſucceſsione materna, vbi dixerat, ſpurios ſuccedere matri; ſubdit, *ſaluo ſi fueren hijos de Clerigos, ò Frayles, ò Monjas Profeſſas, q̃ en tal caſo, queremos que ſe guarde la ley del Rey Don Iuan, hecha en Soria*: nempè circa ſucceſsionem paternam, à qua omnino excluduntur, tàm ab inteſtato, quam ex teſtamento, etiam per viam donationis. Verùm cùm lex pœnalis ſit, & mitior ideò interpretatio adhibenda ſit, poterit Confeſſarius in foro conſcientiæ filio Clerici in ſacris, vel Religioſi profeſsi, applicare bona Matris, quidquid ſit de foro externo: quibus donec per ſententiam priuetur, poterit licitè frui.

11 Quod dictum eſt de ſucceſsione Matri, dicendum eſt de ſucceſsione conſanguineis ex parte Matris: tum quia in iure non prohibetur ſuccedere conſanguineis, qui primo ſtipiti ſuccedere non prohibetur: tùm quia ipſimet Doctores, qui Matri filium Clerici, vel Religioſi, ſuccedere negant, affirmant adhuc poſſe ſuccedere conſanguineis Matris: eo quod *lex 9.* Tauri tantùm ampliat legem de Soria, reſpectu Matris, à qua filium Clerici excludit, non verò à ſuccedēdo conſanguinis ex parte Matris, & cùm lex ſit odioſa, non eſt amplianda ad ſucceſſionem conſanguineis ex parte Matris, quibus iure communi talis ſucceſsio conceſſa erat. Ergo lex Tauri, vtpotè correctoria limitanda eſt ad caſum, de quo loquitur. Sic Thomas Sanchez *ſup. num. 11. & 14.* cum Socino, Greg. Lopez, Gutierrez, Spino, & alijs.

(.✱.)

§. II.

§. II.

An filij ſpurij poſsint aliquid recipere à Patre ex teſtamento, vel donatione, abinteſtato?

ſ 12 NON Eſt ſermo de alimentis, quæ iure naturali Patres tenẽtur filijs relinquere: nam cùm natura omnes comprehẽdat, nullum excludunt leges, quibus quintam bonorum partem, quam dempto funerali extraneis legare poſſent, in alimenta, etiamſi alij ſint legitimi, donare, vel legare in teſtamento poſſunt. Quod verum haber, quamvis hæc quinta pars maior ſit portio, quàm quæ filijs legitimis continget: vt eveniet, quoties quinque, aut plures fuerint, vt ex terminis patet. Sic tenet verior ſententia, contra plures apud Sanchez, *ſupra dub.*15. Quia nullibi facultas hæc diſpoſitiua quoad extraneos conceſſa, quoad filios ſpurios limitatur. Difficultas igitur ſolùm eſt, de bonis alijs vltra alimenta.

13 Et quidem de filijs ſpurijs Clericorum in Sacris, aut Religioſorum profeſſorum, certum omnino eſt, eſſe incapaces recipiendi aliquid à Patre, nec à cognatis ex parte Patris, nec ab inteſtato, nec ex teſtamento, nec ex liberali donatione: in hoc omnes Theologi, & Iuriſtæ conueniunt. De filijs autem ſpurijs ſæcularium aliter ſentit, apud Sanchez vbi infra, M. Sotus *in* 4. *diſt*. 41. *quæſtione vnica, art*. 4. per hæc verba [Diſcrimen eſt, inquit, inter filios, ex adulterio, ſæcularium, & filios Clericorum: quod licèt vtrique priventur hæreditate, non tamen prorſus æqualiter fiunt inhabiles ad ſuſcipiendum: & ideò ſi Pater adulter ſæcularis carens legitimè prole relinquat bona ſua filio ſpurio; quamuis Fiſcus poſsit ſibi adiudicare; nihilominus lex illa pœnalis eſt: & ideò quovſque filius condemnetur, poteſt illa bona abſque culpa poſsidere.] Hæc Sotus: quem ſequitur M. Martinus de Ledeſma 2. 4. *quæſt*. 18. *art*. 1. *dub*. 16. *ad* 3. Verùm horum Doctorum ſententiam *falſiſsimam, & erroneam eſſe*, dicit Rojas *in epitome ſucceſſ. p*. 6. *num*. 144. *&* 145. Eos tamen excuſat Thomas Sanchez *in conſilijs, lib*. 4. *cap*. 3. *dub*. 19. dicens, hos Authores deceptos fuiſſe, eo quod non viderunt leges expreſſas prohibẽtes donationem fieri à patre cuicũque ſpurio. Cui conſonat M. Petrus de Ledeſma, *in additionibus ad tertiam partem, quæſt*. 68. *art*. 2. *concluſ*. 2. *propè finem*. [His verbis, ſed licèt Sotus ſequutus fuerit illam ſententiam, non mirum eſt, quod in re, quæ pertinebat ad ius Cæſareum, & Regium, erraret non conſulens Iuriſperitos, & ius ipſum] Sed quid ſit de cenſura, (a qua lubens ſemper abſtineã) Soti ſententiam eſſe improbabilem multis, & expreſsis legibus, euincit Pater Thomas Sanchez vbi ſuprà.

§. III.

An ſpurius incapax recipiendi aliquid à Patre, ſit capax recipiendi per fidei commiſſum?

14 CAſus eſt, exoptat Pater, vt bona ſua ad ſpurium filium perveniant, nouit legibus eſſe incapacem recipiẽdi ab ipſo, poterit ne fidei amici committere, vt iſte ſpurio donet?

Certiſsimum eſt, nullam in hoc caſu opinionem habere locum poſſe in fauorem ſpurij, quin firmum relinquat eum, cuius fidei ſua bona Pater committit, verum eorũ dominium adquirere, & ex Patris voluntate in illum immediatè transferri: aliàs bona immediatè tranſirent ex dominio Patris in dominium filij, quod ſupponimus eſſe non poſſe ex diſpoſitione legum.

15 Certum etiam eſt amicum, cui Pater ſpurij dominium bonorum tradit, eius fidei illa committens, vt poſtea donet ſpurio, non poſſe licitè ſe obligare ad donandum, nec Patrem ſpurij tunc contractum poſſe licitè cum illo celebrare: eſt enim per leges prohibitum. Et ideò grauiter peccarent, vtpotè in re graui contra legem deficientes, vt docent Communiter Doctores, quos ſequuntur Lugo, Sanchez, & Molina, locis citandis, & Diana *part*. 5. *tr*. 11. *reſ*. 121. licèt M. Sotus, & M. Martinus de Ledeſma ſubdubitant, apud Sanchez *cap*. 3. *citato, dub*. 21. *num*. 12.

16 Ego verò, iuxtà alibi dicta in tractatu de ſimonia, vbi ex communi Doctorum defendi, pactum amicitiæ, per quod nulla obligatio de nouo inducitur, ſed manifeſtatur animus ſe gratum exhibendi, non continere ſimoniam; exiſtimo nullum interuenturum peccatum, ſi Pater ſpurij, & fidei commiſſarius nullam intendant, aut inijcere, aut ſubire obligationem; ſed vnus alteri ſpem gratitudinis manifeſtet, & alter animum & propoſitum ſe exhibendi gratum donando filio bona accepta, vel accipienda: hæc enim fides non eſt fides iuſtitiæ, quæ legibus eſt prohibita, cùm enim pœnales ſint, de fide ſtricta, ſeu iuſtitiæ, vel ſaltem fidelitatis, intelligendæ ſunt. Qua propter tuta via hæc eſt patri, vt abſque vllo conſcientiæ ſcrupulo conceptam ſpem manifeſtare poſsit, & amicitiæ fide ab amico præſtita quieſcat; vt benè ait Card. de Lugo *tom*. 1. *de iuſt. diſp*. 24. *ſect*. 6. *n*. 95. quem alij ſequuntur. Sic ergo amicũ alloquatur

quatur. *Ego ſcio, quod tu nil potes licitè, nec validè promittere, promiſsione ſtricta obligationem inducente. Nec ego volo te vllo modo obligare, volo tamen te hæredem inſtituere, & ſpero ex beneuolentia, quod filio meo prouidebis, ſicut ego tui prouiderem.* Cui licèt hæres reſpondeat fidem amicitiæ præſtando, ea ratione, qua, nullo ſibi iniuncta obligatione, poteſt; nihil contra leges faciet, nec hæres accepta hæreditate, magis tenebitur, quàm ſi nullam præſtitiſſet fidem. Poterit verò poſteà liberali donatione, aut omnia, aut partem bonorum pro libito ſpurio conferre, quia nullibi eſt illi prohibitum, nec ſpurius eſt incapax recipiendi ab illo.

17 Eſt tamen aduertendum ſpurium ex Clerico, vel Religioſo, non ſolùm a Patre, ſed neque à conſanguineis ex parte Patris, poſſe iuxtà leges Hiſpaniæ, aliquid ex donatione, aut alio quouis modo recipere. Ideò ſi hæres a Patre Clerico inſtitutus ex conſanguineis ſit, nil poterit ſpurio donare, ſecus ſi extraneus, vel ex conſanguineis Matris ſpurij, quibus ille ſuccedere poteſt, vt ſupra notaui. Si vero Pater ſpurij ſit ſecularis, cuilibet, quantumvis ſanguine coniuncto, poterit hæredem fidei commiſſarium, vt ſupra, inſtituere, quia ab his recipiendi non eſt incapax ſpurius.

18 Rogabis, quid dicendum, ſi Pater ſpurij & fidei commiſſarius iuſtitiæ pactum de hæreditate reſtituenda celebrarent? Reſpondeo, varias in hoc euentu eſſe D.D. ſententias. Prima aſſerit, hæredem fideicommiſſarium teneri bona reſtituere ſpurio; & hunc poſſe retinere, ſi filius Clerici non ſit. Ita Sotus vbi ſupra, & de omnibus ſpurijs abſque exceptione id tenent M. Victoria, & M. Martinus de Ledeſma apud Sanchez *ſupra cap. 3. dub. 20. n. 3.* Verùm vtraque opinio eſt omnino improbabilis, quatenus docet pactum ſeruari debere; quando quidem, ſecundùm leges, irritum prorſus eſt; vt benè ait Sanchez ſup. Si vero fidei commiſſarius conferat ſpurio hæreditatem, prius illicitè adquiſitam ratione pacti initi cum Patre ſpurij, ſpurius eam retinere non poterit; quia nil accepit a Patre, nec ab alio, ex liberali donatione. Quia etiam ſi fidem dederit, & intenderit ex iuſtitia ſe obligare, nullam tamen obligationem iuſtitiæ contraxit, ob incapacitatem per leges inductam, vt docet Vazquez cum alij, *ſup. §. 7. n. 108.* Vnde fit donationem, vtpotè ex errore obligationis ortam, fuiſſe nullam; vt bene ait *ſup. n. 107.* quia ex ignorantia, in ſubſtantia actus, tribuitur vt debitum, quod non eſt debitum: ideòque poterit hæreditatem ex ignorantia donatam recuperare, etiam per occultam compenſationem, ſi aliter non poſsit. Et ſpurius rei certior factus reſtituere tenebitur, vt benè ait Lugo *diſp. 24. citata, ſect. 6. n. 97.* Molina *diſp. 169. n. 15.* & cum Leſsio Doctor Garzi *cent. 2. cap. 12. n. 7.* & Vazquez *cap. 5. §. 7. dub. 2.* quia nullus eſt ipſi titulus ad retentionem. Hæres autem, a quo accepit, retinere poteſt, quia verum habet dominum, vtpotè abſolutè talis inſtitutus, etſi cum grauamine donandi, à quo per leges eximitur, vt docent communiter Doctores: quia promiſſio facta contra leges non obligat ex vllo capite, *l. iuris gentium, §. Prætor ait, ff. de pactis, §. generaliter.* Per eaſdem verò, ſi de illicito pacto conſtiterit, in pœnam, per leges, hæreditate priuatur; & applicatur Fiſco: & inſuper niſi Fiſco ipſe ſe prodat, punitur etiam pœna amiſsionis omnium bonorum, & deportationis in inſulam. Vt habetur, *l. vnica, c. de his, qui ſe deferunt lib. 19. ad finem.*

19 Eſt tamen valdè notandum, quod ſi ſpurius velit, non hæredi, ſed Fiſco reſtituere, lucrabitur dimidium bonorum, vt ait P. Molina, *diſp. 169. §. 7. concluſio. ex l. cum tacitũ, ff. de iure fiſci, lib. 14. titulo 7. part. 6.* vbi ita decernitur. Cuicumque alteri deferenti tertia hæreditatis pars in præmium promittitur, iuxta Gloſſam, vt ait Molina *ſup. n. 7.* quam lucrabitur etiam ipſe hæres, ſi ſe prodat, & pœnam aliam deſuper impoſitam vitabit, vt habetur, *l. vnica citata.*

20 An verò, nulla expectata ſententia, teneatur hæres, reſtituere Fiſco eiuſmodi bona, quæ ex obligatione prætenſæ iuſtitiæ reſtituere filio promiſsit? Non conueniunt D.D. Affirmat Bartholus, & Antonius Gomez apud Molinam; ſed melius ipſe negat *vbi ſupra, n. 10. & ſequentibus.* Quia hæres verum habet eorum dominium, vt contra plures apud Sanchez *dub. 20. n. 4.* docēt plures, quos ſequitur ipſe, *n. 11.* & Vazquez *vbi ſup. n. 107. verſ. dices:* & pœna priuationis illorum non incurritur ante ſententiam iudicis, declaratoriam ſaltem criminis; vt docent communiter Theologi. Filius etiam ſpurius, cùm non a Patre, ſed ab extraneo accipiat, & ad recipiendum ab illo non ſit incapax, ſi iſte ex errore non conferat, verum etiam adquirit bonorum dominium. Vt benè ait Vazquez *ſup.* quia nulla eſt lex, quæ aliud ſtatuat. Ergo quoad vſque in pœnam delicti illo priuetur, vterque poteſt licitè retinere, ſi autem hæres noluerit bona accepta ſpurio conferre, tenebitur ad alimenta, quia res tranſeunt cum ſuo onere, à quo leges non eximunt hæredem, ſicut nec Patrem ſpurij, quantumvis iſtum incapacem hæreditatis effecerint, vt conſtans eſt omnium Theologorum, & Iuriſtarum ſententia. Iam cui ſit applicanda hæreditas, quà in pœnam hæres ſpoliatur per iudicis ſententiam; communis

opi-

opinio tenet, quod ſi ſit Eccleſiaſticus, applicanda Fiſco Eccleſiæ, ſi verò laicus, Fiſco ſæculari: quia cum ſit pœna impoſita delinquẽti, Fiſco ſuæ iuriſdictionis applicari debet; ſic cum pluribus Sanchez ſup. dub. 22.

QVÆSTIO III.

An, qui de ſola reſiſtentia Diuinarum inſpirationum ſe accuſaret, poſſet validè abſolui?

Quæſtio hæc dependet ab illa, an ſit venialis culpa diuinis inſpirationibus non correſpondere? Et quidem ſi diuinæ inſpirationes ſint circa opera conſilij, cœlibatum, aut religionem; non eſſe culpam eas non admittere; eſt ſententia expreſſa D. Thomæ 2. *ſententiar. diſt.* 39. *art.* 3. *ad.* 6. vbi ſic ait. [Quando conſcientia dictat alicui, quod bonum eſt facere aliquod opus conſilij, ſi non facit, non peccat, quia non apprehenditur illud, vt bonum debitum, & præcepto ſubiacens.] Sic Angelicus Doctor, quem in terminis noſtræ quæſtionis ſequuntur Ioannes Sanctius in ſelectis *diſp.* 1. 6. *&* 7. Diana 3. *p. tr.* 4. *reſ.* 52. & tanquam probabilem admittit Reuerendiſsim. P. Leander à Sacramento Ordinis Diſcalceatorum Santiſsimæ Trinitatis Miniſter Generalis meritiſsimus *tom.* 1. *de pœnit. tr.* 5. *diſp.* 1. *q.* 9. & nouiſsimè defendit R. P. Chriſtophorus Delgadillo Regularis Obſeruantiæ S. Franciſci, Lector Complutenſis Iubilatus, & ſuæ Caſtellanæ Prouintiæ Definitor, Electus Epiſcopus Tuicenſis, in ſuo per eleganti opere de pœnitentia *cap.* 17. *dub.* 48. vbi ſic ſcribit: [Denique ad diſcretionem confeſſionis ſpectat, ne pœnitẽs ſe accuſet de illis, quæ non ſunt confeſsionis materia adhuc ſufficiens] & infra [aliqui ſe accuſant de non correſpondẽdo inſpirationibus diuinis, quod tamen fieri non debet. Quia, aut inſpiratio eſt ad implendum præceptum, & tunc illi non correſpondere, nõ eſt peccatum diſtinctum à tranſgreſsione præcepti, ac proinde ſatis eſt, quod explicetur ipſa tranſgreſsio præcepti. Si verò inſpiratio eſt ad implendum conſilium, vt ad ingrediendum Religionem, nullum eſt peccatum, adhuc veniale (quidquid dicat Toletus *lib.* 3. *cap.* 2.) illi non correſpondere, cùm nemo teneatur ad opera Conſilij.] Hæc Delgadillo. Et ante illos P. Vazquez 1. 2. *diſp.* 143. *cap.* 1. ex Andrea de Vega *in Tridentinum lib.* 14. *cap.* 12. Aliàs ducere vxorem, ex eo ſolùm quod ſit cõtra conſilium Apoſtoli. 1. *ad Chor. nc.* 7. eſſet malum, & peccatum veniale, quod tamen apertæ hæreſis conuincitur, ex eodem Apoſtolo ibidem dicente: *Si autem acceperis vxorem, non peccaſti; & ſi nupſerit virgo, non peccauit.* Et lumine naturæ eſt euidens, quia non correſpõdere diuinæ inſpirationi, circa opus bonum non præceptum, eſt idem formaliter, ac omittere opus, quod nullo præcepto fieri mãdatur: hoc autem nullum eſt peccatum, vt ex terminis patet: ergo, qui de ſola reſiſtentia præfatis inſpirationibus ſe accuſaret, non poſſet abſolui ex defectu materiæ. Eſſet enim Sacramentum fruſtrare.

2 Si verò diuinas inſpirationes non ſolùm quis non ſequeretur, ſed vnico voluntatis actu omnes circa conſilia proponeret repellere, earum contemptor haberetur, ac proinde à peccato excuſari non poſſet. Vt optimè obſeruat D. Thomas *de veritate q.* 17. *de conſ. art.* 3 *ad* 11. [Perſuaſio, (inquit) vel inductio ad aliquid negandum, non habet vim coactiuam, &c. Et ex iſto conſilio aliquando conſcientia procedit, ſed cùm conſcientia non liget, niſi ex virtute eius, quod in conſcientia eius habetur, conſcientia, quæ ex cõſilio habetur, non alio modo poteſt obligare, quàm ipſum conſilium, ex quo aliquis obligatur, vt non contemnat, non vt impleat.]

3 Ex dictis conſtat veram non eſſe opinionem S. Alberti Magni *in ſpeciali tractatu ſuper Euangelium [Miſſus eſt.] Serm. de plenit. gratiæ Beatiſsimæ Virginis cap.* 69. *de conf.* vbi docuit Beatiſsimam Virginem, per Sacramentum Pœnitentiæ aliquam gratiam accepiſſe. [Non obſtat (inquit) quod non habuit peccatum; quia dicit Gregorius: Bonarum mentium eſt, culpam agnoſcere, vbi culpa non eſt. Ergo poterat confiteri] *& cap.* 70. [Quæritur ergo, quis fuerit confeſſor?] Reſpondet [cum Beata Virgo eſſet ſpecialiter Beato Ioanni commiſſa, ab ipſo debuit recipere Sacramenta] *& cap.* 37. [triplex inquit eſt confeſsio: accuſatio peccatorũ, recognitio incongruitatis, vel magnitudinis beneficiorum Dei, & confeſsio de infuſsione meritorum. Et hæc fuit propria Beatiſsimæ Virginis confeſsio] *& cap.* 74. [Quid confitebatur Deo? Quod tantam gratiam recepit, quam numquam cum condigno meruit, vel quam omnis creatura mereri potuerit: Hæc & ſimilia fuit confeſſa Beato Ioanni Euangeliſtæ ſuo proprio Confeſſori.] Hactenus Albertus Magnus excellentiſsimus, & Sanctiſsimus vir, Epiſcopus Ratiſponenſis, in illo aureo, & deuotiſsimo opere ſuper Euangelium *Miſſus eſt*, diligentiſsimè emendato, & impreſſo Venetijs per Lazarũ de Soardis *anno* 1504.

4 Hæc tamen ſententia, vt dixi, vera eſſe non poteſt: quia incredibile eſt Beatiſsimam Virginem diuinitus illuſtratam, ſuper omnem puram creaturam, culpam agnouiſſe,

vbi

vbi culpa non erat, & Beatum Ioannem Euãgeliſtam eam Sacramentaliter abſoluiſſe, quam ab omni culpa liberam venerabatur. Inſuper verum non eſt, quod verum Pœnitentiæ Sacramentum interfuerit, vbi nullum peccatum, nulla ſubminiſtrata materia. Nam vt benè tradit Cardinalis de Lugo, & vt indubitatum ſupponit *tom. de pœnit. diſp. 12. ſect. 2. n. 22. & 23.* [ſi aliquis putans ſe commiſiſſe aliquod peccatum, quod reuera non commiſit, confiteatur ſolùm illud cum dolore, & abſoluatur, non fit Sacramentum,] & infrà. [Quando enim aſsignatur pro materia confeſsio, & dolor de peccatis, intelligitur de peccatis veris, nam peccata ficta non ſunt ſimpliciter peccata.] Hæc ille, & Theologi communiter.

5 Qua propter Alberti Magni ſententiã Theologi eiuſdem inſtituti non admittunt. M. Victoria *in ſumm. de pœnit. n.* 104. falſiſſimam vocat: [Materia, inquit, remota ſunt peccata pœnitentis, vnde cum Beatiſsima Virgo nullum prorſus peccatum habuerit, falſiſsimum eſt, quod quidam effingunt, ſcilicet quod confitebatur B. Ioanni Euangeliſtæ.] Cui conſonat M. Sotus *in 4. diſt. 14. q. 1. art. 2. verſ.* [colligo ergo primò] vbi ſic [Quare, cum Beata Virgo certa ſemper fuerit, nullam talem culpam commiſsiſſe, ridiculum eſt, quod dicitur, ſolitam fuiſſe confiteri B. Ioanni Evangeliſtę] ſic ille. Quem eiſdem verbis ſequitur M. Paulus de Blanchis *in diſceptat. caſuum conſcientiæ in littera P. diſp. 2. caſ. 1. fol.* 506. *§. [Ex his omnibus]* R. P. Chriſtophorus Delgadillo Lector Complutenſis Iubilatus, & ſuæ Provintiæ Definitor *tom. de pœnitent. cap. 14. dubit.* 1. ſic ait: [Quare meritò dixit noſter Villalobos *tom. 1. tr. 9. diffic. 4. num.* 12. eſſe fabulam dicere, quod B. Virgo confitebatur cum D. Ioanne. Imò Sotus *in 4. diſt. 1. in fine*, dixit. [Quod ſi Beata Virgo fuiſſet confeſſa, peccaſſet, eo quod ſimpliciter innocens à peccato mortali, & veniali tenetur ſimpliciter non confiteri.] Et non poſſe nunc [ſine temeritate aſſeri] inquit Doctor Garſi *in quæſtionibus Moralib. centuria 1. cap. 34. num. 4. fol.* 170. Quæ potiori ratione militant contra Sylveſtrum in Roſa Aurea ſuper Evangelia, in libro, inquam, ibi incluſo, cuius inſcriptio eſt [*de quæſtionibus impertinentibus*] (inter quas iure ſuo locum hæc ſibi vendicat) *cap.* 55. aſſerens, quod [Beata Virgo confitebatur de venialibus conditionaliter: puta dicendo, ſi in tali opere, vel tali deliquiſſem per incautelam, vel negligentiam, vel alio modo dico meam culpam.]

6 Sed quidquid ſit de imperfectionibus, ſiue materia ſint confeſsionis, ſiue non, dubitandum non eſt, peccata ritè confeſſa, & virtute abſolutionis iam remiſſa, materiam eſſe, quæ nulla ſuper addita, in confeſsione iterum ſub miniſtrari poſsit, vt cum D. Thoma, Ricardo, & alijs, tradit M. Petrus de Ledeſma *in ſum. tr. de pœnitentia cap. 2. dub. 2. poſt 2. concluſio*, & Villalobos *in ſum. tom. 2. tr. 9. diffic. 4. n. 3.* vbi ait. [Eſta doctrina es muy cierta, y conſta de vna extrau. de Benedito XI. y del vſo comun de los Catholicos] & ante illum M. Victoria *in ſum. de confeſſ. n.* 270. dicens: [tenet D. Thomas, D. Bonauentura, Marſilius, Gabriel, Alexander, & omnes, quos mihi contigit videre.] Vnde fit primò: omnino reijciendum M. Ambroſium Catharinum *in annot. in comment Caietani lib. 5. pag. mihi* 458. contrarium nullo fundamento iactantem, dum dixit: [ſiquis ſola peccata iam confeſſa, iterum ſubijceret, ex defectu materiæ Sacramentum fruſtrari, ludibrio exponi, & innaniter iterari.] Quod prorſus falſum eſt, & contra omnes Theologos.

7 Fit ſecundò, licitum eſſe, peccata in alijs iam confeſsionibus remiſſa iterum, atque iterum confiteri, vt tradunt communiter Doctores, contra M. Dominicum de Soto oppoſitum mordicus defendentem *in 4. ſent. diſt. 18. q. 4. art. 3. in fine*, vbi ſic ait.] Hic autem circa iſtas confeſsionum repititiones, peccatorum ſcilicet alias Sacramentaliter remiſſorum, adnotandum eſt, quod non ſunt huiuſmodi confeſsiones pro libito repetendæ: eſſet enim abvſus Sacramenti; iterum, atque iterum eadem peccata abſque cauſa confiteri; & tantus poſſet eſſe abvſus, vt Sacramentum nullum eſſet, & nullam conferret gratiam: imò eſſet Religionis ludibriũ. Sed tunc tantùm eiuſmodi repetitiones ſunt licitæ, quando cauſa grauis interuenit, videlicet, ſi fortè ſe offerat grauis confeſſarius, & doctus, cui homo vult detegere vitam ſuam, vel in mortis articulo, vel in aliquo magno feſto, & Iubilæo, idque non quotannis, ſed rariſsimè.] Hac tenus Sotus, ſed expreſsè contra D. Thomam *in 4 diſt. 17. q. 3. art. 3. in fine*, vbi ait: [Quantò pluribus Sacerdotibus confitetur quis, tantò plus de pœna ei remittitur; tùm ex erubeſcentia confeſsionis, tùm ex vi clavium. Vnde toties poſſet aliquis confiteri, quod ab omni pœna liberaretur; nec iteratio iniuriam facit Sacramento] & art. 5. ad ſecundã quæſtionem [& ideò quantò aliquis pluries de eiſdem peccatis confitetur, tantò magis pœna diminuitur] & iterum *opuſc. 6. §. Quinta petitio.* Vbi ſic: [Quando ergo confiteris, Sacerdos abſoluit te de hac pœna, in virtute clauium. Vnde quando ſemel confitetur quis, dimittitur aliquid de pœna huiuſmodi, & ſimiliter, quando iterum confitetur; &

poſſet toties confiteri, quod rota ſibi dimitteretur] ſic Angelicus Doctor. Cuius ſententiam amplectitur Scotus *in 4. diſt. 19. q. 1.* ad argumenta dicens: [Quid ergo melius, quam ſemper confiteri, quouſque poſt centeſsimã, vel milleſsimam confeſsionem, eſſent tota pœna remiſſa debita quibuſcumque peccatis omiſsis.] Hęc cum D. Thoma Scotus. Quos ſequuntur diſcipuli. Et ex D. Auguſtino tradit D. Antoninus 3. p. tit. 14. §. 4 Navarrus *in ſum. cap. 21. n. 42.* Caietanus, Ledeſma, & alij, quos citatos ſequitur Ioannes Santius *in ſelectis, diſp. 31. n. 8.* & Coriolanus *de caſibus reſeruatis, p. 1. ſect. 3. quinta conditione*, dicens, eſſe laudabile conſilium [iuxtà illud D. Auguſtini. *Quanto plures confitebitur turpitudinem criminis, tantò faciliùs inveniet gratiam remiſsionis*] Qua propter M. Canus *in Relect. de pænit. fol. 4. §. Hæc tamen argumenta*, ait, [Quocirca ſemper oporteret, homines eſſe ſolicitos de eadem confeſsione iterum, atque iterum repetenda] ſic loquuntur Theologi contra M. Dominicum de Soto.

8 An verò ad ſingulas confeſsiones requiratur nouus actus doloris: Recole, quæ *dixi p. 1. ſelectarum, tr. 3. diſp. 5. q. 8.* vbi partem negatiuam defendi. An ad effectum huius Sacramenti requiratur vera contritio, an ſufficiat attritio? diſputaui vbi ſupra *q. 1.* vbi attritionem ſufficere efficaciter probaui, pluresque Doctores adduxi contrariam opinionem cenſurantes, quos ſequuti ſunt R. P. Antonius de la Parra *tom. de Sacramentis, tr. 2. diſp. 3. q. 2. art. 1.* & M. Araujo *in deciſsionibus Moral. diſp. 9. de ſtatu ciuili aſſert. 3. n. 21.* Cæterum poſt quæſtionem iſtam à me typis datam ad manus peruenit Decretum Sanctiſsimi Alexandri VII. editum 5. die Maij *anno* 1667. in quo in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Sedi Apoſtolicæ reſeruatæ, prohibetur, *Alicuius Theologiæ cenſura, vel iniuria, aut contumeliæ nota taxare alterutram ſententiam, ſiue negãtem neceſsitatem aliqualem dilectionis. Dei in attritione ex metu ghennæ concepta; ſiue aſſerentem dictæ dilectionis neceſsitatem, donec à Sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum.* Cui omnino ſtandum eſt.

DISPVTATIO III.

De ſigillo confeſsionis.

QVÆSTIO I.

Vtrùm licitum ſit in Sacramento Pœnitentiæ interrogare pœnitentem de complice, in ordine ad huius correctionem, & obtenta pœnitentis licentia, illum corrigere?

1 SI Pœnitens non rogatus complicem ſui peccati confeſſario manifeſtare poſsit, non eſt dubium interrogatum poſſe: ideò huius quæſtionis lucem præire, & quid Doctores ſenſerint, præmittere oportet. Non eſſe culpam grauem, reuelare in cõfeſsione, abſque vlla neceſsitate, complicem peccati, tenet Caietanus *2. 2. q. 73. art. 2. in editione Romana anno* 1570. ibi: Nota detractionem per accidens poſſe eſſe mortale, ſi notabiliter læditur fama proximi Sed aduerte, quod non læditur fama proximi, ſaltem notabiliter, ex hoc quod narratur ſecreto crimen eius tali perſonæ, apud quam perinde erit, ac ſi non eſſet dictum; vt contingit in colloquijs inter virum, & vxorem de criminibus filiorum. Et in confeſsionibus eorum, qui confitentes peccata propria dicunt imprudenter confeſſori, in quo confidunt, perſonam, cùm qua grauiſsime peccauerunt, & ſimilibus: ex his enim, aut non læditur fama proximi, vel parum læditur.]Hæc Caietanus. Cuius ſententiam dicit eſſe probabilem M. Ioannes de la Cruz *1. p. direct. art. 2. de detractione dub. 3. concluſ. 1.* [ex mente, inquit, Caietani non erit peccatum mortale, reuelare crimen alterius occultum viro graui & timorato, &c. Et ſic excuſat eos, qui in confeſsionibus incautè reuelant complicem ſuorum peccatorum. Hæc ſententia, & ſi ob tantùm Doctorem probabilis ſit, &c.] cui conſonat M. Serra *2. 2. q. 73. art. 2. dub. 1.* dicens: [probabilem exiſtimo ſententiam Caietani cum Diana, & alijs, quos refert *2 p. tr. 3. miſcellan. reſ. 22. & 3. p. tr. 5. miſcellan. reſ. 33.* Et eam tradit M. Zauardus *in direct. 1 2. de narrantibus aliorum peccata cap. 47.* [quarto, inquit, quæritur. An ſecreto dicere aliquibus, duobus, tribus, vel pluribus prudentibus, & tacituris, qui nullo modo reuelabunt delictum tibi notificatum, neque parati ſunt ad ei nocendum, ſed proficiendum, cùm occaſio præſens fuerit., ſit mortale? & Reſpondet: [Non eſt mortale; quia nullum ſupponimus inferre damnum notabile, & tantò magis non erit peccatum ſaltem mortale, ſi ad accipiendum conſilium reueletur delictum ſocij, & minus ſi fiat id in confeſſione, licèt id non expediat.]

2 Ex quibus R. P. Leander à Sacramento *tom. 1. de pænitentia tr. 5. diſp. 5. q. 64.* ſic ait: [an peccaret mortaliter pœnitens, qui in confeſsione manifeſtaret complicem ſui delicti, etiam ſine rationabili cauſa? Negant peccare mortaliter omnes Doctores, qui negant eſſe mortale, manifeſtare crimen, etiam ſine cauſa, vni, vel duobus viris prudentibus, qui ſecretò retinebunt, & expreſsè in facti contingentia Diana *2. p. tr. 17. reſ. 22. & 3. p. tr. 5. reſ. 33.*] Hæc Leander Doctores autem, qui negant id eſſe mortale referr M. Ioannes Martinez de Prado *tom. 2. Theolog.*

Digitized by Google

*Moral.cap.*25 *q.*2.*§.*2. vbi adducit Caietanum, Nauarrum, Cordubam, Petrum de Nauarra Dianam, Graſſium, Ioannem de la Cruz, Baſſæum, Zambellum, Zeleſtinum, Bonacinam, & Truilench: quorum alij ſequuntur, alij probabilem eſſe dicunt. Quibus adde Reginaldum, & Gaſparem Hurtado eam amplectentes apud Dianam *tr.*17.*citato reſ.*22. *in fine.* En quando imprudenter, & incaute reuelat pœnitens in confeſsione complicem peccati; venialem tãtùm culpam agnoſcunt doctiſsimi viri ſupra citati, qui conſequenter à læthali excuſabunt confeſſarium abſque vlla neceſsitate de complice interrogantem.

3 Sed quid ſi occurrat neceſsitas reuelandi? Ab omni culpa liberat M. Serra ſupra: vbi ſic ſcribit: [vt colligitur ex D. Thoma hic, reuelare peccatum occultum alterius, propter bonum eius, vel Reipublicæ, vel tertiæ perſonæ, aut propter aliquod aliud bonum neceſſarium debitis circunſtantijs obſeruatis, non eſt peccatum, aut detractio.] Et clarius M. Ioannes Martinez de Pradò vbi ſupra [aſſerendum inquit, eſt, quod qui abſque vlla neceſsitate, graue crimen occultum vni ſoli manifeſtat, ex genere ſuo peccat mortaliter: quamvis cum cauſa manifeſtarè, nec leue peccatum ſit. Hæc ſecunda pars iam eſt probata, & eſt certa.] Cui facit doctrina, quam cum alijs tradit M. Corradus 2. *p. Reſp.q.*175. [circunſtantiam, inquit, complicis prodere apud confeſſarium, non obfuturum, non eſt propriè infamare complicem, quia infamia, ex communi opinione, eſt ſiniſtra de aliquo divulgata apud multos opinio. Hæc reuelatio autem, quæ vni tantùm fit cœlaturo, non eſt propriè infamia, quod ſi aliqualis iactura eſt famæ, illa modica eſt, & quam tenetur complex pati, propter ſalutem animæ proximi.] Quare ergo, & propter ſui ſalutem non tenebitur? Et eſt iuxta mentem Soti *in* 4. *diſtinr.* 18.*q.*2.*art.*5.*§.* (*ſunt quidam*) *in fine*, vbi ait: [confeſſarius eodem confeſsionis ſigillo tenetur celerare culpas aliarum perſonarum, ob idque illud non eſt alios infamare.]

4 Propter hæc, licitum eſſe in Sacramento Pœnitentiæ interrogare pœnitentem de complice ex fine correctionis, & obtenta pœnitentis licentia illum corrigere, in proprijs terminis defendunt communiter ſapientiſsimi Patres Dominicani. Agmen regat M. Ioannes de Friburgo, *in ſum.confeſ. lib.*3.*tit.*34.*q.*87. [Quæro etiam vtrùm liceat aliquando Sacerdoti, inquirere à pœnitente ſpecificationem perſonæ, cùm qua peccauit? Reſpondetur ſecundum Raymundum §. 31. *&c. in Gloſſa* ſupra verbum [non debet.] Pœnitens non tenetur, ſi tamen exprimat eam bona intentione pœnitentiario, qui eſt perſona, qui debet prodeſſe, & non obeſſe, non vt prodat ipſum peccatorem, ſed vt pœnitentiarius oret pro eo, aut ſecretè laboret ad correctionem eius, non peccat, ſed potiùs meretur: *arg.*32.*q.*5. ſimiliter, ſi pœnitentiarius inquirat de illa perſona bona fide, vt oret pro ea, aut corrigat eam in occulto, non credo, quod peccet, dum tamen confitentem nullo modo cogat ad nominandum illam perſonam, aut eius expreſsionem extorqueat abinuito.]

5 D. Antoninus 3.*p.tit.*14.*cap.*19.*§.*11. cum Paludano [ſi exprimat cùm bona intentione, non vt prodat, ſed vt pœnitentiarius oret pro ea, vel eam ſecreta admonitione corrigat, non peccat, ſed meretur. Similiter confeſſor ſecundùm Raymundum, &c. ſi interroget, non ex curioſitate, ſed ex charitate, vt provideat; puta, quia Prælatus: non credo, quod malefaciat, non tamen debet cogere, vel moleſtare illum ad dicendum, ſi non vult.]

6 M. Tabiena *in ſum. verb. circunſtantia n.*11. [interrogare de huiuſmodi circunſtantijs bono fine, vt ſcilicet poſsit prodeſſe, non eſt malum. Et idem dic de eo, qui confitetur, vt poſsit prodeſſe, vel vt Sacerdos oret pro eo, vel corrigat. Similiter dicendum de interrogante, non ex curioſitate, ſed ex charitate, vt prouideat, ſicut Prælatus non malè facit, ſecundùm Raymundum: non tamen debet cogere, vel moleſtare illum ad dicendum, quando non eſt neceſſariũ, & ille non vult dicere.]

7 M. Capreolus *in* 4.*diſt.*21.*q.*2.*art.*3. *ad* 8. [aut accuſans in confeſsione tertiam perſonam, dat confeſſori licentiam illud reuelandi, aut non? Si ſic; tunc idem eſt, ac ſi confeſſor ſciret, vt homo, & eodem modo poteſt procedere circa perſonam accuſatam, ſicut in correctione fraterna. Si non: tunc confeſſor non tenetur aliquo modo corrigere, neque aliud medium adhibere.]

8 M. Soncinas *in* 4.*diſtint.*21.*q.*2. *Concluſ.*2.*ad.*3. [habita licentia à confeſſore poteſt fieri correctio, non habita, non tenetur confeſſor corrigere.]

9 Margarita Confeſſorum *verb. confeſſio lachrymabilis in fine.* [Non peccat ſed meretur confeſſor, ſicut & ipſe pœnitens reuelans, ſi interroget perſonam, non ex curioſitate, vt prodat, ſed vt proſit, pro ea orando, vel fraternè corrigendo, & ſecretè monendo de licentia pœnitentis, & non aliter.]

10 Sylveſter *verb. confeſſ.*1.*n.* 28.*q.*24. [Si tamen peccator exprimat eam intentione bona, non vt prodat, ſed vt proſit, vel vt ſacerdos pro ea oret, vel eam ſecreto emendet, non peccat, ſed meretur 22.*quæſ.hoc videtur.*

Digitized by Google

detur. Et concordat Gloſſa Raymũdi, *in ſum. Confeſſ. lib.3.tit.33.* ſed tamen debet dicere extra confeſsionem; vel dare licentiam loquendi, ſi intendat correctionem. Similiter ſecundum D. Antoninum non peccat confeſſor, ſi hac intentione, & non ex curioſitate, interroget, & idem Monaldus.]

11 M. Dominicus de Soto *in 4. diſtinct. 18. q.4. art.6.* contra nonnullos ſupradictâ, aut ſimilem ſententiam limitâtes. [Sed diſcrimen, inquit, eſt, quod illi dicunt, neceſſe eſſe, vt pœnitens iterum extra confeſsionem narret peccatum ipſum, cuius revelandi facultatem vult facere Sacerdoti. At verò hæc eſt vna ceremonia Metaphiſica nil ad rem moralem pertinens, &c. Inter confitendum poteſt eandem dare licentiam.]

12 Quibus conſonat M. Petrus de Soto *de inſt. Sacerdot. de ſecreto confeſsionis, lect. 11. §. Tertiò ſunt.* [De licentia confitentis manifeſtari poteſt, quidquid in confeſsione auditũ eſt, nec opus eſt, id ſcrupuloſiùs tractari, quàm, vt ille facultatem concedat. Dixerunt quidam opus eſſe, vt extra confeſsionem iterum revelet, ſed vanum eſt.]

§. I.

Iudicium Authoris.

13 Horum Doctorũ ſententia mihi placet cũ limitationibus, quas adhibet Fagundez *in quinque præcepta Eccleſiæ lib.5. cap.2. n.2 & 11.* Liceì enim per ſe loquendo, & ſecluſo ſcandalo, ad praxim poſsit, tuta conſcientia, deduci; eam tamen non conſulendam cenſeo, niſi alius non ſit; qui complicis correctionem congruè queat efficere.

14 Vnde pœnitens priùs monendus eſt, vt ipſe complicem fraternè corrigat, ſi ſpem emendationis concipiat, & abſque ſui detrimento præſtare poſsit. Si autem nolit, aut ſe ipſo non poſsit, aut fructus ſpem nõ habuerit, exhortandus eſt, vt virum aliquem probum quærat, qui corrigat, vel extra cõfeſsionem id aperiat, vt docuerunt M. Bañez, Lopez, & Turrecremata, vt refert Fagũdez *ſup. n.5.* (quamvis hanc eſſe metaphiſicam ceremoniam ad rem moralem nil pertinentẽ dixerit M. Dominicus de Soto, & vanum id eſſe ſcripſerit, alter Soto locis ſuprà citatis) immo interdum exhortandus eſt pœnitens à Confeſſario, vt ipſi in ſcriptis licentiã conferat: vt vel ſic omnis præcluatur anſa exiſtimandi confeſſarium frangere confeſsionis ſygillum: cuius quælibet, vel leviſsima, occaſio removeri debet, ne confeſsio reddatur odioſa. Et vt benè admonet Fagundez ſuprà *n.6.* [raro confeſſarius per ſe ipſum ferat opem, niſi in defectu alterius, qui id commodè, vt decet, facere poſsit. Nec ſe ſtatim inviter ad eam monitionem faciendam. Imò ſi pœnitens id ab eo petat, iubeat, vt ipſe potiùs complicem corripiat, nam licèt hoc licitè fieri poſsit per ipſum confeſſariũ, ſæpe non expedit, vt optimè monet Henriquez. Quam ob rem cauendum eſt, ne petatur, vt detur hæc licentia ſine cauſa vrgentiſsimæ, & in negotio etiam grauiſsimo.] Hactenus Pater Fagundez omnino obſeruanda.

15 Nec hunc dicendi modum ſola reverentia ſygillo confeſsionis debita nos defendere cogit, ſed famæ etiam proximi cõſulẽdi grauis obligatio. Vnde pœnitẽs, qui abſque neceſsitate revelaret in confeſsione cõplicem peccati grauiter contra iuſtitiam delinqueret, & conſequenter confeſſarius, qui ad hoc cooperaretur. Quamvis enim contingere poſsit detrimentũ leue eſſe vni, vel alteri tacituris; et tamen proximi occultum pandere; periculo tamẽ ſe cõmittit, qui reuelat, cum ex qualitate perſonæ, & delicti; id penſari debeat, & quandoque mallet quis apud plures, quã apud vnum infamari. Quapropter, ex ſuo genere, peccatũ eſſe mortale manifeſtare graue crimen occultum viro prudenti tacituro; iure docent P. Molina *de iuſt. tr.4. diſp.29. n.7.* P. Suarez *tom.4. in 3. p. diſp. 34. ſect.1. n.2.* P. Læſius *lib.2. cap.11. dub.11. n.70.* Salonius, Bañez, Bonacina, Malderus, Vega, Azor, & alij communiter, quos citatos ſequitur Diana *p. 2. tr.3. Miſcellan. reſ. 22.* Item Azor, Filliucius, Layman, Valentia, & alij, quibus conſentit P. Mendo *in ſtatera diſſertat.10. q.5. n.111.* Probatur, quia iudicium temerarium, & falſum teſtimoniũ; & ſi apud vnum tantùm famam denigrent, graue peccatum, ratione huius detrimenti; ab omnibus Theologis cenſetur; ergo & detractio: quia vt ait Ioannes Sanchez *in ſelectis, diſp.5. n.10.* eiuſdem ſpeciei eſt lædere famam per detractionem, ac per iudicium temerarium: quod tradit etiam Tamburinus *in Methodo expeditæ confeſsionis, libr. 2. c.9. §.1. n.5.* Et Antoninus Diana *5. p. tr. 14. reſ. 56.* aſſerit conſequenter ad ſuperius dicta, eiuſdem ſpeciei eſſe infamare aliquem dicendo falſum, ac verum occultum, & ideò non eſſe obligationem explicandi in confeſſione modum.

16 Hoc fundamentum tanti apud graues Doctores ponderis eſt, vt ad vitandam complicis infamiam apud confeſſarium; conſtanter aſſerant, poſſe, & debere dimidiari confeſsionem, omittendo circunſtantiã mutantẽ ſpeciẽ, ſi ex eius manifeſtatione in cõplicis notitiã confeſſarius devenire poſſet. Ita Navarr. Victoria, Luis Lopez, Bañez, Ledeſma, Fumus, Angelus, Medina, Sotus, &

plutes alij apud Suarez *tom. 4. in 3. p. diſp. 34. ſect. 2. num. 2.* & apud Fagũdez *2. præcep. Eccleſiæ lib. 5. cap. 1. n. 8.* quos ſequuntur Valentia *tom. 4. diſp. 7. quæſt. 11. punct. 1.* & alijs; quibus citatis acceſsit Diana *1. p. tr. 7. reſ. 49. & 3. p. tr. 4. reſ. 64.* Quorum aliqui ea tenacitate id defendunt, vt nec in articulo mortis prædictam circunſtantiam aperiendã tuentur, ſic Bañez, Medina, Sotus, Vivaldus, & alij apud Fagundez ſupra: & ſaltem ſi pœnitens, abſque graui ſui incõmodo, alij Sacerdoti poſsit confiteri, qui non deveniet in notitiam complicis, ad id ſub mortali teneri, videtur certũ. Ita Suarez ſupra *ſect. 2.* vbi ait omnes in hoc convenire. Vazquez *tom. 4. in 3. part. q. 91. art. 1. dub. 3. n 1* & Lugo tom. *de pœnitentia diſp. 16. n. 392.* quos ſequitur Leander à Sacramento *tom. 2. diſp. 5. de pœnit. q 62.* Ratio eſt, quia ſaltem ex charitate tenetur quiſque proximi famæ proſpicere, quando abſque graui ſui incõmodo poteſt; imò & cõtra iuſtitiam peccaturum, benè cũ Vazquez, & Suarez *vbi ſupra* denfendit Lugo *n. 415.* Eſt enim detractio formalis, delictum proximi occultum, abſque rationabili cauſa, manifeſtare. Vnde fit non eſſe verã opinionem eorum, qui etiam extra confeſsionẽ reuelantem peccatum vni, vel duobus prudentibus tacituris à læthali excuſarunt. Hoc enim probari nõ poteſt, niſi ex manifeſtatione delicti, nulla, vel leuiſsima infamia proximo immineat, vtpotè qui iam aliunde infamatus eſt, vel quia crimine infectus talem cenſeri non recuſet, vt nonnullis perditis hominibus quandoque cõtingit: ſecus minimè, quia facilè quiſque ſibi ſuadebit licere vni, vel duobus crimen ſub ſecreto ſibi reuelatũ manifeſtare, vnde breui tota communitas, vel ciuitas in delinquentis notitiam deveniet; vt non ſemel evenit.

QVÆSTIO II.

Vtrùm confeſſarius poſsit pœnitentem obligare, vt ſibi complicem reuelet, & aliter abſolutionem denegare, ſi ad graue damnum vitandum, id neceſſarium iudicet?

1 PArtem affirmatiuam videtur tenere doctiſsimus M. Soto *in 4. diſt. 18 q. 4. art. 5. ante ſolutionem tertij*: vbi ſic ait: [Quando verò Sacerdos per confeſsiõnẽ intelligit, obviandum eſſe alicui damno Reipublicæ, cuius pœnitens non eſt in cauſa, debet Sacerdos admonere, vt ipſe remediũ, ſi poteſt, adhibeat, quod ſi renuerit facere, non eſt abſolvendus;] ſupponit autem caſus nõ poſſe aliter obviari, quã per confeſſarium, facta ei revelatione cõplicis: vnde dum idem Sotus vbi ſupra. *§. hinc fit*, ſcripſit [Sacerdos admoneat vrgentiſsimè pœnitentem, vt revelet, quod ſi obtineri non poterit, non abſolvat;] non eſt cur non poſsit ad hunc modum reuelandi neſandiſsimam hæreſim, aut coniurationem in Rempublicam vrgẽtiſsimè admonere, & nolentem non abſolvere.

2 Expreſsiùs pro hac ſententia militat M. Dominicus Bañez *2. 2. q. 33. art. 8. poſt tractatum de correctione*, vbi ſic ait: [Quod ſi per ſe ipſum pœnitens non poteſt, vel neſcit procedere ad prædictam actionem, debet extra confeſsionem palam facere delinquẽtem (attende) vel confeſſori, vel alteri, qui poſsit, & ſciat corrigere, vel denuntiare, vel communi bono providere & infra: [Erit licitũ in aliquo raro caſu, vt Sacerdos inquirat à pœnitente id, quod ipſe tenetur facere, vt tertiæ perſonæ delinquentis aperiat delictum ſibi extra confeſsionem Sacramentalem; quando ipſe pœnitens per ſe ipſum, neque per aliam tertiam perſonã poteſt ad correctionem procedere, vel denuntiationẽ, aut boni communis conſeruationem.] Hactenus M. Bañez, quem ſequutus eſt Cardin. de Lugo ſuprà citatus: vbi eandem ſententiam his verbis tuetur. [Non repugnat dari caſum, in quo confeſſarius poſsit pœnitentem obligare ad manifeſtandum ſibi cõplicis nomen; non quidem quaſi confeſſarius eam obligationem imponat, ſed quia pœnitens, re vera, illam habeat, & cõfeſſarius, qui ex eius confeſsione id cognoſcit, admonet illum de obligatione, cui ſi non vult ſatisfacere, iam meritò ei abſolutionem negat, quem non invenit ad abſolutionẽ diſpoſitũ. Porrò poſſe illũ caſum contingere, cõſtat apertè; quia poteſt confeſſarius videre, ex occultatione cõplicis, grauiſsima dãna imminere; ad quæ impedienda pœnitens omnino tenetur. Ruſus videt, pœnitentem ſe ipſo immediatè id non poſſe exequi, neque habere aliũ præter ipſum confeſſariũ: quo caſu certum eſt teneri pœnitentẽ ad illud mediũ vnicũ eligẽdũ, quod ſi eligere nolit, iam non eſt aptus ad abſolutionẽ recipiendã.] Hactenus Lugo, ſciẽtia, & purpura eminentiſsimus, quem cum alijs ſequitur Leander à Sacram. *tom. de pœnit. tr. 5. diſp. 5. q. 65.* dicens: [In his ergo, & ſimilibus caſibus, poterit confeſſarius obligare pœnitentẽ vt revelet complicẽ, & renuẽti denegare abſolutionẽ. Ita Doctores; Ferdinãdus Guerrero Archiepiſcopus Granatenſis, Sotus *in 4. diſt. 18. q. 4. art. 9.* & alij.] Quos ſequitur P. Coninch *de Sacram. diſp. 9. dub. 1. n. 14.* Addit Fr. Franciſcus à Ieſu Maria Carmelita Excalceatus *in curſu Theolog. moral. tr. 6. de Sacram. pœnitentiæ c. 14. p. 1. n. 8.* pœnitenti etiam propriũ peccatum renuenti aperire ad impediendũ graue damnũ innocẽtis [ſi nec ipſe pœnitens revelare velit, nec in reuelationẽ per confeſſarium faciendã conſentire] abſolutionem denegandam.

3 Quid

3 Quid ſi pœnitens offerat ſe complicē correcturum? aut per alium dare notitiam complicis, vt damnum impediatur? Reſpondet Cardin. de Lugo vbi ſuprà. [Addo poſſe contingere, vt licèt pœnitens dicat, ſe velle per ſe ipſum immediatè, vel per alium dare notitiam complicis ad impediēda mala, iuxta ſuam obligationem; adhuc confeſſarius poſsit differre abſolutionem, donec de facto ſuæ obligationi ſatisfecerit, &c. quādo prudenter timeret pœnitentem non ſatisfacturū poſtea ſuæ obligationi.] Hæc Lugo, & ante illum M. Bañez *loco ſuprà citato, concluſ.* 3. vbi ſic ait: [pœnitens neque poteſt, neque debet abſolvi, quando ipſe tenetur aliàs ad denuntiationem, vel bono communi providere; niſi proponat ſe ita facturum, aut niſi ita priùs fecerit, (attende) ſi confeſſarius prudēter ſuſpicatur, quod non faciet.] Quos ſequitur R.P. Leander a Sacram. *vbi ſuprà*, & Doctor Garſi *in qq. moralibus, centuria* 1. *cap.* 20. *num.* 12. & Diana *p.* 5. *tract.* 11. *reſol.* 33. *&* *p.* 6. *tract.* 7. *Miſcel. reſ.* 2. per hæc verba. [Hanc doctrinam, antequam typis excuderet P. Lugo, ego mordicus tenui, & conſului.] Et paulò antea: [addunt aliqui, quod debet cogere pœnitentem, vt afferat ſibi teſtimonium denuntiationis, vel manifeſtationis factæ. Ita Bartholomæus de Medina 2. *p. ſum. cap.* 4. §. 1. hoc tamen videtur nimium.] Hæc Diana, cum Doctoribus citatis, quorum opinio mihi ſemper arriſit, quia eorum fundamentum ſolidum eſt, ad compellendum pœnitentem manifeſtare complicem, ſive extra confeſsionem, ſive intra, concedendo facultatem corrigendi proximum, & ad differendam abſolutionem, quando aliter de propoſito corrigendi adimplendo, prudenter dubitatur. Sed quod addit Medina, non approbo, quia ſicut confeſſarius tenetur credere pœnitenti aſſerenti reſtituiſſe ablatum, etiam ſi teſtimonium non adducat, ita & non afferenti denūciationis teſtimonium. Pœnitenti enim pro ſe, & contra ſe credendum eſt, vt tradunt communiter Theologi cum D. Thoma *in* 4. *diſt.* 17. *q.* 3. *quæſtiuncula* 5. *ad ſecundum, &* *quodlibet.* 1. *art.* 12. cuius rationem reddit Sanchez *lib. de Matrim. diſp.* 4. *num.* 2. [quia nemo, inquit, ita ſalutis ſuæ immemor præſumitur, vt quærens Deo reconciliari, in interno foro falſum deponat; & ita fatentur omnes, & Covarr. multos referens.]

§. Vnicus.

Animadverſio in Baronium.

4 DEdi *num.* 1. *&* 2. fideliter excerpta ſapientiſsimorum Thomiſtarū verba, Magiſtri Bañez, & Dominici de Soto aſſerentium, confeſſarium poſſe pœnitentem cōpellere, vt ſibi complicem reuelet, ſi neceſſarium hoc ſit ad graue damnum Religionis, vel Reipublicæ vitandum; nam cum aliud remediū non ſuppetat, ſi hoc aſſumere renuat, non eſt abſolutionis capax, ſed mirabile dictu; cum non poſſet inficiari Baronius M. Bañez verba, quæ apud me prælegerat, illius non meminit, ſed incredibili auſu 2. *p. Manud. diſp.* 2. *ſect.* 3. *de pænit. fol.* 243. in hæc prorupit: [Hoc tamen ad minus aſſerimus, quod Lugo aliquem neceſsitatis articulum admittat, quo poſsit confeſſarius cogere pœnitentem ad manifeſtandum ſibi complicis nomen, & meritò abſolutionem denegare; quod ex illa contumacia non iudicet abſolutione dignum: ſed nullus Thomiſtarum hoc conceſſurus eſt, quia volunt rem nulla vi, ſolo pœnitentis arbitrio peragi.] Et his non contentus, ſubnectit, [& malè citatur Soto, ille enim *in* 4. *diſt.* 18. *q.* 4. *artic.* 6. *&c.* id non tradit.] Do lubens in hoc loco id non tradere, ſed homo non advertit a me non citari pro hac parte Sotum *art.* 6. ſed 5. Recolat hunc, quæſo, & inveniet verba, quæ fideliter excripſi, quæ cum nec Baronius ipſe negare auſus fuerit, neſcio cur Sotum malè citatum calumnietur.

5 Ex dictis evidenter contra Baronium conſtat, iuxta mentem præclariſsimorum Thomiſtarum, quos ſequutus eſt Cardinalis de Lugo, aliquem neceſsitatis articulum admittendum, quo poſsit confeſſarius cogere pœnitentem ad manifeſtandum ſibi complicis nomen, & renuenti abſolutionem denegare. Nequibit verò illum cogere, vt extra confeſsionem ipſi reuelet, ſi intra ſufficiat, quia ſic pœnitens ſuæ obligationi plene ſatisfacit: ſicut neque vt ipſi confeſſario manifeſtet, ſi per ſe, vel per alium offerat proximum corrigere, & damna præcauere. Solum enim relinquitur confeſſario ius, vt pœnitentem compellat ad ſuæ obligationis adimpletionem.

6 Adde, poſſe etiam in aliquo caſu abſolutionem differre, licèt pœnitens offerat ſe complicem correcturum, aut per alium dare notitiam complicis, vt damnum impediatur: poterit, inquam, differre, donec ſuæ obligationi ſatisfecerit, vt proponenti reſtituere, vel relinquere occaſionē proximā peccandi, quando prudenter dilatio abſolutionis iudicatur neceſſaria, vt propoſitum

Digitized by Google

non mutetur. Ita M. Bañez *ſuprà concl.* 3. vbi ſic ait: [Pœnitens neque poteſt, neque debet abſolvi, quando ipſe tenetur alias ad denuntiationem, vel bono communi providere, niſi proponat, ſe ita facturum, aut niſi ita priùs fecerit, ſi confeſſarius prudenter ſuſpicatur, quod non faciet.] ſic ille ex M. Bartholomæo de Medina *in ſum. 2. p. cap.* 4. *§.* 1. *fol.* 269. ibi: [Hale de mandar el Confeſſor, que vaya luego à denunciar de ſus compañeros al Iuez, ò Inquiſidores, y les deſcubra lo que ay, y le traiga recaudo, como lo ha hecho aſsi; y donde no, que no le pueda abſolver.] Quibus ſubſcripſit Cardinalis de Lugo de pœnit. *diſp.* 16. *ſect.* 8 *num.* 434. verbis ſupra datis, [quando confeſſarius prudenter timeret non ſatisfacturum poſtea ſuæ obligationi;] ſecus aliter.

QVÆSTIO III.

Vtrùm confeſſarius, qui pœnitentem in Sacramentali confeſſione ad Prælaturam, vel officium novit indignum, poſsit in electione gratuita, illi ſuffragium negare, vel ab officio ad nutum amobili amouere?

1 SI fieri id non poſsit, abſque periculo ſuſpicionis peccati ab alijs concipiendæ, certiſsimum eſt, nō licere, quia ex nulla cauſa licèt ſigillum confeſsionis frangere; & contraria ſententia eſt erronea, vt inquit Vazquez *tom.* 4. *in* 3. *p. q.* 93. *art.* 4. *dub* 8. quia ſecretum confeſsionis longè maioris momenti eſt, quam adhibere remedium malo, quod ex electione indigni ad officium, vel ex eius conſeruatione ſubſequi poteſt.

2 Difficultas igitur ſolùm eſt, an quando non eſt generanda ſuſpicio, quod, propter peccatum ex ſola confeſsione notū, negatur illi ſuffragiū in electione gratuita, vel ab officio ad nutū amouibili amouetur, poſsit cōfeſſarius ſuffragium illi denegare, vel ab officio remouere? Partem affirmatiuam ſuſtinent communiter Doctores apud Sanchez *de Matrimonio, lib.* 3. *diſp.* 16. *n.* 2 & eſt expreſſa D. Thomæ *quodlib.* 5. *q.* 6. *art.* 13. vbi ſic ait: [ſi per amotionem ab adminiſtratione, peccatū nullatenus manifeſtetur, puta, ſi in aliquo Monaſterio eſſet conſuetum, quod Abbas pro ſuo libito ab adminiſtratione removeret; tūc alia occaſione accepta, poſſet ſubditum ſibi cōfeſſum ab adminiſtratione remouere.] & *in* 4. *diſt* 21. *q.* 3. *art.* 1. *q.* 1. *ad tertiū*: [Poteſt ex aliqua alia occaſione abſoluere à cura Prioratus, ita tamen, quod omnis ſuſpicio vitetur de cōfeſsionis reuelatione.] D. Thomā ſequuntur ferè omnes diſcipuli, Sotus *de ſecreto, q.* 4. *poſt* 4. *concluſionem* Paludanus *diſt.* 21. *q.* 3. Nugnus Cavecudo *q.* 11. *art.* 1. *ad* 7. *fol.* 537. Petrus de Ledeſma *in ſum. cap.* 22. *dub.* 3. *poſt* 5. *concluſ*, Capreolus, Deza, D. Antoninus, Medina, Martin de Ledeſma, Sylveſter, & Tabiena apud Thomā Hurtado *tom.* 2. *tr.* 6. *cap.* 11. *reſ.* 32. *§.* 1. *n.* 149. & *tr.* 12 *c.* 1. *n.* 1369. & plures alij, quos refert Sanchez *lib.* 3. *de Matrim. diſp.* 16. *n.* 2. vbi quadraginta ferè recenſet, quos ſequuntur Nauarrus, Portel, Gutierrez, & Celeſtinus apud Dianā 3. *p. tr.* 4. *reſ.* 76. Frias, Peſſantius, Graſſius, Ludovicus de S. Iuan, & alij, quibus citatis, probabilē putat Leand. à Sacr. *tom.* 1. *de pœnit. tr.* 5. *diſp.* 10. *q.* 84. & cū alijs ſequitur M. Corradus 1. *p.* 335. vbi ſic ait [in gratuitis, vbi habet liberam poteſtatem, poteſt eum privare; & non admittere: & ita dicendū de omnibus, qui habent officium ad nutum amobile. Hæc diximus tenenda eſſe, quia aſſertio eſt D. Thomæ, aliorumque Doctorum, eum ſequentium.] Eandem tenent Durādus, Turrecremata, D. Bonaventura, Scotus, & cōmuniter Scotiſtæ apud Sanchez ſuprà. Quos ſequutus eſt P. Vazquez *tom.* 4. *in* 3. *p. q.* 93. *art.* 4 *dub.* 8. *n.* 6 & hoc fortè, ex ſolo iure naturali, non eſſe omnino prohibitū, ait Baronius 2. *to.* Manud. *diſp.* 2. *ſect* 3. *de Sac. Pœnit. fol.* 242 & poſt decretū Clementis VIII anno 1594 ſic ſtatuentis: *Tā ſuperiores pro tēpore exiſtentes, quàm confeſſarij, qui poſteà ad ſuperioritatis gradū fuerint promoti, ne ea notitia, quā de aliorum peccatis in confeſsione habuerint, ad exteriorē gubernationē vtantur*: defendunt M. Nugnus *q.* 11. *art.* 1. *ad* 6. M. Lublinus, *verſ. ſecretū, n.* 10. M. Petrus de Ledeſma *in ſum. c.* 22. *dub.* 3. *poſt* 5. *cōcluſ.* Villalob. *tr.* 9. *diffic.* 75. *n.* 1. Reg. *lib.* 3. *c.* 2 *n.* 16 & Molf. 1. *p. ſum. tr.* 7. *c.* 23. *n.* 39. & 40. dicens: eſſe doctrinam D. Thomæ, & communem. Quod adeò verū eſt, vt P. Thom. Sanch. vbi ſuprà, non ſolū dixerit, eſſe probabiliſsimā, ſed cōtrariā, quā ipſe *n.* 4. amplectitur, Authorū teſtimonio, & numero deſtitutam eſſe, & duos tantū authores, Armillā ſcilicèt, & M. Bañez, pro ea reperiſſe.

3 Et quod magis, cenſent nonnulli, Prælatū non ſolùm poſſe, ſed teneri negare ſuffragiū indigno per confeſsionē noto, & ob eandē notitiā ab officio amouere, caſu, quo teneretur, ſi, extra confeſsionē, conſcius fuiſſet indignitatis illius. Ita D. Thom. vbi ſup, [Poſſet (inquit) ſubditū ſibi confeſſum ab adminiſtratione remouere, & deberet hoc facere, cū debita tamen cautela, ſi talis adminiſtratio eſſet ſubdito periculoſa in poſterum.] & expreſsè id tradunt Adrian. & Nauar. apud Sanch. ſup. *n.* 6. qui ait: [idē videntur ſentire alij Doctores, aſſerentes, Sacerdotes nō debere eligere indignū per confeſsionem notum, aut debere illi negare Euchariſtiam, quando abſque ſigilli iniuria fieri poteſt. Hi ſunt D. Thomas, Paludanus, D. Antoninus, Victoria,

So-

Sotus, Ledeſma, Sylveſter, Tabiena, & alij.] Hæc Sanchez; & conſequentiam eſſe legitimam, quod ſi ſuperior poteſt vti notitia cō-feſſionis, teneatur aliquando illa vti; multis ſuadere nititur Thomas Hurtado *tom. 2. reſ. moral. tr. 6. cap. 11. reſ. 32. §. 3.* vbi plures pro hac parte refert, *& tr. 12. cap. 1. num. 1386. & 1391.* dicens, [eſſe D. Thomæ ſententiã, & ferè omnes ſcholaſticos antiquos in illa convenire.]

4 Addunt alij hanc ſententiam locum habere, licèt pœnitens ipſe ſuffragio priuãdus, vel ab officio deturbãdus, ſuſpicari poſſit, propter peccatum ex ſola confeſſione notum, hæc incommoda ſubire; quia dum alij non conijciant, nil fit contra ſigillum. Ita expreſsè Sylveſter *verbo confeſſio 3. q. 14. num. 9.* vbi inquit: [Quid ſi Abbas ſcit per confeſſionem peccatum Prioris, vel alterius ſubdiri ſibi, cuius peccati occaſio eſt Prioratus, vel aliud officium? Dicit S. Thomas in 4 quod poteſt ipſum ex aliqua alia occaſione abſoluere, (id eſt remouere ab officio) ita tamen, quod omnis ſuſpicio de revelatione confeſſionis evitetur: alias peccaret, tanquã revelans confeſſionem, vt dicit *in 5. Quodl.* Hæc ex illo; ſed adde, ſecundùm mentem Ricardi, quod oportet vitari ſuſpicionem confeſſionis, ſic, quod nec ipſe, nec alius credat eum propter confeſſionem abſolutum, (id eſt amotum ab officio) aliter ipſe, vel alius redderetur pronior ad cœlanda peccata: & hoc ſequitur Roſella, & innuit Angelus. Sed ego credo (attende) hoc verum, quoad aliũ, non autem quoad ipſum pœnitentem, quia, vt patet ex D. Thoma *in 5. Quodlib. quæſt.* 10 quando Prelatus, ſine manifeſtatione peccati, poteſt eum amouere ab officio periculoſo in poſterũ, hoc facere poteſt, & debet, licèt melius eſſet, eum ad ceſsionem inducere. Nec obſtat, quod efficeretur pronior ad cœlanda peccata; quia melius eſt cauere, ne peccata fiant, quàm ne facta cœlentur: quia ſi nō fiunt, non cœlantur; nec è conuerſo.] Hactenus Sylveſter M. Sacri Palatij. Quod autem non opponatur ſigillo, licèt in ipſo pœnitēte ſuſpicio generetur (dum non alijs) quod propter illud crimen amoveatur ab officio, tradit etiam P. Vazquez *tom. 4 in 3. p. q. 93. art. 4. dub. 8. n. 6.* & ante illum Scotus *q. 2. art. 2.* & alij apud Suarez *de pænitent. diſp. 33. ſect. 7.* Quos ſequitur Thomas Hurtado *tom. 2. tr. 6. cap. 11. reſol. 32. §. 3. & 7* & plures pro illa ſtare refert, §. 1. vt conſtat ex ratione, qua vtitur, *num. 150.* & probant plures caſus in exemplum adducti à Patronis huius ſententiæ, vt videre licèt apud Sanchez ſuprà *in 3. & 4. argumento*, quibus illam ſuadere tentant.

§. I.

Vera ſententia.

5 Secunda ſententia omnino tenenda aſſerit poſt decretum Clementis VIII. nullatenus licere ſuperiori, ob peccatum ex ſola confeſſione notum, priuare ſubditos officijs ad nutum amobilibus, vel negare ſuffragium ad illa obtinẽda. Ita P. Thomas Sanchez *lib. 3. de matrim. diſp. 16. n. 4.* Suarez *tom. 4. de pænit. diſp. 33. ſect. 7. n. 4.* Valentia *tom. 4. diſp. 7. q. 13. punct. 3.* & plures, quos citatos ſequitur Leander à Sacramento *tom. 1. tr. 5. diſp. 10. q. 63.* apud quem Laymam, Malderus, Ioannes de la Cruz, Frias, Hurtado, Filliucius, Diana, Egidius, Lugo, Candido, & alij, quibus ſubſcripſit P. Fagundez *2. præcepto Eccleſiæ lib. 6. cap. 3.* Hanc ſententiam R. P. Claudius Aquauiua Præpoſitus Generalis Societatis Ieſu *anno* 1590. in ea obſeruari præcepit, & cõtrariam doctrinam publicè, aut priuatim docere, illiſque vſum prohibuit, dicens: [ita prorſus in omnibus caſibus noſtri ſe gerant confeſſarij, ac ſi in confeſſione nil pœnitus audiſſent: ſibique perſuadeant, vt ſicut humanarum rerum regimen ab hoc Sacramento longiſsimè diſtat, ita debere nullatenus ab eo pendere.]

6 Probatur primò ex motu Clementis VIII. ſupra citati, poſteà editi die 26. Maij *anno* 1594. vbi tam ſuperioribus actualibus, quàm confeſſarijs, qui ad ſuperioritatis gradum promoueantur, præcepit, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confeſſione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur; nec obſtat dicere Clementem vſum fuiſſe verbo imperatiuo: *ſuperiores diligentiſſimè caueant*, quæ verba præceptum ſub mortali non indicare, docet Caietanus *2. 2. q. 186. art. 9. circa ſolutionem ad ſecundum*. Quem ſequitur Manuel Rodriguez *in addit. ad Bullam Cruciatæ §. 9. n. 77.* Quo principio ducti M. Petrus de Ledeſma *in ſum. tom. 1. tr. de Euchariſt. cap. 11. ante concluſ. 9.* & aliis docuerunt in illis verbis Concilij Tridentini: Sacerdotes *quàm primum confiteantur*, ſi celebrauerint *ob inopiam Sacerdotis abſque confeſſione*, non contineri præceptum ſub mortali, eo quod verba ſint modi imperatiui. Non, inquam, obſtat, quia hæc ſententia Petri de Ledeſma, vt alibi notaui, damnata iam eſt, vt ſcandaloſa ab Alexandro VII. *die* 18. Martij *anno* 1666. & legem verbo imperatiuo conditam, regulariter loquendo, obligare ſub mortali in materia graui; docēt Vazquez *1. 2. diſp. 158. cap. 2. n. 24.* Caſtro Palao *tom. 1. tr. 3. diſp. 1. punct. 9. n. 3.* Granado *1. 2. controv. 7. tr. 3. diſp. 4. ſect. 1. n. 3.* & Bonacina *tom. 2. diſp. 1. quæſt. 1. punt. 7. §. 4. n. 10.* apud quem Sylveſter, Armilla, Suarez, Salas,

& alij. Et conſtat *ex Clement. exiui de verb. ſignif. §. item quia, verſ. Nos itaque: & ex cap. Clerici de vita, & honeſtate Clericorum.* Verba ergo decreti Clementis VIII. præceptum ſub læthali continere, dubitare nemo iam poteſt, poſt declaratam vim verborum imperatiui in ſimili caſu de confeſsione. Vide Dianam *p. 3. tr. 4. reſ. 76.* vbi contrariã ſententiam dicit eſſe *periculoſam*, & nociuam honori, & Religioni Sacramenti: *& p. 11. tr. 5. reſ. 15.* vbi multis probat poſt decretum Clementis, nullum dari caſum, in quo ſuperiores Regularium vti poſsint notitia habita in confeſsione ſubditorum, ſubiungens: [ſcio aliquos contrarium aſſerere, ſed quidquid ipſi aſſerant, ſemper in mea ſententia perſiſtam, & ita, meditato, tenet nouiſsimè Hermanus Buſſembaum, & ferè omnes ſcriptores Societatis.]

7 Secundò probatur, quia tota ratio, cui innititur indiſpenſabile omnino præceptum ſeruandi ſigillum, taliter, vt neque verbis, nec factis confeſſarij, poſsint alij conijcere peccatum in confeſsione auditum, in eo ſita eſt, ne confeſsio pœnitenti reddatur odioſa, nec peccatores ab ea retrahantur: odioſa autem valdè redderetur, & maximopere peccatores retraherentur, ſi ſcirent graue ſibi damnum ex confeſsione prouenire poſſe, quale eſſet ad dignitates gratuitas obtinendas, ideò repelli, vel ab officijs obtentis amoueri, quæ tanti apud homines habentur. Ergo ratio naturalis, cui, ſemel poſita inſtitutione Sacramenti, ſtrictiſsima ſigilli obligatio innititur, æquè prohibet vſum notitiæ confeſsionis grauoſum ſubdito, ac facultatem detegendi peccatum illius tertiæ alteri perſonæ. Vrgetur, quia minùs odioſa redderetur confeſsio pœnitenti, ſi peccatũ duobus, aut tribus, qui nullo modo nocere poſſent, detegi quiret, quàm ſi confeſſario notitia confeſsionis vti valenti ad illum priuãdum honorificis officijs, & vlteriori aſcenſu: ſed primum horribile contra ſigillum ſacrilegium continet, ergo & ſecundum.

8 Confirmatur, ex vrgetur contra Sylveſtrum, & ſequaces, quia ſigillum confeſsionis non ſolùm reſpectu aliorum, ſed etiam reſpectu ipſius pœnitentis obligat, vnde cõfeſſarius non ſolùm tenetur peccatum auditum in confeſsione alijs non detegere; ſed etiam nullo modo loqui de ipſo cum pœnitente extra confeſsionem, nec exprobrare, nec obijcere illi crimen; quia ſecus pudore ſuffunderetur, & odioſa illi redderetur confeſsio, vt ex communi Doctorum, quos refert, docet Thomàs Sanchez vbi ſuprà *diſp. 16. num. 3.* Qua propter, vt confeſſario liceat cum pœnitente loqui extra cõfeſsionem de peccatis in ea auditis, etiam iuſta de cauſa, opus eſſe, vt ab illo licentiam petat, tradunt Suarez *diſp. 33. ſect. 5. nu. 2.* Victoria *in ſum. num. 185.* Navarrus *in Manuali, cap. 24 n. 13.* Cardinalis de Lugo *diſp. 23. num. 130.* contra Puteanum *in 3. p. D. Thomæ p. 2. q. vlt. dub. vlt. concluſ. 3. notabili 2.* & Paludanum *in 4. diſtinct. 21.* Ergo licèt ſolus pœnitens conijcere poſſet, ob peccatum in confeſsione notum, ab officio amoueri; nullatenus licebit ad hunc effectum, ſcientia, & notitia confeſsionis vti, quantumvis aliunde quæſito colore, & cauſa externa priuationis, procedatur: quia ſcire, ita fieri poſſe, ſufficit, vt rationabiliter à confeſsione pœnitentes arceantur, vt tradit P. Sanchez *ſup. num. 3. verſ. & ſecundò confirmatur.* Et quidem vt benè adnotat Cardinal. de Lugo ſup. *ſect. 5. num. 100.* præceptum ſtrictiſsimum ſigilli nõ ſolùm adſtringit Confeſſarium ad non reuelandum, & manifeſtandum peccatum pœnitentis, ſed ad vitandum, extra confeſsionem, quidquid illam odioſam, & difficiliorẽ pœnitentibus reddat: vnde licèt ſcienti nil reueletur, nec manifeſtetur, & ex hoc capite deficiat proprietas reuelationis confeſsionis, non tamen deficit malitia contra præceptum ſigilli, quæ deſumitur ex odio, & difficultate erga confeſsionem conceptis. Hæc argumenta, iure etiam naturali, & diuino, id eſſe prohibitum probant.

§. II.

Corollaria pro ſigillo confeſsionis.

9 Ex dictis reijcienda venit ſententia, quàm tenet Thomàs Hurtado *tom. 2. reſ. Moral. tr. 6. cap. 11. reſ. 32.* & iterum *tr. 12. cap. 1. reſ. 23. §. 3.* vbi tres concluſiones ſtatuit. Prima: ex ſe non eſſe illicitum ſuperiori, aliquando vti notitia cõfeſsionis ad externam gubernationem. Secunda: in aliquibus caſibus non ſolùm poſſe, ſed teneri, illa vti. Tertia: decretum Clementis VIII. non prohibuiſſe, nec poſſe, eiuſmodi notitiæ confeſsionis vſum pro caſibus, in quibus confeſſarius ad illum tenetur.] ſic ille. Verum huic authori damus ſecundam, & tertiam concluſionem, vtpotè legitimè deductas ex prima; quia ex iuſtitia, vel ſaltem ex charitate quiſque tenetur damno ſpirituali, vel temporali proximi obuiare, quandò abſque graui ſui incommodo poteſt; ac proinde, ſi vſus notitiæ confeſsionis ex ſe illicitus non ſit, ad illum a fortiori tenebitur, vtpote ad electionem medij liciti, & vnicè neceſſarij, ex præcepto naturali obligantẽ, quæ proinde Eccleſiaſtico præcepto prohiberi non poteſt, quia hæc prohibitio non obligat, quando interuenit alia maior, & ſtrictior

obli-

obligatio iuris naturalis; vt ex D. Thoma, Bonaventura, Tabiena, Sylveſtro, Ledeſma, Soto, & alijs, tradit Hurtado ſuprà, cui ſuffragantur Eminentiſsimus Cardinalis de Lugo *tom. de pœnit. diſp. 23. num. 94.* & Dicaſtillo *de Sacrament. tom. 2. tr. 8. diſp. 12. dub. 7. num. 14.*

10 Primam verò concluſionem, in qua tota difficultas ſita eſt, nempè non eſſe ex ſe illicitum confeſſario, vti notitia confeſsionis, non probo. Eam tamen probare tentat Hurtado, §. 7. ex communi ſententia antiquorum, & plurium modernorum, quorum longum ſyllabum adducit. Secũdò ex ratione, quia ad fractionem ſigilli opus eſt, quod audita in confeſsione directè, vel indirectè manifeſtentur, & reuelentur. Quando autem vſus notitiæ confeſsionis ſubſequitur, nullo interueniente ſigno, quod determinatè ſignificet peccatum in confeſsione auditũ; ne indirectè quidem reuelatur adhuc in genere peccatum pœnitentis; ac proinde nil fit contra ſigillum. [Quod enim pœnitens (inquit) ſuſpicetur, aut intelligat, has actiones fieri, vel procedere ex notitia confeſsionis, & aliquo modo retrahatur, vel triſtetur, nil obeſt: quia ad euitandum damnum publicum, vel particulare, & maiorem offenſam Dei, id licitum eſt ſecundùm ſe, & honeſtum.] ſic Thomas Hurtado.

11 Ex quibus varia deducit confectaria. Primò, confeſſarium teneri negare Euchariſtiam pœnitenti ſecretò petenti, quem ex confeſsione indiſpoſitum cognoſcit. Secundò, non poſſe, cui anteà aſſolebat; confiteri, ſi ex illius confeſsione nouerit, non eſſe Sacerdotem, ſed talem ſe fingere. Tertiò, ſuperiorem teneri alios inferiores ad nutum amobiles amouere, ſi ſciat, habere occaſionem proximam peccandi; ac proinde Generalem, & Provincialem ad ſuperiores locales ab officijs remouendos. Quartò, Magiſtrum Nouitiorum teneri negare ſuffragium nouitio, quem ex confeſsione indignum profeſsionis agnoſcit, & alia huiuſmodi.

12 Quibus admiſsis, velit, nolit Hurtado, tenetur aſſerere, Clementem VIII. prohibere non potuiſſe vſum notitiæ confeſsionis, ad eiuſmodi mala vitanda, v. g. ad non eligendum indignum ad prælaturam ex confeſsione notum, cum talis electio ſit intrinſecè mala & grauiſsimum nocumentum afferat, quòd Prælatus ex iuſtitia debet impedire, ſi poſsit: ac proinde decretum Clemẽtis ſolùm habere locum in alijs caſibus, in quibus confeſſarius non tenebatur vti notitia confeſsionis; licèt poſſet. Quales autem ſint? vnum apud ipſum invenio, §. 14. vbi ait: Prælatum Regularem, ex notitia habita in confeſsione, non poſſe negare ſubditis licentiam, vt domo exeant, nec feneſtras claudere, vel muros erigere, &c. [Quia ex vſu (inquit) ſcientiæ habitæ in cõfeſsione, odioſa redditur, & formidabilis confeſsio, quod odium, & formidinem voluit avertere Summus Pontifex ſuo decreto & conſtitutione; vt ſic liberius Regulares accederent ad Sacramentum Pœnitentiæ.] Hæc ille. Quibus planè ſupponit, ſecluſo decreto Clementis, ſuperiores Regulares poſſe ſcientia confeſſionis vti ad ſubditorum peccata vitanda, ideòque Pontificẽ huius notitiæ vſum prohibere intendiſſe.

13 Cæterum hic author inconſequenter prorſus loquitur; quia vt ipſemet probat, §. 3. Superior ex iuſtitia tenetur vitare damnũ ſpirituale, vel temporale proximi, ſi ſaluo ſigillo confeſsionis poſsit, ex quo principio, §. 6. & ſequentibus illum obligat ad occaſiones peccandi ſubditorum vitandas, vt vidimus, num. 11. Ergo ex eodem principio tenebitur negare ſubdito licentiam exeundi domo, ſi occaſionem proximam peccandi ex confeſsione futurã agnouerit, vt benè cùm alijs Diana *p. 10 tr. 12. reſ. 34.*

14 Prætereà nullo fundamento ad decretum Clementis VIII. recurrit Hurtado; tùm *vbi ſuprà tr. 5. cap. 11. tum tr. 12. cap. 1. num. 1390.* vt inde probet, non licere ſuperioribus vti notitia confeſsionis ad licentiã exeundi domo ſubditis denegandam, quia vt ipſemet locis citatis fatetur, hoc ideò prohibetur, [quia ex vſu ſcientiæ habitæ in confeſsione, odioſa redderetur, & formidabilis cõfeſsio.] Ergo talis vſus ex præcepto naturali, & diuino prohibitus eſt: ergo licèt decretum Clementis VIII. editum non fuiſſet, eadem eſſet ſuperioribus ſigilli obligatio, & prohibitio negandi ſubditis licẽtiam exeundi domo ex notitia occaſionis peccandi, ex confeſsione habita. Confirmatur, quia motiuum decreti Clementis, vt fatetur Hurtado *tr. 5. loco citato, n. 376. & tr. 12. cap. 1. n. 1389* idem prorſus fuit, quod præcepti naturalis, & diuini ſigilli confeſsionis: ergo decretum Clementis obligationem nouam non inducit, quia præceptum, & prohibitio humana nequit plus obligare, quàm naturale, & diuinum ſigilli præceptum.

15 Hæc fundamenta mihi probant decretum Clementis VIII. editum fuiſſe, non tàm ad obligationem inducẽdam, quam ad antiquam naturalem, & diuinam in memoriam revocandam, & ad prorſus exterminãdas opiniones omnes, quæ vſum licitum notitiæ confeſsionis pœnitentibus moleſtum concedebant: illum nempè, quem ſi licitum antecedenter ſciuiſſent, à confeſsione retraherentur: huius enim vſum ex ſe illicitum ſupponit Pontifex, dum eidem motiuo, cui

præ-

Digitized by Google

præceptum naturale ſigilli, in ſua conſtitutione, & decreto innixus fuit: & dũ pro omni caſu illum prohibuit, quem prohibere non potuiſſet, ſi ex ſe illicitus non eſſet; vtpotè qui aliquando, ſi liceret, ex obligatione adſtringeret: vt ad non eligendum indignum ad Prælaturam, vt benè expendunt Lugo, & Dicaſtillo, & ex communi antiquorũ Thomas Hurtado ſuprà.

16 Ex quibus infeces 1. hunc authorem fruſtra recurrere ad decretum Clementis ad ſuadendam prohibitionem vſus noticiæ confeſsionis, quando eo etiam ſecluſo, odioſa, & formidabilis ex illo redderetur. Decretum Clementis, & ſi pro regularibus editum (vt conſtat ex illis verbis: *Atque ita per quoſcumque Regularium ſuperiores, quicumque illi ſint, obſeruari mandamus,*) omnes tamen Epiſcopos, & confeſſarios nõ Regulares æquè comprehendit, idque non eo ſolum, quod lex pœnalis in fauorem animarum lata extendatur ad omnes caſus, in quibus eadem militat ratio, vt ex Couarr. Genuenſi, Villadiego, Pariſio, Farinacio, & alijs, tradit Hurtado ſupra *reſ.32.§.16.n.193.* ſed quia iure naturali, & diuino ſigilli prohibitus eſt omnis vſus notitiæ confeſsionis, qui odioſam, & formidabilem pœnitentibus illam reddat. Vnde fit. 3. improbabilem prorſus eſſe ſententiam Thomæ Hurtado *§.15.* aſſerentis: [ſatis probabile eſſe Epiſcopos, & alios Sacerdotes nõ Regulares licitè poſſe vti ſcientia habita in confeſsione, in ordine ad regimen externum, quia id eſt licitum ſecundum ſe; & ſummi Pontificis præceptum ſolùm datum eſt pro Regularibus.] Dixi *improbabilem*, quia ipſo teſtante *§.24.n.190, ex vſu ſcientiæ habitæ in confeſsione, odioſa redditur, & formidabilis confeſsio.* Qui proinde vſus omnibus Prælatis, etiam non regularium æquè prohibitus eſt iure naturali, & diuino. Ad Regulares verò præcipuè ſuam conſtitutionem direxit Summus Pontifex, quia forſan nonnulli nimio zelo obſeruantiæ ducti, opinione illa (apud antiquos ſatis communi) ſeducti, in extremum ſigillo confeſsionis oppoſitum, declinabant. Infero. 4. Prælatos, & confeſſarios nunquam poſſe vti notitia confeſsionis eo prætextu, quod ita cautè, & circunſpectè procedant, vt nec pœnitens ipſe id ſuſpicari queat. Moueor, quia hoc ipſum in circunſtantijs huiuſmodi eſſe licitum, ſufficit ad fideles à confeſsione rationabiliter arcendos: ſola enim poſsibilitas vſus notitiæ confeſsionis odioſam illam redderet, licet factum ignorarent.

17 Rogabis: quid dicendum, ſi pœnitens in aliquo caſu irrationabiliter retraheretur à confeſsione, ex vſu huius notitiæ? Reſpondent non pauci, in tali euentu non eſſe contra ſigillum; ac proinde confeſſarium licitè poſſe illa vti. Sic Fagundez *2. præcepto Eccleſiæ lib.6.cap.3.* Leander à Sacramento *tom.1. tr.5.diſp.20.q.67.& ſeqq.* ex quo principio plures reſoluit caſus. Primum licere ſuperiori ob notitiam confeſsionis negare ſubditis licentiam exeundi foras, alloquendi externos; claudere feneſtras, & alia huiuſmodi. Quod tenent Egidius *de pœnit. diſp.9.* Henriquez *lib.3.cap.23.n.7.* Nugnus, Vega, Reginaldus, & alij apud Leandrum, qui ſubnectit, decretum Clementis hos, & ſimiles caſus non comprehendere: quia in illo ſolum cauetur, ne Superiores ad actus externos remouendi ab officijs indignos, vti dignos officijs cohoneſtandi, notitia in confeſsione habita vtantur. Secundò, confeſſarium poſſe dimittere famulum, quem per confeſsionem furem eſſe norauit, vel à pecunijs, illi in poſterum committendis, abſtinere: pro qua refert Bonacinam *diſp.5.q.6.ſect.5.puncl.4.n.30.* Sotum *de tegendo ſecreto, memb.3.q.4. dubit. 1. poſt.5. concluſ.* & Henriquez *lib.3.de pœnit. cap.23.n.6.* addentem, poſſe etiam confeſſarium rem à famulo ſibi furatam clam recuperare, ex notitia per confeſsionem habita, (quod valde diſplicet Patri Fagundez vbi ſupra, *cap.2.n.9.*) Inſuper confeſſarium poſſe mutare voluntatem, & non inſtituere hæredem eum, quem ex confeſsione nouit indignum: quod apud ipſum tenent Henriquez, M. Sotus, & Thomas Hurtado. Quibus refragantur Fagundez vbi ſupra *præcep.2.lib. 6.cap.2.n.9.* & Cardinalis de Lugo *de pœnit. diſp.23.n.92.& 93.* & meritò quidem, (licet Fagundez in aliquibus non ſatis conſequenter procedat) Ratio, me iudice, eſt manifeſta, tum quia in pluribus ex his caſibus pœnitens rationabiliter retraheretur a confeſsione, ſi eius notitiæ vſus confeſſario liceret; tum quia licèt aliquando irrationabiliter eſſet inuitus, hinc non minuitur obligatio ſigilli, nec diſcretioni confeſſarij Chriſtus Dominus id commiſit: aliàs facilè iſte ſe decipere poſſet, irrationabile cenſens, quod rationi valde conforme eſſet. Ac proinde ob tanti Sacramenti bonum pro omni caſu, eiuſmodi vſus notitiæ confeſsionis prohibitus eſt; non minus, quàm pro bono prolis, pro omni euentu, prohibita eſt fornicatio, & pollutio voluntaria: ſicut ergo actiones iſtæ ex nullo fine boni priuati, vel publici honeſtari poſſunt, eo quod maius damnum ſequi poſſet ex eo, quod aliquando licerent, quàm ex eo, quod nunquam; ita neque actiones illæ, quæ odioſam, & formidabilem, ſiue rationaliter, ſiue irrationabiliter confeſsionem redderent. Aliàs poſſet quiſque ſimiliter neceſſitatem ſibi fingere reuelandi peccatum pœnitentis, irrationabiliter inuitum credens,

dens, ſi repugnaret; vt ſi mors aliter confeſſario immineret, & nulla inde pœnitenti ſequeretur infamia; & ſic in alijs. Quod abſque errore in fide dici non poteſt, vt benè contra Gabrielem *in 4. diſt. 21. q. 1. art. 3. caſu* 4. docent communiter Theologi. [Hoc tamen non tollit, (inquit Thomas Sanchez *de matrim lib. 3 diſp. 16. n. 4. & 5.*) quod ſi noui ex confeſsione Petri, ipſum mihi parare inſidias, vt mihi noceat, me poſſe non exire domo, quamvis aliàs exiturus eſſem. Nam quamvis Petrus intelligat id oriri ex notitia confeſſionis ſuæ nullo pudore ſuffundetur, nec aliquod detrimentum patietur, nec rationabiliter ob id retraherentur homines à confeſſione.] Sic ille; ſed de hoc infrà.

§. III.

Grauior difficultas.

18 An verò confeſſarius notitia confeſsionis vti poſsit, ad graue periculum ſibi imminens vitandum, quãdo, licet pœnitens non ægrè ferat, complices tamen criminis in eius confeſsionis notitiam deuenient? Grauis inter Doctores controuerſia eſt. Et ne in æquiuoco laboremus, en exempla. Nouit confeſſarius ex confeſsione complicis, pœnitentem gladium apud ipſum depoſitum petere ad illum occidendum, poterit ne denegare? Sciuit aliquos vino cõſecrando miſcuiſſe venenum, poterit ne à celebratione deſiſtere, etiam ſi dies feſtus ſit? Cognouit ex confeſsione Petrum ipſi in domo inſidias ad mortem parare, poterit ne, alia occaſione accepta, domum exire, quamvis ſocij criminis ſuſpicentur, id oriri ex notitia confeſsionis? Partem negatiuam tuentur Nauarrus *in cap. Sacerdos n. 135.* Vazquez *tom. 4. in 3. p. q. 93. art. 4. dub. 10. n. 9.* Cardinal. de Lugo *diſp. 23. n. 105. & 110.* & plures alij, quos ibi refert. Quorum ratio eſt, quia ex facto Sacerdotis colligitur, inſidias eſſe paratas, & venenum infuſum, idque immediatè ſignificat fuga Sacerdotis: abſtinet enim à vino propter venenum, quod habet, &c. ex quo colligunt complices confeſsionem ſocij: ergo fuga Sacerdotis directè ſignificat peccatum confeſſum: eſt ergo aperta reuelatio ſigilli, quæ ex nullo fine honeſtari poteſt. Vnde infert Lugo *tom. 2 de iuſt. diſp. 37 ſect. 4. n. 47.* Sacerdotem in hoc caſu poſſe, & debere ſe ipſum occidere ſumendo Calicem, ex cuius ſumptione ſcit ſe moriturum ex veneno immiſſo, ſi non poteſt illum omittere, abſque aliqua confeſsionis reuelatione, pro quo adducit Patrem Suarez *tom. 4. in 3. p. diſp. 33. ſect. 7. n. 7.*

19 Cæterum contraria ſententia mihi arridet, quam tenent Syluester *verb. confeſſio 3. n. 12.* M. Fumus *verb. confeſſor n. 7.* M. Candidus *diſquiſit. 24. ar. 51.* P. Thomas Sanchez *lib. 3. de matrim. diſp. 16. n. 4.* M. Sotus *de tegẽdo ſecreto memb. 3. q. 3.* & alij, quos ſequuntur P. Fagundez *2. præcep. Eccleſiæ lib. 6. cap. 3. n. 1.* Thomas Hurtado *tom 2. reſ. moral. tr. 6. cap. 11. reſ. 32. §. 10. n. 178. & ſequẽtibus*, ſubnectens, non ſolùm poſſe Sacerdotem ex notitia confeſsionis hæc mala fugere, ſed teneri. Quibus ſubſcribit Leander à Sacramento *tom. 1. tr. 5. diſp. 10. q. 68. & 69.* Horum ſententiam probo, non ex eo, quod pœnitens irrationabiliter eſſet inuitus in vſu notitiæ confeſsionis, vt plures ex citatis cõtendunt, quos ſupra reieci. ſed quia confeſſarium Miſſam omittere, vel inſidias fugere, & ſimiliter actiones, vel negationes, quas ſupra recenſui, ex ſe indifferentia ſunt ad varios operandi modos, nec ſignificant determinatè notitiam delicti ex confeſsione habitam, cùm ex alijs motiuis prouenire queant, tametſi ſocij criminis, in his circunſtantijs, vtpotè præuiam delicti notitiam habentes; ex ea, illis poſitis, determinatè deveniant in probabilem, vel moraliter certam coniecturam; aut confeſsionis ſocij de læthali crimine, aut manifeſtationis extra confeſsionem. Hæc autem diſiunctiua conſequutio non eſt manifeſtatio delicti confeſsi, nec pœnitenti confeſsionem odioſam reddit, cum ipſe verè doleat de peccatis commiſsis. & in propoſito nõ peccandi præconcepto contineatur voluntas efficax præcauendi damnum imminens confeſſario, vel Reipublicæ, eo modo, quo poteſt; ac proinde & per notitiam per confeſsionem, vel extra illam datam, ad fugam confeſſarium inducere. Hoc verò limitarem, ſi aliunde ipſi pœnitenti periculum mortis immineret, (quidquid contradixerint P. Coninch, *diſp. 9. de pænit. dub. 4. n. 56.* Thomas Hurtado vbi ſupra *§. 10. n. 180.* & Leander *ſup. q. 69.* citans Molfeſsium: quibus ex parte conſentit Bonacina *diſ. 5 q. 6. ſect. 5. punct. 4. n. 28.*) Ratio deſumitur ex radice obligationis ſigilli confeſsionis: ſi enim in prædicto euentu, licitum foret confeſſario, tanto pœnitentis detrimento, ob ſui indemnitatem notitia confeſsionis vti, valde quidem odioſa, & formidabilis, imò & moraliter impoſsibilis redderetur illi confeſsio: ergo nequibit confeſſarius in his circunſtantijs notitia confeſſionis ad fugam vti. Adde pœnitentem confeſſarij fugam prudenter timentem, & inde ſibi periculum mortis; non teneri illud peccatum confiteri: habet enim iuſtam cauſam omittendi; ſicut & non vitãdi mortem cõfeſſarij à ſocijs inferendam, quia charitas cum graui ſui damno neminem adſtringit.

20 Ex

20 Ex hac limitatione deducitur ſolutio difficilis altetius caſus, nempe quid dicendum, quando ille, cui confiteri ſoleo, confitetur mihi, non eſſe Sacerdotem, & tamen confeſsiones audire? an, inquam, poſſim, & tenear, ſicut antea illi confiteri? Non ſolum me non teneri, ſed nec poſſe, affirmat Thomas Hurtado vbi ſupra *reſ.32.citata ſ. 5.n.*160. & ſaltem me poſſe illi non confiteri, indicat Thomas Sanchez *diſp.* 16. *citata n.*5. & tuetur Leander *ſup.q.* 68. ſed melius Cardinal. de Lugo *diſp.*23.*ſect.*5.*num.* 105. diſtinguit dicens, confeſſarium non poſſe vti tali notitia, ſi ex eo vſu reſultaret aliqua indirecta reuelatio peccati, vel aliquod dedecus, vel incommodum pœnitentis: in tali enim euentu, teneretur illi exterius ſimulando confiteri, & alteri Sacerdoti ſeriò, vt hac ratione ſacrilegam confeſsionem vitaret, & veram abſolutionem à vero Sacerdote obtineret, ſeruato ſigillo confeſsionis. Si verò nil contra pœnitentem reſultaret, teneretur confeſſarius illum deſerere, & ſoli vero Sacerdoti ſe ſubijcere. Id enim nequit confeſsionem odioſam reddere.

§. IIII.

Dubiola circa ſigillum.

21 PRæceptum ſigilli adeò ſtrictè obligare, vt ex nulla cauſa excogitabili violari poſsit, eſt communis Doctorum ſententia, tamen aliqua dubia ſunt ad plenam intelligentiam ad trutinam vocanda.

22 Ptimum eſt, an omnis violatio ſigilli ſit culpa mortalis? Negant nonnulli exiſtimantes reuelationem peccati venialis ſolùm eſſe culpam venialem, ratione parvitatis materiæ. Sic M. Martinus de Ledeſma 2.4.*q.*10.*art.*5. quem ſequitur M. Corradus, 1.p.q.331. in Addit. & videtur amplecti M. Acatius de Velaſco, tom.1. reſ.200.

23 Contraria ſententia eſt communis, quia graue quid eſt reddere odioſum Sacramentum pœnitentiæ, viroſque timoratos ab illo retardari, quod contingeret, ſi ſcirent veniale poſſe abſque graui culpa confeſſarij reuelari, ideòque grauem irreuerentiam cõtra Sacramentum continet: ſicut in materia ſimoniæ, quocumque pretio, etiam minimo, pro re ſpirituali oblato, grauis datur irreuerentia, & graue ideò ſacrilegij peccatum committitur. Ita Vazquez, & alij communiter apud Leandrum *de pœnit. tr.* 5. *diſp.* 10.*quæſt.*5.

24 Secundùm. An quando peccatum eſt publicum, ſit contra ſigillum dicere, [Hæc mulier de ſuo meretritio ſe accuſauit, & illam abſolvi?] Negat Ioannes de Medina, *Codic. de confeſſ.q.*47. & probabile cenſet M. Sotus *in* 4.*diſt.*18.*q.*4.*art.*5. *concluſ.* 3. quia de cõtraria, quam ſequitur, inquit: [Profecto opinio eſt mihi probabilior.] ſimiliter loquuntur Reginaldus, Ochagauia, & alij apud Leandrum *ſuprà q.*7. & P. Vazquez *quæſt.* 93.*art.*6.

25 Verùm contraria ſententia eſt tenẽda, quia dicere eſſe auditum in confeſsione tale peccatum, licèt alias publicum, horrorem ingerit audientibus, & licèt nulla inde infamia ſequatur pœnitenti, alij verò timorẽ concipiunt, ne ſicut ratione publicitatis, licuit confeſſario manifeſtare, quod in confeſsione ſibi fuit ſub ſecreto expoſitum, liceat item in alijs caſibus. Secundũ: quia vt ait Caietanus in ſum. *verb. confeſſori neceſſaria*, verè confeſſarius reuelat confeſsionem. [Quia concubinatus, vt cognitus per confeſsionem, manifeſtatur] Præterquam quod circa peccata penitẽtis, licèt publica, generatur maior, & exactior notitia, ſi cognoſcatur in confeſsione fuiſſe manifeſta, vt benè alij notant, quos ſequuntur Vazquez *in* 3.*p. tom.*4.*q.*93.*art.*4.*dub.*10. *num.*9. Sotus, & alij, quos ſequitur P. Mendo *in ſtatera diſſert.*10.*ſ.*9. ſubnectens oppoſitum non eſſe ſibi probabile; [nec video, inquit, authorem vllum illud probabile cenſentem.] Monet verò Caietanus, confeſſarium, qui à fidelibus redarguitur, cur pœnitentem publicũ, ſeu meretricem abſolverit, poſſe reſpondere, verbis generalibus, [audiui confeſsionem iſtius, & feci officium meum.]

26 An verò reſpondere poſsit: [mulier hæc ſua peccata mihi ritè confeſſa eſt, & ego eam abſolui?] Reſpondeò affirmatiuè cum Caietano vbi ſupra, quia nullum illius peccatum in particulari in confeſsione auditum reuelo, ſed ipſam fuiſſe confeſſam: quod quidem opus laudabile eſt. Quod autem alij ex notitia, quam aliàs habent de prauo mulieris ſtatu, inde conijciant confeſſam fuiſſe meretricium, nil inde contrà ſigillum redundat, quia ſola notitia de Sacramento pœnitentiæ ſuſcepto illis accreſcit, de peccatis vero in particulari nulla de nouo.

27 Inſtabis. An Confeſſarius obiurgatus, cur abſoluerit meretricem, de qua conſtat in ſuo peccato manere, reſpondere poſſit, nõ abſolui? Huic dubitationi ſic ſatisfacit M. Corradus *p.*1.*reſponſionum quæſt.*332. [Reſpondet Caietanus, licèt hæſitans, id licere, quia cum ſuſpenſio abſolutionis ex alijs cauſis prouenire poſsit, quàm ex pertinacia in peccato, illa non eſt reuelatio confeſsionis.] Quem ipſe non impugnat, & innuit eſſe probabilem M. Candidus *diſquiſit.*24. *art.* 50.*dub.*4.*pag.*555. verùm contraria omnino ſen-

Digitized by Google

ſententia tenenda eſt cùm communi Doctorum, quos citat, & ſequitur Leander à Sacramento *tom. 1. tra. 5. de pœnit. diſp. 10. q. 33.* Inter quos adducit M. Sotum *in 4. diſtint. 18. q. 4. art. 5. vbi verſ. quid autem ſi peccata ſint publica*; & benè adnotat licitum eſſe in aliquo caſu dicere, [ego nō abſolui] v. g. ſi poſteà pœnitens ſe prodat, aſſerens ſe manere in ſuo propoſito peccandi. Nam cùm ille ſuam indiſpoſitionem ad abſolutionem patefecerit, nil reuelat confeſſarius, dum eum abſoluiſſe negat, quia dicere ſe abſolutionem non contuliſſe aſſerenti acceſsiſſe indiſpoſitum, non eſt manifeſtare aliquod eius peccatum: ſicut neque econtra, ſi confeſſarius dicat pœnitentem rectè diſpoſitum abſoluiſſe.

28 Tertium dubium ſit, an quando pœnitens inter alia peccata confitetur, ſe habere defacto intentionem eficacem committēdi homicidium, & nequire ab ea deſiſtere, eiuſmodi peccatum cadat ſub ſigillo? Negat Syiueſter *verb. confeſsio tertiò q. 5.* [Quando quis confitetur, ſe velle facere aliquid malum, puta homicidium (& idem generaliter eſt, ſecundùm Raymundum, de quocumque, quod non ſpe veniæ aperitur) quia non eſt confeſsio, nec Sacerdos illud cœlare tenetur. Quod intellige, inquit, quàndo adeſt firmum propoſitum committendi, ſecus, ſi cōfitetur ſuper aliquo tentari, & aliquando conſentire, aliquando verò diſſentire.] Verùm hanc ſententiam dicit Sotus *in 4. diſt. 18 q. 1. art. 5. ad 3.* benè ait D. Thomas [eſſe errorē.] Verba D. Thomæ reperies *in 4. diſt. 21. q. 3. art. 1.* vbi ſic: [ad primum dicendum, quod quidam dicunt, quod Sacerdos non tenetur ſeruare ſub ſigillo confeſsionis, niſi peccata, de quibus pœnitens emendari promittit: aliàs poteſt ea dicere ei, qui poteſt prodeſſe, & non obeſſe, ſed hæc opino videtur erronea.] Hæc D. Thomas. Qua propter M. Ioannes de la Cruz referens & refellens ſententiam Syluestri *in directorio 2. p. de pœnit. q. 6. dub. 1. concluſ. 2.* erroris notam a D. Thoma illi inuſtam, etiam adnotat [confeſſor, inquit, tenetur cœlare ſub ſigillo etiam peccata enormia contra bonum publicum, vt hæreſim: etiam ſi pœnitens dicat, non habere animum ceſſandi ab illis. Et oppoſita ſententia Alexandri, & Sylveſtri *verb. confeſsio 3. aſſerentium*, poſſe confeſſorem illa reuelare, cui proſit, & non obſit, ait D. Thomas *ad 1.* quod videtur erronea.] Vnde valdè miror Andream Victorelum *in notis ad caput 16. libri 3. Toleti* ſententiæ Sylueſtri adhæſiſſe per hæc verba. [ſiquis detegat crimen ſuum ſine dolore, ſine ſpe, & animo veniæ, non eſt hæc confeſsio, ac proinde nullum obligat ſigillum confeſsionis.] Certiſsimum enim eſt ſic confiteri intentionem patrandi homicidium, qui habet firmum propoſitum committendi, atque adeò non video, in quo differat Victorelus à Sylueſtro.

29 Qua propter, ſi pœnitens animo ſe accuſandi de praua intentione, licèt abſque dolore, & propoſito deſiſtendi, acceſſerit; quamvis non verus, ſed fictus pœnitens ſit, eius peccatum ſub ſigillo cadit. Hæc concluſio eſt certiſsima, quam cum Suarez, Caietano, & alijs defendit Thomas Hurtado *tom. 2. reſ. moral. tr. 6. cap. 11. reſ. 30. n. 145.* & eſſe indubitatam, aiunt communiter Doctores apud Barboſſam *in cap. Sacerdos de pœnit. dist. 6. n. 1. & 2.* ſi verò pœnitens non accedat ad confeſsionem animo ſe accuſandi, & ſubijciendi clauibus peccatum prauæ intentionis, ſed peruertendi confeſſarium, & inducendi ad ſimile, vel diuerſum peccatum committendum; eiuſmodi praua intentio non eſſet materia ſigilli, qui non eſſet expreſſa in ordine ad abſolutionem obtinendam: vt docent communiter Doctores, quos ſequitur Leander vbi ſupra *q. 14* qui cum Peſantio, & Soto, contra Maiorem, ſubnectit; quod ſi latro furetur in confeſsione crumenam Sacerdotis, & hoc factum confiteatur, licitum eſſet Sacerdoti eum accuſare in iudicio, quia talis confeſsio potiùs videtur facta illudendi gratia, aut ne Sacerdoti ſit liberum pœnitentem accuſare, quam animo ſe accuſandi. Idemque dicendum putat, & benè, ſi Religioſus non confitendi animo, ſed iniuriandi Prælatum ad illi confitendum acceſsiſſet; poſſet enim illum punire. Quia illa non eſſet confeſsio, ſed ſimulatio ſacrilega, vt benè aiunt Fagundez *præcept. 2. lib. 6. cap. 4. n. 22.* & Lugo *diſp. 23. n. 60.*

§. V.

Conſectaria.

30 ROgabis quid debeat facere cōfeſſarius, ſi pœnitens, v. g. puella moribunda, nolit ipſi concedere licētiam reuelandi delictum, ex cuius manifeſtatione dependet ſalus æterna infantis, aliter ſine baptiſmo deceſſuri? Caſus hic non rarò cōtingit. Quandoque enim puellæ ad occultandum infandum crimen fornicationis, & prolis turpiter conceptæ, ex nimia fœtus, ad diſſimulandum, oppreſsione, ad vltimum vitæ diſcrimen veniunt. Quibus pereuntibus, ſi res occulta permanſerit, fœtus ſine baptiſmo decedet; quia aut ſimul cum matre peribit, aut ventris ſciſioni opportunitas deficiet. Quibus occurreretur per confeſſarium, ni ſigillo confeſsionis, non obtenta licentia, teneretur.

31 Difficultas ergo duplex enodanda con-

concurrit. Prima: an puella cum iactura famæ, & honoris teneatur licentiam concedere confeſſario manifeſtandi rei ſtatum, ex quo ſalus æterna infantis dependet, vel certò vel probabilius? Secunda: an illi renuenti concedere, debeat confeſſarius abſolutionem impertire, ne in æternum vna cùm fœtu pereat?

32 Quoad primam, communis Theologorum ſententia, aſſerit non ſolùm cum iactura honoris & famæ, ſed vitæ, omnes teneri ex iuſtitia, vel ex charitate infanti ſubvenire, ne ſine baptiſmo decedat; eſt enim in extrema neceſsitate ſpirituali conſtitus, cui cum iactura quacumque noſtra temporali ſubuenire tenemur. Ita ex communi M. Ioannes Martinez de Prado *tom. 2. Theolog. moral. cap. 18. quæſt. 1. §. 3. n. 27.* ibi [Certa & Theologorum communis ſententia tenet, quoad proximum exiſtentem in extrema neceſsitate, qui niſi à me adiuuetur, peribit in æternum, teneor cùm aperto vitæ diſcrimine, eum iuuare. Ita D. Thomas, Caietanus, & quod eſt ſentẽtia omnium, dicit Hurtado.] Sic ibi: & iterum *ca. 20. §. 2. n. 21.* cum Armilla, Candido, Serra, & Nauarra. Verba D. Thomæ reperies *in 3. ſententia. diſt. 19. q. 1. art. 8. ad 2. quæſtionem, ad 2.* vbi ſic. [cùm ſcimus fratrem per mortẽ corporis a morte animæ ſine periculo animæ noſtræ, poſſe liberari; tũc tradere animã pro fratribus, non eſt perfectionis, ſed neceſsitatis.] Eandem opinionem tenent Valentia, Torres, Lorca, Lopez, Toletus, Coninch, Suarez, & Bonacina apud Garſi. *centur. 1. cap. 20.* Quos ſequitur Palaus *tract. 6. diſp. 1. punct. 6.* quibus cùm Syluio, Tanero, Granado, & alijs, quos refert Diana *parte 3. tract. 5. reſolut. 51. & parte 5. tract. 3. reſol. 16.* adhæret ipſe Doctor Garſi, vbi ſupra, *& centùr. 2. cap. 20. n. 11. fol. mihi 142.*

33 Probat ex illo Chriſti apud Ioannem: *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos.* Sed Chriſtus propriam vitam pro noſtra ſalute ſpirituali expoſuit: ergo & nos ſic debemus proximos diligere. Confirmatur ex epiſtola prima Ioannis *cap. 3. in hoc cognouimus Charitatem Dei, quia ille animam ſuam poſuit pro nobis, & nos debemus pro fratribus noſtris animas noſtras ponere.* Quem locum expendens Sanctus Auguſtinus *lib. de mendacio cap. 6. ait, temporalem vitam ſuam pro æterna proximi, non dubitabit Chriſtianus amittere.* Et ratione probatur; quia bona ſpiritualia; & maximè æterna, ſunt excellentiora, & Deo gratiora, quàm quælibet bona temporalia: ergo ex charitate illa iſtis præferre debemus; quod niſi in extrema neceſsitate facimus, nuſquam erit debitum id faciendi.

34 Quod procedit etiam, quando neceſsitas eſt ab extrinſeco, quia ex eo quod ab extrinſeco ſit, non deſinit eſſe extrema: ergo illi ſucurrendum eſt non minus, ac ſi eſſet ab intrinſeco; immo multò magis quia quantò plus eſt ab extrinſeco & violenter prouenìens ab aliena malitia, tantò eſt maior neceſsitas. Pro hac parte plures authores militare, inquit Diana, *3. part. tract. 5. miſc. reſolut. 51. §. notandum.* vbi inquirens, an ſi infans non baptizatus, iam ſit moriturus, teneatur, quicumque poteſt, mortem ſubire, ſi ab aliquo impediatur, vt illum baptizet? Reſpondet affirmatiuè dicens: hanc opinionem docent Syluius *in 2. 2. quæſt. 26. art. 5.* Suarez de fide *diſp. 9. ſect. 2. n. 2.* Lorca *in 2. 2. diſp. 28. membr. 2. n. 32.* qui citat Azorium, Sylueſtrum, & Maiorem: idem etiam docent Tannerus *in 2. 2. diſp. 2. quæſt. 3. dub. 4. n. 61.* Coninch *tract. de fide, diſp. 25. dub. 7. num. 88.* & alij: non enim refert, quod neceſsitas inducatur ab extrinſeco, ſi verè extrema ſit, vt eſt in noſtro caſu; immo quãtò plus eſt ab extrinſeco, & violenter proueniens ab aliena malitia, tantò eſt maior neceſsitas. Sic Diana.

35 Et ſanè nullum eſſe faciendum diſcrimen inter neceſsitatem extremam prouenientem ab extrinſeco, & inter eam, quæ ab intrinſeco provenit, ſed eodem modo in vtroque caſu diſcurrendum, tradunt cõtra Sotum, M. Victoria, Villalob. Baſilius de Leon, Leander à Sacramento, Navarra, Frãciſcus Galleti, quorum verba dedi, *in opuſculo pro Ieſuitis, tract. 2. de peccatis, propoſitione. 2. n. 2. & 3.* Quibus adde Patrem Sanchez *in ſumma, lib. 1. cap. 18. num. 13.* vbi ſic. [Vt benè ait Victoria, nihil refert, ſiue metus mortis ab intrinſeca neceſsitate conſurgat, ſiue ab extrinſeco inferatur, cum vtrobique eadẽ vitandæ mortis neceſsitas excuſet:] & Valdellum *lib. 3. diſp. 30. n. 26.* vbi ſic: [Parũ videtur referre, quod neceſsitas ex morbo ſit inducta intrinſecus, & neceſsitas à tyrano ſit inducta extrinſecus.] Idem ſentiunt Toletus, Molina, & alij, quos ſequitur Card. de Lugo, *tom. 1. de iuſtitia, diſp. 10. ſect. 1. num. 22.* Ex quibus videtur cõcludi iuxtà communem Theologorum ſententiã, omnes teneri cum iactura, etiã propriæ vitæ, infanti ſubvenire, ne ſine baptiſmo decedat.

36 Contrariam tamen ſententiam tenet M. Dominicus de Soto *de ſecreto Mem. 2. q. 2. concluſ. 6.* & quod mirabilius, vt communem tradit, his verbis. [Secundum Doctores, nemo obligatur baptizare puerum, cum periculo propriæ vitæ, ſaltem quando periculum eſt ab extrinſeco, vt ex malitia tyranni prohibentis me baptizare puerum.]

re-

refertque pro ſua opinione, D.Thom.2.2.q. 36.(*lege 26*)*art*.5. Sed quidem D.Thomas, in hoc loco, nō retractat, quod in libris ſententiarum tradiderat; potuis confirmat dicens *ad 3*.[*Quod non eſt de neceſsitate charitatis, quod homo exponat proprium corpus pro ſalute proximi, niſi in caſu, quo tenetur eius ſaluti providere*. [Id eſt, (vt Caietanus explicat) niſi in caſu neceſsitatis. Extra caſum autem neceſsitatis, ad perfectionem charitatis hoc ſpectat.] Sic ille, quem cęteri Thomiſtæ ſequuntur.

37 Nihilominus ſententiam Soti, non audeò improbilem dicere, quia illum ſequuti ſunt graues alij Doctores. P.Sà *verb. Charitas*, ſic aſſerit. [Infantem alioqui moriturum ſine baptiſmo, teneris cum tuæ vitæ periculo baptizare, ſecundum quoſdam, quod alij probabiliter negant, nec enim cū tantò detrimēto debetur ei tale officium; alioqùi, & mater grauida teneretur permittere ſe ſecari, vt fœtus baptizaretur, alias ſine baptiſmo moriturus; quod nemo dicet.] Ita ille, cui adde Areualum de *correctione fraterna*, dicentem non adverſari D.Thom.2.2.*quæſt.* 26. *art*. 5. aſſerenti, obſtrictos eſſe nos plus proximi animam amore proſequi, quam proprium corpus, id eſt, vitam: nam intelligi debet, quod quis amore ſuæ conſeruandæ vitæ, proximo non præſtet conſilium pattandi ſcelus: ſiue quod poſitiuè ad necem ſpiritualem ipſius non concurrat; quia tunc amans vitam corporalem, æternam perdit peccato deprauati conſilij intercedente: At quod nō omittat prouidere animæ proximi ob conſeruandam propriam vitam, non affirmat D.Thomas, niſi fortè in caſu, quo pactum intercesſiſſet de non omittenda cura animæ proximi etiam cum periculo propriæ vitæ; ſicut deuinctus eſſet, ratione pecuniæ acceptæ, proſpicere vitæ corporali proximi, etiam cum periculo amittendi propriam. Qua ratione Parochos reddi obnoxios ſacramenta miniſtrare ſuis ouibus, cùm periculo vitæ, præcipuè Sacramentum penitentiæ, cum ob id decimas; & cætera percipiant emolumēta, cenſent DD. Vndè tenemur, ob propriam vitam conſeruandam, damnū ſpirituale proximo non inferre, nō autem illud impedire, niſi intercedat conuentio. Et DD. indiſtinctè loquentes de obligatione diligendi vitam ſpiritualem proximi, poſt habita propria corporali, aberrant ſanè; & quod ipſi nequaquā exequentur, cæteros obnoxios eſſe docent. Sic Areualus. Cum citatis ſentit Io Sanchez, *in Selectis, diſp*. 10. *num*. 9. vbi ſic. [Vndè credendum Soto *de ſecret. memb*.2. *quæſt*. 2. *poſt* 6. *concluſ*. Sà *verb. Charitas, numer*. 4. cenſentibus, neminem cum periculo vitæ teneri infantem baptizare? Quod expreſsè quoque docet Areualo *de correctione fraterna, fol*. 174. dicens, vniuerſos communiter ſic ſentire: alias fœmina grauida conſtricta eſſet ſecationem pati, vt filius baptizaretur, & hanc eſſe probabilem docet Lopez vbi ſuprà.]

38 Nec improbabile putat Puente Hurtado de Mendoza 2.2. *diſput*. 144. *ſect*. 3. *numer*. 36. vbi ſic ait. [Video affirmari penè a Soto, nullum per ſe teneri ad exponendam vitam pro æterna proximi ſalute: idque probat ex S.Thoma, hoc articulo quinto ad tertium, aſſerente, vnicuique eſſe curam ſuæ vitæ, non verò ſalutis alienæ. Vndè infert Sotus, illos duntaxat, qui curam gerunt animarum, teneri ad exponendam vitam, ne pereant oues: idque voluiſſe Chriſtum Dominum, & Ioannem; vnde negat in caſu infantis teneri quem ad illius baptiſmum cum vitæ diſcrimine. Item Sanctus Thomas neminem teneri ad aliorum ſalutem, *niſi forte in caſu*, &c. quod dixiſſe videtur propter Epiſcopos, & animarum paſtores; & quidem præceptum de exponenda vita pro aliarum æterna ſalutè, opus eſt, vt apertè probetur ex aliquo iure.] Quibus patet ſententiam Soti non eſſe improbabilem.

39 Ex his decidenda eſt præſens quæſtio: dico igitur probabile eſſe, confeſſarium poſſe abſolvere puellam nolentem illi concedere licentiam reuelandi conceptum fœtum, abſque baptiſmo diceſſurum; ſi mortis periculum ipſi puellæ a conſanguineis immineat. Ratio eſt, quia probabile eſt ipſam non teneri propriam vitam exponere pro ſalutè ſpirituali proximi, ac proinde cum tantò periculo non adſtringi licentiam petitam confeſſario concedere. Cuius opinioni ſe conformare tenetur confeſſarius, iuxta Communem Doctorum ſententiam, quàm tradidimus tract. de opinione probabili.

40 Solum reſtat diſquirere, an ad obligationem adſtruendam vel negandam; idem iudicium de iactura famæ; & honoris, ac de vitæ periculo faciendum ſit? Plurès Doctores cenſent, id ipſum cuique licere pro honoris & famæ defenſione, ac pro vita; pro quo plures dedi *in opuſcul. pro Ieſuitis, tract. de iuſtitia, Propoſit*. 1. vbi Magiſter Bañez, Petrus Nauarra; Ludovicus Lopez, Ioannes Martinez de Prado; M. Serra; M. Ioannes de S.Thoma, Armilla, & alij, quibus adde Caietanum 2. 2. *quæſt*. 73. *art*. 2. qui, vt refert Sotus *de ſecreto, membr*. 1. *quæſt*. 3. *verſic*. 3. *prop*. exiſtimat; quod honor, & fama ſunt omnino ſicut vita; quos ſequitur Doctor Garſi, *cent*. 1. *cap*. 49. *num*. 4. vbi ſic, [periculum famæ æquiparatur pericu-

lo vitæ, vt eſt commune pronuntiatum iuris peritorum, vt inquit Iulius Clarus, §. homicidium, num. 26. & conſtat ex l. ge *iuſta cauſa de manumiſsione vindictæ, l. iſti quidem 8. §. penultimo, quod metus cauſa, l. infamiæ 8. Cod. de Decurionibus*, cui facit illud Auguſtini, *lib. de bono viduitatis, quod refertur, capite non ſunt audiendi 11. quæſt.* Qui boni nominis curam non habet, *crudelis eſt ſibi, & veluti annihilat*, iuxta illud poetæ: *omnia ſi perdas, famam ſeruare memento, qua ſemel amiſſa poſteà nullus eris.* Atqui pro vitæ defenſione licitum eſt negare confeſſario licentiam manifeſtandi delictum, etiam ſi ſalus ſpiritualis proximi ex eius manifeſtatione dependeat, vt docent nonnulli ſupra citati: ergo. Et ita ſentit Doctor Garſi *cent. 1. cas. 20 num. 14.* quando puella magnæ eſſet authoritatis; vel ſi plebeia, tanti faciat honorem, & famam, vt vitæ præponat.

41 Ex hoc antecedenti planè ſequitur, non eſſe improbabile, poſſe abſolvi puellam negantem licentiam, ad manifeſtandum, ex emortua, fœtum. Quia cum ipſa probabili opinioni excuſanti ab obligatione innitatur, non eſt abſolutione deſtituēda; maximè cum eius etiam ſalus ſpiritualis, vel æterna damnatio, ex conceſſa, vel negata abſolutione dependeat. Nec obſtat infamiam puellæ poſt mortem, & non antea obventuram: quia præceptum non infamandi ad defunctos etiam extenditur, vt benè cum Navarro, & Zerola, tradit Ioannes Sanchez in ſelectis, *diſp. 4. num. 6.*

§. V.

Dubium incidens.

42 AN verò puella, licèt non teneatur, poſsit in articulo mortis, poſtquam eius ſalus eſt omnino deſperata, permittere viuam ſecari, vt infans baptizetur? affirmare videtur Ioannes Sanchez *in ſelectis, diſp. 10. num. 9 propè medium*, vbi notat ſibi non conſtare Ochagaviam, dum ait, *quæſt. 7. num. 3.* infantem ſine baptiſmo deceſſurum teneri quemque baptizare, ſi poſſit, etiam cum periculo mortem ſubeundi: cum tamen *quæſt. 4. num 6.* præſixiſſet, [matrem etiam volentem non eſſe aperiendam, etiam ſi ſit in articulo mortis, vt filius eruatur, & baptizetur.] Cæterum nulla in hoc eſt oppoſitio; quia matris ſectio eſt eius occiſio; quæ, extra ordinem iuris, a nullo fieri licitè poteſt: non ſunt enim facienda mala vt eveniant bona: ac proinde nulli licèt eam viuam ſecare, etiam volentem, ob ſalutē ſpiritualem fœtus, cui ipſa per medium illicitum ſubvenire non tenetur. Imò nec ſuo conſilio, vel exhortatione ad ſciſſionē provocare poteſt: tamet ſi ad id paratam eſſe, caſu, quo ex aliquo capite honeſtaretur, dānabile non ſit; ſed potiùs opus ad perfectionem charitatis ſpectans. Hæc eſt ſententia D. Thomæ *3. part. quæſt. 68. art. 11.* quam tenuit *in 4. diſt. 6. quæſt. 1. art. 1. quæſt. 1. ad 4.* Vbi ſic [homo potiùs debet dimittere perire infantem, quàm ipſe pereat, homicidij crimen in matrem committens.] Cuius rationem reddit, *quæſt. 68. citata, art. 11. ad 3.* [dicēdum quod non ſunt facienda mala, vt eveniant bona, & ideò non debet homo occidere matrem, vt baptizet puerum:] ſic ille: quem ſequuntur communiter Theologi.

§. VI.

Conſectarium.

43 AN verò ſi mater per iudicem ad mortem damnata morbo læthali corripiatur, liceat iudici ante mortem eam ſecare, vt infans vi extractus baptizetur? Negant nonnulli; ſed immeritò, ideòque contraria ſententia eſt communis Theologorum, quam ſequuntur M. Palus de Iſachis, *in diſceptationibus moralibus diſp. 2. dub. 1. fol. 35.* [ſi mulier, inquit, prægnans in tali periculo exiſtens, eſſet damnata ad mortem, licitum erit, eam aperire, & extrahere infantem, vt baptizaretur. Concluſio iſta ex ſacris Canonibus elicitur.] Sic per doctus M. cui conſentiunt Suarez, Layman, & Filiucius, quos citatos ſequitur Teophilus Rainandus *tom. 14.* vbi de ortu infantium *cap. 12.* & Ægidius Choninch. *tom. 1. de Sacramentis, q. 68. art. 11. n. 92* vbi ſic. [Etiam ſi nullo modo liceat matrem innocentem, etiam ex ſe ad id paratam, occidere, vt proles exſecta poſsit baptizari, etiam ſi alias vtraque neceſſariò ante partum deberet mori, vt dixi ſup. q. 66. ſi tamen aliqua eſſet merita mortem, & ad eam iam condemnata; eſſetque periculum (attende) ne ex aliquo morbo, ante partum, vna cùm prole moreretur; poſſet, ſeruato iuris ordine, priùs ſecari, ſi eſſet ſpes, forè vt proles hoc modo poſſet baptizari. Ratio eſt, quia in hoc facto nil ſit contra vllum ius.] Hucuſque Ægidius. Quem ſequitur Diana *2. parte tract. 1. Miſcelan. reſol. 44. & 5. part. tractat. 3. reſolut. 13.* & plures doctiſsimi apud illum.

44 Hanc

44 Hanc ſententiam, cum Doctoribus citatis, contra Comitolum, Moſcoſum, & Malderum, tenet Cardinalis de Lugo, & ſi limitet ad caſum, quo ſpes ſit maior; quod proles hoc modo baptizari poſsit, quàm, quod mortua matre, poſsit adhuc ſuperuiuere, vt baptizetur: probat, quia in hoc nulla iniuria fit matri, quam iudex, iure ſuo, poteſt illo mortis genere punire, nec tunc occiditur mater ad extrahendum ſolùm filiū; ſed ad puniendam debita pœna propter delicta, cuius punitionis occaſione procurari poteſt bonum prolis: quod tamen cum conſilio prudentis medici, & opera experti chirurgi fieri debet, & ſeruato aliunde iuris ordine, vt commutatio pœnæ fiat à iudice habente poteſtatem ad eam commutationem decernendam.

45 Sed quidem, cum æterna infantis ſalus ex hoc genere punitionis quandoque dependeat, ſufficiet meo iudicio, quod probabilis ſit ſpes, poſſe abſque nece eiuſdem, ab vtero matris extrahi, vt baptizari poſsit: & hanc probabilem ſpem ſufficere cenſeo, vt iudex poſsit ſupplicij commutationem efficere. Huic parti diſſentire non poteſt Baronius *in 2. part. diſp. 1. ſect. 2. §. 3. fol. 139.* vbi nulla adhibita limitatione, ex his, quas Ægidius, & Lugo vbi ſup. expræſſerunt, ait cum D. Thoma, *non licere occidere matrem infantem, vt ſaluus fiat puer*, ſubnectēs verba valdè notanda: *ſi tamen* (inquit) *mater mortua fuerit, viuuc ſuperſtite puero, vel dānata ad mortem, ſecari debet.* In quibus videtur concedere ſufficere, vt ſecari debeat, quod damnata ad mortem vna cum puero ante partum moritura timeatur. Non me latet M. Sotum *in 4. diſt. 5. art. 11. quæſt. vnica, verſ. 3. Arguitur* exiſtimare, vanam eſſe hanc diligentiam. Quia ſi Mater occidatur, vix *id poſſet abſque nece eiuſdem ſatis citò, antequam baptizetur*, ſed quidem matre mortua contingere puerum in vtero viuere, ſupponit D. Thomas, *vbi ſuprà, art. 11. citato ad 3.* dicens [ſi tamen mater mortua fuerit, viuente prole in vtero, debet aperiri, vt puer baptizetur!] Quod non ſemel contigiſſe docet, cum alijs, Martinez de Prado *tom. 2. Theol. mor. cap. 20. n. 23.*

46 Addo iudicem teneri proferre ſententiam de præuia, ad commune ſuppliciū, ſciſſione; quoties probabilis ſit ſpes puerum viuum extrahendum, vt baptizetur: quia hoc ſpeciale ſupplicij genus non eſt iure naturali, nec poſitiuo prohibitum; imò nec poteſt in circunſtantijs iſtis prohiberi, & quicumque ex charitate tenetur ſaluti ſpirituali proximi, ne in æternum pereat, ſubuenire. Imò ex hoc capite à læthali non excuſarem iudicem, qui hoc medium pro ſalute ſpirituali proximi, ex conſilio periti medici adſtantis, executioni dare negligeret; ſicut neque illum, qui peccatorem occidi iuberet, non conceſſo tempore neceſſario ad confeſsionem, vel contritionem eliciendam: quia tenetur ex charitate adulto in extrema neceſsitate conſtituto ſubuenire; in illa autem verſatur adultus, vel dormiens in peccato, vel vigilans, qui ex improuiſo occiditur.

DISPVTATIO IIII.

De ſatisfactione, ſeu pænitentia, à Miniſtro Sacramenti iniungenda.

SAtisfactio ſacramentalis, quæ inter partes ſacramenti pœnitentiæ a Concilio Tridentino, numeratur, non eſſentialis pars eius eſt, ſed integralis; vt contra Aludanum *in 4. diſt. 16. qu. ſt. 1. ſub fine*, docent communiter Theologi, quia hoc Sacramentum ante expletam ſatisfationem perficitur, & gratiam habitualem confert. Eſt autem duplex; alia pœnalis, quæ nil aliud eſt, quàm voluntaria compenſatio pœnæ temporalis ob peccata commiſſa debitæ, conſiſtens in operibus pœnalibus à confeſſatio taxatis: alia medicinalis, que non tām in compenſationem pœnæ debitæ, quàm ad peccata in poſterum cauenda iniungitur: de vtraque igitur breuiter aliquid dicemus.

QVÆSTIO I.

An confeſſarius teneatur ſub læthali ſatisfactionem Sacramentalem iniungere?

1 CErtum eſt, apud Theologos, Miniſtro ſacramenti pœnitētiæ incumbere, ſatisfactionem pœnalem, & pœnitentiam præſeruatiuam iniungere, vt conſtat ex Tridentino *ſeſſ. 14 cap. 3. & 8.* vbi ſic. *Habeant autē præ oculis* (*Sacerdotes*) *vt ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tātùm ad nouæ vitæ cuſtodiam, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & ſatiſfactionem.* An verò ſub læthali ad eius impoſitionem teneantur? non conueniunt Doctores communior verò, & omnino tenenda ſententia eſt, confeſſarium per ſe loquendo, ad id teneri ſub læthali. Ita Caietanus *verb ſatisfactio* Petrus de Soto *de ſatiſfactione, lect. 2.* P. Suarez *de pænitent. diſp. 38. quæſt. 5. ſect. 3.* Fagundez *in quinque præcepta Eccleſiæ præcep. 2. lib. 9. cap. 3. num 8.* Palao *tom. 4. tr. 23. punct. 21. §. 2. n. 6.*

Ioannes Sanctius *in ſelectis, diſp. 5. num. 17.* & plures alij. Et omiſsis aliorum fundamentis probo, quia opus pœnale in pœnitentiam iniunctum cauſat, ex opere operato, diſtinctum gradum remiſsionis pœnæ, poſt hanc vitam luendæ, quem ex opere operantis nō cauſaret, ſi iniunctum non fuiſſet: vt docent communiter Doctores, quos ſequitur Palao vbi ſuprà, §. 2. *citato, num. 1.* Quibus adde innumeros, quibus citatis ſubſcribit Leander à Sacram, *tom. 1. tr. 5. diſp. 9. quæſt. 3.* Ergo confeſſarius pœnitentiam non iniungens fraudat pœnitentem hoc remiſsionis fructu, quod abſque graui iniuria fieri non poteſt.

2 Vrgetur, quia ſecundùm plures, ea vis, & efficaria ex conceſsione Chriſti Domini, Sacramento ineſt, quod etiam operi præſtito in peccato mortali, ſi in pœnitentiam iniunctum fuerit, remiſsio pœnæ pro culpis clauibus ante ſubiectis, & remiſsis correſpondeat, aut ſtatim; vt docent Nauarrus *de pœnit. diſt. 6. cap. 1. nu. 46.* Cerdla, Marſilius, & alij apud Ioannem Sanctium *in ſelectis, diſp. 16. n. 5.* aut ſaltem ſublato peccato, quo benè operans infectus eſt, vt aiunt Suarez ſuprà *diſp. 38. ſect. 8.* Diana *3. p. tr. 4. reſol. 85.* Caietanus, Petrus de Soto, Cardin. de Lugo, Candidus, Torreblanca, & alij, quos citatos ſequitur Leander vbi ſuprà, *quæſt. 11.* ergo, ne tanto fructu pœnitentes fraudentur, tenetur ſub lethali confeſſarius ſatisfactionem ſacramentalem imponere: ex præcepto enim charitatis, imò & iuſtitiæ, ratione ſui muneris, graue damnum proximi vitare tenetur.

3 Communem hanc ſententiam limitat Cardinalis de Lugo *tom. de pænit. diſp. 25. ſect. 4. n. 49.* quando pœnitentia iniungenda leuis eſt, pro qua adducit Henriquez, *lib. 5. de Sacrament. cap. 20. n. 6.* & Petrū de Ochagauia *de Sacrament. tr. vltim. de Sacram. pœnit. q. 8. n. 7.* Probat, quia pœnitens non tenetur ſub lethali levem pœnitentiam adimplere; ergo nec cōfeſſarius iniungere. Cæterū hoc fundamentum rationem à nobis ſuperiùs adductam nō enervat; ſoliumque militat contra Doctores concluſionem probāres ex alio principio, nimirum, ne Sacramētum mutilum, & imperfectum, abſque parte integrali, relinquatur. Ex hoc enim capite benè infert Lugo, aut pœnitentem peccaturum mortaliter, leuiſsimam pœnitentia non adimplendo; aut confeſſarium non peccare, illam non iniungendo; ſiquidem invtroque euentu imperfectum manet Sacramentum, vtpotè abſque parte integrali. Hæc autē ratio noſtram ſententiam non impetit, quia obligationem grauem confeſſarij non præciſe ex virtute Religionis petimus, propter integritatem Sacramenti, ſed principaliter ex virtute charitatis, & iuſtitiæ, qua confeſſarius graue proximi damnum vitare conſtringitur.

4 Dixi, *per ſe loquendo* ad ſatisfactionē pœnalem iniungendam ſub lethali teneri, quia peraccidens ab eiuſmodi obligatione eximi poteſt, nimirum, quoties abſque pœnitentis præiudicio prætermitteret, v. g. quādo pœnitens eſſet impotens adimplere, vt ſi morti proximus, maximè, ſi iā careret ſenſibus, & pœnitentiam iniunctam percipere nō poſſet: ſimiliter, quando confeſſarius ex confeſsione, & alijs circunſtantijs, intelligeret pœnitentē integrè ſatisfeciſſe pro pœna debita: & ſecundum plures, quando pœnitens ob ſuam fragilitatem, nullam crederetur acceptaturus pœnitentiam: tunc enim ad vitādum peccatum in non acceptanda, vel acceptata non adimplenda, eius imbecillitati condeſcendendum putant; & confeſſariū excuſari poſſe ab illa iniungenda, quia ſcienti, & volenti non fit iniuria: nec tenetur damnū irremiſsionis pœnæ, quod proximus paſſurus eſt, cum maiore ipſius damno vitare; quale foret periculum peccandi mortaliter; quod præcepto confeſſarij nolleti ſe ſubdere, proximè immineret. Ita docent P. Henriquez *lib. 2. de pænit. cap. 20. n. 6.* & apud illū Hoſtienſis, Navarrus, Abbas, Victoria, & Ledeſma, quibus cōſentiunt M. Lublinus, *verb. ſatisfactio, n. 1.* & Villalobos *tr 9. diffic. 78. n. 4.* ſed quidem à culpa veniali propter integritatem Sacramenti, quoties ſeruari phiſice poteſt, nemo queit excuſari, nec confeſſarius non iniungens; nec pœnitens non acceptans, vel acceptatam non adimplēs, quia Sacramentum imperfectum relinquere, etſi eſſentialiter completū, rationi diſſonat; ergo ſaltem venialiter, intrinſecè malum eſt.

5 Ex quibus infertur confeſſarium debere imponere pœnitentiam, ſaltem leuiſsimā pœnitenti exiſtenti in articulo mortis, dum eam percipere poſsit, vt breuem orationē; aut percuſsionem pectoris, aut ipſius infirmitatis pœnā. Ita Suarez *tom. 4. in 3. p. diſp. 38. ſect. 3. n. 4.* Cardin. de Lugo *diſp. 25. num. 47.* Petrus de Soto *de ſatisfactione, lect 2.* & plures alij. Similiter infertur debere pœnitentiā imponi ſcrupuloſo, qui de eiſdem peccatis ſæpiùs confitetur, vel intra breue tēpus redit cū nouis culpis, vt abſolvatur: nā quotieſcumque nouum Sacramentū conficitur, nova pars integralis adeſſe debet, aliàs totum imperfectum relinqueretur. Sic M. Cādidus, *diſquiſ. 24. art. 31. dub. 3.* quamvis ſcrupuloſè ſatis ſuperaddat, & contra praxim confeſſariorum; non poſſe opus impoſitū pro pœnitētia in vna cōfeſsione, iniungi in alia; ſed nō placet, quia ſecūdū cōmunē Theologorū ſententiā, bona opera alias debita ex præcepto,

ro,ſiue naturali,ſiue humano,imponi poſſūt in penitentiā: vt videre licèt apud Leandrū ſuprà *q.43*.Ergo & opus in prima confeſsione præceptum poterit in ſecunda in pœnitentiam iniungi,eritque proinde duplici titulo debitum, & equivalenter multiplex: præterquam quod,in vltima cōfeſsione iteratur præcedens in generali,&ideò congruēter eadem penitentia pro omnibus cōmiſsis iniungitur,& ſi non grauior pro omnibus, quā antea pro ſingulis. Videatur Palaus, *tom. 4.tr.23.punct.21.§.2.n.10.& alij.*

6 Infertur tertiò confeſſarium teneri imponere pœnitentiam confitenti ad Iubilæum., vel plenariam indulgentiam lucrandum; quia licèt per hanc plena concedatur peccatorum remiſsio, imperfectum tamen ex parte confeſſarij Sacramentum,pœnitentia non iniuncta,relinqueretur:& contingere poteſt,vt quis confiteatur virtute Iubilæi, & tamen poſteà ob aliquem defectum indulgentiam non conſequatur: ſic plures, quos citatos ſequuntur Palao vbi ſuprà, *pūct. 21. §.2.n.9.* & Suarez *diſp.38 ſect. 10.* Infertur quartò,nequire confeſſarium totam pœnitentiam imponere per modum conſilij:aliàs liberum eſſet pœnitenti Sacramentū mutilum efficere; nec confeſſarius ex præcepto teneretur ad illud ex parte ſui perficiendū. Sic P. Vazquez *tom.4.in 3.p.q.94.art.2.dub. 1.n.7.* Cardin. de Lugo *tom. de pœnit. diſp. 25.n.34* Sanctius *in ſelectis,diſp.15.n.16.* & plures apud Henriquez *lib. 2. de Pœnit. cap. 21.n.5.in gloſſ.*litt.E.contra Suarez, Fagundez, Filliucium,& alios,apud Dianam *3.p. tr.4.reſ.8.* Infertur quintò, ſuo muneri non ſatisfacere confeſſarium,nullū opus in particulari in penitentiam iniungendo; v. g. ſi diceret, *do tibi in pœnitentiam quidquid bene, vel hoc menſe boni feceris, vel mali ſuſtinueris.* Hæc illatio eſt contra communem Doctorum, quos ſequitur Leander ſuprà *q.25.* cæterum meo iudicio neceſſariò conſequitur commune Doctorum principium ſupra iactum de obligatione perficiendi etiā integraliter Sacramentum, & imponendi penitentiam, ſub præcepto:ille enim, cui, vt ſupra,iniungeretur,non maneret adſtrictus aliquid boni facere,vel patienter ſuſtinere,ex vi præcepti confeſſarij:quia nō imponitur in penitentiam,vt aliquid boni faciat,vel mali pacienter ſuſtineat,ſed ſi fecerit,vel ſuſtinuerit, applicatur à confeſſario in ſatisfactionem. Aliud verò eſſet, ſi cōfeſſarius obligaret ad aliquod bonum efficiendum ſub disiunctione,relinquendo penitenti electionem;tunc enim ceſſaret inconueniens,de quo ſuprà, quandoquidem quolibet opere electo,perfectum maneret Sacramentum. Adde à læthali excuſari confeſſarium ſecundùm plures, quando leuem pœnitentiam iniūgit,dummodo in abſolutione ſuperaddat clauſulam illam: *quidquid boni feceris, & mali patienter ſuſtinueris, ſit tibi in remiſsionem peccatorum.* Vide Dianā *p.11.tr.7.reſ.53.*

QVÆSTIO II.

Vtrùm pœnitens habeat obligationem acceptandi, & implendi pœnitentiam à Confeſſario iniunctam?

1 NOn teneri acceptare penitentiam ſatisfactoriam,licèt diſcretam, tolerabilem, & moderatam, & grauitati peccatorum, & pœnitentis fragilitati congruam, & temperatam, docuerunt plures ex antiquis,quos ex modernis ſequuti ſunt Gregorius Ruiz,Raphael de Ceſſare,Bela,& Tribarne,quos refert Diana *2. p.tr.1. Miſcellan.reſ.53.& 3.p.tr. 4. reſ.51.* M.Samuel Lublinus *verbo ſatisfactio.n.1.* & eſſe probabile putant M. Sotus *in 4.diſt. 20.q.2.art.1.* M.Ioannes de laCruz *in directorio 2.p.de pœnit.q. 4.dub.3.* vbi pro illa refert ex eodem inſtituto, Caietanum,& Armillam, dicens: [pœnitens non tenetur ſub mortali acceptare,& implere pœnitētiam.] Quorum ratio eſt, quia pœnitenti ſufficit habere animum ſatisfaciendi in hac vita per indulgentias,vel bona opera,vel in purgatorio, non ergo tenetur pœnitentiam à confeſſario iniunctam acceptare. Addunt alij; nec teneri ſemel acceptatam, & ſi grauem; adimplere ſub læthali. Sic Caietanus *tom.1. opuſcul.tr.6.q.2.* quem refert,& ſequitur M. Corradus *1.p. Reſponſ.q.7.* dicens: [non tenetur pœnitentiam acceptare,imò acceptatam hic expleturus, ſi non exequatur; non peccat,niſi venialiter tantùm, ſi in purgatorio luere intendat;hæc eſt opinio Caietani *in ſum. verb.ſatisfacti.*] Quibus conſentiunt Ludovicus Bela, Cenedo, & alij apud Palaum infra citandum, quorum fundamentum eſt, quod obligatio adimplendi pœnitentiam ſolùm oritur ex acceptatione; quæ ſimplicis tantùm promiſsionis vim habet, ac proinde ſub veniali tantùm obligare poteſt.

2 Secunda communis, & vera ſententia eſt, pœnitentem ſub læthali teneri acceptare, & implere pœnitentiam grauem iuſtè impoſitam. Sic communiter Theologi cum D. Thoma *3.p. quæſt.8.art.2.* quem ſequuntur Petrus de Soto *lect. 2. de ſatisfact.* Viualdus, Toletus, Valentia, Cano, & alij apud Fagundez *lib.9.cap.8.num.12.* Filliucius, Gaſpar Hurtado, Syluius, Megala;

Egidius, Bonacina, & alij apud Dianam *ſup.* Vazquez *q.9.4.art.2.dub.*1. Suarez *diſp.*38. *ſect.*7. Henriquez, *lib.*5. *de Sacrament. cap.*20. *§* 2. & Victoria *in ſum. n.*209. Huius ſententiæ fundamentum deſumitur ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ, vt a Chriſto Domino facta, & per Concilia nobis explicita. Igitur Tridentinum *ſeſſ.*14. *cap.*8. poſt quam pronunciauit, Sacerdotes non iniungentes pœnitentibus ſalutares, & conuenientes ſatisfactiones, eorum peccatorum participes effici, pœnitentiam que imponi debere, non tantùm ad nouæ vitæ cuſtodiam, ſed ad præteritorum vindictam, & caſtigationem, hanc poteſtatem Sacerdotibus competere probat his verbis: *Nã claues Sacerdotum non adſoluendum dumtaxat, ſed ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres, & credunt, & docẽt: nec propterea exiſtimarunt Sacramentum Pœnitentiæ eſſe forum iræ, vel pœnarum.*

3 Ex quibus ſic Concilium probat obligationem Sacerdotis ad iniungendam congruentem pœnitentiam in peccatorum vindictam, ex eo, quod a Chriſto Domino fuit illi conceſſa poteſtas, non ſolùm adſoluendum, ſed etiam ad ligandum, ergo Sacerdos, qui abſoluit à peccatis, habet poteſtatem ligandi, hoc eſt cogendi, & coercendi pœnitentem ad ſubeundam pœnam iniunctam. Quod autem de hac poteſtate ligandi loquatur Concilium. Videtur apertum, tum ex conteſtu, quia ibi non eſt ſermo de poteſtate detinendi peccata, ſed iniungendi pœnam, tum ex ratione, qua eiuſmodi poteſtatis cõceſsionem ab omni mali ſpecie contra hæreticos vindicauit dicens: *Nec propterea Patres exiſtimarunt Sacramentum Pœnitentiæ eſſe forum iræ, vel pœnarum.* Si autem pœnitens nõ cogeretur à confeſſario pœnitentiam iniunctam adimplere, non eſſet, vnde Sacramentum Pœnitentiæ ne leuiſsimam quidem ſuſpitionem fori iræ, & pœnarum apud hæreticos incurrere potuiſſet. Ergo iuxta Concilium non ſolùm datur in Sacerdote obligatio iniungendi pœnitentiam in vindictam peccatorum, ſed & poteſtas ligãdi, & cogendi pœnitentem ad eius impletionem.

4 Vrgetur, quia confeſſarius abſolvens a peccatis, & levem pro gravibus pœnitentiam iniungens, fit eorum particeps, vt ait Concilium; peccat ergo mortaliter, vel quia priuat pœnitentem fructu remiſsionis pœnæ ex opere operato, per pœnitentiam obtinendo; vel quia muneri iudicis non ſatiſfacit. Non primum, iuxtà adverſarios, quia ſi pœnitenti liberum eſt, non acceptare, nec implere pœnitentiam, dum cõfeſſarius, eius voluntati conſentiens, nullam imponit, nullo fructu non adimpleturum priuat, neque iniuriam vllam irrogat, ergo ex hoc capite levem pœnam imponendo non peccaret, cum (vt aiunt) de conſenſu pœnitentis poſſet nullam iniungere; ergo ideò peccat, quia iudicis muneri non ſatisfacit: cuius eſt, non ſolùm a delictis abſolvere, ſed ad pœnam, in eorum vindictã, cogere. Vnde ratio a priori huius concluſionis deſumitur, ex eo, quod poteſtas ligandi in ſuperiore, & obligatio parendi in ſubdito ſunt correlatiuæ, & de ratione iudicij non minùs eſt, quod reus teneatur obedire iudici, quàm, quod iudex poſsit illum cogere ad parendum ſententiæ de pœna ſubeunda.

5 Ex dictis infertur primò, obligationẽ adimplendi pœnitentiam poſſe eſſe gravẽ, vel levem, iuſta grauitatem, aut leuitatem pœnæ iniunctæ, quia iuxta communẽ Theologorum ſententiam, ſuperior nequit grauiter obligare in materia levi, nec leuiter in graui: vnde (quidquid alij dixerint) ſi cõfeſſarius ob peccata venialia, vel læthalia iã confeſſa, pœnitentiam grauem iniungeret, eam nimirum, quæ ſi ſub voto caderet, induceret obligationem grauem, teneretur pœnitens ſub læthali illam adimplere, quia ſe ſubiecit poteſtati clavium: è contra verò, ſi bona fide, vel ex ignorantia etiam culpabili leuem pœnam pro grauioribus delictis imponeret, non teneretur pœnitens ſub læthali ad illam adimplendam. Primam partẽ ſuſtinent Nauarrus *in Manuali, cap.* 21. Suarez vbi ſuprà, *ſect.*7. *n.*5. Vazquez *q.* 94. *art.* 2. Candidus *diſquiſit.*24. *art* 30. Palaus *tom.*4. *tr.*23. *punct.*11. *§.*4. *num.*3. & 9. Secundam Cardin. de Lugo *diſput.*25. *ſect.*5. dicens, ita ſentire communiter Theologos; in materia enim leui nequit eſſe grauis obligatio.

5 Infertur ſecundò pœnitentem nõ poſſe velle abſolvi, & tamen nolle ad pœnitentiam implendam ligari, quia poteſtas, indiuiſibiliter ad vtrumque, à Chriſto Domino conceſſa fuit confeſſario. Poteſt verò pœnitens nolle abſolvi à confeſſore grauem, & ſibi intolerabilem pœnitentiam iniungente, & ſi Sacerdotis iudicio iuſtam, & competentem. Quod abſque læthali poſſe fieri, tradit cum alijs Cardin. de Lugò vbi ſupra *n.*77. Quia ſicut ex alia cauſa poſſet pœnitens aliũ confeſſarium quærere, ita & ob metum obligationis ſubeundæ: obligationem enim abſolutam acceptandi pœnitentiam non contrahit penitens ante abſolutionẽ, ac proinde non eſt vnde ſaltem læthaliter delinquat, ſi alterius confeſſarij iudicio ſe ſubmittere velit. Expediet tamen priùs rogare confeſſarium, vt mitiorem penitentiam ſibi imponat, quòd licitè fieri poſſe, tradunt Nauarrus *cap.*26. *num.*4. Henriquez *lib.*5. *cap.* 20. *num.*5. Villalobos *tr.*9. *diffic.* 77. *num.* 2. &

Ca-

Caietanus *verbo ſatisfactio*. Si verò præmiſſa diligentia, confeſſarius annuere recuſet, poterit alium adire, vt tradunt probabiliter Turrianus *de pœnit. diſp.37. dub. 3. in fine*, Gaſpar Hurtado *diſp.14. diffic.2.* Villalobos *vbi ſuprà*, quos citatos ſequitur Leander à Sacramento *tom.1. tr.5. diſp.9. q.* 86. Cæterum probabiliùs Suarez, Egidius, Bonacina, Fagundez, Layman, & Candidus exiſtimant hoc eſſe peccatum veniale, quia inordinationem aliquam præſeferre videtur, nolle prudentis confeſſarij iudicio ſtare, poſtquam ſe illi iudicandus pœnitens ſubmiſit.

7 Si autem inquiras, ſit ne cenſura digna prima opinio Doctorum negantiũ obligationem acceptandi, & implendi pœnitentiam grauem iniunctam, ſemel præſuppoſita abſolutione? Reſpondeò, me ab omni cenſura abſtinere; grauiſsimam verò alij inurũt: quia Suarez vbi ſuprà *diſp.38. citata, ſect.7. n.2.* dicit *eſſe temerariam*; Henriquez *lib.5. de Sacramento pœnitentiæ, cap.20. §. 2* & Card. de Lugo *diſp.15. ſect. 5.* eſſe *improbabilem*. Et acriùs Pater Vazquez *q. 94. art.2. dub.1.* inquit, eſſe *contra fidem*, vtpotè oppoſitam Tridentino concedenti confeſſario poteſtatem obligandi pœnitentem ad præteritorũ vindictam, & caſtigationem; ſed ab omni cẽſura immunem putãt non pauci, apud Dianam, *p.11. tr.5. reſ.52.*

QVÆSTIO III.

Vtrùm pœnitens poſsit propria authoritate ſubſtituere ſibi alium, qui pœnitentiam pro ipſo adimpleat? & quid de licentia Confeſſarij?

1 HAnc quæſtionem proponit Cardin. de Lugo *diſp.25. citata, ſect. 5. dub.4. num.79.* & pro parte affirmatiua; quando ſubeſt rationabilis cauſa, v.g. melioris occupationis pœnitentis, vel maioris deuotionis alterius, cui adimplenda committitur, dicit, ſtare Paludanum, D. Antoninum, Sylueſtrum, & Altiſiodorenſem. Ex his verò authoribus, quos attentè legi, non omnes clarè id docent, quia Syluester *verb. ſatisfactio, q.3.* ſolùm refert ſententiam Paludani, dicens: [ponit idem Petrus de Palude (nempè *diſtinct.20. q.3.*) duos alios caſus, in quibus poteſt quis iniunctam pœnitentiam imponere alteri volenti. Primò, cùm vult occupari in alijs Deo acceptis magis, ac magis iuuantibus contra peccatum; puta in prædicando, vel bellando contra hoſtes fidei. Secundò, quando vult ſatisfacere magis, & ob hoc eam imponit meliori.] Hæc Syluester ex Paludano, cuius ſententiam ideò approbare, cenſuit Lugo, quod, cùm vltimo loco referat, non refellit. Apertiùs pro parte affirmatiua, vt ſuprà expoſita, militare videtur D. Antoninus *3. p. tit.14. cap. 20. §.1.* vbi ſic ait, [ſi verò eſt potens ſatisfacere, tũc oportet, quod ipſe ſatisfaciat per ſe ipſum, poteſt tamen iuvari per alterum; & addit D. Thomas, etiam ſi ſit potens, poteſt alius ſatisfacere pro eo, ſed non eſt permittendum.] Hæc ille, ſubnectit verò non eſſe certũ, poſſe pœnitentem iniunctam ſibi pœnitentiam alteri acceptanti imponere, in caſibus ex Petro de Palude nuper relatis; cæterum cuiuſcumque ſit hæc ſententia, prorſus falſa eſt; alias poſſet etiam quiſque alia præcepta Miſſæ, horarum, vel ieiunij, per alium adimplere, quod dicere nefas eſt. Ideoque nouiſsimè illam, *vt ſcandaloſam, vt minimum* dãnauit, & prohibuit Summus Pontifex Alexander VII. in Congregatione Generali Sãctæ Romanæ Inquiſitionis die 24. Septembris, anni 1665.

2 Reſtat verò difficultas, an ex licentia, & voluntate Confeſſarij, poſsit pœnitens iniunctam ſibi pœnitentiam per alium implere? Affirmant M. Sotus *in 4. diſt. 19. quæſt. 2. art.4.* Armilla *verbo ſatisfactio num.6.* Syluester *ibidem quæſt.3.* Caietanus *n.2.* & Samuel Lublinus eodem *verbo n.3.* Candidus *diſquiſit. 24. art. 30. dub. 12.* & cum Fagundez, & Filliuc. Diana *3. p. tr. 8. reſ.82. in fine*, & alij, quos citatos ſequitur Leander à Sacramento *tom.1. tr.5. diſp.9. q.* 90. qui pro hac parte refert Diuum Thomam *in 4. diſt.20. q.1. art 2. ad 3. quæſt.* Cæterum D. Thomas non abſolutè id aſſerit, ſed in caſu neceſsitatis [vnde (inquit) non eſt permittendum, vt aliquis pro alio pœnitentiam faciat, niſi defectus aliquis appareat in pœnitente, vel corporalis, per quem ſit impotens ad ſuſtinendum, vel ſpiritualis, per quem non ſit promptus ad portandam pœnam.] Addit Leander ex Armilla, Caietano, & alijs in caſu impotentiæ pœnitentis, ad adimplendam per ſe ipſum pœnitẽtiam, ſemper adeſſe implicitam, interpretatiuam, & virtualem voluntatem confeſſoris, vt alteri committat, & per illum ſatisfaciat. Sic tradit ſupra *q.91.*

3 Nihilominus contraria ſententia tenenda eſt, quam ſequitur M. Martinus de Ledeſma *2. p.4. q.14. art.4.* M. Nugnus *eadem quæſt. art.2.* P. Vazquez ſupra *q. 94. art. 2. dub.1. n.10.* vbi ait, oppoſitam eſſe falſam; Coninch *diſp.10. n.66. & 82* & alij, quos ſequitur Cardin. de Lugo *vbi ſupra n.82.* Ratio eſt, quia licet quantum ad ſolutionem debiti, poſsit vnus pro alio ſatisfacere; vt tradit D. Thomas vbi ſupra *in 4. ſentent. diſtinct.20. & in 3. contra Gentes cap.158. in 4. cap.55.* pœnitentia tamen, vel ſatisfactio

ſacramentalis; vtpotè pars integralis Sacramenti, nequit, etiam ex conſenſu confeſſarij, ab alio, quàm à pœnitente adhiberi, tùm quia ſatisfactio eſt actus ipſiusmet pœnitentis, vt tradit Tridentinum *ſeſſ.14.cap.3.* tùm quia vt fatetur D. Thomas loco citato *ex 4.ſentent. diſt.20. quæſt.1.art.2.ad.3. quæſt.* [pœna ſatisfactoria eſt ad duo, ſcilicèt ad ſolutionem debiti, & ad medicinam pro peccato vitando.] Quod præ oculis habendum commendat Tridentinum confeſſarijs vbi ſupra *cap.8.* ſatisfactoria autem pœna, vt optimè inquit Angelicus Præceptor [in quantū eſt ad remedium peccati, ſi per alium adimpleatur, nil pœnitenti proderit, quia ex ieiunio vnius, caro alterius non domatur.] Satisfactio ergo, quam confeſſarius tenetur imponere, talis eſſe debet, quod pœnitentem per ſe ipſum adimplere, cogat.

4 Quod ſi dixeris cum nonnullis, quos refert, & ſequitur Leander vbi ſupra *q. 26.* poſſe in ſatisfactionem iniungi opera non pœnalia, quia quodlibet bonum opus ſatisfactorium eſt. Contra eſt primò, quia non omne opus bonum deſeruire poteſt *ad præteritorum peccatorum vindictam, & caſtigationem*, quale eſſe debere nos admonet Concilium vbi ſupta. Contra ſecundò, quia ſatisfactio, quæ eſt pars integralis Sacramenti cauſat ſuum effectum ex opere operato, nempè augmentum gratiæ ſanctificantis (ſecundum plures) & pœnæ corporalis remiſſionem, ſecūdum omnes, vt tradunt D. Thomas *3.p.q.90.art.2.ad 2.* Caietanus *ibidem.* Sotus *in 4. diſt.17.q.1. art.2.* Suarez *tom.4. in 3.p.diſp.38.* & plures alij: ad quos effectus ſolùm requiritur ſtatus gratiæ in eo, qui recepit fructum Sacramenti, vt videre licèt in matrimonio per procuratorem in læthali exiſtentem celebrato, quod tamen, iuxta communem Theologorum ſententiam, cōtrahentibus tunc temporis in gratia exiſtentibus gratiæ augmentum ex opere operato impertitur; & in ſacrificio Miſſæ à ſacrilego Sacerdote in peccato mortali pro animabus purgatorij oblato, quibus tamen remiſſio pœnæ tempotalis ex opere operato comparatur: ergo ſi alius in peccato mortali pœnitentiam pro te adimpleret, gratiæ nihilominus augmentum, & pœnæ remiſſionem ex opere operaro cōſequereris: quod valdè abſurdum videtur; ergo licèt opera non pœnalia iniungi poſſent in pœnitentiam ſacramentalem, nequiret adhuc per alium adimpleri.

5 Contra tertiò, quia ſatisfactioni ſacramentali ſolùm conuenit, cauſare ſuum effectum ex opere operato, vt a confeſſario, virtute clauium, ex poteſtate ligandi prouenienteſ; ſacerdos autem a peccatis abſoluens, ſolùm habet poteſtatem ligandi pœnitentem, qui abſoluitur, non alium, licèt vltro ſe offerentem; quia poteſtates ligandi, & abſoluendi reſpectu eiuſdem ſe habent: ergo ſatisfactio ab alio preſtanda nil operabitur virtute clauium, nec vllum ex opere operato habebit effectum; ſed ex opere tantùm operantis, vt dicunt Theologi; eumdem nimirum, quem operaretur, ſi nullus interueniſſet confeſſarij conſenſus, nec pœnitentis petitio, ſed ſua ſponte in gratia exiſtens pro alio obtuliſſet; ergo ſatisfactio, quæ eſt pars huius Sacramenti ab ipſo pœnitente per ſe, nō per alium, etiam ſi de confeſſarij conſenſu, adimplenda eſt.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm pœnitentia medicinalis, ſeu præſeruatiua, à Confeſſario iniuncta poſſit in aliam commutari?

§. I.

Notabilia præmittuntur.

1 SVppono, ſatisfactionem pœnalem, quæ eſt pars integralis Sacramenti Pœnitentiæ, & in vindictam peccatorum imponitur, poſſe commutari in aliam æqualem ab ipſo confeſſario, qui eam impoſuit, vel ab alio etiam confeſſario, iuxta diuerſas opiniones, quæ videri poſſunt apud Dianam *2.p.tr.1. Miſc.reſ.53.* An verò hæc commutatio fieri debeat intra confeſſionem, an poſſit extra? An debeat fieri audita eorumdem peccatorum confeſſione? non conueniunt Doctores, alij enim affirmant, alij negant. Suppono ſecundò pœnitentiam iniungendam a confeſſario debere eſſe præſeruatiuam, ſiue medicinalem, & ſimul pœnalem, vt tradit Tridentinum *q.2.* citatum. Suppono tertiò, pœnitentiam poſſe eſſe primariò medicinalem, & ſecundariò pœnalem, vel ècontra.

2 Quoad medicinalem primariò, & per ſe, nempè, quæ magis, & principaliter ordinatur ad præſeruandum in poſterum, quàm in vindictam, & caſtigationem præteritorum criminum, adeò ſcrupulosè loquuntur Theologi Morales, vt confeſſarij frequenter exiſtiment, pœnitentias has medicinales, ſeu præſeruatiuas nulli eſſe licitum commutare. Doctores autem maiorem latitudinem concedentes docent, vnam pœnitentiam præſeruatiuam poſſe in aliam præſeruatiuam commutari, ſecus minimè. Ita Bonacina *de pœnit.diſp.5.q.5.ſect.3.punct.3.n.5.* Diana *3.p.tr.4.reſ.137.* & alij; Quibus

con-

conſentit Doctor Garſi *in qq. cent. 1. cap. 34. n. 16.* vbi plures.

3 Cæterum Cardin. de Lugo in hac dubitationem incidens, *tr. de pænitent. diſp. 25. ſect. 6. n. 114.* ingenioſè, vt aſſolet, duplicem diſtinguit pœnitentiam medicinalem, ſeu præſeruatiuam; vnam ſimpliciter neceſſariam ad vitanda in poſterum peccata; ad quam pœnitens ex ſe iure naturæ tenetur, independenter à præcepto confeſſarij: & hanc ſicut nec ipſe pœnitens poteſt omittere, ita nec confeſſarius commutare. Verùm tamen ſi ſecundus confeſſarius pœnitentiam illam aufferret, vel commutaret, commutatio valida eſſet, quoad vnum tantùm effectum, nempè vt pœnitens vltra non teneretur ad illam ex præcepto confeſſarij; ſed ſolùm ex præcepto naturali; quo obligatur adhibere media neceſſaria ad vitandum mortale: ideòque omittens, facta commutatione, non peccaret contra præceptum poſitiuum confeſſarij, nec contra Religionem. Peccaret verò grauiter confeſſarius ſecundus auferendo vinculum à primo impoſitum, quando prudenter timeret pœnitentem, eo oblato, relicturum medium neceſſarium ad mortales ipſius vitandos.

4 Alia eſt pœnitentia præſeruatiua (ait Lugo) non neceſſaria ſimpliciter, ſed tantum vtilis ad præcauenda peccata in poſterum, ad quam proinde pœnitens, ſecluſo confeſſarij præcepto, nõ tenetur; & hanc affirmat poſſe in aliam commutari; non tamen declarat, an debeat commutatio fieri in aliam per ſe, & primariò præſeruatiuam, an poſsit in pœnalem primò, & per ſe, cui ſecundariò formalitas præſeruandi conuenit, vt recitationi horarum, auditioni ſacri, & ſimilibus, quæ de more iniunguntur & ad nouæ vitæ cuſtodiam conducere reputantur.

5 Mihi vero ex principijs huius Doctoris dicendum videtur pœnitentiam medicinalem & præſeruatiuam, ad quam pœnitens non teneretur iure naturæ independenter à præcepto confeſſarij; poſſe ab alio confeſſario in aliam primariò, & per ſe pœnalem commutari.

6 Probationi præmitto, ſola opera pœnalia, prout pœnalia ſunt, habere rationem ſatisfactionis pro debito pœnæ; vt docent communiter Theologi cum S. Thoma *diſp. 15. q. 1. art. 5.* & alij ſine numero, quos citat, & ſequitur P. Suarez *de pœnit. diſp. 37.* id latè probans pluribus Concilij teſtimonijs, præcipuè *ex ſeſſ. 14. cap. 8.* vbi opera ſatisfactoria vocat *ſatisfactorias pœnas*, & ex *canone 13.* vbi ait, ſatisfieri pœnis inflictis, & patienter toleratis.

7 Præmitto ſecundò confeſſarium eſſe medicum, & iudicem, ac proinde Tridentinum *ſeſſ. 14. cap. 8.* dicit debere præ oculis habere; vt pœnitentia non ſolùm ſit medicina in futurum, ſed etiam in vindictam præteriti. Verùm licèt debeat curare pœnitentem, vt medicus, non tamen poteſt vt medicus illum obligare, ſed ſolùm vt iudex; cui vt tali poteſtas ligandi, ſicut & abſoluendi competit. Ita Lugo *de pænitent. diſp. 15. ſect. 6. n. 114. & diſp. 25. ſect. 6. n. 115. & diſp. 27. ſect. 2. n. 24. & 25.* dicens pœnitentiam imponi frequenter vt medicinam, confeſſarium tamen non poſſe obligare, niſi quatenus illam imponit in pœnam peccati, vnde concludit [cæterum, ſi pœna totaliter condonetur, non poteſt obligare ad medicinam, quia medicus vt medicus non obligat, ſed conſulit:] ſic ille, quem ſequitur Doctor Garſi vbi infra *n. 28. in fine.*

8 Conſequenter igitur ad hanc doctrinam, duplex formalitas diſtingui poteſt in pœnitentia medicinali; alia pœnæ, alia medicinæ: Iſta reſpondet poteſtati confeſſarij, vt medici, illa vt iudicis. Vnde ad formalitatem medicinæ non aliter obligare poterit confeſſarius, niſi quatenus opus illud pœnale, in quo formalitas medicinæ reperitur; imponitur ab ipſo, vt à iudice in ſatisfactionem Sacramentalem. Quod expreſsit Lugo *diſp. 25. n. 115.* his verbis. *Quod pænitentia, vt præſeruatiua fuerit impoſita, non addit nouam obligationem, ſed ſolùm motiuum ex parte confeſſarij ad imponendam illam: obligatio autem pænitentis tota oritur ex eo, quod ſibi impoſita eſt à iudice in pænam peccati.* Vnde liquet, ex præcepto confeſſarij; non teneri pœnitentem ad medicinalem pœnitentiam, quatenus medicina formaliter eſt, ſed quatenus opus pœnale, & ſacramentalis ſatisfactio. Ratio eſt, quia ex præcepto confeſſarij ad id ſolùm tenetur, quod ab eo, vt iudice imponitur in punitionem delicti, non ad id, quod ab eo, vt medico applicatur, vt vtile ad vitanda peccata, vt patet ex verbis Cardinalis de Lugo ſuperius adductis; ſed pœnitentia medicinalis, vt medicina eſt, applicatur à confeſſario; vt à medico; vt pœna autem imponitur ab eo in punitionem delicti; ergo ex præcepto confeſſarij ſolùm tenetur pœnitens ad pœnitentiam, quatenus pœnam peccati, non quatenus medicinam. Quod poteſt aliunde confirmari, quia ſemel dato, opus aliquod eſſe medicinam, & non punitionem pro peccato, nequit confeſſarius ad illud obligare, quia, vt docet Lugo *diſp. 27. ſect. 2. n. 26.* nequit Sacerdos obligare ad id, quod non eſt ſatisfactio ſacramentalis; qualis non eſt opus habens rationem puram medicinæ, vt ait Ioannes Sanchez *in ſelectis diſp. 33. n. 17.* è contra verò, ſi ponamus, opus habere rationem punitionis, & ſatisfactionis pro debito

bito pœnæ,& non rationem medicinæ, poteſt coufeſſarius ad id obligare: ergo tota ratio, propter quam tenetur pœnitens ex præcepto confeſſarij, ad pœnitentiam medicinalem, eſt formaliras pœnæ,& vindictæ pro peccato; vnde ſi pœnitentia ſit tantum medicinalis (inquit Valerus, cui citato non diſſentit Doctor Garſi *in qq. moral. cer.* 1. *cap.* 34. *n.* 25.) quilibet confeſſarius, etiam extra confeſsionem, poteſt eam commutare, ſuſpendere,& ſuper eam diſpenſare.]

9 Quando autem confeſſarius dicit pœnitenti debere reſtituere, vel relinquere occaſionem proximam,&c. tunc (inquit Lugo vbi ſupra) non obligat, nec imponit nouum præceptum, ſed declarat pœnitenti obligationem, quam iure naturali habet; quia confeſſarius, vt medicus, licèt non poſsit obligare, poteſt,& debet oſtendere pœnitenti obligationem ſuam. Quem ſequitur Leander *tom.* 1. *tr.* 5. *diſp.* 14. *q.* 96. & favet Doctor Garſi, vbi ſupra *n.* 24. cæterum hoc cum grano ſalis accipiendum eſt: ſi enim pœnitens habeat ignorantiam invincibilem de ſua obligatione,& confeſſarius probabiliter credat conſilium non profuturum, tàm longe eſt, vt debeat; vt potius teneatur non admonere pœnitentem de obligatione, vt rectè docent Medina, Sotus, Cano, Ledeſina, Henriquez, Bartholomæus de Ledeſma, Aragon, Corduba, quos refert, & ſequitur Thomas Sanchez *lib.* 2. *de matrim. diſp.* 38. *n.* 6. & 9. & Suarez *de pœnit. diſp.* 32. *ſect.* 4. Quia medicus non debet adhibere medicinam, ſi timeat maius damnum allaturam, quàm fructum. Quod ſi confeſſarius dubitet, ſit, nec ne profutura admonitio; an damnum pœnitenti allatura? tunc ait Lugo cum Filliucio *diſp.* 22. *de pœnit. ſect.* 2. *n.* 31. comparandam eſſe vtilitatem cum damno,& timorem cum ſpe;& omnibus penſatis, id eligendum, quod præponderare iudicetur: quia finis adminiſtrationi huius Sacramenti eſt bonum pœnitentis, ac proinde in eam partem inclinare debemus, quæ non in perniciem, ſed in eius bonum, attentis circunſtantijs, cedere, prudenter iudicauerimus. Ideò ipſe Lugo eodem modo, philoſophādum exiſtimat in hoc caſu; ac in alio, quem adducunt Doctores circa correctionem fraternam, quando quis dubitat, an admonitio ſit profutura? Quem ab obligatione admonendi abſolutè liberat Villalobos, Bañez, Caietanus, Valentia, Aragòn,& Sotus, quos refert,& ſequitur Diana 3. *p. tract.* 2. *reſol.* 38. Debet autem confeſſarius cautè procedere in examināda qualitate ignorantiæ, ne fortè ipſo examine,& interrogatione det occaſionem dubitandi pœnitenti,& inferat ei malam fidem. Quare vt benè Sanchez, & Lugo ſuprà, ſolùm in communi,& quaſi aliud agens, debet interrogare, an habeat conſcientiæ remorſum, circa aliquam materiam grauem. Ex principijs ſuprà iactis infert Doctor Garſi, probabile videri pœnitentem, non adimplentem pœnitentiam medicinalem ſolùm peccare contra præceptum naturale, nō contra præceptum confeſſarij. [Quod, inquit, valdè cōſonum eſt opinioni Ioannis de Lugo.] Sed viri docti venia, longè ab illa diſtat, quia verbis ſuprà datis oppoſitum tradit expreſsè, nā cùm pœnitētia medicinalis ſit etiam in vindictam peccatorum, poteſt confeſſarius ad eam ratione huius reſpectus ſub læthali obligare, vt ad partem integrantem ſacramenti, & de facto obligat, dum imponit: peccat ergo pœnitens duplici peccato, eam non adimplens, alio contra ius naturale, alio cōtra præceptum Religionis a confeſſario iniunctum. Fateor, quod ſi pœnitentia eſſet purè medicinalis, non caderet ſub præcepto confeſſarij, ſed ſub conſilio, hanc autem ſolùm applicare, non licèt confeſſario, vt ait ipſe Garſi *num.* 1. & 4. & conſtat ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 4. Præterquamquod, vt ipſe ait *n.* 20 nulla eſt pœnitentia medicinalis abſoluta, quin ſimul ſit ſatisfactoria,& ita [obligatio, inquit, eius non oritur tota a præcepto naturali, ſed a præcepto cōfeſſarij.] His igitur prælibatis; aliquibus concluſionibus meā mentem aperiam.

§. II.

Triplici concluſione quæſtio dirimitur.

10 Dico primò pœnitentiam medicinalem vtilem ad vitanda in poſterùm peccata poſſe a ſecundo confeſſario in aliam primariò,& per ſe pœnalem cōmutari. Hęc concluſio eſt contra Bonacinā, Dianam,& alios communiter; ſed illam tuetur Cardinalis de Lugo, vel ſaltem non diſſentit, nam rationes, quibus probat pœnitētiam præſeruatiuam poſſe in aliam commutari, idem ſuadent, ſiue in aliam primariò præſeruatiuam, ſiue in aliam primò,& per ſe pœnalem, fiat commutatio.

11 Probatur, quia primus confeſſarius potuiſſet ab initio non imponere illam pœnitentiam medicinalem, ſi attentis circunſtantijs, & fragilitate pœnitentis, timeret probabiliter, vel dubitaret de illius adimpletione: cùm enim confeſſarius medicus ſit, convenientem medicinam applicare debet; nociua autem eſſet, quæ attenta fragilitate pœnitētis, laqueum ipſi inijceret ad nouum peccatum in non adimpletione committendum. Hoc autem ſufficiens eſt, vt confeſſarius liberetur ab onere imponendi ſimilem

pœnitentiam, vt ex communi Doctorũ ſupponit Cardin. de Lugo, *diſp. 25. ſect. 4. num. 48*. Imò addo tunc caſus, non poſſe talem imponere, ſicut nequit medicus medicinam infirmo nociuam adhibere. Ex his igitur argumentum efformo. Secundus confeſſarius de eiſdem peccatis ſententiam ferens, poteſt iniunctam pœnitentiam in eam commutare, quam primus in his circunſtantijs potuit imponere; ſed primus potuit, imò debuit in his circunſtantijs eam pęnitentiam præſeruatiuam non imponere, ſed aliam pęnalem; ergo ſecundus poterit illam in aliam pœnalem commutare. Syllogiſmus conuincit intentum, ſi maiorem propoſitionem probauerimus, quod iam præſto.

12 Ideò ſecundus confeſſarius poteſt commutare pœnitentiam pœnalem ab alio impoſitam, quia duo Sacerdotes, non ſe habent, ſicut inferior & ſuperior, ſed ſicut duo iudices ſuccedentes in eodem Tribunali, & munere (vnus autem iudex in hoc foro rectè poteſt commutare, ſeu moderare pœnã, ab alio æquali prædeceſſore impoſitam) ſed eadem ratio militat, quãdo pęnitentia, a primo impoſita, fuit præſervatiua, vt conſtat: Ergo idem in vtroque caſu dicendum eſt.

13 Vrgetur, quia in pęnitentia pœnali, ideò ſecũdus Sacerdos poteſt reuocare prioris ſentẽtiam, quia cognoſcit in eodem Tribunali de eadem cauſa, perinde, ac ſi numquam fuiſſet iudicata: quapropter reus poteſt ſecundæ ſtare ſentẽtiæ, prima relicta; ſed hoc totum reperitur, etiam ſi a primò iudice fuerit impoſita pęnitẽtia præſeruatiua; ergo poterit ſecundus reuocare, vel mutare prioris ſententiam, imponendo eam pœnitentiam, quam hic, & nunc iudicauerit ſalutarem, & conuenientem pœnitẽti, cuius imbecillitati debent condeſcendere confeſſarij, ad grauiora mala vitanda.

14 Probatur ſecundò, quia ex præcepto confeſſarij, vt probaui ſuprà, ſolùm tenetur pœnitens ad pœnitentiam, quatenus pœnalem; ſed loco vnius pœnæ poteſt ab alio cõfeſſario iniungi alia, vt docent communiter Theologi, quos refert, & ſequitur Suarez, *diſp. 38. ſect. 10. num. 4*. Ergò loco illius pœnitentiæ medicinalis, quatenus ad illam pęnitens tenetur, poſt ſubrogati alia pœnalis: ſed hac ſubrogata, non eſſet obligatio ad aliam, ergo: minor probatur. Quia ablato præcepto iudicis, vt iudicis, non tenetur pęnitens obedire ſub mortali in his, quæ alias non ſunt ei neceſſaria ad ſalutem, vt docet Lugo *diſp. 26. in fine*, præceptum autem primi iudicis ceſſat eo ipſo, quod pœnitens deducit iterum ſua peccata ad Tribunal, vt à ſecundo iudice, ac ſi nunquam fuiſſent iudicata, de nouo iudicentur, vt conſtat in pœnitentia pœnali; ergo non tenetur pœnitens ad pœnitentiam medicinalem à primò impoſitam.

15 Confirmatur, quia facta aliunde ſatisfactione pro debito pœnæ, eo ipſo ceſſat obligatio adimplendi pœnitentiam, etiam medicinalem, vt ſtatim ex pluribus Doctoribus explicabo, ſed ſumpta ex præcepto cõfeſſarij alia pœna pro eiſdem peccatis, fit aliunde ſatisfactio pro debito pœnæ: Ergo eo ipſo ceſſabit obligatio adimplendi pœnitentiam medicinalem.

16 Dico ſecundò: Vnum confeſſarium poſſe commutare pœnitentiam medicinalẽ ab alio impoſitam etiam ſi neceſſaria ſimpliciter ſit ad vitanda peccata, dummodo tales circunſtantiæ, modo occurant, quæ, ſi ab initio occurriſſent, poſſet primus talem pœnitentiam non imponere, contentus declaratione præcepti naturalis, quo pœnitens ad illam tenetur, ſi declarare expediat, iuxta ſuperius dicta. Tunc autem primus non imponere poſſet, quando non ſperaret fructum, ſed potiùs timeret, vel ſaltem dubitaret, eſſet ne illa pęnitentia profutura, an ob fututa pęnitenti; vt conſtat ex dictis circa admonitionem de ſua obligatione; tunc verò teneretur primus cõfeſſarius imponere in pęnitentiam opus, ad quod alias pœnitens iure naturæ tenebatur, vt neceſſarium ſimpliciter ad vitanda peccata, quãdo prudenter ſibi ſuaderet, quod pœnitẽs noua adſtrictus obligatione, aſſumeret medium illud neceſſariũ, aliàs relicturus. In hoc igitur ſecundo caſu; & his circunſtantijs concurrentibus, nequibit licitè ſecundus confeſſarius illam pœnitentiam medicinalem commutare. Quod ſi aliter faceret, valeret quidem commutatio, quantum ad hoc tantùm, vt ſolùm iure naturæ, & non ex præcepto confeſſarij teneretur. Ita docet Cardinal de Lugo; *diſp. 26. à num. 114*.

17 Quod autem facta commutatione, ceſſet obligatio a primo confeſſario, vi eius præcepti impoſita, probatur omnibus rationibus, quibus ſupra probaui, pœnitentiam medicinalem nõ neceſſariam ſimpliciter ad vitanda peccata, poſſe in aliam pœnalem commutari, ita vt non maneat obligatio orta ex præcepto primi iudicis. Iã verò poſſe licitè aliquando commutari, probatur. Quia ſecundùs confeſſarius, cuius ſententiæ ſtare poteſt pœnitens, relicta priori, non debet ex medici munere, imponere vt iudex in punitionem delicti opus illud, ad quod aliàs pœnitens iure naturæ tenetur, ni probabiliter ſaltem iudicet nouam obligationem, ex ſuperaddito præcepto prouenientem, pœnitenti profuturam; eo quod timore incurrẽdi duplex peccatum, abſtinebit ab operatio-

ne;

ne, à qua vnius peccati timor non deterreret: ſi enim id ſibi non ſuadeat, nequibit licitè illam nouam obligationem imponere: aliàs non medicinam conuenientem, ſed laqueum inijceret pœnitenti. Ergo licèt à primo confeſſario fuerit impoſita talis medicina, poterit à ſecundo, variatis circunſtantijs commutari. Imò ſæpè ita expedit, ne ſit occaſio incidendi in plura peccata. Semper autem erit manifeſtanda pœnitenti obligatiò, quæ ipſi remanet iure naturæ, ne pœnitentiæ commutatio ſit erroris occaſio, & permanendi in periculo proximo peccandi.

18 Dico tertiò, per lucrationem indulgentiæ plenariæ liberatur pœnitens ab onere à confeſſario ex præcepto iniuncto implendi pœnitentiam, quæcumque illa ſit, ſiue pure pœnalis, ſiue medicinalis vtilis, ſiue neceſſaria ſimpliciter ad vitandum peccatum; itaque, quod aſſero eſt, non manere obligationem nouam à confeſſario impoſitam, ſed per indulgentiam tolli omnem obligationem prouenientem ex præcepto confeſſarij. Hoc tamen nō tollit, quod aliàs iure naturæ maneat obligatus pœnitens ad medicinam ſimpliciter neceſſariam ad mortales lapſus vitandos. Hanc ſententiã tenet Lugo *diſp.27. de pœnit. ſect.2. à n.21. & n.24.* vbi ait [indulgentiam non tollere obligationem adhibendi medicinam neceſſariam ſimpliciter, quia hæc obligatio non oritur ex præcepto confeſſarij, ſed ex iure ipſo naturali] ergo obligatio, quæ oritur ex præcepto confeſſarij, ceſſat omnino per lucrationem indulgentiæ. Quod priùs clarius dixerat, dum de confeſſario ait. *Si pœna totaliter condonetur, non poteſt obligare ad medicinam.* Cuius in fine videtur reddere rationem dicens; obligationem, quam confeſſarius imponit, totum prouenire à poteſtate iudiciaria, qua poteſt punire, & ligare obligando. Hanc opinionem, ait Lugo, eſſe communem, tam antiquorum, quàm recentiorum, ſimpliciter, & vniuerſaliter affirmantium per indulgentiam liberari pœnitentem ab obligatione implendi pœnitentiam: quin diſtinguant inter pœnalem, & medicinalem. Ita docent S. Thomas, Nauarrus, Syluius, Angelus, Viguerius, Bonacina, Argent. Ricardus, Durandus, Palacius, Paludanus, Adrianus, Valentia, Vazquez, & Coninch, quos refert Lugo vbi ſuprà *num.22.* Itē P. Suarez, Coninch. Amicus, & alij, quos citatos ſequitur P. Mendo *in Bullam diſput. 6. cap 6.* & nouiſſimè loquendo de pœnitentia medicinali, noſtram ſententiam tenent Remigius *in ſumma tr.5. cap.5. §.19. n.5.* & Leander *tom.1. tr.5. diſp.14. q.172.* & probabilem putant Martinus de San Ioſeph *in monit. confeſſ. tom.1. lib.2. tr.7. de indulgent. n.7.* & Diana *p.10. tr.12. reſ.46.* cōtra Henriquez, Sanchez, Reginaldum, Bonacinam, & Palaum, quos ſequitur Doctor Garſi vbi ſupra *n.15.* eo ductus, quod rarò pœnitentia eſt ſatisfactoria, quin medicinalis. Nihilominus noſtra ſententia vera eſt.

19 Probatur primò authoritate Innocentij tertij *in cap. cum ex eo fine de pœnitent. & remiſſ.* vbi ait, *per indulgentias ſatiſfactiones Sacramentales eneruari*: quod falſum eſſet, ſi ex præcepto confeſſarij adhuc maneret obligatio adimplendi ſaltem ſub ratione medicinæ. Secundò probat Lugo *ex extrauagant. antiquorum de pænit. & remiſſ.* vbi Bonifacius VIII. vt refert Gloſſa, nolebat confeſſarios imponere aliam pœnitentiam ijs, qui iubilæum anni ſancti lucrabantur. Tertio probatur ratione à priori, quia confeſſarius iniungit pœnitentiam, vt pœnam ad ſatisfaciendum pro peccato; ergo ſublato debito pœnæ per indulgentiam, ceſſat omnino fundamentum illius obligationis, quamvis enim pœnitentia ſit etiam medicinalis, nil refert, quia confeſſarius, vt probaui *n.4. & 5.* non poteſt obligare, niſi quatenus illam imponit in pœnam, ac proinde ceſſante obligatione adimplendi in pœnam, ceſſat ratio formalis, propterquam pœnitens ex vi præcepti de nouo impoſiti ad illam tenebatur, & conſequenter ceſſat obligatio orta ex præcepto confeſſarij; quia hæc tota oritur à poteſtate ligandi, ad pœnam obligando, quæ poteſtas non adeſt, ſemel ſublato debito pœnæ. Qui enim nil debet pro peccatis, non poteſt obligari adſoluendum, nec pars integralis Sacramento deficit, quia ipſamet iubilei lucratio loco pœnitentiæ ſubrogatur, ſi verò ad vitandum periculum recidiui, pœnitentia illa ſimpliciter neceſſaria ſit, manebit obligatio ex iure naturali: de hac enim dubitari non poteſt.

20 Ex dictis infertur primò, quod licèt pœnitens propria authoritate nequeat commutare pœnitentiam ſacramentalem in aliam euidenter meliorem, vt contra Portel, Villalobos, & Dianam *3. p. tr.4. reſ. 53.* docent communiter Theologi, poterit nihilominus commutare in lucrationem indulgentiæ plenariæ; & licèt vnus confeſſarius nequeat commutare, extra confeſſionem, pœnitentiam ab alio impoſitam (vt contra Victorellum, Valentiam, Verarducium, & Rodriguez tenent communiter Doctores apud Dianam *2. p. tr.2. Miſc. reſ. 53.*) Nihilominus poteſt eiuſmodi commutationem pœnitenti conſulere, vel etiam per ſe efficere, vt docet Cardin. de Lugo ſuprà *ſect.2. n.31.* vbi ait, ita approbaſſe doctiſſimos Salmaticenſes à ſe conſultos, &

ita

iſta tenere doctiſsimum Pater Ioannem de Salas, & Alphonſum Rodriguez in ſuis manuſcriptis. Ratio eſt manifeſta, quia hic non intervenit propriè commutatio, ſeu moderatio ſententiæ a primo confeſſario latæ, ſed lucratione indulgentiæ ceſſat fundamentum obligationis, cum per illam auferatur debitum pœnæ; ac proinde hæc ſubrogatio non eſt propriè commutatio ſententiæ facta ab ipſo pœnitente, ſeu ab alio Sacerdote, extra confeſsionem, neuter enim poteſt id facere: non primus quia ſubditus, qui ex præcepto tenetur, nunquàm poteſt commutare materiam præceptam: non ſecundus, quia non eſt iudex, nec habet vllam iuriſdictionem, niſi in Tribunali confeſsionis. Hæc doctrina eſt maximè obſeruanda; quæ audientibus non erit ingrata, & ad pœnitentium conſcientias, gravium pœnitentiarum pondere grauatas exonerandas, nulla aptior. Videatur Leander a Sacramento *tom. 2. de pœnitent. tract. 5. diſput. 9. quæſt. 82.* vbi pro hac ſententia quam ipſe ſequitur, adducit Nauarrum, Reginaldum, Toletum, Tabienam, Bonacinam. Et ſequuntur Thomas Sanchez *in ſumm. libr. 1. cap. 14. num. 8.* Diana *3. part. tract. 4. reſol. 106. & 5. p. tract. 12. reſol. 3. & part. 8. tract. 1. reſol. 80.* Mendo *in Bullam, diſp. 6. cap. 6. num* 09. & plures apud ipſos.

21 Infertur 2. poſt lucratam indulgentiam poſſe pœnitentem propria authoritate commutare pœnitentiam medicinalem in aliam medicinalem æquè vtilem ad præcauendum a reciduo, quia quando vnum medium non eſt ſimpliciter neceſſarium, ſed ſunt plura, quibus periculum peccandi æquè vitabitur, nullo iure tenetur pœnitens ad vnum præ alio; quia nec ex confeſſarij præcepto, quod ceſſauit, vt probaui, nec ex iure naturali, quod delectum mediorum, æqualium ad finem, liberum relinquit.

QVÆSTIO V.

Vtrùm, qui ex pœnitentia Sacramentali ad ieiunium tenetur, obligationi ſatisfaciat, ſi ieiunet, etiam ſi animo deliberato non adimplendi hoc ieiunio pœnitentiam?

1 NOn ſatisfacere vlli præcepto, qui per opus, quod efficit, illi ſatisfacere non intendat, tenet plures Doctores apud Sanchez *in ſumma libr. 1. capit. 13. numer. 12.* vbi Medina, Nauarrus, Ledeſma, Pallacios, Angles, Paez, Azor, Manuel Rodriguez, Petrus de Ledeſma, & Henriquez, quam opinionem valde probabilem eſſe, ait ipſe Sanchez *numer. 13.*

2 Cæterum contrariam ſententiam probabilem eſſe putat, & meritò; quam loquentes de præcepto audiendi ſacrum, tenēt plures; aſſerentes illud adimplere, qui aſſiſtit, licèt animo deliberato, & expreſſo non adimplendi hoc ſacro, ſed alio; licèt poſtea mutata voluntate aliud non audiat: ſic viginti & quatuor Doctores, quos refert Leander a Sacramento *in 5. præcepta Eccleſiæ, tract. 2. diſp. 9. quæſt. 89.* Idemque de præcepto recitandi Horas Canonicas tradunt plures alij, quos ad ſex ſuprà viginti protrahit ipſe Leander *tom. 6. tr. 8. diſp. 4. quæſt. 39.* Quos ſequuntur M. Raphael de la Torre, M. Candidus, Magiſter Sacri Palatij, & ferè triginta authores apud Ioannem Martinez de Prado *tom. 2. Theolog. Moral. cap. 3. quæſt. 8. §. 1. num. 1.* eamque tenent Valentia, Suarez, Vazquez, & Leſsius apud Sanchez *ſup. numer. 13. in fine.* Ratio eſt, quia leges, & præcepta ſolùm obligant ad efficiendam rem præceptam, & conſequenter ad actum internum, ſine quo exequi non poteſt, non verò ad alios, quibus hic, vel ille finis præſcribatur; quia finis non cadit ſub præcepto; ſic qui ieiunat adimplet Eccleſiæ præceptum, licèt ex malo, vel indifferenti fine ieiunet, ergo præcepta non obligant ad actum, quo quis velit illis ſatisfacere, ſed quo velit in actu exercito opus lege iniunctum exercere; qui quidem actus abſque alio ſubſiſtere poteſt, vt ex terminis notum eſt. Vnde non eſt in poteſtate operantis, præcepto non ſatisfacere; poſito, quod opus præcepto iniunctum efficiat; & actu humano, & libero efficere intendat. Et quidem nil apud Doctores magis commune, quàm de occultis Eccleſiam non iudicare, nec ſuperiores poſſe præcipere actus internos, exceptis illis, qui ex ſuppoſitione actus externi per neceſſariam conſequentiam deducuntur, ideſt, ſine quibus actus externus exequi non poteſt, vt benè ait Vazquez cum alijs *tom. 4. in 3. part. q. 90. art. 1. dub. 4. à num. 14.* & eſt ſententia D. Thomæ *1. 2. quæſt. 10. art. 9.* vbi ſic ait, [illud cadit ſub præcepto legis, ad quod lex cogit: (& infrà) illud cadit ſub præcepto legis, pro quo pœna infligitur. Ad inſtituendam autem pœnam, aliter ſe habet lex diuina, & aliter humana. Non enim pœna legis infligitur, niſi pro illis, de quibus legiſlator habeat iudicare, homo autem; qui

eſt legiſlator humanæ, non habet iudicare, niſi de exterioribus actibus, quia homines vident ea quæ parent.] Igitur ex mente D. Thomæ, nullum humanum præceptum ſe extendit ad actus internos, qui ex externis non appareant, quales tantum ſunt neceſſarij, ſeu ad illorum executionem requiſiti, ſecus alij, qui ſoli operanti noti ſunt, & ſine quibus opera iniuncta ſub præcepto exequi poſſet. Hac poſita ſententia, vt veriori, & cõmuniori, pro Eccleſiæ præceptis.

3 Reſtat peculiaris difficultas circa pœnitentiam ſacramentalem, in qua diſparitatem plures conſtituunt. Quia pœnitentia iniungitur a Sacerdote gerente vices Chriſti, & iudicante nomine ipſius, atque efficiente, vt illud opus ſatisfactorium ſit pars integralis ſacramenti. Vnde videtur poſſe reſultare obligatio iuris naturalis diuini, quæ tranſcendat ad alios actus internos, qui ad operis exequutionem, neceſſarij non ſint, ad quos Chriſtus Dominus potuit nos obligare, vtpotè qui externorum, & internorum iudex eſt. Et quod ita de facto res ſe habeat; tradit Pater Vazquez *de Beneficijs cap. 4. §. 1. art. 3. dubit. 7. numer. 117.* Quia licèt in alijs legibus, ſufficiat ponere opus præceptum, etiam ſi non adſit intentio obſeruandi legem, imò quandoque exprimi poſſit contraria, vt ſupra diximus, in hac tamen materia ſatisfactionis, videtur requiri intentio ex eo, quod eſt pars ſacramenti: ergo ſicut omnia ſacramenta requirunt in adulto intentionem, ſaltem virtualem ea recipiendi, ita & intentionem ſatisfaciendi per opus in pœnitentiam iniunctum, vtpotè partem integralem ſacramenti. Ideò hanc partem ſuſtinet vltra Vazquez, Eminentiſſimus Cardinalis Sfortia Pallauicinus *in aſſert. Theolog. libr. 7. cap. 27. num. 280.* Quod probat, quia in præſenti materia, præter præceptum confeſſarij iniungentis opus; habemus præceptum Dei referendi illud opus ad ſacramentum, vt poſſit nobis prodeſſe ex opere operato: vnde concludit opus a confeſſario iniunctum non eſſe partem ſacramenti, quomodocumque fiat, ſi deficiat intentio ſatisfaciendi obligationi; etiam ſi hæc caſu memoriæ non occurrat, quia non adimpletur præceptum Chriſti Domini de actu interno, quo in eſſe partis integralis conſtituitur, nempè de intentione ſatisfaciendi pro pœna peccatis debita. Hæc eſt doctrina Pallauicini; cui partim conſentit Diana *part. 10. tract. 16. reſol. 25.* quia licèt ſolum confeſſarij præceptum agnoſcat, & ei ſatisfieri affirmet ſola operis exequutione; putat tamen, tale opus non habere rationem partis integralis ſacramenti, & per conſequens non remittere pœnam ex opere operato, deficiente intentione ſatisfaciendi.

4 Contrariam tamen ſententiam tenet Pater Thomas Sanchez *libr. 1. ſummæ, capit. 13. numer. 17.* vbi ait pœnitentiam verè impleri, ſi opus iniunctum executioni mandetur, cum expreſſa intentione illius non implendæ; quia pœnitentia ex ſolius confeſſarij præcepto adimplenda eſt, ac proinde idem de illa, ac de alijs præceptis ſentiendum. Quod iterum tradit *lib. 4. de voto, cap. 13. in fine*, ex eodem principio inferens, illum, cui confeſſarius iniunxit pro pœnitentia eleemoſynam, vel ieiunium, ſub disiunctione, ad eius beneplacitum, ſi dederit eleemoſynam, cum intentione non implendi pœnitentiam, ſed ieiunandi poſtea; poſſe adiuc mutata voluntate non ieiunare, quia re vera impleuit disiunctiuum, quod à confeſſario impoſitum fuit. Idemque de voto, & iuramento, ac de alijs præceptis dicendum cenſuit *libr. 1. capit. 13. citato num. 18.* nec de effectu remiſſionis pœnæ ex opere operato dubitat. Nam per hoc præciſe, quod fiat opus impoſitum a confeſſario in nomine Chriſti, eleuatur ad effectum ſacramentalem cauſandum per voluntatem Sacerdotis præcedentem, vt optimè ait Lugo vbi ſupra. Quem ſequutus Antoninus Diana *6. part. tract. 6. Miſcell. 1. reſol. 43.* illum referens *tom. de Sacramento Pœnitent. diſput. 25. ſect. 3. numer. 37.* Vbi Eminentiſſimus hic Author probabile cenſet non requiri intentionem ſatisfaciendi præcepto confeſſarij; ſed executione operis iniuncti; etiam ab immemore obligationi illi ſatisfieri, nempè *ex vi intentionis præteritæ non reuocatæ, quæ eſt intentio quædam habitualis, &c. quæ ſufficit, vt recipiatur validè ſatisfactio ſacramentalis, etiam ſi daretur non ſatisfacere, quando eſt reuocata per contrariam intentionem.* Quibus verbis etiam reuocatam ſufficere, ſatis innuit, licèt non expreſsè doceat. Illam verò tenent Delgadillo *tom. de pœnit. capit. 18. dub. 48.* & M. Acatius de Velaſco Epiſcopus Orioleſis *tom. 2. reſ. Moral. verb. Horas, reſ. 56. nu. 4.* dicens hanc eſſe probabiliorem, & communiorem.

5 His ego libenter ſubſcribo: primò, quia vt ait Diana *part. 10. tr. 11. reſ. 6.* [Videò Doctores communiter abſolutè docere præceptum penitentiæ impoſitum a confeſſario audiendi Miſſam, ieiunandi, &c. metiendum eſſe ad inſtar præceptorũ Eccleſiæ.] Atqui præcepta Eccleſiæ adimplet, qui rem præceptam exequitur, etiam ſi obligationis immemor: imò & cum volũtate, &

inten-

Digitized by Google

intentione expreſſa non ſatisfaciendi hoc opere; ſed alio poſtea exequẽdo (vt communiter Doctores ſuprà citati) Ergo & præceptum pœnitentiæ impoſitum a confeſſario. Secundò, quia dolor, qui eſt pars eſſentialis ſacramenti non, amittit rationem partis, licèt ab immemore confeſsionis futuræ eliciatur, imò & cum intentione expreſſa non iterandi confeſsionem peccatorum, de quibus dolet, (quæ iam clauibus ſubiecerat, & nulla de nouo commiſit) poteſt enim quiſque mutare voluntatem, & illo actu doloris peccata illa iterum validè, & fructuosé confiteri, vt conſtat ex dictis 1. *part. Select. tr.3. diſp.5. de dolore, q.9. in fine*. Ergo potiori iure opus iniunctũ, quod pars tantum integralis eſt, ad Sacramentum pœnitentiæ integrandũ deſeruire poterit; licet ex intentione operantis ad illud non referatur, neque operans intendat præcepto confeſſarij ſatisfacere, neque pro peccatis antea confeſsis.

6 Tertiò; quia opera iniuncta in pœnitentiam eleuantur ad remiſsionem ex opere operato, virtute ſacramenti. Ergo & virtutẽ intenrẽtionis ad eius valorem requiſitæ; nẽpè intentionis pœnitentis volentis illud recipere, & intentionis Sacerdotis abſolutionem conferentis; quorum vtraque intentio præceſsit, ergo ſicut ſacramẽtum validè fuit ſuſceptũ quin vlla potentia effici poſsit, non fuiſſe validum, ita neque quod opera iniũcta in pœnitentiam ab eo tempore non fuerint eleuata ad eſſe remiſsiua pœnæ ex opere operato; ergo quod modò deficiat intentio executionis pœnitentiæ ex fine adimplendi pœnitentiam, & ſatisfaciendi pro peccatis, nil obſtat ad effectum, ad quem iam ſupponuntur opera eleuata; quia ad præteritum nulla eſt potentia: ergo licèt deficiat relatio, ad ſacramentum receptum, actualiter concepta, & licèt opus exequatur cum intentione expreſſa non ſatisfaciendi obligationi iniunctæ per illud; ſed per aliud poſtea exequendum, verè ſatisfit præcepto confeſſarij, & verè hoc ieiunium eſt ſatisfactorium ex opere operato, quia executioni mandatur, quod præcepit confeſſarius, & quod ex vi ſacramẽti ſuſcepti fuit eleuatum ad effectum remiſsionis pœnæ.

7 Nec vllum eſt fundamentum ad aſſerẽdum, præter præceptum confeſſarij, dari aliud diuinum referendi executionem operis ad Sacramentum, ſeu habendi intentionem ſatisfaciendi pœnitentiæ præcepto, ſeu pro pœna, debita: tùm quia ex defectu intẽtionis huius, non impeditur effectus ex opere operato, vt probaui: tùm etiam, quia licet impediatur, quando in peccato mortali pœnitentia adimpletur (vt docẽt omnes Theologi) nihilominus nouum læthale nõ eſt, ſic

illam adimplere. Vt docent Vazquez *tom. 4. in 3. p. q.94. art.2. dub.5. n.18.* Lugo *tom. de pœnit. diſp.25. ſect.3. num.33.* Petrus de Ledeſma *in ſum. de pœnit. cap.1. dub.2.* Ioan. de la Cruz *p.1. de pœnit. q.1. dub.4. concl.2.* Candidus *art 30. dub.14. & 17.* Fagundez. Hurtad. Ochagauia, Layman. Reginald. Ludouicus de Torres, & alij, quos citatos ſequuntur Diana *3. p. tr.4. reſ.70.* & Leander a Sacrament. *tom.1. tr.5. diſp 9. q.8.* Cuius ratio eſt: vel quia licet de præſenti, ob incapacitatem ſubiecti, non remittatur pœna, tamẽ ſublato obice peccati, eam pœnitentia illa operatur, vt docent Vazquez, Nauar. Suar. Reginald. Victor. Bonacin. Fagund. Lugo, Candidus, Caietan. Sotus, Torreblanca, Palaus, & alij, quos citatos ſequitur Leander ſuprà *quæſt.11.* dicens eſſe communem; vel, quia licet fructus ex opere operato omnino impediatur, ſi in peccato mortali fiat opus in pœnitentiam iniunctum, remanet tamen in eſſe partis Sacramenti: quia ad hoc ſufficit, quod ſit punitio voluntaria impoſita à iudice ad puniendum, vt cum Vazquez *q.94. art.2 dub.5. num.17.* tradit Lugo *ſuprà num.30. & 31.* Nec præceptum confeſſarij violatur, quia per illud opus efficiendum præcipitur, non modus, vt docent communiter Theologi Suarez *diſp.38. de pœnitent. ſect.8.* Fagundez *lib.9. cap.4. num.2.* Vazq. ſuprà *art. dub.2* & alij. Ergo cum, ex ſolo præcepto confeſſarij, obligatio adimplendi pœnitentiam ortum habeat, non aliter; ac de alijs præceptis philoſophandum eſt, ſed de omnibus eodem modo ſentiendũ, vt benè ait Sanchez vbi ſuprà, & cum D. Thom. Paludano, Sylveſtro, Caietan. Soto, & alijs communiter tradit Cardinalis de Lugo, *diſput.25. ſect.3. num.30.* Ergo ſicut in alijs ſufficit exequi rem præceptam, nec finis legis cadit ſub præcepto, ſic & in hoc impoſito à confeſſario ſufficiet, licèt operans non intendat ſatisfacere.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm, quando in iubilæis indicitur Eleemoſyna pro indulgentia lucranda, ſufficiat quælibet? v. g. Obolus, ſi non dicatur fieri cum proportione ad facultates.

1 Affirmat Eſcobar *in Morali Theolog. tr.7. exam.5 cap.8. num.61.* à quodam Theolog. ideò ſugillatus, ſed immeritò, quia hanc ſententiam ante illum docuerunt doctiſsimi viri, quos ſequitur Diana *p.5. tract.12. reſol.14.* vbi, inquit: [An quando in Bulla Iubilæi, vel indulgẽtiæ præſcribitur ſimpliciter, & indeterminatè eleemoſyna, hæc facienda ſit ſecundum qualitatem perſonæ? Affirmatiuè reſpondet Nauarrus;

rus, Corduba, & Reginaldus; ſed prorſus cõtrariam ſententiam tenendam eſſe puto cum Fauſto, Sanctarello, Leone, Suarez, Filliucio, Rodriguez, & alijs. Dico igitur quamlibet eleemoſynam, etiam vnius ovoli ſufficere ad lucrandum Iubilæum, dum non eſt determinata quantitas. Et ratio eſt, quia illa conditio eleemoſynæ indefinitè poſita, per quamlibet eleemoſynam, etiam minimam adimpletur, nam, vt Ariſtoteles *libr. 1. Perihern.* teſtatur; ad veritatem propoſitionis indefinitæ quælibet ſingularis ſufficit.] Sic Diana ſuprà, & iterum *part.* 10. *tr.* 15. *reſolut.* 22. vbi in hanc controverſiam incidens dicit eſſe communem Doctorum ſententiam. [Notandum, inquit, eſt hic obiter, Paſqualigum vbi ſupra *deciſ.* 133. docere eleemoſynam dandam pro lucrando Iubilæo, quando relinquitur vniuſcuiuſque arbitrio, non ſufficere minimam, ſed ego olim contrarium docui cum communi ſententia, quam me citato, nouiſsimè tenet Gouar. Leander, Lezana, &c.] Hactenus Diana, cui facit Cardinalis de Lugo, *tom. de pœnitent. diſput.* 27. *ſect.* 7. *num.* 114. *fol.* 623. dicens: [Dubitatur decimo, vtrùm diuites debeant dare eleemoſynam proportionatam ſuo ſtatui, & diuitijs? Hæc difficultas habebat locum in Bullis antiquis; cæterum iam nunc non ſupereſt difficultas. Verba enim ſunt hæc: [*Et eleemoſynas ad libitum, prout Charitas ſingulis ſuggeſſerit, fecerint.* Et rurſus: *& eleemoſynas ſimiliter pro arbitrio ſuo fecerint.*] Sic ille, quibus nos edocet certiſsimum eſſe ſufficere quamcumque, etiam minimam eleemoſynam, licèt ſub his terminis non expreſſerit.

2 Sed expreſsit Machado *tom.* 1. *libr.* 3. *p.* 2. *tract.* 3 *document.* 2. *num.* 3. [La tercera condicion (inquit) que ſe ſuele pedir, es que ſe dè limoſna. Acerca de la qual diſputan los Doctores, ſi eſta ſe ha de hazer ſegun la calidad de la perſona. Nauarro, y otros ſienten que ſi, y que el rico no cumple en dar como pobre. Suarez, y otros (Filiucio, Santarello, Leon, Lugo) mas prouablemente afirman, que como la cantidad no eſtè determinada, cumple qualquiera, con dar ſiquiera vn marauedi de limoſna: porque ſiendo la condicion de ella indefinita, baſta qualquiera parte, para que ſe verifique.] Sic ille.

3 Quem cum alijs ſequitur R. P. Leander a Sacrament. *tom.* 1. *tract.* 5. *diſput.* 14. *q.* 50 [Quando in conceſsione, inquit, indulgentiæ præſcribitur, abſolute, & indeterminate eleemoſyna, &c. reſpondeo, non eſſe neceſſariò faciendam, ſecundum qualitatem perſonæ, ſed ſufficere quamcumque eleemoſynam minimam, & paruam, etiam à diuite perſona datam, ad lucrandam indulgentiam: quia ad verificandam veritatem propoſitionis indefinitæ id ſufficit. Sic Suarez, Filliucius, Rodriguez, Fauſtus, Sanctarellus, Leo, Diana, Henriquez, Bonacina, Sà, Boſsius, Quintana-Dueñas, Machado.] Sic ille. Quem nouiſsimè ſequitur M. Fr. Antonius Baco Auguſtinianus *in ſumm. diſp.* 36. *cap.* 9. vbi citato Diana *p.* 5. *tr.* 12. *reſ.* 14. ait: [Quando en el Iubileo ſe manda dar limoſna, aunque ſea hombre rico, baſta dar vn marauedi.] Sic ille, quando non inducitur, iuxta qualitatem perſonæ erogandam.

4 Hæc ſententia probabilior mihi videtur. Primò, quia plurium Doctorum opinio aſſerit, nullam, aut leuem cauſam requiri ad valorem indulgentiæ, quod ſentiunt authores viginti, quos refert Henriquez *lib.* 7. *cap.* 10. *num.* 7. *in gloſſ. litt. R.* ex quibus ſic ego. Nulla, aut leuis cauſa ad valorem indulgentiæ requiritur, ergo ſub nulla, aut leui eleemoſyna poteſt eſſe valida: ergo dum Pontifex non determinat quantitatem, ſed ſolum, quod detur eleemoſyna; qualibet, & ſi leui contentus eſt, nam quæcumque detur, verè dicitur quis dediſſe eleemoſynam.

5 Vrgetur ex doctrina communi aſſerente, non eſſe de neceſſitate indulgentiæ, vt concedatur ſub conditione alicuius operis pij faciendi: quam cum M. Nuño, & pluribus, quos refert, defendit Bonacina *diſput.* 6. *quæſt.* 1. *punct.* 4. *num.* 6. Si ergo abſque vllius operis onere poteſt concedere Pontifex indulgentiam plenariam, cur non & ſub leuiſsimo? Sic ergo concedere cenſendus eſt, dum quantitatem nõ determinet. Ratio deſumitur ex D. Thoma *in addit. quæſt.* 25. *art.* 2. vbi ait: [quæcumque cauſa adſit, quæ in vtilitatem Eccleſiæ, & honorem Dei vergat, ſufficiens eſt ratio indulgentias faciendi: & ideò dicendum, quod indulgentiæ ſimpliciter tantum valent, quantum prædicantur, dummodo ex parte dantis ſit authoritas, & ex parte recipientis charitas & ex parte cauſæ pietas.] Sic ibi, & expreſsius. *Quodlib.* 2. *artic.* 16. vbi hæc tria requiſita iterum referens, dicit de Theſauro Eccleſiæ poſſe Pontificem, his concurrentibus, indulgentiam cuique applicare, [ita ſcilicet, quod paſsio Chriſti, & aliorum Sanctorum ei imputetur, ac ſi ipſe paſſus eſſet, quantum ſufficeret ad remiſsionem ſui peccati. (& infrà ad tertiũ) Neque ad hoc requiritur aliquis labor, quia ſufficit labor paſsionis Chriſti.] Ergo ſimiliter, neque requiritur aliquod opus a lucrante præſtitum cùm ſufficiant bona opera Chriſti Domini. Ideò optimè P. Suarez 3. *p. tract.* 4. *diſp.* 52. *ſect.* 4. *n.* 3. [Dicendum, inquit, eſt non eſſe ſimpliciter, & abſolutè de ne-

neceſsitate indulgentiæ, vt concedatur ſub conditione alicuius operis faciendi ad effe-ctum indulgentiæ conſequendum. Declaratur ex generali dogmate a Theologis recepto: *tria eſſe neceſſaria*, *&c.* quia multiplex ratio ſufficiens ad indulgentiam concedendam intelligi facilè poteſt, ſine interuentu noui operis,ex parte hominis lucrantis fructum indulgentiæ. Poteſt enim in primis indulgentia dari per modū gratitudinis,propter obſequia Eccleſiæ exhibita,&c.] Sic ille plures cauſas referēs, (quas recenſent etiam Henriquez *ſupr.cap.14.n.1.*&Cardin.de Lugo vbi ſuprà,*ſect.6.nu.88.fol.619.*)propter quas indulgentiarum diſpēſatio fieri poteſt, abſque noui operis impoſitione. Ergo potiori iure,&quocumque,etiam minimo,impoſito. Quia non conceditur ſolius intuitu minimi illius operis, ſed principaliter ob cauſas aliàs pias ex ſe ſufficientes, abſque vllo opere ad indulgētiæ lucrationem, nimirum ex titulo gratitudinis, remunerationis, ſolatij,medicinæ,&ſimilibus,[vt conſtat (inquit Lugo)ex vſu Pontificum,qui ſæpè concedunt indulgentiam moribundis benè meritis de Eccleſia.[Ergo licèt opus iniunctum leuiſsimum fuerit, non ideò ceſſabit indulgentia, ergo licèt eleemoſyna minima elargiatur; cùm in quantitate determinatam non requiratur, nec a Pontifice exigatur.

6 Ex hoc principio defendunt communiter Theologi validam, & iuſtam eſſe indulgentiam conceſſam habenti aliquod granum,vel imaginem benedictam, *aut Pater, & Aue*, ea tangendo, recitanti. Quam tenent Nauarrus,Viualdus,Corduba, Michael de Medina,Suarez, Villalobos,& alij,quos citatos ſequitur Diana *part.10.tract.11.reſol.53.* Leander a Sacramento *tom. 1. tract. 5.diſp.14.quæſt.33.*&Henriquez *lib.7.capit. 14 num.3 & in Gloſſ.litt.A.* vbi inuehitur in Caietanum *de indulgent. tract. 9. quæſt.2. in 4 diſtinct. 21. quæſt. 2. art.2.*& contra Sotum, qui,licèt aliàs piiſsimus,hæc ſcribere non formidauit.[Noſtris temporibus vſque adeò piorum clementia erga animas, quæ in purgatorio cruciantur,ſucreuit, vt importunis ſupplicationibus a Summo Pontifice conceſsio fuerit extorta, vt qui tangendo quendam benedictum calculum,*Ave Maria, vel Pater noſter* recitaret,animā inde, quantocumque tempore cruciari deberet, eriperet; & protinus libera euolaret. Hanc ego non dicam piam fraudem, quia Hæreticorum verbum eſt,ſed tamen citra Religionis iniuriam, poſſet hoc populo diſuaderi. Profectò diræ crudelitatis argueretur Deus, ſi animam tribus annis, tàm atrociter contorqueret, cuius tamen liberatio ex vnò *Pater noſter* penderet,&calculi tactu.]Hactenus M.Dominicus de Soto,quem alij ſequūtur; in quos ſic invehitur Henriquez vbi ſupr.[In quo malè loquitur Caietanus, & peiùs Soto *q.2.art.2.* item Pettus de Soto, & audaciùs Ledeſma oblatrant contra calculos benedictos.] In hoc ſanè hi Doctores non defeciſſent, ſi conſideraſſent remiſsionem pœnarum, non leuiſsimo operi iniuncto, ſed meritis Chriſti,&Theſauro Eccleſiæ tribuēdam a Summo Pontifice,& Chriſti Vicario, ex cauſa aliàs ſufficienti,(etiam ſecluſo omni opere pio ex parte lucraturi,) vt a diſpenſatore conceſſam,iuxta doctrinam D. Thomæ ſuprà traditam: *quod ſcilicet paſsio Chriſti ei imputatur,ac ſi ipſe paſſus eſſet, quantum ſufficeret ad remiſsionem ſui peccati, & ſatisfactionem pro pœna debita.* Qua propter M. Sotum Carpit etiam Villalobos *tom. 1. tract.26.diſp.3.num.5.* dicens: [Confirmaſſe eſto con la autoridad de los Sumos Pontifices, que por viſitar tal, ò tal Igleſia,ò por mirar con devocion eſta, ò aquella Imagen, ò por rezar vn Pater noſter, y vna Ave Maria,conceden indulgencias, y a vezes grandes;cuya autoridad huuiera de baſtar,ſi bien lo mirara Soto, porque quando no conſtare claramente lo contrario, haſe de preſumir, que la cauſa que el Pontifice ſeñala es ſuficiente,como dize Cordoba, y la comun, y lo concede el miſmo Soto. Y aſsi no habla Soto,como era razon, en las quentas benditas.] Hæc Villalobos.

7 Denique pro noſtra ſententia aſſerenti, quamcumque eleemoſynam, etiam leuiſsimam ſufficere ad lucrandam indulgentiam, quando indeterminatè, & indefinitè exigitur, militare debent, quotquot aſſerunt ſufficere quamcumque, etiam breuiſsimam orationem, quando tantummodo exigitur oratio, pro cuiuſcumque devotione, nullam determinando. Quod tenent plures,quos citatos ſequitur Leander à Sacram. *tom.1.tract.5.diſp.14.quæſt. 65.* dicens: [an pro obtinenda indulgentia, ſufficiat quæcumque etiam minima, & breuis oratio? Negant Pollacus,& Ægidius, ſed probabiliùs reſpondeo, ſufficere, niſi aliàs in Bulla Iubilæi præſcribantur certæ preces. Sic Boſsius,& ex illo Diana *5.part.tr.12.reſol.33.* Sic etiam apud ipſos, Leo, Filliucius, Suarez,Navarrus,Henriquez, Bonacina, Rodriguez, Fabrinus, Laborius, Cæſar Boronus, quibus ego addo Ægidium, Trullench.]Sic ille, & ante illum Machado *tom. 1. libr. 3. part. 2. tract.4.document.3.num. 4.* dicens: [Acerca de eſta Oraciō,dizen Suarez,y otros Autores comunmente, que es ſuficiente para ganar la indulgencia referida qualquiera ora-

cion,por breue que ſea.] Accedit M. Gallego de Bulla Cruciatæ *dub.* 24. *fol.* 14. qui ait ſufficere,[rezar vna, ù dos Ave Marias,] quando indicitur orare, & preces fundere pro conſeruatione fidei. Et CaſtroPalao *tom.* 1.*tract.de Bulla p.*5.*num.*3. qui dicit ſufficere orationem minimam; quos ſequitur Tāburinus *tract.de Bulla Cruciatæ,cap.*10.§.2.*nu.*4.*fol.*68.& Trullench *in expoſ.Bullæ,lib.*1.§.6.*dub* 2.*num.*6 *fol.*171.*ibi*. [Sufficit ad ſingula altaria ſemel orationem Dominica, & Angelicam fundere,quia ſic orare,eſt preces fundere.] Sic ille circa orationem, pro viſitatione quinque altarium requiſita pro indulgentia Bullæ Cruciatæ. Nec hanc opinionem ſe penitus improbare ait P. Mendo, *diſp.*10.*in Bullam,cap.*3.*num.* 12 cui fortan cum formidine adhæſit;quia de hac quæſtione circa quantitatem orationis vocalis, nil apud auctores tunc inuenerat : *Nil, inquit, apud auctores reperio,niſi apud Trullench, vbi ſupr.* ſentit verò expreſsè cum illo orationē mentalem ſufficere ad lucrandam indulgentiam,quia verè preces ad Deum fundere dicitur,qui mētaliter orat,orarioque ſtat,tām pro mentali,quām pro vocali. Quibus aſſentior. Ex qua validam pro eleemoſyna ſumitur argumentum.

8 Sed pro coronide omnino videndus M.Dominicus Balthanâs, nam valde fauorabilia his concernentia tradit *in Margarita Confeſſor. Hiſpali edita anno* 1526. *vbi fol.* 166 ſic ſcribit:[Si concedat Papa,ſicut poteſt,quod aliquis faciendo aliquod pium,eripiat animam vnam a pœnis, tot poſſent lucrari hanc indulgentiam,quot purgatorium euacuaretur : ſimiliter tenendo, ſicut tenet Durandus,quod nō requiritur de neceſsitate cauſæ,vt valeat indulgentia.] & *fol.*167. [Vbi adverte, quod licet fortè eſſet bonum abſtinere a tanta conceſsione indulgentiarum,&c. Nihilominus parum, aut quaſi nil eſt,quod conceditur, cum non valeant, niſi amicis Dei,quibus maiora dona ſine proportione concedit Deus,pro quolibet opere facillimo,& elicienti delectabiliſsimo.] & infrà [Qui autem non eſt in charitate tempore, quo accepit indulgentiam,ſecundum Archi.& Sylveſtrum,recedente fictione, effectū indulgentiæ conſequitur;quia vt dicit Gloſſa, iſtæ conceſsiones non ſunt amarè interpretandæ,ſed extendendæ vt valeant omnimodo,quo poſsibile eſt]Hæc ille. Quem ſequuntur nonnulli, quando ipſe ignorat eſſe in peccato,Granado,& Diana *p.*5.*tr.*12.*reſ.* 14.& probabile putat Filliucius *tom.*1.*tr.*8. *cap.*8.*num.*14. Et abſolutè defendit Henriquez apud Dianam *p.*4.*tr.*4. *reſ.*94.& Doctor Garſi eos citans *in qq. moral. cent.* 1.*cap.* 33.*num.*15. Apud quem de Miſsis, pro exiſtēte in mortali applicatis,idem tradunt Nauarrus, Aragon,& Marchinus,quibus *ipſe n.* 14 adhæret,&ratione ſuadet: Quia quæ habēt virtutē ex opere operato,remoto obice, ſuum operantur effectum; vt videre licet in Sacramētis ex communi Theologorum. Atqui Miſſa,& indulgentia ſic ſe habent. Ergo cum per hæc applicentur merita Chriſti, ſicut per ſacramenta, & illa ſint ſemper Deo præſentia,ſemper ſunt apta nata ad effectum, ablato obice,cauſandum: & ſic theſaurū per Eccleſiam diſpenſari, vtpote pietati erga fideles conformius,cum poſsibile ſit, credere debemus. Adde, ſecundum graues auctores, opera bona peccatoris eſſe ſatisfactoria pro pœna peccatis iam remiſsis debita; ita cum Soto eius Schola:item Nauarrus,& alij apud Ioannem Sanctium *in Selectis,diſp.*16. Quod probabile putat Doctor Garſi *in qq. cent.* 1. *cap.*33.*num.*23. Quia ad ſolutionem debiti non requiritur amicitia;ſed ſufficit retributio æqualis pœnæ debitæ. Quæ valde notanda ſunt, vt fideles ad indulgentias lucrandas, & ad ſacrificia enixè procuranda, inducatur.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm ieiunium,& eleemoſyna, & alia opera,ad lucrandam indulgentiam, ſufficiant,licèt ex circumſtantijs fiant mala, etiam moraliter?

1 PRima ſententia tenet,opera ex circumſtantijs mala, etiam ſi venialiter tantum,nō ſufficere, quia ad lucrandam indulgentiam requiruntur opera bona, ac proinde,quę ex circumſtantijs etiam venialiter mala fuerint, deſeruire nequibunt. Sic M.Sotus *in* 4. *diſt.*19. *art.* 1. *quæſt.*5 & Vazquez *tom de pœnitent. q.* 94. *art.*2.*dub.*5.*numer.*14.

2 Contrariam tamen tenent alij, quos ſequutus eſt Eſcobar *in Moral.Theolo. tr.*7. *exam.*5.*cap.*9.*n.*59.vbi ſic ait: [ſcio debere apponi opera, ieiunium ſcilicèt, eleemoſynam confeſsionem,&c.Rogo ſi eiuſmodi opera moraliter bona,ex circumſtantijs fiant mala,aut venialiter,aut mortaliter,ſufficiēt ne ad indulgentiæ lucrationem ? Granadus *diſp.*4.*n.*10.ſufficere docet opus eſſe bonum ex ſuo genere,licèt ex circumſtantijs, & indiuiduo malum ſit,quia præcepta diuina, & humana implentur per opera ex genere ſuo bona,licèt indiuidualiter peccaminoſa.]Sic Eſcobar,& ante illum P.Suarez,*tom.* 4 *in* 3. *p.diſp.*52.*ſect.*6.*num.*2.& 3.vbi multis hāc ſententiam perſuadet,& exemplo præcepti vtitur,dicens [Confirmatur primò , quia præceptum impletur per opus ex genere ſuo bo-

bonum, etiam ſi malè fiat. Ergo etiam poterit ſufficere pro indulgentia. Paret conſequentia; quia ſicut indulgentia ordinatur ad cauſam piam; ita & præceptum, maximeEccleſiaſticum, refertur ad pietatem, & bonos mores componendos; & ſicut hic finis ſatis intenditur, præcipiendo actum ex ſuo genere bonum, ita etiam exigitur ſufficienter ad finem indulgentiæ.] In idem recidit Villalobos *in ſum. tom. 1. tr. 26. diffic. 13. num. 5.* qui licèt tantummodo loquatur de opere ex ſe bono, & ex circunſtantia venialiter malo, ratio verò, qua vtitur, idem euincit de mortaliter etiam malo. [El fundamento de eſta ſentencia (inquit) es porque no es creible, que ſea neceſſario mas para ganar las indulgencias, que para cumplir con el præcepto Eccleſiaſtico.] Evidens autem eſt, ieiunantē, aut audientem ſacrum in die præcepti, ex fine, etiam mortaliter malo, ſatisfacere præcepto. Ergo opus ex ſe bonum, & ſi ex fine, graui malitia inficiatur, ad lucrandam indulgentiam ſufficiet.

3 Eamdem ſententiam cum Corduba, & Suarez, tenet Palao *tom. 4. diſp. 24. p. 11. num. 5. fol. mihi* 208. probat: [Quia certum eſt, Pontificem poſſe concedere indulgentiā ſub conditione operis de ſe honeſti, tametſi indiuiduo honeſtum non ſit, ſiquidem poteſt abſque vllo opere indulgentiam concedere. Ac ſic eſt præſumendus concedere, quoties opus exigit abſolutè abſque vlla limitatione; ſicut præſumeretur, ſi præceptum imponeret de illius executione: quia onus impoſi tum in conſequutione indulgentiæ reſtringi non debet, ſed potiùs ampliari, quatenus verba permittunt.] Sic ibi multis ſuadens vtilitatem talis operis ex ſe boni (eſto vitiati ex praua intentione operantis) ad finem à concedente indulgentiam intentum. Fructus enim, qui patta victoria ſperatur; ſcilicèt propagatio fidei, & pax Chriſtianę reipublicæ, idem erit, licèt eleemoſyna conrribuat ad bellum, ex prauo elargientis fine, grauiter vitietur.

4 Stat etiam pro hac ſententia Cardin. de Lugo *tom. de pœnit. diſp. 27. ſect. 6. num.* 85 vt conſtat ex fundamentis, quibus probat [opera ad indulgentiam requiſita, & ſi fiant cum peccato, quia vitiantur ex aliquo fine malo, prodeſſe ad obtinendam indulgētiam, ſi in fine operum, (id eſt quando fit vltimum) ſit iam homo conſtitutus in gratia.] Quod aſſerendum conſequenter dicit ad ea, quæ tradiderat *diſp. 25. ſect. 3.* de operibus iniunctis à Confeſſario ad ſatisfactionem; nimirum, quod opera iniuncta à Confeſſario proſunt ad ſatisfactionem, ex opere operato, etiam ſi ex aliquo fine vitientur. Quia ſufficit, inquit, quod illa opera ex ſe ſint ſatiſfactoria ad hoc, vt poſſint iniungi, & eleuari ad effectum ſatisfactionis ex opere operato, licèt non ſint ſatiſfactoria ex opere operantis in indiuiduo: hoc enim non eſt neceſſarium, nam, vt docent cōmuniter Theologi, opera ex ſe bona facta in peccato mortali non ſunt ſatisfactoria, & tamen eleuātur ad ſatisfactionem ex opere operato, ſi in fine vltimi ſit homo in gratia. Ergo à ſimili de operibus ex ſe bonis, licèt extrinſecè ex prauo fine grauiter vitiatis, dicendum eſt.

5 Dixi ſtare pro hac ſententia Cardin. de Lugo, quia *diſp. 25. citata, ſect. 3. num. 33.* planè docet opus iniunctum à Confeſſario, etiam ſi fiat cum peccato, ſufficere. [Et probatur, inquit, quia ad ſatisfaciendum alijs præceptis ſufficit etiam opus peccaminoſum, vt per auditionem Miſſæ peccaminoſam ſatisfit præcepto Eccleſiaſtico; ergo ad ſatisfaciendū præcepto confeſſarij ſufficit ſimile opus, &c.] Paritas enim apertè conuincit opus etiam grauiter peccaminoſum ex fine, ſufficere ad pœnitentiæ Sacramentalis adimpletionem, & per conſequens ad indulgentiam, modo ſupra explicato. Quod tenent Coninch, Henriquez, Bonacina, Layman, & alij, quos refert Palao ſuprà: quibus conſentit Doctor Garſi *in qq. Moral. cent. 1. cap. 33. num.* 21 vbi ex Palao, inquit, non eſſe abſurdum, quod bonum opus vitiatum ex fine mortali ſit ſatisfactorium, recedente fictione, quia non vt ab homine; ſed vt Sacramenti pars, ſeu Chriſti opus, hunc effectum habet. Quod procedit, & locum habet in opere ad lucrandam Indulgentiam petito.

6 Ideò hæc ſententia mihi valdè probabilis eſt, quia, vt ait *Margarita Confeſſorum, fol. 167.* eiuſmodi conceſsiones extendendæ ſunt, vt valeant omnimodo, quo poſsibile eſt. Cum etiam ſub alio opere poſsint valere, vt conſtat ex ſupradictis, potiore iure valere poterunt, etiam ſi ex fine pravo grauiter vitientur, dummodo quiſque ſit in gratia tēpore, quo indulgentia lucrāda eſt; vel vt alij ſuprà citati volunt, remoto obice: Pro hac ſententia, cum pluribus, militat Diana 5. *p. tr. 12. reſ. 5.* vbi poſtquam propoſuit opinionem abſolutè aſſerentem, non eſſe neceſſarium, vt opus requiſitum, & iniunctum ad lucrandam indulgentiam debeat eſſe honeſtum, & bonum moraliter in indiuiduo, ſed ſufficere, vt ſit honeſtum ex genere ſuo; (pro qua citauit Granadum, Suarez, Henriquez, Præpoſitum, & Ludouicum à Cruce) proponit opinionem Antonij Fabri qui diſtinguēs inter opus ex circunſtantia vitiatum venialiter tantùm, & inter mortaliter vitiatū, aſſeruit illud, & non iſtud ad lucrationem indulgentiæ ſufficere; ipſe concludit dicens: [Ego

[Ego autem, vt verum fatear, puto circa præſentem quæſtionem non eſſe veriſimile plùs requiri à Pontifice, cùm iniungit hæc opera pia ad lucrandas indulgentias, quàm quod Eccleſia requirit adimplenda præcepta diuina, & humana.] Quibus apertè nullum diſcrimen in re præſenti inter venialiter, & mortaliter vitiatum agnoſcit.

7 Cum Diana ſentit Leander *tom. 1. tr. 5. diſp. 14. q. 53.* vbi nominatim refert omnes authores, qui aſſerunt, opera moraliter bona in indiuiduo non requiri, ad lucrandã indulgentiam. Verba eius ſunt. [An ſi opera ad indulgentiam præſcripta fiant cum peccato, quia vitiantur aliquo fine malo, proſit ad indulgentiam? Negant abſolutè Nauarrus, Adrianus, Sylvius: negat etiam Faber caſu ſolum, quo præſcripta opera fiant cum peccato mortali. Sed probabilius reſpondeo, prodeſſe; dummodo fiant opera cùm intentione lucrandi indulgentiam, & in fine vltimi operis ſitiam homo conſtitutus in gratia. Ita Suarez, Henriquez, Filliucius, Ludouicus a Cruce, Granado, Præpoſitus, Diana, Corduba, Lugo, Boſsius, Andræas Mendo, & Antonius de Quintana Dueñas.] Sic Leander; tametſi aliqui ex his Doctoribus de opere venialiter tantùm vitiato ibi loquantur, vt videre licèt apud Henriquez *lib. 7. cap. 9. numer. 5.* vbi ait. [Quia opus ſecundum ſubſtãtiam bonum, licèt ex incidenti circunſtantia ſit peccatum veniale, ſufficit ad conſequendum opus operatum indulgentiæ.] Pro quo in gloſſ. litt. R. citat D. Antoninum, Felinum, M. Tabienam, M. Sylveſtrum, M. Paludanum, M. Sotum, M. Ledeſmam, & D. Thomam.

8 Cæterum opus præſcriptum in Iubilæo, ex ſuo genere bonum, ſufficere, licèt ex circunſtantia ſit peccatum mortale, tradunt in terminis Doctores alij, vt ſuprà notaui; & aſſerentes, communionem ſacrilegam, quia in peccato mortali ſcienter factam, ſufficere ad lucrationem indulgentiæ, dummodo opus vltimum pro Iubilæo fiat in gratia. Quos refert, & ſequitur Diana *p. 3. tr. 4. reſ. 148* vbi inquirens, [an ſiquis ſuſcipiat Euchariſtiam in peccato mortali, vel faciat cõfeſsionem ſacrilegam, lucretur poſtea Iubilæum, ſi in vltimo Iubilæi periodo per actũ contritionis ſit in gratia?] Reſpondet: [negatiuam ſententiam docent Sanctarellus, & alij; at ego opinionem contrariam nõ minùs probabilem eſſe puto, quam tenet Fernandez, Henriquez, & nouiſsimè Bartholomæus a Sancto Fauſto, &c. Dicendum eſt igitur, (ait Faſtus) quod obtinet Iubilæum, non obſtante, quod confeſsio fuerit invalida, & communio in peccato mortali facta: igitur vtraque opinio eſt probabilis.] Sic Diana vbi ſuprà: & communionem factam in peccato mortali ſufficere, tradit iterum *p. 10. tr. 13. reſol. 55.* contra Paſqualigum, dicens: [Sententiam negatiuam tenent Doctores, quos citat, & ſequitur Paſqualigus, qui affirmatiuam ſententiam omnino improbabilẽ putat, ſed immeritò; nec debebat tot Doctorum virorum ſententiam notâ improbabilitatis in vrere. Nam ita tenent Suarez, Filliucius, Henriquez, Bonacina, & Corduba, Fauſtus, Fernandez. Quibus addo Quintana-Dueñas, & ante illum, Eminentiſsimũ Cardinalem de Lugo, & tanquam probabilem P. Gouat, &c.

9 Verùm Cardinalis de Lugo aliter loquitur de confeſsione invalida, ac de communione ſacrilega, nam confeſsione invalida nõ ſatisfit præcepto confeſsionis, ac proinde nec indulgentiæ, quia nõn eſt vera confeſsio. Communio autem, etſi ſacrilega, eſt vera communio, & præcepto communionis illa ſatisfit. Si autem detur confeſsio ſacrilega, & tamen valida (qualem ex defectu doloris admittunt cum D. Thoma, Caietanus, Canus, Ledeſma, Couar. Paludanus, Capreolus, Sylveſter, D. Antoninus, & plures alij, quos citaui *1. p. Select. tr. 3. de Sacrament. pœnit. diſp. 5. q. 2.* cùm per huiuſmodi cõfeſsionem ſacrilegam, vtpotè validam, poſsit adimpleri præceptum cõfeſsionis, poterit etiã lucrari indulgentia, quia iuxta hanc opinionem, vera confeſsio eſt, licet ſacrilega, ſicut de communione in peccato lethali facta, docent ſuprà citati. Neque Thomiſtis contradicet Cardinalis de Lugo, admiſſo antecedẽti. Idẽ à fortiori ſentire debẽt quotquot exiſtimant per confeſsionem voluntariè nullam ex defectu doloris ſatisfieri præcepto confeſſionis; quod tenent apud Fagundez nonnulli Thomiſtæ, Sylveſter, Victoria, Paludanus, Cano, Ledeſma, & alij: putatque probabile Diana eos referens *3. p. tr. 4. reſol. 20.* quia iuxta communem Doctorum ſententiam confeſſio, quæ ſufficit ad implendum præceptum, ſufficit etiam ad lucrandam indulgentiam, atque adeò, dum aſſerunt, confeſsione invalida, præcepto confeſsionis ſatisfieri, idem de illa tenentur dicere, ac de cõmunione ſacrilega, quoad lucrationem Iubilæi, cũ plus ad hanc non requiratur, quàm ad impletionem præcepti, iuxta ſuperiùs dicta. Cæterum opinio aſſerens per confeſsionem invalidam adimpleri præceptum, ſuſtineri non poteſt; & damnata iam eſt, vt ſcandaloſa, ab Alexãdro VII. anno 1665. Vnde nil ex illa probabile deduci poteſt. Videque contra hanc opinionem, adduximus *tract. 3. diſp. 2. quæſt. 8. num. 21.*

10 Si autem inquiras, an virtute opinionis probabilis ſuprà ſtabilitæ, fiat certum lu-

cratu-

craturum indulgentiam, qui opera ex genere ſuo honeſta efficit cum peccato, ſiue veniali, ſiue mortali? Reſpondo ſub lite eſſe. Nam plures docent opinionem probabilem ad indulgentiam parùm iuuare, quia ſi re vera non fiant opera, iuxta intentionem Pontificis, non conſequentur fructus indulgentiæ, quantumvis detur opinio probabiliter aſſerens opera extrinſicè vitiata ſufficere. Alij verò ſentiunt intentionem Pontificis eſſe, quod ea opera ſufficiant, quæ opinio probabilis ſatis eſſe iudicauerit, attentis verbis iubilæi. Sic Diana *p.10.tract.11.reſ.34.* & apud illum Martinus de S. Ioſeph *in Monit. tom.1.lib. 2.de indulgent.tr 12.n.12.* & Paulus Maria Quarti in tr. de iubilæo anni ſancti *cap.2.p.1.poſt dubium 6.* quos ſequitur Leander a Sacramento *tom.1.tr.5.diſp. 14. q.164.* cum alijs viris doctis à ſe conſultis, & præcipuè cum Fr. Franciſco à Sancto Iuliano, viro ſui ordinis doctiſsimo. Quorum opinio valdè mihi probabilis eſt, quia Eccleſiæ pietati conformior, vnde quovſque oppoſitum declaret, illi ſtandum videtur.

11 Notandum hic eſt, Sacerdotem cum peccato mortali celebrantem, in altari priuilegiato, lucraturum indulgentiam pro anima purgatorij, vt benè Cardin. de Lugo; & Diana *p.10.tr.16.reſ.13.* ibi: [ſufficit enim quod ſit in gratia, qui recipit fructum indulgentiæ: cauſa enim movens non eſt opus à peccatore factum, ſed ſatisfactio Chriſti, & Sanctorum.] Sic ille. Pro quo citat Pelliżarium, Gouat, Martinum de S. Ioſeph, Philippum de la Cruz, Machadum, & Quintana-Dueñas, qui pro hac ſententia refert 13. Doctores. Et eſt opinio animabus purgatorij fauorabilior.

12 Eſt tamen pro coronide aduertendum, quod ſi indulgẽtia concedatur ſub hac forma: *qui deuotè viſitauerit, &c.* viſitatio ex vanagloria, licèt veniàliter tantùm peccaminoſa, non ſufficit ad lucrationem indulgentiæ, vt benè aduertit Tamburinus *tract. de Bulla cap.10.§.2.fol.mihi 67.* Quia non eſt deuota viſitatio, quæ venialem culpam continet.

13 An vero ad lucrandam indulgentiam Medaliæ, aut grano benedicto conceſſam, ſufficiat à proximo hæc mutuò accipere? Affirmat cùm Petro Marchantio, Diana *p.10. tr.16. reſ.2.* Quibus adhæſit P. Gobat *de indulgentia p.2.cap.13.q.32.n.378.* Quia verè dicitur habere Medaliam, vel granum benedictum, qui mutuò accepta habet, vt multis probat Rebuffus *in l. 143. de verbor. ſignif.* Pontifex autem hæc habentibus concedit indulgentiam: vnde ſi tibi ſuum alter roſarium commodet, poteris (inquiunt) æquè, ac Dominus Roſarij, indulgentijs ei conceſſis gaudere; & ita, inquit Gobat, nominatim declaratur in indulgẽtijs quinque Sanctorum, §.13. Qua propter huic ſententiæ ſubſcripſere P. Quintana-Dueñas, *tom. 1.ſingul.in Appendice tr.9.dub.6.n.9.* P. Mẽdo *in Bulla Cruciatæ, diſp.20.cap.2.num.13.* & P. Antonius de Eſcobar *in 2.edit.Theolog. Moral.tr.7.exam.5.cap.8.§.3, num. 66.* pro illa referens Patrem Henriquez. Cæterum cùm hoc dependeat ex voluntate Pontificis concedentis indulgentiam, & hanc extenſionem ad medalias, & grana mutuò accepta, quandoque fecerit, & quandoque omiſerit; concludere debemus, ſuæ intentionis eſſe eam concedere, cùm exprimit; ſecus verò ei tantùm, in cuius dominio, vel quaſi dominio fuerint. Et ne deinceps, de hac re dubium eſſe poſſet, Summus Pontifex Alexander VII. die 7. Februarij anno 1657 declarauit indulgentias Medaliarum ſolùm prodeſſe eis, quibus primùm Medaliæ fuerint conceſſæ, aut quibus iſti primò diſtribuerint; & quod nullis precibus aliis accomodari poſſint, ſecus indulgentiæ ſtatim ceſſent. Quare opiniones contrariæ iam corruere.

QVÆSTIO VIII.

An poſt revocationem indulgentiarum, quam, circa Regularibus conceſſas, fecit Paulus V. anno 1606. eas anullando, & loco illarum alias concedendo; probabile nihilominus ſit, omnes in ſuo vigore ſubſiſtere?

1 Affirmat Hieronymus Rodriguez in *qq. Reg. reſ. 77. n. 45.* quem nonnulli Recentiores ſequuti ſunt. Verùm horum ſententia ſuſtineri in poſterum non poteſt; quia vt ſcandaloſam damnauit Alex. VII. *anno 1666.* in decreto Sacræ Congregationis Generalis Inquiſitionis Romanæ. Qua propter operæ pretium duxi tenorem revocationis, reformationis, & nouæ conceſſionis hic exeribere, vt habetur in Conſtitutionibus Prædicatorum, *cap. 3. fol. 379.* Quem adducit Gallego *in Bullam, cap. 12. clauſ. 12. à fol. 181.* vbi ſic.

2 Pro ſpirituali ſolatio omnium Religioſorum quorumvis ordinum intra clauſtra, aut extra, cum licentia ſuorum ſuperiorum, legitima de cauſa illis conceſſa, degentium, concedit eis S. D. N. Paulus Papa V. infra ſcriptas indulgentias, & gratias.

3 Ceterum omnes, & ſingulas indulgẽtias quibuſcumque ordinibus, inſtitutis Regularibus, etiam Mendicantibus; & quibuſlibet perſonis Regularibus, tàm vigore priuilegiorum, & litterarum Apoſtolicarum, quàm viuæ vocis oraculo, aut aliàs quovis mo-

modo, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores ſuos, ac per ipſummet, & Apoſtolicam S dem, hactenus conceſſas, confirmatas, & innouatas, authoritate, & tenore prędictis, perpetuò reuocavit, caſſauit, annullauit, & abrogauit; & ad præſentium ſuarum litterarum præſcriptum modum redùxit, & moderatus eſt. Quæ indulgentiæ, vult ſua ſanctitas, vt omnes etiam conceſſæ ſint omnibus Religioſis, Monialibus, Regularibus cuiuſvis Regulæ approbatæ, & intra clauſtra cum tribus votis ſolemnibus viuētibus, & perpetuam clauſuram ſeruantibus, tàm ordinarijs locorum, quam Regularibus cuiuſcumque ordinis, Regulæ, & inſtituti ſubiectis ſuffragari, præſentibus perpetuis temporibus duraturis. Non obſtantibus, &c.

4 I. Omnibus Chriſti fidelibus, qui canonicè, & iuxta ordines cuiuslibet Religionis, & conſtit. Apoſtolicam, habitum Regularem a legitimis ſuperioribus, cauſa profitendi in illo, ſuſceperint, die primo eorum ingreſſus in ipſam Religionem, ſi verè pœnitentes, & confeſsi ſanctiſſ. Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, plenariam indulgentiā concedit.

5 II. Cuilibet Nouitio, qui pœnitens, & confeſſus, ac ſacra Cōmunione refectus fuerit, poſt completum probationis annum, profeſsionem emiſerit; etiam plenariam.

6 III. Cuilibet Religioſo intra clauſtrū Monaſterij viuenti, qui in feſto principali ſui ordinis, confeſſus, ac ſacra Communione refectus fuerit, aut Miſſam celebrauerit, & pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, Romani Pontificis ſalute, ac S. M. Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderit, etiam plenariam.

7 IV. In cuiuslibet mortis articulo, ſi pariter verè pœnitens, & confeſſus, ac ſacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiuerit, ſaltem contritus, nomen Ieſu, ore ſi poterit, ſin autem corde, deuotè inuocauerit, etiam plenariam.

8 V. Qui verò ad Presbyteratus ordinē canonicè promotus, & confeſſus primam Miſſam celebrauerit, nec non etiam ijs Religioſis, qui pariter confeſsi, ac communione refecti, eidem Miſſæ interfuerint, aut ipſo die Miſſam celebrabunt, etiam plenariam.

9 VI. Si verò Religioſi, qui de ſuorum ſuperiorum licentia a negotijs per decē dies alieni, in cella commorabuntur, aut ab aliorum conuerſatione ſeparati, in priorū librorum lectione, & aliarum rerum ſpiritualium conſiderationi operam dederint, addendo ſæpè conſiderationes Myſteriorum fidei Catholicæ, &c. plenariam, &c.

10 VII. Ijdem Religioſi intra Clauſtra viuentes, qui ſuam Eccleſiam deuotè viſitauerint, & vt præfertur, orauerint, conſequenter eaſdem indulgentias, quas viſitando Eccleſias vrbis, & extra eam diebus ſtationum conſequentur, in omnibus diebus, perinde, ac ſi ipſas vrbis Eccleſias viſitaſſent.

11 VIII. Omnibus Religioſis intra Clauſtra, vt ſupra, viuentibus, qui quinquies orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicàm ante altare eorum Eccleſiæ dixerint, in quolibet die, quinque annos, & totidem de indulgentia concedit.

12 IX. Ijs, qui de ſuorum ſuperiorum licentia in itinere exiſtentes, aut extra Clauſtra degentes, tanquam Prædicatores, & Lectores, quinquies eandem orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam, ante quodlibet altare ſimiliter dixerint, etiam quinque annos, & totidem quadragenas.

13 X. Eiſdem Religioſis, qui per menſem integrum, ſingulis diebus, ſpatio mediæ horæ, orationem mentalem fecerint, ac confeſsi, & ſacra Communione vltima Dominica menſis huiuſmodi refecti fuerint ſexaginta annos, & totidem quadragenas.

14 XI. Qui contrito corde, & pœnitentes eorum culpas, & peccata, ac imperfectiones in Capitulis culparum accuſabunt, & ſpiritualiter communicabunt, & exercitium virtutum facientes, tres annos, & totidem quadragenas.

15 XII. Ijs, quotieſcumque de licentia Summi Pontificis, & ſuorum ſuperiorum, in dictiones, & terras infidelium, aut Hæreticorum, ad concionandum, aut Catholicos docendum, vel Infideles, & Hæreticos ipſos ad fidem conuertendum, & Eccleſiæ gremio reducendum, miſsi fuerint, ſi pœnitentes, & cōfeſsi, ac ſanctiſſ. communione refecti fuerint, vel Miſſam celebrauerint, vt melius ad huiuſmodi opus ſe parare valeant, pro duobus vicibus, videlicet, quando itineri ſe accinxerint, & quando in Prouinciam, vbi prædicta opera eis exercenda erunt, ingreſsi fuerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſsionem elargitur.

16 XII. Cū Superior in viſitationibus generalibus, orationes quadraginta horarū pro bono viſitationis progreſſu collocare voluerit, ijs Religioſis, qui dictis orationibus, ſaltem ſpatio duarum horarum, in diuerſo tempore interfuerint, & ibi pro Principum Chriſtianorum concordia, hæreſum extirpatione, Romani Pontificis ſalute, & S. M. Eccleſiæ exaltatione, nec non diſciplinæ, & obſeruantiæ regularis augmento, pias ad Deum, vt ſupradictum eſt, preces effuderint, ſi confeſsi, & ſacra Communione refecti fuerint, aut Miſſam celebrauerint, plenariam ſimili-

ter omnium peccatorum indulgentiã, & remiſsionem, vt præfertur, concedit. Hactenus, ibi.

17 Aliquas tamen practicas obſervationes circa Bullam Pauli V. notare oportet, ex Quitana-Dueñas, rom. 1. ſingul. in appendice, tr. 4. dub. 2. ſit prima.

18 In hac reformatione Pauli V. nullo modo revocantur indulgentiæ, quæ competunt Religioſis, vt ſunt fideles, vel habitatores talis loci, ſed, quæ ratione ſuæ Religionis illis conceſſæ erant, aliter deterioris conditionis eſſent, quam ſæculares, etiam quoad ſpiritualia. Item non revocantur, quæ conceduntur eorum Eccleſijs, Monaſterijs, Capellis, &c. V. g. Iubilæa, & indulgentiæ conceſſæ viſitantibus Eccleſias cuiuſvis ordinis, in feſtis ſuorum ſanctorum, aut in alijs feſtiuitatibus. Quas plurimas eſſe plenarias, & non plenarias invenies in compendio ſuprà verbo *indulgentia quoad ſæculares* 1. & 2. *à fol.* 291. *ad* 299. & apud Hieronymum Rodriguez ſuprà *à num.* 48. Qui inter alios refert, *num.* 72. ex indulto Innocentij V. & Iulij II. conceſſum eſſe omnibus recitantibus Pſalmum *Miſerere* cum oratione, *Deus, qui, inter Apoſtolicos Sacerdotes*, &c. vel ſi litteras neſciant, *quinquies Pater noſter cum Ave Maria*, in Eccleſijs principalibus Minorum, ſeu illis annexis, quod conſequantur indulgẽtias vrbis, & orbis. Nec revocantur conceſſæ exhibentibus aliqua charitatis opera fratribus Minoribus, Carmelitis, & alijs Religioſis, quæ videri poſſunt ibi *à fol.* 299. *ad* 302.

19 Sit. 2. Non revocantur conceſſę Patribus, fratribus, cognatis, benefactoribus, ſeruitoribus Religioſorum, ac alijs huiuſmodi perſonis ad eos ſpectantibus; cum enim hæ non ſint Religioſis conceſſæ, ſed intuitu tantùm illorum, revocatæ non ſunt à Paulo V. qui indulgentias fratribus immediatè, & directe conceſſas ſolùm revocauit. Sic notat Hieronymus Rodriguez, num. 57. circa indulgentiam Eugenij IV. qui conceſsit, vt procuratores fratrum, eorumque ſubſtituti, liberi, Parentes, Fratres, & Sorores poſsint promereri indulgentias ſtationum, & aliàs fratribus conceſſas, dicendo in eorum Eccleſijs quinque Pater noſter, & totidem Ave Maria, pro fœlici ſtatu Romanæ Eccleſiæ, & addit. [Nec hoc fuit revocatum per Paulum V. quia non fuit conceſſum fratribus, ſed intuitu fratrum.]

20 Ob eandem rationem ipſe, *num* 45. & Emmanuel Rodriguez *tom.* 3. *ſum. cap.* 11. docent, non eſſe revocatam indulgentiam plenariam conceſſam à Clemente VIII. Parentibus fratrum Minorum in mortis articulo. Et *num.* 55. ait Hieronymus, non eſſe revocatam plenariam indulgentiam conceſſam animabus Parentum, Benef. ctorum, ac hoſpitantium eoſdem Religioſos, dicendo pro eis vnam Miſſam defunctorum in conventu, in quo moratur talis filius Religioſus, aut in oppido Benefacteris, aut hoſpitantis.

21 Sit 3. Revocatæ non ſunt indulgentiæ conceſſæ Religioſis pro animabus purgatorij, v. g. vt tali Miſſa, vel oratione, vel in tali die liberent vnam animam à purgatorio. Huiuſmodi indulgentias plures invenies apud Hieronymum Rodriguez *reſ.* 77. *à num.* 62. & animadverte, quod, etiam ſi anima purgatorij ſit Religioſi cuiuſvis, & Pontifex concedat, quod quicumque, ſiue ſæcularis, ſiue Regularis hoc, vel illud opus pro illa effecerit in Eccleſijs Regularium, aut in eorum altaribus priuilegiatis, liberet eam; nõ eſt cenſenda hæc indulgentia ei applicanda, quia viui opera hæc exequantur, & indultum hoc non eſt conceſſum Religioſis, quatenus Religioſi ſunt, ſed ratione Eccleſiæ, vel altaris; & Paulus V. non revocauit indulgẽtias Regularium Eccleſijs, vel altaribus conceſſas, ſed tantùm conceſſas immediatè, & directè ipſis Regularibus viuis, qui propterea de eius foro erant. Immo, & ſi nominatim Pontifex exigeret, vt miſſa pro anima Regularis defuncti a Regulari celebretur, vt defunctus a purgatorio liberaretur; adhuc hæc indulgentia meo iudicio non eſſet reuocata a Paulo V. qui, vt tetigi, ſolùm indulgentias viuis, & pro viuis conceſſas, illiſque tantùm applicandas, revocaſſe exiſtimãdus eſt.

22 Idem à fortiori dicendum eſt de indulgentijs conceſsis pro animabus Regularium, abſque vlla aliorum Regularium, vel ſæcularium diligentia. Huiuſmodi eſt ea, quam conceſsit Ordini B. Mariæ de Monte Carmelo Ioannes XXII. & confirmarunt Alexander V. Clemens VIII. & Gregorius XIII. (vt teſtantur vterque Rodriguez, Hieronymus ſupra n. 7. & Emmanuel apud ipſum;) vt, ſcilicet, Sabbato ſequenti poſt obitum Fratrum, Monialium, & Confratrum ipſius Ordinis, meritis, & interceſsione B. Virginis, ipſorum animę a pœnis purgatorij liberentur per modum ſuffragij, ſeu impetrationis a Deo. Conſule ipſum Hieronymum, qui rectè cũ Emmanuele, & Navarro notat, quod ad liberandam animam à purgatorio in altari priuilegiato ſufficit cuiuſlibet Miſſæ celebratio, ſiue ſit de ſancto, ſiue de feria, aut defunctorum, niſi in Bulla expreſsè caueatur, quod dicenda ſit de Requie.

23 Sit 4. Indulgentię omnes conceſſę, vel confirmatę tum à Paulo V. poſt prædictam Bullam, tùm ab alijs Pontificibus eius ſuc-

rus, Cordubà, & Reginaldus; ſed prorſus cõtrariam ſententiam tenendam eſſe puto cum Fauſto, Sanctarello, Leone, Suarez, Filliucio, Rodriguez, & alijs. Dico igitur quamlibet eleemoſynam, etiam vnius ovoli ſufficere ad lucrandum Iubilæum, dum non eſt determinata quantitas. Et ratio eſt, quia illa conditio eleemoſynæ indefinitè poſita, per quamlibet eleemoſynam, etiam minimam adimpletur, nam, vt Ariſtoteles *libr. 1. Periherm.* teſtatur; ad veritatem propoſitionis indefinitæ quælibet ſingularis ſufficit.] Sic Diana ſuprà, & iterum *part.* 10. *tr.* 15. *reſolut.* 22. vbi in hanc controverſiam incidens dicit eſſe communem Doctorum ſententiam. [Notandum, inquit, eſt hic obiter, Paſqualigum vbi ſupra *deciſ.* 133. docere eleemoſynam dandam pro lucrando Iubilæo, quando relinquitur vniuſcuiuſque arbitrio, non ſufficere minimam, ſed ego olim contrarium docui cum communi ſententia, quam me citato, nouiſsimè tenet Gouat. Leander, Lezana, &c.] Hactenus Diana, cui facit Cardinalis de Lugo, *tom. de pœnitent. diſput.* 27. *ſect.* 7. *num.* 114. *fol.* 623. dicens: [Dubitatur decimo, vtrùm diuites debeant dare eleemoſynam proportionatam ſuo ſtatui, & diuitijs? Hæc difficultas habebat locum in Bullis antiquis; cæterum iam nunc non ſupereſt difficultas. Verba enim ſunt hæc: [*Et eleemoſynas ad libitum, prout Charitas ſingulis ſuggeſſerit, fecerint.* Et rurſus: *& eleemoſynas ſimiliter pro arbitrio ſuo fecerint.*] Sic ille, quibus nos edocet certiſsimum eſſe ſufficere quamcumque, etiam minimam eleemoſynam, licèt ſub his terminis non expreſſerit.

2 Sed expreſsit Machado *tom.* 1. *libr.* 3. *p.* 2. *tract.* 3. *document.* 2. *num.* 3. [La tercera condicion (inquit) que ſe ſuele pedir, es que ſe dè limoſna. Acerca de la qual diſputan los Doctores, ſi eſta ſe ha de hazer ſegun la calidad de la perſona. Nauarro, y otros ſienten que ſi, y que el rico no cumple en dar como pobre. Suarez, y otros (Filiucio, Santarello, Leon, Lugo) mas prouablemente afirman, que como la cantidad no eſtè determinada, cumple qualquiera, con dar ſiquiera vn marauedi de limoſna: porque ſiendo la condicion de ella indefinita, baſta qualquiera parte, para que ſe verifique.] Sic ille.

3 Quem cum alijs ſequitur R. P. Leander a Sacrament. *tom.* 1. *tract.* 5. *diſput.* 14. *q.* 50 [Quando in conceſsione, inquit, indulgentiæ præſcribitur, abſolute, & indeterminate eleemoſyna, &c. reſpondeo, non eſſe neceſſariò facienda, ſecundum qualitatem perſonæ, ſed ſufficere quamcumque eleemoſynam minimam, & paruam, etiam à diuite perſona datam, ad lucrandam indulgentiam: quia ad verificandam veritatem propoſitionis indefinitæ id ſufficit. Sic Suarez, Filliucius, Rodriguez, Fauſtus, Sanctarellus, Leo, Diana, Henriquez, Bonacina, Sà, Boſsius, Quintana-Dueñas, Machado]Sic ille. Quem nouiſsime ſequitur M. Fr. Antonius Baco Auguſtinianus *in ſumm. diſp.* 36. *cap.* 9. vbi citato Diana *p.* 5. *tr.* 12. *reſ.* 14. ait: [Quando en el Iubileo ſe manda dar limoſna, aunque ſea hombre rico, baſta dar vn marauedi.] Sic ille, quando non inducitur, iuxta qualitatem perſonæ erogandam.

4 Hæc ſententia probabilior mihi videtur. Primò, quia plurium Doctorum opinio aſſerit, nullam, aut leuem cauſam requiri ad valorem indulgentiæ, quod ſentiunt authores viginti, quos refert Henriquez *lib.* 7. *cap.* 10. *num.* 7. *in gloſſ. litt. R.* ex quibus ſic ergo. Nulla, aut leuis cauſa ad valorem indulgentiæ requiritur, ergo ſub nulla, aut leui eleemoſyna poteſt eſſe valida: ergo dum Pontifex non determinat quantitatem, ſed ſolum, quod detur eleemoſyna; quælibet, & ſi leui contentus eſt, nam quæcumque detur, verè dicitur quis dediſſe eleemoſynam.

5 Vrgetur ex doctrina communi aſſerente, non eſſe de neceſsitate indulgentiæ, vt concedatur ſub conditione alicuius operis pij faciendi: quam cum M. Nuño, & pluribus, quos refert, defendit Bonacina *diſput.* 6. *quæſt.* 1. *punct.* 4. *num.* 6. Si ergo abſque vllius operis onere poteſt concedere Pontifex indulgentiam plenariam, cur non & ſub leuiſsimo? Sic ergo concedere cenſendus eſt, dum quantitatem nõ determinet. Ratio deſumitur ex D. Thoma *in addit. quæſt.* 25. *art.* 2. vbi ait: [quæcumque cauſa adſit, quæ in vtilitatem Eccleſiæ, & honorem Dei vergat, ſufficiens eſt ratio indulgentias faciendi: & ideò dicendum, quod indulgentiæ ſimpliciter tantum valent, quantum prædicantur, dummodo ex parte dantis ſit authoritas, & ex parte recipientis charitas, & ex parte cauſæ pietas.] Sic ibi, & expreſsius. *Quodlib.* 2. *artic.* 16. vbi hæc tria requiſita iterum referens, dicit de Theſauro Eccleſiæ poſſe Pontificem, his concurrentibus, indulgentiam cuique applicare, [ita ſcilicèt, quod paſsio Chriſti, & aliorum Sanctorum ei imputetur, ac ſi ipſe paſſus eſſet, quantum ſufficeret ad remiſsionem ſui peccati. (& infrà ad tertiũ) Neque ad hoc requiritur aliquis labor, quia ſufficit labor paſsionis Chriſti.] Ergo ſimiliter, neque requiritur aliquod opus a lucrante præſtitum cùm ſufficiant bona opera Chriſti Domini. Ideò optimè P. Suarez 3. *p. tract.* 4. *diſp.* 52 *ſect.* 4. *n.* 3. [Dicendum, inquit, eſt non eſſe ſimpliciter, & abſolutè de ne-

neceſsitate indulgentiæ, vt concedatur ſub conditione alicuius operis faciendi ad effe-ctum indulgentiæ conſequendum. Declaratur ex generali dogmate a Theologis recepto: *tria eſſe neceſſaria, &c.* quia multiplex ratio ſufficiens ad indulgentiam concedendam intelligi facilè poteſt, ſine interuentu noui operis, ex parte hominis lucrantis fructum indulgentiæ. Poteſt enim in primis indulgentia dari per modũ gratitudinis, propter obſequia Eccleſiæ exhibita, &c.] Sic ille plures cauſas referẽs, (quas recenſent etiam Henriquez *ſupr.cap.14.n.1.*&Cardin.de Lugo vbi ſuprà, *ſect.6.nu.88.fol.619.*) propter quas indulgentiarum diſpẽſatio fieri poteſt, abſque noui operis impoſitione. Ergo potiori iure, & quocumque, etiam minimo, impoſito. Quia non conceditur ſolius intuitu minimi illius operis, ſed principaliter ob cauſas aliàs pias ex ſe ſufficientes, abſque vllo opere ad indulgẽtiæ lucrationem, nimirum ex titulo gratitudinis, remunerationis, ſolatij, medicinæ, & ſimilibus, [vt conſtat (inquit Lugo) ex vſu Pontificum, qui ſæpè concedunt indulgentiam moribundis benè meritis de Eccleſia.[Ergo licèt opus iniunctum leuiſsimum fuerit, non ideò ceſſabit indulgentia, ergo licèt eleemoſyna minima elargiatur; cùm in quantitate determinatam non requiratur, nec a Pontifice exigatur.

6 Ex hoc principio defendunt communiter Theologi validam, & iuſtam eſſe indulgentiam conceſſam habenti aliquod granum, vel imaginem benedictam, *aut Pater, & Ave*, ea tangendo, recitanti. Quam tenent Nauarrus, Viualdus, Corduba, Michael de Medina, Suarez, Villalobos, & alij, quos citatos ſequitur Diana *part.10.tract.11.reſol.53.* Leander a Sacramento *tom. 1. tract. 5. diſp.14.quæſt.33.* & Henriquez *lib.7.capit. 14 num.3.* & *in Gloſſ.lit.A.* vbi inuehitur in Caietanum *de indulgent. tract. 9. quæſt.2. in 4 diſtinct. 21. quæſt. 2. art. 2.* & contra Sotum, qui, licèt aliàs piiſsimus, hæc ſcribere non formidauit.[Noſtris temporibus vſque adeò piorum clementia erga animas, quæ in purgatorio cruciantur, ſuccreuit, vt importunis ſupplicationibus a Summo Pontifice conceſsio fuerit extorta, vt qui tangendo quendam benedictum calculum, *Ave Maria, vel Pater noſter* recitaret, animã inde, quantocumque tempore cruciari deberet, ceriperet; & protinus libera euolaret. Hanc ego non dicam piam fraudem, quia Hæreticorum verbum eſt, ſed tamen citra Religionis iniuriam, poſſet hoc populo diſuaderi. Profectò diræ crudelitatis argueretur Deus, ſi animam tribus annis, tàm atrociter contorqueret, cuius tamen liberatio ex vnõ *Pa-*

ter noſter penderet, & calculi tactu.] Hactenus M. Dominicus de Soto, quem alij ſequũtur; in quos ſic inuehitur Henriquez vbi ſupr. [In quo malè loquitur Caietanus, & peiùs Soto *q.2.art.2.* item Petrus de Soto, & audaciùs Ledeſma oblatrant contra calculos benedictos.] In hoc ſanè hi Doctores non defeciſſent, ſi conſideraſſent remiſsionem pœnarum, non leuiſsimo operi iniuncto, ſed meritis Chriſti, & Theſauro Eccleſiæ tribuẽdam a Summo Pontifice, & Chriſti Vicario, ex cauſa aliàs ſufficienti, (etiam ſecluſo omni opere pio ex parte lucraturi,) vt a diſpenſatore conceſſam, iuxta doctrinam D. Thomæ ſuprà traditam: *quod ſcilicet paſſio Chriſti ei imputatur, ac ſi ipſe paſſus eſſet, quantum ſufficeret ad remiſsionem ſui peccati, & ſatisfactionem pro pœna debita.* Qua propter M. Sotum Carpit etiam Villalobos *tom. 1. tract.26.diſp.3.num.5.* dicens: [Confirmaſe eſto con la autoridad de los Sumos Pontifices, que por viſitar tal, ò tal Igleſia, ò por mirar con devocion eſta, ò aquella Imagen, ò por rezar vn Pater noſter, y vna Ave Maria, conceden indulgencias, y a vezes grandes: cuya autoridad huuiera de baſtar, ſi bien lo mirara Soto, porque quando no conſtare claramente lo contrario, haſe de preſumir, que la cauſa que el Pontifice ſeñala es ſuficiente, como dize Cordoba, y la comun, y lo concede el miſmo Soto. Y aſsi no habla Soto, como era razon, en las quentas benditas.] Hæc Villalobos.

7 Denique pro noſtra ſententia aſſerenti, quamcumque eleemoſynam, etiam leuiſsimam ſufficere ad lucrandam indulgentiam, quando indeterminatè, & indefinitè exigitur, militare debent, quotquot aſſerunt ſufficere quamcumque, etiam breuiſsimam orationem, quando tantummodo exigitur oratio, pro cuiuſcumque devotione, nullam determinando. Quod tenent plures, quos citatos ſequitur Leander à Sacram. *tom.1.tract.5.diſp.14.quæſt.65.* dicens: [an pro obtinenda indulgentia, ſufficiat quæcumque etiam minima, & breuis oratio? Negant Pollacus, & Ægidius, ſed probabiliùs reſpondeo, ſufficere, niſi alias in Bulla Iubilæi præſcribantur certæ preces. Sic Boſsius, & ex illo Diana *5.part.tr.12.reſol.33.* Sic etiam apud ipſos, Leo, Filliucius, Suarez, Navarrus, Henriquez, Bonacina, Rodriguez, Fabrinus, Laborius, Cæſar Botonus, quibus ego addo Ægidium, Trullench.] Sic ille, & ante illum Machado *tom. 1. libr. 3. part. 2. tract.4.document.3.num. 4.* dicens: [Acerca de eſta Oraciõ, dizen Suarez, y otros Autores comunmente, que es ſuficiente para ganar la indulgencia referida qualquiera ora-

cion, por breue que ſea.] Accedit M. Gallego de Bulla Cruciatæ *dub. 24. fol. 14.* qui ait ſufficere, [rezar vna, ù dos Ave Marias,] quando indicitur orare, & preces fundere pro conſeruatione fidei. Et CaſtroPalao *tom. 1. tract. de Bulla p. 5. num. 3.* qui dicit ſufficere orationem minimam; quos ſequitur Tāburinus *tract. de Bulla Cruciatæ, cap. 10. §. 2. nu. 4. fol. 68.* & Trullench *in expoſ. Bullæ, lib. 1. §. 6. dub. 2. num. 6 fol. 171. ibi.* [Sufficit ad ſingula altaria ſemel orationem Dominica, & Angelicam fundere, quia ſic orare, eſt preces fundere.] Sic ille circa orationem pro viſitatione quinque altarium requiſita pro indulgentia Bullæ Cruciatæ. Nec hanc opinionem ſe penitus improbare ait P. Mendo, *di p. 10. in Bullam, cap. 3. num. 12* cui forſan cum formidine adhæſit; quia de hac quæſtione circa quantitatem orationis vocalis, nil apud auctores tunc inuenerat: *Nil, inquit, apud auctores reperio, niſi apud Trullench, vbi ſupr.* ſentit verò expreſsè cum illo orationē mentalem ſufficere ad lucrandam indulgentiam, quia verè preces ad Deum fundere dicitur, qui mētaliter orat, orarioque ſtat, tàm pro mentali, quam pro vocali. Quibus aſſentior. Ex qua validam pro eleemoſyna ſumitur argumentum.

8 Sed pro coronide omnino videndus M. Dominicus Balthanàs, nam valdè fauorabilia his concernentia tradit *in Margarita Confeſſor. Hiſpali edita anno 1526. vbi fol. 166* ſic ſcribit: [Si concedat Papa, ſicut poteſt, quod aliquis faciendo aliquod pium, eripiat animam vnam a pœnis, tot poſſent lucrari hanc indulgentiam, quot purgatorium euacuaretur: ſimiliter tenendo, ſicut tenet Durandus, quod nō requiritur de neceſsitate cauſæ, vt valeat indulgentia.] & *fol. 167.* [Vbi adverte, quod licèt fortè eſſet bonum abſtinere a tanta conceſsione indulgentiarum, &c. Nihilominus parum, aut quaſi nil eſt, quod conceditur, cum non valeant, niſi amicis Dei, quibus maiora dona ſine proportione concedit Deus, pro quolibet opere facillimo, & elicienti delectabiliſsimo.] & infrà [Qui autem non eſt in charitate tempore, quo accepit indulgentiam, ſecundum Archi. & Sylveſtrum, recedente fictione, effectū indulgentiæ conſequitur; quia vt dicit Gloſſa, iſtæ conceſsiones non ſunt amarè interpretandæ, ſed extendendæ vt valeant omnimodo, quo poſsibile eſt.] Hæc ille. Quem ſequuntur nonnulli, quando ipſe ignorat eſſe in peccato, Granado, & Diana *p. 5. tr. 12. reſ. 14.* & probabile putat Fillucius *tom. 1. tr. 8. cap. 8. num. 14.* Et abſolutè defendit Henriquez apud Dianam *p. 4. tr. 4. reſ. 94.* & Doctor Garſi eos citans *in q q. moral. cent. 1. cap. 33. num. 15.* Apud quem de Miſsis, pro exiſtēte in mortali applicatis, idèm tradunt Nauarrus, Aragōn, & Marchinus, quibus *ipſe n. 14* adhæret, & ratione ſuadet: Quia quæ habēt virtutē ex opere operato, remoto obice, ſuum operantur effectum; vt videre licèt in Sacramētis ex communi Theologorum. Atqui Miſſa, & indulgentia ſic ſe habent. Ergo cum per hæc applicentur merita Chriſti, ſicut per ſacramenta, & illa ſint ſemper Deo præſentia, ſemper ſunt apta nata ad effectam, ablato obice, cauſandum: & ſic theſaurū per Eccleſiam diſpenſari, vtpotè pietati erga fideles conformius, cum poſsibile ſit, credere debemus. Adde, ſecundum graues auctores, opera bona peccatoris eſſe ſatisfactoria pro pœna peccatis iam remiſsis debita; ita cùm Soto eius Schola: item Nauarrus, & alij apud Ioannem Sanctium *in Selectis, diſp. 16.* Quod probabile putat Doctor Garſi *in q q. cent. 1. cap. 33. num. 23.* Quia ad ſolutionem debiti non requiritur amicitia; ſed ſufficit retributio æqualis pœnæ debitæ. Quæ valde notanda ſunt, vt fideles ad indulgentias lucrandas, & ad ſacrificia enixè procuranda, inducatur.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm ieiunium, & eleemoſyna, & alia opera, ad lucrandam indulgentiam, ſufficiant, licèt ex circunſtantijs fiant mala, etiam moraliter?

1 PRima ſententia tenet, opera ex circunſtantijs mala, etiam ſi venialiter tantum, nō ſufficere, quia ad lucrandam indulgentiam requiruntur opera bona, ac proinde, quę ex circunſtantijs etiam venialiter mala fuerint, deſeruire nequibunt. Sic M. Sotus *in 4. diſt. 19. art. 1. quæſt. 5* & Vazquez *tom de pœnitent. q. 94. art. 2. dub. 5. numer. 14.*

2 Contrariam tamen tenent alij, quos ſequutus eſt Eſcobar *in Moral. Theolo. tr. 7. exam. 5. cap. 9. n. 59.* vbi ſic ait: [ſcio debere apponi opera, ieiunium ſcilicèt, eleemoſynam confeſsionem, &c. Rogo ſi eiuſmodi opera moraliter bona, ex circunſtantijs fiant mala, aut venialiter, aut mortaliter, ſufficiēt ne ad indulgentiæ lucrationem? Granadus *diſp. 4. n. 10.* ſufficere docet opus eſſe bonum ex ſuo genere, licèt ex circunſtantijs, & indiuiduo malum ſit, quia præcepta diuina, & humana implentur per opera ex genere ſuo bona, licèt indiuidualiter peccaminoſa.] Sic Eſcobar, & ante illum P. Suarez, *tom. 4 in 3. p. diſp. 52. ſect. 6. num. 2. & 3.* vbi multis hāc ſententiam perſuadet, & exemplo præcepti vtitur, dicens [Confirmatur primò, quia præceptum impletur per opus ex genere ſuo bo-

bonum, etiam ſi malè fiat. Ergo etiam poterit ſufficere pro indulgentia. Patet conſequentia; quia ſicut indulgentia ordinatur ad cauſam piam; ita & præceptum, maximè Eccleſiaſticum, refertur ad pietatem, & bonos mores componendos; & ſicut hic finis ſatis intenditur, præcipiendo actum ex ſuo genere bonum, ita etiam exigitur ſufficienter ad finem indulgentiæ.] In idem recidit Villalobos *in ſum. tom. 1. tr. 26. diffic. 13. num. 5.* qui licèt tantummodo loquatur de opere ex ſe bono, & ex circunſtantia venialiter malo, ratio verò, qua vtitur, idem evincit de mortaliter etiam malo. [El fundamento de eſta ſentencia (inquit) es porque no es creible, que ſea neceſſario mas para ganar las indulgencias, que para cumplir con el præcepto Eccleſiaſtico.] Evidens autem eſt, ieiunantē, aut audientem ſacrum in die præcepti, ex fine, etiam mortaliter malo, ſatisfacere præcepto. Ergo opus ex ſe bonum, & ſi ex fine, graui malitia inficiatur, ad lucrandam indulgentiam ſufficiet.

3 Eamdem ſententiam cum Corduba, & Suarez, tenet Palao *tom. 4. diſp. 24. p. 11. num. 5. fol. mihi* 208. probat: [Quia certum eſt, Pontificem poſſe concedere indulgentiā ſub conditione operis de ſe honeſti, tametſi indiuiduo honeſtum non ſit, ſiquidem poteſt abſque vllo opere indulgentiam concedere. Ac ſic eſt præſumendus concedere, quoties opus exigit abſolutè abſque vlla limitatione; ſicut præſumeretur, ſi præceptum imponeret de illius exequutione: quia onus impoſitum in conſequutione indulgentiæ reſtringi non debet, ſed potiùs ampliari, quatenus verba permittunt.] Sic ibi multis ſuadens vtilitatem talis operis ex ſe boni (eſto vitiati ex praua intentione operantis) ad finem à concedente indulgentiam intentum. Fructus enim, qui parta victoria ſperatur, ſcilicèt propagatio fidei, & pax Chriſtianę reipublicæ, idem erit, licèt eleemoſyna contributa ad bellum, ex pravo elargientis fine, grauiter vitietur.

4 Stat etiam pro hac ſententia Cardin. de Lugo *tom. de pænit. diſp. 27. ſect. 6. num. 85* vt conſtat ex fundamentis, quibus probat [opera ad indulgentiam requiſita, & ſi fiant cum peccato, quia vitiantur ex aliquo fine malo, prodeſſe ad obtinendam indulgētiam, ſi in fine operum, (id eſt quando fit vltimum) ſit iam homo conſtitutus in gratia.] Quod aſſerendum conſequenter dicit ad ea, quæ tradiderat *diſp. 25. ſect. 3.* de operibus iniunctis à Confeſſario ad ſatisfactionem; nimirum, quod opera iniuncta à Confeſſario proſunt ad ſatisfactionem, ex opere operato, etiam ſi ex aliquo fine vitientur. Quia ſufficit, inquit, quod illa opera ex ſe ſint ſatisfactoria ad hoc, vt poſſint iniungi, & eleuati ad effectum ſatisfactionis ex opere operato, licèt non ſint ſatisfactoria ex opere operantis in indiuiduo: hoc enim non eſt neceſſarium, nam, vt docent cōmuniter Theologi, opera ex ſe bona facta in peccato mortali non ſunt ſatisfactoria, & tamen eleuātur ad ſatisfactionem ex opere operato, ſi in fine vltimi ſit homo in gratia. Ergo à ſimili de operibus ex ſe bonis, licèt extrinſecè ex pravo fine graviter vitiatis, dicendum eſt.

5 Dixi ſtare pro hac ſententia Cardin. de Lugo, quia *diſp. 25. citata, ſect. 3. num. 33.* planè docet opus iniunctum à Confeſſario, etiam ſi fiat cum peccato, ſufficere. [Et probatur, inquit, quia ad ſatisfaciendum alijs præceptis ſufficit etiam opus peccaminoſum, vt per auditionem Miſſæ peccaminoſam ſatisfit præcepto Eccleſiaſtico; ergo ad ſatisfaciendū præcepto confeſſarij ſufficit ſimile opus, &c.] Paritas enim apertè conuincit opus etiam grauiter peccaminoſum ex fine, ſufficere ad pœnitentiæ Sacramentalis adimpletionem, & per conſequens ad indulgentiam, modo ſuprà explicato. Quod tenent Coninch, Henriquez, Bonacina, Layman, & alij, quos refert Palao ſuprà: quibus conſentit Doctor Garſi *in qq. Moral. cent. 1. cap. 33. num.* 21 vbi ex Palao, inquit, non eſſe abſurdum, quod bonum opus vitiatum ex fine mortali ſit ſatisfactorium, recedente fictione, quia non vt ab homine; ſed vt Sacramenti pars, ſeu Chriſti opus, hunc effectum habet. Quod procedit, & locum habet in opere ad lucrandam indulgentiam petito.

6 Ideò hæc ſententia mihi valdè probabilis eſt, quia, vt ait *Margarita Confeſſorum, fol. 167.* eiuſmodi conceſſiones extendendæ ſunt, vt valeant omnimodo, quo poſſibile eſt. Cum etiam ſub alio opere poſſint valere, vt conſtat ex ſupradictis potiore iure valere poterunt, etiam ſi ex fine pravo grauiter vitientur, dummodo quiſque ſit in gratia tēpore, quo indulgentia lucrāda eſt; vel vt alij ſuprà citati volunt, remoto obice: Pro hac ſententia, cum pluribus, militat Diana *5. p. tr. 12. reſ. 5.* vbi poſtquam propoſuit opinionem abſolutè aſſerentem, non eſſe neceſſarium, vt opus requiſitum, & iniunctum ad lucrandam indulgentiam debeat eſſe honeſtum, & bonum moraliter in indiuiduo, ſed ſufficere, vt ſit honeſtum ex genere ſuo; (pro qua citauit Granadum, Suarez, Henriquez, Præpoſitum, & Ludovicum à Cruce) proponit opinionem Antonij Fabri qui diſtinguēs inter opus ex circumſtantia vitiatum venialiter tantùm, & inter mortaliter vitiatū, aſſeruit illud, & non iſtud ad lucrationem indulgentiæ ſufficere; ipſe concludit dicens: [Ego

Digitized by Google

craturum indulgentiam, qui opera ex genere ſuo honeſta efficit cum peccato, ſiue veniali, ſiue mortali? Reſpondo ſub lite eſſe. Nam plures docent opinionem probabilem ad indulgentiam parùm iuuare, quia ſi re vera non fiant opera, iuxta intentionem Pontificis, non conſequentur fructus indulgentiæ, quantumuis detur opinio probabiliter aſſerens opera extrinſicè vitiata ſufficere. Alij verò ſentiunt intentionem Pontificis eſſe, quod ea opera ſufficiant, quæ opinio probabilis ſatis eſſe iudicauerit, attentis verbis iubilæi. Sic Diana *p.10.tract.11.reſ.34.* & apud illum Martinus de S. Ioſeph *in Monit. tom.1.lib. 2. de indulgent. tr 12.n.12.* & Paulus Maria Quarti in tr. de iubilæo anni ſancti *cap.2.p.1. poſt dubium 6.* quos ſequitur Leander a Sacramento *tom.1.tr.5.diſp. 14. q.164.* cum alijs viris doctis à ſe conſultis, & præcipuè cum Fr. Franciſco à Sancto Iuliano, viro ſui ordinis doctiſsimo. Quorum opinio valdè mihi probabilis eſt, quia Eccleſiæ pietati conformior, vnde quouſque oppoſitum declaret, illi ſtandum videtur.

11 Notandum hic eſt, Sacerdotem cum peccato mortali celebrantem, in altari priuilegiato, lucraturum indulgentiam pro anima purgatorij; vt benè Cardin. de Lugo; & Diana *p.10.tr.16.reſ.13.* ibi: [ſufficit enim quod ſit in gratia, qui recipit fructum indulgentiæ: cauſa enim mouens non eſt opus à peccatore factum, ſed ſatisfactio Chriſti, & Sanctorum.] Sic ille. Pro quo citat Pellizarium, Gouat, Martinum de S. Ioſeph, Philippum de la Cruz, Machadum, & Quintana-Dueñas, qui pro hac ſententia refert 13. Doctores. Et eſt opinio animabus purgatorij fauorabilior.

12 Eſt tamen pro coronide aduertendum, quod ſi indulgētia concedatur ſub hac forma: *qui deuotè viſitauerit, &c.* viſitatio ex vanagloria, licèt venialiter tantùm peccaminoſa, non ſufficit ad lucrationem indulgentiæ, vt benè aduertit Tamburinus *tract. de Bulla cap.10.§.2.fol. mihi 67.* Quia non eſt deuota viſitatio, quæ venialem culpam continet.

13 An verò ad lucrandam indulgentiam Medaliæ, aut grano benedicto conceſſam, ſufficiat à proximo hæc mutuò accipere? Affirmat cùm Petro Marchantio, Diana *p.10. tr.16.reſ.2.* Quibus adhæſit P. Gobat *de indulgentia p.2.cap.13.q.32.n.378.* Quia verè dicitur habere Medaliam, vel granum benedictum, qui mutuò accepta habet, vt multis probat Rebuffus *in l. 143. de verbor. ſignif.* Pontifex autem hæc habentibus concedit indulgentiam: vnde ſi tibi ſuum alter roſarium commodet, poteris (inquiunt) æquè, ac Dominus Roſarij, indulgentijs ei conceſsis gaudere; & Ita, inquit Gobat, nominatim declaratur in indulgētijs quinque Sanctorum, §.13. Qua propter huic ſententiæ ſubſcripſere P. Quintana-Dueñas, *tom. 1, ſingul. in Appendice tr.9.dub.6.n.9.* P. Mēdo *in Bulla Cruciatæ, diſp.20.cap.2.num.13.* & P. Antonius de Eſcobar *in 2. edit. Theolog. Moral. tr.7.exam.5.cap.8.§.3.num. 66.* pro illa referens Patrem Henriquez. Cæterum cùm hoc dependeat ex voluntate Pontificis concedentis indulgentiam, & hanc extenſionem ad medalias, & grana mutuò accepta, quandoque fecerit, & quandoque omiſerit; concludere debemus, ſuæ intentionis eſſe eam concedere, cùm exprimit; ſecus verò ei tantùm, in cuius dominio, vel quaſi dominio fuerint. Et ne deinceps, de hac re dubium eſſe poſſet, Summus Pontifex Alexander VII. die 7. Februarij anno 1657 declarauit indulgentias Medaliarum ſolùm prodeſſe eis, quibus primùm Medaliæ fuerint conceſſæ, aut quibus iſti primò diſtribuerint; & quod nullis precibus aliis accōmodari poſſint, ſecus indulgentiæ ſtatim ceſſent. Quare opiniones contrariæ iam corruere.

QVÆSTIO VIII.

An poſt reuocationem indulgentiarum, quam, circa Regularibus conceſſas, fecit Paulus V. anno 1606. eas anullando, & loco illarum alias concedendo; probabile nihilominus ſit, omnes in ſuo vigore ſubſiſtere?

1 Affirmat Hieronymus Rodriguez in *qq. Reg. reſ. 77. n. 45.* quem nonnulli Recentiores ſequuti ſunt. Verùm horum ſententia ſuſtineri in poſterum non poteſt; quia vt ſcandaloſam damnauit Alex. VII. *anno 1666.* in decreto Sacræ Congregationis Generalis Inquiſitionis Romanæ. Qua propter operę pretium duxi tenorem reuocationis, reformationis, & nouæ conceſsionis hic excribere, vt habetur in conſtitutionibus Prædicatorum, *cap. 3. fol. 379.* Quem adducit Gallego *in Bullam, cap. 12. clauſ. 12. à fol. 181.* vbi ſic.

2 Pro ſpirituali ſolatio omnium Religioſorum quorumvis ordinum intra clauſtra, aut extra, cum licentia ſuorum ſuperiorum, legitima de cauſa illis conceſſa, degentium, concedit eis S. D. N. Paulus Papa V. infra ſcriptas indulgentias, & gratias:

3 Ceterum omnes, & ſingulas indulgētias quibuſcumque ordinibus, inſtitutis Regularibus, etiam Mendicantibus; & quibuſlibet perſonis Regularibus, tâm vigore priuilegiorum, & litterarum Apoſtolicarum, quàm viuæ vocis oraculo, aut aliàs quouis mo-

modo, per quoſcumque Romanos Pontifices prædeceſſores ſuos, ac per ipſummet, & Apoſtolicam S dem, hactenus conceſſas, confirmatas, & innouatas, authoritate, & tenore prędictis, perpetuò reuocavit, caſſauit, annullauit, & abrogauit; & ad præſentium ſuarum litterarum præſcriptum modum redùxit, & moderatus eſt. Quæ indulgentiæ, vult ſua ſanctitas, vt omnes etiam conceſſæ ſint omnibus Religioſis, Monialibus, Regularibus cuiuſvis Regulæ approbatæ, & intra clauſtra cum tribus votis ſolemnibus viuētibus, & perpetuam clauſuram ſeruantibus, tàm ordinarijs locorum, quàm Regularibus cuiuſcumque ordinis, Regulæ, & inſtituti ſubiectis ſuffragari, præſentibus perpetuis temporibus duraturis. Non obſtantibus, &c.

4 I. Omnibus Chriſti fidelibus, qui canonicè, & iuxta ordines cuiuslibet Religionis, & conſtit. Apoſtolicam, habitum Regularem a legitimis ſuperioribus, cauſa profitendi in illo, ſuſceperint, die primo eorum ingreſſus in ipſam Religionem, ſi verè pœnitentes, & confeſsi ſanctiſſ. Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſerint, plenariam indulgentiā concedit.

5 II. Cuilibet Nouitio, qui pœnitens, & confeſſus, ac ſacra Cōmunione refectus fuerit, poſt completum prob. tionis annum, profeſsionem emiſerit; etiam plenariam.

6 III. Cuilibet Religioſo intra clauſtrū Monaſterij viuenti, qui in feſto principali ſui ordinis, confeſſus, ac ſacra Communione refectus fuerit, aut Miſſam celebrauerit, & pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, Romani Pontificis ſalute, ac S. M. Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderit, etiam plenariam.

7 IV. In cuiuslibet mortis articulo, ſi pariter verè pœnitens, & confeſſus, ac ſacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiuerit, ſaltem contritus, nomen Ieſu, ore ſi poterit, ſin autem corde, deuotè invocauerit, etiam plenariam.

8 V. Qui verò ad Presbyteratus ordinē canonicè promotus, & confeſſus primam Miſſam celebrauerit, nec non etiam ijs Religioſis, qui pariter confeſsi, ac communione refecti, eidem Miſſæ interfuerint, aut ipſo die Miſſam celebrabunt, etiam plenariam.

9 VI. Si verò Religioſi, qui de ſuorum ſuperiorum licentia a negotijs per decē dies alieni, in cella commorabuntur, aut ab aliorum conuerſatione ſeparati, in priorū librorum lectione, & aliarum rerum ſpiritualium conſiderationi operam dederint, addendo ſæpè conſiderationes Myſteriorum fidei Catholicæ, &c. plenariam, &c.

10 VII. Iidem Religioſi intra Clauſtra viuentes, qui ſuam Eccleſiam deuotè viſitauerint, & vt præfertur, orauerint, conſequenter eaſdem indulgentias, quas viſitando Eccleſias vrbis, & extra eam diebus ſtationum conſequentur, in omnibus diebus, perinde, ac ſi ipſas vrbis Eccleſias viſitaſſent.

11 VIII. Omnibus Religioſis intra Clauſtra, vt ſupra, viuentibus, qui quinquies orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicàm ante altare eorum Eccleſiæ dixerint, in quolibet die, quinque annos, & totidem de indulgentia concedit.

12 IX. Ijs, qui de ſuorum ſuperiorum licentia in itinere exiſtentes, aut extra Clauſtra degentes, tanquam Prædicatores, & Lectores, quinquies eandem orationem Dominicam, & toties ſalutationem Angelicam, ante quodlibet altare ſimiliter dixerint, etiam quinque annos, & totidem quadragenas.

13 X. Eiſdem Religioſis, qui per menſem integrum, ſingulis diebus, ſpatio mediæ horæ, orationem mentalem fecerint, ac confeſsi, & ſacra Communione vltima Dominica menſis huiuſmodi refecti fuerint ſexaginta annos, & totidem quadragenas.

14 XI. Qui contrito corde, & pœnitentes eorum culpas, & peccata, ac imperfectiones in Capitulis culparum accuſabunt, & ſpiritualiter communicabunt, & exercitium virtutum facientes, tres annos, & totidem quadragenas.

15 XII. Ijs, quotieſcumque de licentia Summi Pontificis, & ſuorum ſuperiorum, in dictiones, & terras infidelium, aut Hæreticorum, ad concionandam, aut Catholicos docendum, vel Infideles, & Hæreticos ipſos ad fidem conuertendum, & Eccleſiæ gremio reducendum, miſsi fuerint, ſi pœnitentes, & cōfeſsi, ac ſanctiſſ. communione refecti fuerint, vel Miſſam celebrauerint, vt melius ad huiuſmodi opus ſe parare valeant, pro duobus vicibus, videlicet, quando itineri ſe accinxerint, & quando in Prouinciam, vbi prædicta opera eis exercenda erunt, ingreſsi fuerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſsionem elargitur.

16 XII. Cū Superior in viſitationibus generalibus, orationes quadraginta horarū pro bono viſitationis progreſſu collocare voluerit, ijs Religioſis, qui dictis orationibus, ſaltem ſpatio duarum horarum, in diuerſo tempore interfuerint, & ibi pro Principum Chriſtianorum concordia, hæreſum extirpatione, Romani Pontificis ſalute, & S. M. Eccleſiæ exaltatione, nec non diſciplinæ, & obſeruantiæ regularis augmento, pias ad Deum, vt ſupradictum eſt, preces effuderint, ſi confeſsi, & ſacra Communione refecti fuerint, aut Miſſam celebrauerint, plenariam ſimili-

ter omnium peccatorum indulgentiâ,& remiſsionem,vt præfertur, concedit. Hactenus,ibi.

17 Aliquas tamen practicas obſervationes circa Bullam Pauli V. notare oportet,ex Quitana-Dueñas, tom. 1. ſingul. in appendice,tr.4.dub.2.ſit prima.

18 In hac reformatione Pauli V. nullo modo revocantur indulgentiæ,quæ competunt Religioſis,vt ſunt fideles,vel habitatores talis loci,ſed,quæ ratione ſuæ Religionis illis conceſſæ erant,aliter deterioris conditionis eſſent,quam ſæculares, etiam quoad ſpiritualia.Item non revocantur, quæ conceduntur eorum Eccleſijs,Monaſterijs, Capellis,&c.V.g.Iubilæa,& indulgentiæ conceſſæ viſitantibus Eccleſias cuiuſvis ordinis, in feſtis ſuorum ſanctorum,aut in alijs feſtiuitatibus. Quas plurimas eſſe plenarias, & non plenarias invenies in compendio ſuprà verbo *indulgentia quoad ſæculares* 1. & 2. à *fol.*291.*ad* 299.& apud Hieronymum Rodriguez ſuprà *à num.*48.Qui inter alios refert,*num.*72.ex indulto Innocentij V.& Iulij II. conceſſum eſſe omnibus recitantibus Pſalmum *Miſerere* cum oratione,*Deus, qui, inter Apoſtolicos Sacerdotes* ,&c.vel ſi litteras neſciant,*quinquies Pater noſter cum Ave Maria*,in Eccleſijs principalibus Minorum, ſeu illis annexis;quod conſequantur indulgẽtias vrbis,& orbis. Nec revocantur conceſſæ exhibentibus aliqua charitatis opera fratribus Minoribus ,Carmelitis,& alijs Religioſis, quæ videri poſſunt ibi à *fol.*299.*ad* 302.

19 Sit 2.Non revocantur conceſſę Patribus,fratribus, cognatis ; benefactoribus, ſeruitoribus Religioſorum , ac alijs huiuſmodi perſonis ad eos ſpectantibus;eum enim hæ non ſint Religioſis conceſſæ , ſed intuitu tantùm illorum,revocatæ non ſunt à Paulo V.qui indulgentias fratribus immediatè,& directè conceſſas ſolùm revocauit.Sic notat Hieronymus Rodriguez,num.57. circa indulgentiam Eugenij IV.qui conceſsit , vt procuratores fratrum,eorumque ſubſtituti, liberi, Parentes, Fratres , & Sorores poſsint promereri indulgentias ſtationum,& aliàs fratribus conceſſas , dicendo in eorum Eccleſijs quinque Pater noſter,& totidem Ave Maria,pro fœlici ſtatu Romanæ Eccleſiæ,& addit.[Nec hoc fuit revocatum per Paulum V.quia non fuit conceſſum fratribus , ſed intuitu fratrum.]

20 Ob eandem rationem ipſe, *num.*45. & Emmanuel Rodriguez *tom.*3.*ſum.cap.*11. docent , non eſſe revocatam indulgentiam plenariam conceſſam à Clemente VIII. Parentibus fratrum Minorum in mortis articulo.Et *num.*55.ait Hieronymus , non eſſe revocatam plenariam indulgentiam conceſſam animabus Parentum, Benefactorum, ac hoſpitantium eoſdem Religioſos,dicendo pro eis vnam Miſſam defunctorum in conventu , in quo moratur talis filius Religioſus,aut in oppido Benefactoris,aut hoſpitantis.

21 Sit 3.Revocatæ non ſunt indulgentiæ conceſſæ Religioſis pro animabus purgatorij,v.g.vt tali Miſſa,vel oratione,vel in tali die liberent vnam animam à purgatorio. Huiuſmodi indulgentias plures invenies apud Hieronymum Rodriguez *reſ* 77.*à num.* 62.& animadverte,quod , etiam ſi anima purgatorij ſit Religioſi cuiuſvis,& Pontifex concedat , quod quicumque , ſiue ſæcularis, ſiue Regularis hoc , vel illud opus pro illa effecerit in Eccleſijs Regularium,aut in eorum altaribus priuilegiatis,liberet eam; nõ eſt cenſenda hæc indulgentia ei applicanda, quia viui opera hæc exequantur,& indultum hoc non eſt conceſſum Religioſis , quatenus Religioſi ſunt,ſed ratione Eccleſiæ , vel altaris;& Paulus V.non revocauit indulgẽtias Regularium Eccleſiis, vel altaribus conceſſas,ſed tantùm conceſſas immediatè, & directè ipſis Regularibus viuis, qui propterea de eius foro erant.Immo, & ſi nominatim Pontifex exigeret;vt miſſa pro anima Regularis defuncti a Regulari celebretur , vt defunctus à purgatorio liberaretur ; adhuc hæc indulgentia meo iudicio non eſſet reuocata a Paulo V.qui,vt tetigi , ſolùm indulgentias viuis,& pro viuis conceſſas,illiſque tantùm applicandas,revocaſſe exiſtimãdus eſt.

22 Idem à fortiori dicendum eſt de indulgentijs conceſsis pro animabus Regularium,abſque vlla aliorum Regularium, vel ſæcularium diligentia. Huiuſmodi eſt ea; quam conceſsit Ordini B. Mariæ de Monte Carmelo Ioannes XXII. & confirmarunt Alexander V. Clemens VIII. & Gregorius XIII (vt teſtantur vterque Rodriguez, Hieronymus ſupra n. 7.& Emmanuel apud ipſum;)vt,ſcilicèt Sabbato ſequenti poſt obitum Fratrum , Monialium , & Confratrum ipſius Ordinis,meritis , & interceſsione B. Virginis,ipſorum animę a pœnis purgatorij liberentur per modum ſuffragij, ſeu impetrationis à Deo.Conſule ipſum Hieronymum,qui rectè cũ Emmanuele , & Navarro notat,quod ad liberandam animam à purgatorio in altari priuilegiato,ſufficit cuiuſlibet Miſſæ celebratio, ſiue ſit de ſancto, ſiue de feria, aut defunctorum,niſi in Bulla expreſsè caueatur, quod dicenda ſit de Requie.

23 Sit 4. Indulgentię omnes conceſſę, vel confirmatę tum à Paulo V.poſt prædictam Bullam,tùm ab alijs Pontificibus eius ſuc-

ſucceſſoribus, non ſunt reuocatæ. Talis eſt plenaria, quam Paulus V. conceſſit Minoribus recitantibus Coronam B. Mariæ, vt referunt Hieronymus Rodriguez, *num.* 47. & Portel *num.* 1. & celebris illa indulgentia ſtationis Sanctiſsimi Sacramenti conceſſa Minoribus recitantibus ante illud ſex *Pater noſter, & Aue Maria*, cum gloria Patri ad finē cuiuslibet, & Aue, & his recitatis ita, lucratur quilibet Religioſus omnes indulgentias ſtationum Romæ, Ieruſalem, S. Iacobi in Cōpoſtella, & Portiunculæ. Quod conceſſum fuiſſe à Paulo V. ac confirmatum; de nouoque conceſſum a SS. D. N. Vrbano VIII. dūmodo ſtatio fiat ante altare principale Eccleſiæ, ex authoritate grauium virorum, teſtatur ipſe Rodriguez *num.* 47.

24 Sit 5. Nec reuocatæ ſunt indulgētiæ, quas poſſunt Regulares concedere, tàm Regularibus, quàm ſæcularibus pro aliquo opere: ſolùm enim pro ſe ipſis conceſſæ reuocātur hic. Huiuſmodi eſt illa, quam Fratres Minores, & Prædicatores, ac ſimiliter communicantes in eorum priuilegijs, prædicantes in ſuis domibus quocunque anni tempore, poſſunt concedere ſuis auditoribus, nimirū decem, & octo annos, ac trecentos, & viginti duos dies indulgentiarum; extra verò ſuas Eccleſias vltra dictos 18. annos, 222. *dies tantum*. At tempore Quadrageſimæ, in ſuis domibus, prædicantes, in feria ſecūda, quarta, & ſexta; centum quinquaginta ſex annos, & quingentos viginti quatuor dies indulgentiæ, authoritate Apoſtolica valent concedere, ex indulto Gregorij IX. & aliorum Pontificum: de quibus in compendio minorum, *tit. indulgēnt. quoad ſæculares*, §. 5. & Emmanuelis *tom.* 2. *quæſt.* 95. *art.* 1. Ac, vt ipſe *quæſt.* 99. *art.* 5. reſtatur, ex indulto Pauli III. & aliorum Pontificum, in partibus Indiarum, poſſunt Religioſi alias indulgentias concedere.

25 Sit 6. Iubilæa, & indulgentiæ cōceſſæ, viuæ vocis oraculo, Regularibus, & eorum Eccleſijs in ordine ad ſæculares, & ipſis Regularibus immediatè, aliundeque non reuocatæ per hanc Pauli V. Bullam, non ſunt reuocatæ Bullis Gregorij XV. & Vrbani VIII. omnia viuæ vocis oracula annullantium, vt vidimus *ſing.* 3. *tr.* 9 quia in illis non exprimuntur indulgentiæ, ſeu de illis quoad reuocationem non fit ſpecifica mentio, qualis requiritur ad reuocationem, vtpote priuilegij priuationem. Et licèt in eis dicantur reuocari indulta ſpiritualia, ſub horum nominibus in odioſis non ſunt intelligendæ indulgentiæ: licèt in fauorabilibus intelligātur, nec hæc reuocari exiſtimantur à ſapiētibus niſi expreſsè nominentur; ſic doctiſsimus P. Fernandinus, & Mendoza.] Hactenus P. Quintana-Dueñas. Denique oportet aduertere Regulares poſſe pro defunctis applicare omnes indulgentias ipſis pro viuis conceſſas Sic notat Emman. Rodriguez tom. 2. qq. reſol. q. 96. art. 8. per conceſsionem Sixti Quarti in Bulla erectionis confraternitatis chordæ S. Franciſci, anno 1587. die 7. Maij.

§. I.

Conſectarium.

26 Placuit hic adnotare non bene apud Theologos audire quorūdam opinionem, qui contra numerum annorum indulgentiæ à Summis Pontificibus conceſſe, oblatrare non erubuere. Quorum primus fuit M. Dominicus de Soto *in 4. diſt.* 19. *q.* 3. *art.* 2. *in fin.* vbi ſic. [Qua propter crediderim nunquam aliquem in Purgatorio viginti annis extitiſſe. Imò, vt mea fert opinio, nec decem. Nam cum nemo illic ſit, niſi Dei amicus, contritio eius, &, poſt Chriſtū paſſum, ſacramenta, & ſuffragia, & bona, quæ egit, opera ad cumulum ei ſatisfactionis accedunt. In ſumma non eſt credibile, vt quos pœnarum accumulatione expedire Deus breuius inde potuit; temporis prolixitate detineat.] Hæc M. Sotus. Quem ſequuntur M. Ioannes de la Cruz *in directorio p.* 2. *de pœnit. q.* 8. *dub.* 2. ibi: [vt ait Soto articulo ſecundo, nullus in purgatorio exiſtit per decē annos.] Et M. Corradus *p.* 1. *q.* 189. [hanc, inquit, opinionem Soti Magiſter Paulinus Lucenſis vir doctiſsimus huius noſtræ Prouintiæ, firmiſsime tenuit.] Quibus adde M. Ludouicum Lopez 2. *p. inſtruct. cap.* 4. *de Indulgentijs fol. mihi* 772. Quorum opinioni acrem cenſuram aliqui Theologi inuſſerunt, vt videre licèt apud Henriquez *lib.* 7. *de Indulgentijs, cap.* 16. *num.* 4. vbi ſic ſcripſit. [At hi non ſine temeritate quadam, ex leuibus rationibus, loquuntur contra morem Eccleſiæ; quæ pro defunctis, & pro certa anima celebrat anniuerſarias Miſſas, & officia vltra ducentos annos: quare illam ſentētiam quidam inſignis Prædicator a Sacro Inquiſitionis Senatu compulſus eſt retractare, eo quod retraheret viros ab operibus ſatisfactionis, & a Miſsis offerendis pro ſuis defunctis. Et quidem Patres ſignificant, quarumdam animarum pœnas duraturas ad diem vſque iudicij.] Sic P. Henriquez, quē ſequitur Antonius de Corduba *lib.* 5. *q.* 20. *§. dico ergo in fine*. Vbi acriùs contra Sotum inſurgens ait: [quare non ſolùm falſa, & temeraria, ſed impia, periculoſa, & ſcandaloſa irriſio illa Gerſonis, & alioqui pij, atque doctiſsimi Scoti eſt, qua tot annorum indulgentia ab illo irri-

detur,& contra Sotum agit etiamBellarminus, *ib.2.de Purgat.cap.9.in fine*,& alij apud Henriquez ſupra. Denique, ne in poſterum vllus aditus ad tàm abſurdam opinionē pateret, Sanctiſsimus Alexander VII. anno 1666.veluti *ſcandaloſam*, vt minimum,dānauit, prohibuitque ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ Sedi Apoſtolicæ reſeruatæ.

§. II.

Corollaria.

27 PRo coronide rogabis,an vt opera noſtra ſatiſfactoria proſint animabus purgatorij,debeamus prævie pro illis applicare,an ſufficiat applicatio poſt opera, v.g.poſt recitationem orarij,facta? Reſpondeo ex communi Theologorum,ante executionem operis faciendam eſſe applicationē, alias nullius erit vtilitatis animæ purgatorij,nec indulgentia operi annexa illi proderit.Ita Nauarrus *in Miſcell.de oratione*,Cardinalis de Lugo *de pœnit. diſp. 26. ſect. 3.n. 28.*Henriquez,Suarez,& Coninch, quos citatos ſequitur Trullench *lib.5.Bullæ,dub.5.* Probat Navarrus, quia opera ſatiſfactoria faciens,ſi ipſe indigeat, ipſi proſunt, ſi verò non indigeat,& alteri non applicet, eo ipſo confert in Theſaurum Eccleſiæ; cuius diſpenſandi authoritatem ſolus Pontifex habet:ergo,qui fecit opus ſatiſfactorium, non poteſt illud iam factum applicare pro anima purgatorij. Confirmatur,quia aliàs, vt bene ponderat Lugo,ſequeretur poſſe operantes opus bonum, ſuſpendere applicationem ſuæ ſatiſfactionis, quando ipſe non indiget,& applicare poſteà,quando indigebit. Vnde ſequeretur, quod beati, imò & damnati poſſent nunc applicare ſuas ſatiſfactiones præteritas, quas conſequuti ſunt, dum eſſent viatores, & in gratia Dei,& hactenus nulli applicuerunt, nec ipſi pro eo tempore indiguerunt. Quod inauditum eſt.

28 Eſt tamen aduertendum, non eſſe neceſſariam applicationem actu exiſtentem, vel immediatè præcedentem executionem operis ſatiſfactorij,ſed ſufficit præceſſiſſe,licèt aliquibus diebus anteà, quia dum non fuerit retractata, moraliter perſeuerat. Ideòque,ſiquis, v.g.applicuiſſet initio mēſis pro anima purgatorij omnia opera ſatiſfactoria totius menſis, licèt poſtea non recordaretur, nec de nouo applicaret, ipſo facto applicata manerent, vt docent communiter Doctores: & in terminis de ſacrificio Miſſæ tenent Suarez, Bonacina, Coninch, Lugo, & Hurtado, quos citatos ſequitur Diana *2.part.tract.14. reſol. 47.& 5.part.tr.14.reſ.65.*licèt alij actualem applicationem in ſe,vel in effectu ab ipſa procedente,requirant.

29 Ex hac concluſione deducitur alia valdè ad praxim adnotanda, nempè Miſſæ ſacrificium,ante conſecrationem, applicari debere pro offerente eleemoſynam, vel alia quavis perſona,vel anima purgatorij; quia probabilior opinio apud Dicaſtillo *tr.5.diſp. 1.dub.10.num.174.* tenet,in ſola conſecratione corporis, & ſanguinis Chriſti conſiſtere,quæ ſi coram Deo vera ſit, non conſequetur anima effectum ſatiſfactorium ſacrificij,ſed ipſe Sacerdos ſi indigeat,vel in Eccleſiæ theſaurum cadet. Qua propter omnes Sacerdotes admonendi ſunt,ne differant applicationem,ne ſe exponāt periculo defraudandi defunctos fructu ſatiſfactionis meritorum Chriſti Domini, ex opere operato correſpondente.

30 Rogabis ſecundò,ān qui ignorat indulgentiam,lucretur eam,ſi opus,cui cōceſſa eſt,exequatur? Reſpondeō affirmativè. Et ita contra nonnullos tenent Molina, Laymā, Salas Sanctarelus,Villalobos. Quos citatos ſequitur Diana *4.p.tr.4.reſol.24. & 5.part. tr.12.reſ.6.* Cardinalis de Lugo *diſp.27. de pœnit.n.8.*& cum alijs Leander à Sacramēto *tom.1.tr 5.de Sacram.diſp.14.q.37.* Ratio eſt,quia Pontifex concedens indulgentiā alicui bono operi,non requirit fieri ex intentione lucrandi indulgentiam,nec ad remiſſionem pœnæ eſt neceſſaria notitia, nec acceptatio illius(vt patet. Quia ſenſibus deſtituto non raro Pontifex indulgentiam plenariam concedit,& indulgentia Bullæ Cruciatæ pro articulo mortis eam prorſus ignorāti,applicari ſolet,nec viri docti de eiuſmodi indulgentiæ fructu dubitarūnt. Ergo ad lucrandam indulgentiam ſola non renitētia ſufficit;nec alia poſitiua voluntas,ſeu notitia eſt neceſſaria. Confirmatur:Quia animabus purgatorij proſunt fidelium opera,& indulgentiæ;quas pro ipſis applicantur. Et tamen ad hoc neceſſe non eſt,quod ipſæ vllam notitiam applicationis, aut indulgentiæ habeant;vt cum Suarez, & Lugo ait Diana *p. 11.tr.5.reſ 59* Ergo vt fideles lucrētur,ſufficit; quod Pontifex talia opera efficientibus indulgētiam concedat, licèt ipſi penitus ignorent. Vrgetur:quia indulgentia, ex opere operato,cauſat remiſſionē pœnæ ex meritis Chriſti;ſed ad hunc effectum cōſequendum, non eſt opus vlla aduertentia, vel notitia,vt conſtat quando ex Baptiſmo ab infante, & quando extrema vnctio a ſenſibus deſtituto percipitur; illi enim pœna damni;& illi pœna ſenſus,ex opere operato,remittitur. Ergo vt quis lucretur Indulgentiā bono operi cōceſſam,nec intētio cōſequēdi effectū,nec eius notitia eſt neceſſaria:huic principio innititur

gr uiſsimi Doctores, qui aſſerunt ex vi illius additi, in forma abſolutionis. *Quidquid boni egeris, & mali ſuſtinueris, &c.* omnia bona opera iuſti remiſsionem pœnæ ex opere operato, (ſicut ſatisfactio aliâ ſpecifica a confeſſario iniuncta operatur) in pœnitētibus cauſare. Sic P. Suarez *tom. 4. 3. p. diſp. 38. ſect.* 6. Item Henriq. Villalob. Amicus, Leäder, & alij apud Dianam *p. 9. tr. 9. reſ. 54.* vide etiam illum *p. 3. tract. 4. reſol. 97.*

QVÆSTIO IX.

Vtrùm indulgentias in Bulla Cruciata conceſſa viſitantibus quinque altaria, lucretur toties quoties; & quid poſsit virtute duplicis Bullæ?

1 AD Huius reſolutionem ſupponenda, ſeu potius præmittenda eſt clauſula Bullæ Cruciatæ, quæ extat apud Trullench *lib. 1. §. 6. fol. 164.* vbi ſic: [Indulgentia conceditur, &c.] Item, qui dictò anno durante, &c.] Ex qua evidenter deducitur ſemel ſaltem in die viſitando quinque altaria lucrari omnes, & ſingulas indulgentias ſtationum.

2 Præmittendum inſuper omnibus diebus anni eſſe Romæ ſtationes, vt poſt diligēs præmiſſum examen declarauit illuſtriſsimus Dominus D. Fr. Antonius de Soto-Mayor, Commiſſarius Generalis Cruciatæ. Qua propter in fine Bullæ Cruciatæ, poſt numeratos dies ſtationum, quæ in illa exprimuntur, hæc verba adijci præcepit. *Y todos los demàs dias del año ſe ganan las indulgencias, q̄ en Roma, por aver cada dia eſtaciones en ella.* Indulgentiæ autem ſtationum plenariæ ſunt, & plures, vt videre licet apud M. Barnabam Gallego *in Bullam, cap. 8. dub* 70. vnde ſemel ſaltem vnoquoque die, poſſe quem virtute Cruciatæ 26. indulgentias plenarias lucrari, quinque altaria, vel vnum, vbi plura non ſint, viſitando, docent grauiſsimi DD.

3 Quamvis autem tot plenarum indulgentiarum numerus ſufficere nobis debeat ad cumulum illum meriti noſtra, non amittendum; tamen vt fideles magis ad hanc devotionem excitentur, in diſputationem vocemus. An toties quoties in die quālibet, quinque altaria viſitentur, conſequatur fidelis præfatum plenarum indulgentiarum cumulum? Negant Paludanus, Ludouicus de la Cruz, Corduba, Ludouicus Lopez, & alij, quos referunt Trullench, vbi ſupr. Gallego, *cap. 8. dub. 80. fol. 65.* & Pater Mendo *in Bulla, diſp. 6 cap. 5. num* 61. Cæterum probabilius affirmant alij, & communis Doctorum ſententia, quam ſequuntur plures apud Garſi *cent. 3. cap. 43.* & Gallego ſuprà Curiel *de Iubil. eo, pagin. 42.* Nauarrus *de indulgentijs, notabilli 42. numer. 47.* Roſella, *verb. indulgentia, §. 12.* Tabiena *eodem verbo, §. 15.* Angelus, Rodriguez, Nugnus, Trullench, Furiquez, Suarez, Diana, Layman, & Lugus, quos citat, & ſequitur Andreas Mendo ſupra, & Villalobos *tom. 1. tr. 27. clauſul. 8.* & videtur ſententia D. Thom. *lib. 4 ſent. diſt. 20. quæſt. 1. art. 3. quæſt. 2. ad 4* vbi ſic. [Si in aliqua Eccleſia ſit indulgentia perennis, ſicut in Eccleſia Beati Petri, quadraginta dierum, tunc quoties aliquis vadit, toties indulgentiā cōſequitur.] Cuius verba expendens M. Gallego addit ſequentia.

4 Notenſe eſtas vltimas palabras del Angelico Doctor, que dize, que ſi en alguna Igleſia ay cada dia indulgencia, como la auia en ſu tiempo de quarenta dias de indulgencia à quien viſitaſſe la Igleſia de San Pedro de Roma, tantas quantas vezes vno viſitaſſe, otras tantas vezes las ganava. El dia de oy, pues (como hemos dicho arriba) ay cada dia indulgencias de eſtaciones en Roma; luego ſegun la mente, y ſentencia de Santo Thomas, ſe gauaran tantas, quantas vezes ſe viſitaren, y como la Bula concede que ſe ganen viſitando en la forma dicha, lo miſmo que ſe gana en Roma, ſigueſe claramente, que ſe puede ganar cada dia muchas vezes, aſsi por viuos, como por difuntos, como ella lo concede.

5 Reſtat verò enodanda difficultas, quid dicendum de aſſumente duas Bullas; an ſcilicèt ſemel viſitando lucratur indulgentias duplicatas? & conſequenter toties quoties viſitauerit; ſi enim affirmatiua fuerit concluſio, indiligentes ſane omnes erimus, ſi tantò indulgentiarum ſubſidio careamus.

6 Negatiuam tenent non pauci, neque ignobiles Doctores cenſentes ſecundā ullam ſolùm deſeruire ad repetitam reſeruatorum Summo Pontifici abſolutionem, & ad binam in vita, & binam in morte indulgentiam plenariam obtinendam, non verò ad duplicatas indulgentias per vnicam quique altarium viſitationem comparandas. Ita tenet P. Mendo in Bulla diſp. 28. num. 3. & conſentire debent omnes, qui affirmant eidem operi, ob diuerſas conceſsiones, non cōpetere diuerſarum indulgentiarum adquiſitionem. Quod, pluribus citatis, defendunt Paſqualigus in praxi Iubilæi, q. 44. num. 3. & Caſtrus Palaus, tract. 24. diſp. vnica, pūct. 9. num. 13. citans Filliucium, & Bonacinam. Et quidem quando opus eſt iterabile; eodem die plures indulgentias obtineri, expreſsè negant Layman, Coninch, Suarez, Fauſtus, Paſqualigus, & Gobat apud Dianam part. 10. tract. 16. reſolut. 14.

7 Cæ-

7 Cæterùm contraria ſententia eſt probabilior, quam tenet Naldus, Corduba, Graffis, Enriquez, quos citat Diana *part. 5. tract. 12. reſol. 11.* Lezana, & Martinus de San Ioſeph, quos citat idem Diana *part. 10. tract. 16. reſol. 14.* Hoſtienſis, & Sà, quos refert Leander, *tom. 1. tract. 5. diſp. 14. quæſt. 170.* qui id probabile dicit, ſicut & Lugo, Fauſtus, *de Iubilæo, lib. 2. quæſt. 39.* Sanctarellus *de Iubilæo, cap. 15. dub. 1.* Quintana-Dueñas *in appendic. tract. 9. dub. 6. numer. 8.* Probatur, quia ſecunda Bulla concedit viſitationi quinque altarium tot indulgentias, ac prima; & aliunde nec Pontifex exigit diuerſam altarium viſitationem, neque ex natura rei diſtinctum opus requiritur ad multiplicem indulgentiam plenariam lucrandã. Ergo non eſt cur negare debeamus per duplicem Bullam duplicatas ſtationum indulgentias lucrari.

8 Confirmatur, quia eidem operi poſſe plures indulgentias plenarias concedi, eſt euidens ex indulgentijs, quæ per Bullam Cruciatam ſemel viſitanti de facto conceduntur: ſunt enim plures, vt conſtat ex dictis: inſuper indulgentiam plenariam poſſe pluries in eodem die lucrari eſt certiſsimum, vt conſtat ex indulgentijs conceſsis toties quoties. Ergo non eſt dubium, poſſe Pontificem concedere duplicatas indulgentias ſtationum ſemel viſitanti quinque altaria. Ergo dum aliunde de contraria eius intentione non conſtet, ſic interpretanda eſt eius voluntas. Nam indulgentiæ ſunt beneficium Principis, in nullius cedentes præiudicium, ideòque latiſsimè interpretandæ, *l. beneficium de Conſtitutione Principis, cap. quamvis de præbendis in 6.* & in omni materia parum oneroſa, & fauorabili, conſtat, *ex l. placet, ff. de liber. & poſth.* & latè tradit Nauarrus, vbi ſuprà citans Panormitanum, Decium, Ananium, Alexandrum, & Oldradum.

9 Ex quibus infertur, quod ſecunda Bulla nihil concedat de nouo circa electionem confeſſarij, aut priuilegium edendi carnes de conſilio vtriuſque medici, aut audiendi ſacrum tẽpore interdicti, &c. Quia hæc priuilegia ratione materiæ nequeunt plura magis, quam vnum operari. Secus verò eſt circa indulgentias, cum eidem operi duplicatæ concedi poſsint.

10 Obijcit Pater Mendo *diſp. 20. cap. 2. num. 11.* Obtenta vna indulgentia plenaria, nil reſtat obtinendum, dum tempus non ſit diuerſum, eſt enim remiſsio omnis pœnæ, ergo eodem tempore perinde eſt vnam indulgentiam plenariam lucrari, ac plures: imò implicat plures ſimul obtineri. Reſpondeo apertiſsima inſtãtia ex eodẽ doctiſsimo Patre Mendo, *diſp. 28. num. 10. & 11.* vbi aſſerit, pro eodem defuncto poſſe eodem tempore duplicem Bullam defunctorum accipi: Arqui tunc duplex indulgentia plenaria eidem defuncto applicatur. Similiter poſſe, pro eodem defuncto plures Miſſas in eodem tempore in altaribus priuilegiatis celebrari. Quod (inquit ipſe Mendo) maxima cum vtilitate defunctorum fieri, & nullum in hoc apparere inconueniens, & pietatem exerceri circa animas purgatorij, licèt obtenta vna indulgentia plenaria nil reſtet obtinendum. Poterit ergo etiam vtiliter pro viuis multiplex plenaria indulgentia obtineri vnica viſitatione altarium facta, ſi duæ Bullæ Cruciatæ eodem anno ſumptæ fuerint, & mirer id negari a concedente plures indulgẽtias plenarias lucrari, qui virtute vnius Bullæ ſemel viſitauerit. Eadem enim in vtroque caſu ratio militat.

P. Mat. de Moy. Quæſt. p. 2.

11 Non tamen inficior, quod ſi vna indulgentia plenaria fuerit plenè obtenta, nil obtinebitur ſecunda; in quo ſenſu verũ continet ſententia P. Mendo; quia ſemel remiſſa omni pœna, nil illius remittendum reſtat. Neque nouam remiſsionem adſtruere intẽdunt Doctores, dum aliam indulgentiam plenariam obtineri poſſe contendunt; ſed, non remiſſo toto debito pœnæ per primam (licèt plenariam a Papa conceſſam) remitti poſſe reſiduum per lucrationẽ ſecũdæ. Quia, vt ait Cardinalis de Lugo *tom. de pœnit. diſp. 27. ſect. 6. num. 21.* contingere poteſt, dari cauſam aliquam, ratione cuius effectus remiſsionis limitetur, vel propter multitudinẽ peccatorum, & debitorũ, vel (vt alij volũt) ob defectũ deuotionis, vel ob exigua opera; ob quæ cõceditur: in quibus caſibus vtraque conceſsio coniungi poterit ad operandum effectum, quem ſingulæ non poſſent; qua propter, cum incerti frequenter ſimus de ſufficientia cauſæ, & diligentiæ ad plenè lucrandam; valdè vtile erit, plures indulgentias plenarias lucrari, id eſt diligentiam ad plures lucrandas adhibere; vt pluribus partim obtentis, totum debitum remittatur.

DISPVTATIO QVINTA, de confeſſarijs ſolicitantibus.

QVÆSTIO I.

Vtrùm ad obligationem denuntiandi confeſſarium ſolicitantem neceſſarium ſit, quod de crimine ſit infamatus?

§. I.

Prima ſententia cum fundamentis proponitur.

1 SI non præcedat infamia, nec ſolicitatum teneri denunciare, nec iudicem poſſe procedere, præterquam contra hereticum formalem, tenet Barboſa plures citans *in colle... in cap. qualiter, & quando de accuſat. & inquiſit.* Megala, Ioãnes Andræas, Gundiſaluus, Repertorium Inquiſit. Decianus, Speculator, Palacios, Felinus & Nauarrus, & alij apud Dianam *1. p. tr. 4. reſ. 1.* Quibus adde Tabienam, Sylveſtrum, Henriquez, Lorcam, Alphõſum de Villagura, Syluium, & alios apud Thomam Hurtado *tom. 1. tract. 3. cap. 8. reſol. 21. num.* 170. Quorum opinio colligi videtur ex Conſtitutionibus Pauli IV. Pij IV. Clementis VIII. & Pauli V. in quibus facultas Dominis Inquiſitoribus cõceditur contra ſolicitantes *quomodolibet diffamatos*. Ergo ad obligationem denuntiandi aliqua infamia in ſolicitante requiritur: ergo ſaltem quod eius crimen duobus ſit notũ; ac proinde, ſi vni perſonæ ſolicitatæ; nec iſta tenebitur denũtiare, nec Inquiſitores de eiuſmodi delicto inquirere poterũt. Cõfirmatur, nam quando ſub cenſura, etiã Pontificia, præcipitur criminis alicuius manifeſtatio, non tenetur quis (excepta hæreſi) denunciare, ſi crimen ita occultum ſit, vt probari non poſsit, vt aſſerunt, teſte Hurtado, omnes authores *vbi ſuprà* ab ipſo citati, quibus *num.* 183. addit Nauarrum *in ſumma Latina, cap. 23. num. 46.* & Zenedum *collect. 101. num. 3.* Quibus adde M Serram *2. 2. quæſt. 67. art. 3. in fine.* vbi ſic. [Denuntiatio debet eſſe iuſta, talis autem non eſt, ſi crimina falſa imponat, aut occulta propalet, quæ nullo modo probari poſſunt.] Et iterum *quæſt. 68. art. 1. dub. 2.* [Neceſſarium eſt, vt crimen probari poſsit. Si enim omnino eſt improbabile, non ſolum cõtra charitatem, ſed contra iuſtitiam peccabit.] Et tenent plures a nobis relati *in opuſculo pro Ieſuitis, tract. de fide prop. 4.* M. Acarius de Velaſco, Sayrus, Candidus, Lorca, Diana, Octauianus Spatarius, & alij, & conſtat ex Clem. 2. de Hereticis, vbi dicitur quod [ſi probare valeant, denuntiare debeant.] Ergo cum ſolicitans in confeſsione non ſit formaliter hæreticus, denuntiari non poterit; ſi eius crimen duobus, vt minimum, notum non ſit, quorum teſtimonio comprobari poſsit, & quorum notitia aliquomodo ſit infamatus.

2 Ideò hanc ſententiã vltra citatos probabilem putat P. Fagundez *2. præcep. Eccleſ. cap. 3. num* 84. vbi, vtraque opinione propoſita, ſic concludit: [ita ſe habent huiuſmodi opiniones ambæ probabiles.] Quod iterum repetit *lib. 6 in Decalogum cap. 12. num. 28.* & vtrobique ſubnectit. [Mihi non cõſtat de praxi DD. Inquiſitorum, & ordinariorum in hoc negotio, & ideò interim rem non definio, meumque iudicium praxi huius ſancti Tribunalis ſubijcio.] Cuius modeſtiam, & doctrinam, eo citato, laudat Thomàs Hurtado vbi ſuprà *num.* 171. dicens: [Hæc ſatis doctè, & Religiosè Fagundez.] Semper autem excipiendam hæreſim, dum opinionem probabilem dicit; advertit Fagundez, non ſolùm in ſecunda editione anno 1632. ſed in prima Lugdunenſi, anno 1616. (quod falſo negauit Baronius contra Amadæum *diſput. 3. ſect. 1. fol. 281.*) vtinam illi legere vacaſſet. Recole, quæſo, locum *in præcepta Eccleſiæ, tract. 2. lib. 4. cap. 3. nu. 31.* vbi ſic ſcribit. [Quando præcipitur ſub excommunicatione, vt denuntientur crimina, non tenetur quis regulariter parere, ſi crimen occultum eſt, & probari non poteſt. Fallit tamen hoc (attende) in crimine hæreſis; quia tunc non iubetur quis denuntiare, vt accuſator, ſed vt teſtis, & vt quilibet Chriſtianus de populo, vt dicemus *lib. 5. de ſigillo, c. 3. n. 13.*] Quã opinionem iterum tenet *tom. 1.* In decalogum, in prima etiam editione *cap. 26. n. 7.* dicens: *eſſe omnino certam, & indubitatam.*

3 His facit doctrina aliorum Doctorum non infimæ notæ. M. Michael Zanardus *in director. Confeſſor. 2. 2. de accuſatore, cap. 52.* ſic ait: [Tertiò quæritur: an edicta, præcepta excommunicationes Epiſcoporum, Inquiſitorum, &c. In quibus præcipitur, vt delicta quouis modo nota reuelẽtur, obliget ſcientes ad denunciandum, vel accuſandum? Reſpondetur, quod in quibuſdam caſibus obligant, & in quibuſdam non, &c. Non obligant, etiam ſi iudex quærat delictum ad pœnam delinquenti infligendam; ſi delinquens nulla, ſuper hoc delicto, laboret infamiam; nec contra eum ſint indicia: (attẽde) nã tunc, quãuis delictũ ſit a tribus, vel quatuor ſecretè cognitũ, quilibet illorum poterit tacere, etiam ſtante præcepto.] Hactenus Zanardus. Videatur etiam M. Ioannes Martinez de Prado *tom. 2. Theolog. moral. cap. 24. q. 1. §. 2. num. 14.* vbi inquirens: [Vtrùm

[Vtrùm liceat accuſare aliquem, de crimine, de quo non eſt infamatus?] ſic air: [Eſt certum, quod quando crimen nullo modo probari poteſt, apertè contra iuſtitiam peccate, ſi illud aperias, quia nullum ius habes illud patefaciẽdi, cũ enim nõ poſsit probari nõ poteſt quoq; puniri; ac proinde non poteſt ex eius reuelatione aliud ſequi, quam infamia.] Hæc ille. Quæ vel nil probant, vel idẽ evincunt in denũciatione, vel teſtificatione, vt ex terminis patet. Ideoque idẽ conſequẽter de denuntiatione tradit ipſemet M. Prado *cap. 24. citato, quæſt. 2. §. 2.* vbi inquirit. [Vtrùm crimina, quæ nequeunt in iudicio probari, teneatur quis ex vi edicti denuntiare?] Cui reſpondet affirmatiuè quoad crimẽ hæreſis. Quoad alia verò crimina ſubnectit *num. 13.* [De alijs criminibus, vel quæ nulli nocent, vel ſunt tantum in præiudicium tertij priuati hominis, Sylveſter docet, quod ſi edictum præcipiat, vt iuridece denunciet, quod probari non poteſt; non tenetur iuridice denunciare: idem tenent Sotus, Tabiena, Armilla, Ludouicus Lopez, Serra, Nauarrus, Corduba, Rodriguez, & alij 16. Doctores, quos refert, & ſequitur Bonacina, & alij communiter. Crimen enim, quod iudicio humano probari non poteſt, eſt occultum, & ſoli iudicio diuino reſeruatum, &c. Et ita tenendum in praxi.] Hæc ille. Cuius ſententiam ſequuti ſunt Lorca *2. 2. diſp. 27. de charit. ſect. 3. num. 16.* M. Ioannes de la Cruz *in directo. p. 1. prop. 8. art. 4. dub 13.* pro ſe adducens Ledeſmam, Bañez, & Orellanam. Quorum ſententiam dicit eſſe probabilem Diana *p. 3. tract. 5. reſol. 100.* & nouiſsimè Doctor Garſi *cent. 1. cap. 80. num. 9.* & defendunt plures apud Dianam *p. 1. tr. de Denuntiat. reſol. 1.* Quibus, ſi notitia ſollicitationis habeatur ex ſola relatione, etiam ſi a perſona fide digna, conſentit Thomas Hurtado, *tom. 1. reſol. Moral. tract. 4. cap. 8. reſol. 64. §. 2. fol. mihi* 286. vbi ſic ait: [Dico ſecundò, excepto delicto hæreſis formalis, in omnibus alijs delictis, quæ continentur in edictis dominorum Inquiſitorum, audiens illa ex relatione, etiam a perſona fidedigna, nõ tenetur denuntiare, niſi illud poſsit probare, vt infra explicabo: ita tenent grauiſsimi Authores. Fagundez, Reginaldus, Megala, Repert. Inquiſit. Homobonus, Vazquez, Gutierrez, Bonacina, Clauis Regia, Henriquez, Auila, Barboſa, Raymudus.] Hactenus Thomas Hurtado.

4 Quorum ſententiæ fundamentum deſumitur ex M. Candido *tom. 1. diſquiſ. 5.* quia vel edictum Dominorum Inquiſitorũ præcipit, vt reuelemus eiuſmodi ſolicitationis crimen, vt denuntiatores, vel vt teſtes; ſed quãdo omnino occultum eſt, & ſoli perſonę ſolicitatæ notum, neutro modo tenetur reuelare: Ergo. Minorem, in qua eſt difficultas, tradit Candidus loco citato *art. 1. dub. 4.* vbi ſic: [Dico 6. nemo tenetur accuſare, nec denuntiatione iuridica crimẽ occultum, quod probare non poteſt, etiam ſi vergeret in damnum publicum, aut tertiæ perſonæ imminẽs in futurum.] Hæc ibi, & iterum *art. 4. dub. 8.* vbi tàm denuntiatorem, quàm teſtem ſic inſtruit: [Dico 14. quando præcipitur, vt reuelemus, quod ſcimus, vt denuntiatores, non poſſumus, nec debemus reuelare, niſi quod poſſumus probare, ita Sayrus, & Nauarrus. Si tamen nobis præcipiatur, vt reuelemus tanquam teſtes, tenemur deponere, vt tales, quod ſcimus; etiã ſi id probare nequeamus, (attende) dummodo nobis conſtet delictum, apud iudicem eſſe ſemiplene probatum; ſecus alias. Ita colligitur ex D. Thoma *2. 2. q. 70. art. 1.*] Hactenus M. Candidus.

5 Quibus fauet D. Thomas 2. 2. *quæſt. 33. art. 7. ad quintum*, ibi: [Vnde non habet (nempè ſuperior) poteſtatem præcipiendi de occultis, niſi per aliqua indicia manifeſtentur, puta per infamiam, vel aliquas ſuſpiciones.] *&* *quæſt. 70. artic. 1.* [Si exigatur (a ſubdito) teſtimonium in occultis, de quibus infamia non præceſsit, non tenetur ad teſtificandum.] Sic D. Thomas, cuius ſententia fundatur in iure *cap. qualiter 2. de accuſat.* Ex quo conſtat, iudicem Eccleſiaſticum non poſſe ſuper delictum occultum inquirendo exigere iuramentum, ſi delinquens ſit etiam occultus, & nullo modo diffamatus. Et *ex cap. Deus Omnipot. 2. quæſt. 2. cap. conſuluiſti 2. quæſt. 5.* Ex quibus habetur, Dominos Inquiſitores iuriſdictionem exercete non poſſe in perſonam, cuius crimen omnino occultum maneat. Ergo nequeunt obligare perſonam ſolicitatam ad denuntiandum, niſi alteri ſaltem notum ſit: maior enim facultas, quæ iure nouo ex Bullis Pontificijs ſuprà citatis, illis competit, aliquam infamiam requirit ad procedendum contra ſollicitantes, vt conſtat ex verbis illis, *quomodolibet infamatus.*

6 Propter hæc Thomas Hurtado *tom. 1. reſol. Moral. tract. 4. cap. 8. reſol. 57. §. 2. à num. 722.* cum Riccio *part. 3. deciſ. 278. num. 8.* Et Ioanne Valero *de differentijs vtriuſque iuris*, verb. *Hæreſis, num. 4. verſ. 5.* planè concedit, intentum huius ſententiæ argumenta concludere, ſi confeſſarius ſolicitans non ſit de fide ſuſpectus, & eius crimen omnino occultum ſit. [Si Confeſſor, inquit, ſolicitans non eſt diffamatus de ſolicitatione, & eſt alias bonæ vitæ, & cõuerſationis, & benè opinatus, vbi moratur, ſi ſolicitata perſona habet prudentiæ dictamen, quod rectè ſentiat de fide, licèt per accidens abutatur

Sacramento pœnitentiæ; atque ita, quod in illo deficiat præſumptio, & ratio legis; non eſt Inquiſitoribus denuntiandus, ſi ſemel, aut iterum ſolicitet eandem perſonam.] Aſſertionem probat, quia ad Inquiſitores ſolum attinet cognoſcere iuridice cauſas pertinētis ad fidem: Ergo ſi ſolicitans non ſit aliquo modo diffamatus de ſolicitatione per indicia, & probabiles coniecturas, ſed delictum ſit penitus occultum, nequit de illo cognoſcere Sacrum Tribunal, ſi non adeſt ſuſpicio fidei, & præſumptio, in qua fundatur lex, non verificetur: ergo ſi ſolicitato prudenter conſtet, quod in aliquo caſu ratio legis deficiat, & præſumptio ſit falſa; non tenebitur denuntiare, quia ſecundum opinionem communem Theologorum, lex fundata in præſumptione non obligat, vt in caſu aliquo particulari præſumptio deficiat, vt docent plures, quos refert, & ſequitur Diana 1. *p. tr. 10. reſ. 37.* Thomas Sanchez *de Matrim. lib. 7. diſp. 37. num. 9* Sylveſter *verb. Hereditas 3. q. 7.* & innumeri alij. Legem autem iſtam contra ſolicitantes in præſumptione fundari, conſtat ex verbis Bullæ: *Nos in animum inducere nequeuntes, quod quide fide Catholica rectè ſentiunt.* Et tradit Eſcobar del coatro de confeſſ. ſolicitante *part. 2. quæſt. 2. §. 1. n. 28.*

7 Subnectit verò ipſe Hurtado, præfatam aſſertionem ſolum eſſe veram, ſi ſemel, aut iterum confeſſarius ſolicitet eandē perſonam; nam ſi pluries, aut plures perſonas, denuntiandus eſt, aut quia imminet periculum multitudini; aut quia nequit prudenter iudicari, ſolicitantem non eſſe ſuſpectum in fide.

§. II.

Authoris iudicium.

8 CÆterum contraria ſententia, ſiue ſolicitans ſit de fide ſuſpectus, ſiue non, eſt omnino in praxi tenenda. Ratio eſt, quia crimen ſolicitationis in perniciem Reipublicæ Chriſtianæ vergit, & fideles à Sacramento confeſſionis avertit; ideoque ad tam nefandum crimen euellendum, & eradicandum, Pontifices incubuerunt; ad eiuſque probationem, teſtes ſingulares ſufficere, declararunt, quorum decreta nil operarentur, ſi perſonæ ſolicitatæ ſolum tenerentur denuntiare de præfato crimine infamatos: ſi enim de his tantum conſtitutio hæc intelligeretur, non occurreretur ſufficienter huic malo, nam cùm ſolicitationes in occulto contingant, & enorme hoc crimen difficillimæ probationis ſit, & mulieres ob innatum pudorem frequenter taceant, ferè nunquam de illo dabitur infamia; ac proinde rariſſimè adſtringetur perſona ſolicitata denuntiare, nec animarum pernicies vitabitur.

9 Neque obſtat, confeſſarium non eſſe perſonæ ſolicitatæ ſuſpectum in fide: eſt enim Eccleſiæ ſuſpectus ratione delicti, & ſi vnica tantum fuerit ſolicitatio; cuius ſententiæ, iudicioque, perſona ſolicitata ſtare debet; neque ad ipſam attinet iudicare, ſit necne ſolicitans in fide ſuſpectus; aliàs Bullæ contra ſolicitantes omnino caſſæ rederentur, & hac via aditus pateret ad excuſandas ſimplices fœminas ab obligatione denuntiandi, quia confeſſarium ex fragilitate ſolicitaſſe, ſibi facilè ſuadebunt; maximè cùm aliàs bonæ vitæ, & converſationis apud alios communiter habeatur, quales frequenter ſunt viri Religioſi, & Clerici prouectæ ætatis, ſcientia, & prudentia vigētes, & in dignitate cōſtituti.

10 Secundò probatur, quia Pontifices, & Domini Inquiſitores, non tam intendunt delinquentis punitionem, quàm damnum præcauere, animarumque perniciem, quæ abuſum huius Sacramenti ſubſequetur: nec obligant perſonam ſolicitatam, vt probet delictum, ſed præciſse vt tanquam ſingularis teſtis ad Tribunal deferat, vt via iudici aperiatur ad damnum impediendum, à ijs teſtibus ſingularibus, ſi poſteà concurrant, comprobando. Ergo licet demus, ad inquirendum requiri aliquam infamiam, imò, & quod ſuſpectus ſit in fide, (vt Hurtado ſuprà contendit) non tamen erit requiſita ad obligationem denuntiandi: aliàs ſacramenti recta adminiſtratio, & periculi animarum vitatio obtineri non poterit. Nec in re tanti momenti de fama proximi delinquentis curare debemus, cùm bonum Sacramenti, & Religionis, particularis famæ bono præferēdum ſit: ſicut denuntiari deberet delinquēs, qui ciuitati incendium pararet, ſi aliud medium impediendi malum non ſuppeteret; licèt ex denuntiatione periculum famæ ſubire deberet.

11 Qua propter M. Dominicus de Soto *de ſecreto, memb. 2 quæſt. 6 poſt. 2. concluſ. §. & poſtremo,* communem Theologorū ſententiam de infamia ad Inquiſitionem, ſecūdùm ius commune, requiſita, his verbis, iure limitauit. [Concluſio prima, videlicet, quod abſque infamia non poteſt fieri inquiſitio, intelligitur de criminibus privatis, quæ non ſunt in præiudicium tertij. Crimina enim publica, aut quæ ſunt in præiudicium tertij, quomodocumque cognoſcantur, inquirenda ſunt, & coercenda, ſi ſunt in fieri, & damnum pendet in futurum] *&c. §. excipietur poſt 4. concluſ.* [Nam, quod nō liceat occultos peccatores inquirere abſque infamia; ſemper intelligitur de crimine iam præterito, quod inquiritur punitionis gratia: ſecus ſi inquiratur ad vitandum futurum damnum.]

num.] Hæc ille; quem cum alijs ſequitur Thomas Sanchez *tom.2.opuſc.lib.6.cap.3.dub.19.* Cum ergo crimē ſolicitationis eiuſmodi ſit, vt iuxtà ſuperius dicta, etiam nulla præcedente infamia, poſsint Domini Inquiſitores de illo inquirere, non eſt cur, nō teneatur perſona ſolicitata, vt tam pernicioſo crimini obviet, ſolicitantem denuntiare. Quia ad illū ab eiuſmodi criminis continuatione cohibendum, medium aliud ſuppetere non poteſt, ni teſtes ſingulares denuntiare teneantur. Ideòque ſicut in crimine hæreſis præcipitur, vt denuntiemus, vt denuntiatores, vel vt teſte; licèt crimen omnino occultum ſit, & illud probare non poſsimus: ita & in ſolicitationis delicto.

12 Denique contra Hurtado argumentor ad hominem, quia, vt ipſe tradit *tr.4.cap.8.reſol.57.num.734.* licèt perſona ſolicitata prudenter iudicet, confeſſarium non eſſe de fide ſuſpectum, tenetur adhuc denuntiare, ſi per indicia, & coniecturas probabiles infamatus ſit: Ergo conſtitutiones Pontificum, & Dominorum Inquiſitorum edicta, non ita fundantur in præſumptione, vel ſuſpicione fidei, vt hac priuato iudicio deficiente, obligatio denuntiandi deficiat: ſi enim vis obligandi in præſumptione, priuato cuiuſvis iudicio, appendenda, primo & principaliter niteretur; æque in hoc caſu lex ceſſare deberet, ac quando delictum eſt omnino occultum. Debemus ergo omnes fateri, Pontificum conſtitutiones primò, & per ſe in iudicio Eccleſiæ de hęreſis ſuſpicione fundari, & in neceſsitate præcavendi nefandum ſolicitationis crimen: Ideòque voluiſſe Pontifices, timore incidendi in manus Inquiſitorum confeſſarijs incuſſo, ab hoc ſcelere eos coercere, ad quos ſacro Tribunali ſubijciendos, ſat fuit, reos eſſe in foro externo; & cum abutantur Sacramento pœnitentiæ, prudenter iudicari ſuſpectos in fide. Et quidem ſi, vt ipſemet Hurtado fatetur *ſuprà tr.5.cap.2.reſ.3.fol.275.* nulli licèt priuato diſcurſu in Theologia, & rationibus nixo, negare eſſe ſuſpectum de fide confeſſarium ſolicitantem, eo quod præſumptiones approbatæ fuerint lege Pontificis, [in qua, inquit, nunquam erraſſe, ita certum eſt, vt contrarium ſit, ad minus improbabile, & temerarium: Quare iudicibus fidei liberum non eſt, aliter iudicare, quam præfatis iuridicis ſuſpicionibus in fide nixis.] Sic inquā, nec Theologo, nec Iudici licitum eſt, priuato iudicio inniti, ſed lege pontificia approbato, quo ſolicitans in confeſsione de hæreſi ſuſpectus habetur, qui fieri poteſt, vt priuato fœminæ iudicio aliud iudicare permiſſum ſit.

13 Ideò hanc ſententiam tuentur P. Suarez *de fide, diſp.20.ſect.4.num.7.* Bonacina de cenſuris *diſp.2.quæſt.6.punct.1.n.9.* Trullench *libr.1.in Decalogum, cap.3.dub.18.num.20.* Filliucius *tr.14.cap.2.num.31.* & *39.* M. Bañez *2.2.quæſt.68.art.2.* Leſius *lib.2.de iuſt.cap.30.dub.2.num.13.* & *dub.6.num.41.* Tannerus *2.2.diſp.2.q.5.dub.5.num.66.* & plures alij, quos citatos ſequitur Diana *1.p.tr.4.reſol.1.* & *4.part.tr.5.reſ.1.* Leander à Sacramento *tom.1.tr.5.diſput.13.quæſt.5.* Vbi pro hac ſententia refert, & meritò Patrem Fagundez *lib.6.in Decalogū, cap.12.num.28.* Vbi de hac noſtra ſententia ſic ſcribit. [Secunda probabilior eſt, & in fauorem Sacramenti in illam inclinandū videtur, & magis inclino. Quod prædixerat *2.præcep. Eccleſiæ, cap.3 num.84.* Vbique admonens praxim Sanctæ Inquiſitionis ſequēdam, cui ſuum iudicium circa probabilitatem primæ ſententiæ ſubmittit, nil interim volens deſinire, paratus improbabilem proferre, ſi praxi ſancti Tribunalis opponatur. Qualem cenſet Thomas Hurtado in eo tantum caſu, quo perſona ſolicitata ſit in fide ſuſpecta. Sed, vt diximus ſuprà, idem iudicium ferendum eſt licèt ſuſpicio in fide deficiat, iuxtà priuatum ſolicitatæ iudicium. Quāuis autem perſona ſolicitata denuntiare teneatur ſolicitantem, licèt probare non poſſit, alij verò, qui a perſona fidedigna audierunt, ni delictum probare poſsint, non tenētur, vt cum Fagundez, Reginal. Megala, Homobon. Gutierrez, Bonac. & alijs docent Diana *part.1.tr.4.reſ.1.* Barboſ. *de Poteſtat. Episc. allegat.95.num.51.* Thom. Hurtado *tr.4.cap.8.num.895.* & *ſeqq.* quia edicta DD. Inquiſitorum de ſcientibus iudicialiter loquuntur: Bullæ autem Pontificum de ſolis ſolicitatis.

§. III.

Argumentis primæ ſententiæ ſatisfit.

14 AD primum deſumptum ex illis Bullæ Pontificiæ verbis. *Quomodolibet diffamatus:* Reſpondet Palao *tom.1.tr.4. de confeſſario advenerem ſolicitante, diſp.9.punct.11.num.3.* quomodolibet infamatum dici, [infamatum apud ſolicitatam perſonam, nā adverbium illud *quomodolibet*, reſtringit infamiam, vt non accipiatur in rigoroſa ſignificatione] ſed non placet, quia fruſtra adiecisset Pontifex verba illa, cùm idem prorſus ſit, denuntiare ſolicitantem (iuxta Palao) quod denuntiare quomodolibet infamatum. Melius Thom. Hurtado ſupra *tr.4.cap.8.reſ.21.num.209.* reſpondet, præfatum argumentum ſolùm evincere, ad punitionem requiri; quod ſoli-

ci-

citans ſit aliquomodo diffamatus: ſecus verò, vt perſona ſolicitata obligationem denuntiandi habeat: ad hanc enim nunquam Pontifices diffamationem aliquam requiſitam ſtatuere, ſed de ſola punitione verba illa intelligenda veniunt, vt conſtare videtur ex Bulla Pij IV. & Clementis VIII.

15 Ad ſecundum contrariæ ſententiæ fundamentum communi Doctorum innixum, de requiſitis ad obligationem denuntiandi; reſpondeo communem opinionem, exigentium infamiam, aut quod denuntians poſsit delictum probare, aut quod alias ſemiprobatum ſit; ſolùm procedere, quando denuntiatio, aut teſtificatio tendunt primario ad punitionem delinquentis: ſecus quando ad præcavendum damnum in futurum, adverſus tertiam perſonam, vel commune bonum: tunc enim ſufficit ad obligationem denuntiandi, quod manifeſtatio delicti damnum impedire aliquo modo poſsit, & ſi non perfectè. Et ita contingit in præſenti; quia per denuntiationem aperitur iudici via inquirendi, & alijs accedentibus ſingularibus teſtibus, indicijs, & coniecturis, probandi delictum; aut ſaltem eiuſmodi denuntiationis terrore a tàm nefando crimine confeſſarios arcendi. Videantur Sylveſter *verb. Correptio*, *q. 5.* P. Sà, *verb. Denuntiatio.* Valentia *diſp. 3. de charitate, q. 10. punct. 5. pag. 677.* Villalob. *tom. 2. ſum. tract. 4. diffic. 11. numer. 2. & 4.* Leſsius *lib. 2. de iuſt. cap. 30. dub. 2. num. 13. & dub. 6. num. 43.* qui teſtatur, eſſe communem. Thomas Sanchez *lib. 3. de Matrim. diſp. 13.* quos citatos ſequitur Caſtro Palao, *tom. 1. tract. 6. diſp. 3. punct. 14. num. 10.* Si verò aliqui ex Doctoribus ſuprà citatis contra hanc ſolutionem militauerint, audiendi non ſunt. Ratio noſtræ ſententiæ eſt evidens: quia ius poſitiuum, cui inniti poterat contraria ſententia, ad excuſandum a denuntiatione non diffamati; aut quando delictum probari non poteſt, abrogatum iam eſt, non ſolum ex conſuetudine; ſed per Summos Pontifices Pium IV. & Gregorio XV. quia in eorum Bullis iubentur pœnitentes denuntiare confeſſarios ſolicitantes: & tamen per ſe notum eſt, pœnitentem, vtpotè vnicum teſtem delicti in ſacratiſsimo foro commiſsi, non poſſe probare ſolicitationem.

16 Ad tertium, ex Hurtado communem hanc ſententiam limitante, deficiente ſuſpicione in fide, ſatis conſtat ex ſuperius dictis: malè enim ſentire de fide eſt actus interior ſoli Deo notus, qui ni ſigno aliquo externo indicetur, nemo de fide ſuſpectus haberi poteſt. Quod autem in hoc caſu, ſignum ſufficiens ſit, ad ſuſpicionem hanc concipiendã, decreuerunt Pontifices, dum ſolicitationem in confeſsione eam generare nos edocuerunt. Nec ad illam amoliendã prodeſt, quod ſolicitans ſit alias vir grauis, vel Religioſus, quia exteriora hæc deſiderari non ſolent in malè ſentientibus de fide, quod Pontifices latere non potuit.

17 Addo contrariam ſententiam tutam non eſſe, poſt decretum Sacræ Congregationis Generalis Sanctæ Romanæ Inquiſitionis, habitæ feria 5. die 8. Iulij, anno 1660. in quo Sanctiſs. Alexander VII. inquit eſſe obligationem denuntiandi, [*quos nouerint eſſe de fide quomodolibet, etiam leuiter ſuſpectos.*] Et neminem poſſe illos a denuntiando [*quouis prætextu*] retrahere, [*& contra facientes ſanctitas ſua voluit, & declarauit, ſubiacere omnibus cenſuris in Conſtitutione Pauli V. expreſsis, &c.*] Solicitantes autem leuiter ſuſpecti ſunt de fide. Adde ſententiam aſſerentem non teneri denuntiare hæreticum, qui eius crimen probare non poteſt, fuiſſe damnatam, *vt ſcandaloſam* ab Alexandro VII. anno 1665.

QVÆSTIO II.

De alijs capitibus, quibus fœminæ ſolicitatæ, ab obligatione denuntiandi confeſſarium, ab aliquibus eximuntur.

§. I.

1 Thomas Hurtado *tom. 1. reſ. Moral. tract. 4. cap. 6. §. 2. num. 87. & ſequentibus*, ſingularem attigit modum euadendi obligationem denuntiandi: [qui alicui, inquit, forſan non videbitur improbabilis.] Licèt ipſe iudicium vltimum non audeat ferre, ſapientiorum ſe ſubmittens. [Modus igitur euadendi denuntiationem eſt; ſi ſolicitatus confiteatur cum ſolicitante. Hic poteſt, inquit, abſolvere, nec enim Pontifex abſtulit ab illo iuriſdictionem quoſcumque abſolvendi, quos poterat ante ſolicitationẽ, &c. Ergo ſolicitatus vir, aut fœmina poterit abſolvi a ſolicitante abſque onere denuntiandi, cum nemo teneatur, ſe ipſum denuntiare, nec facere, quod alius denũtiet ipſum, vt multos citans docet Diana *1. p. tract. de denuntiationibus, reſol. 8.* ſic reſponderunt Compluti graues Doctores interrogati, inter quos fuit R. P. & M. meus P. Fr. Petrus a Lorca, & è noſtris reſponderunt mihi doctiſſimi P. P. Magiſtri mei P. Ambroſius Romã, & P. Emanuel de Avila, vterque lector primarius in noſtro Collegio Complutenſi, & poſt hæc ſcripta hunc modum iuveni in perdocto Patre Hieronymo Trimarchio *tract. de confeſſore abutente, &c. diſp. 3. num. 44.* & dicit, ſic ſenſiſſe Patrem Franciſcum Mariam de Agrifolis, & graues alios Doctores, & ipſe

ſe Trimarchius reputat probabile, & Freitas *in additionibus ad Acuñam, quæſt. 27. nu. 27.*] Hæc Hurtado ſuprà.

2 Sed non credam viros doctos ſententiæ à ratione prorſus alienæ aſſentiri potuiſſe. Aliud enim eſt, confeſſarium non teneri præcipere, aut conſulere pœnitenti, vt ipſummet iudici denunciet: hoc enim verum eſt, vt dicit Valerus *de differentijs vtriuſque fori verbo hæreſi, diſſi. 1. num. 4. ex l. alias, ff. de iure iurando*, quem ſequitur Doctor Ioſeph Garſi *in qq. cent. 1. cap. 32. num. 5.* quia nemo tenetur, ſe prodere, vt ait S. Gregorius: [nō dico, vt te prodas.] *Et cap. ſi quis aliquando de Pœnit. diſtinct. 1.* vbi Barboſa, & alij. Aliud verò, pœnitentem non teneri ex Pontificio præcepto denuntiare, ſi confeſſarius eum non obliget: hoc enim omnino falſum eſt, quia licet confeſſarius non iniungat; perſona ſolicitata denuntiare tenetur, vt tradunt communiter Doctores, & conſtat ex Bulla Gregorij XV. *Mandantes omnibus confeſſarijs, vt ſuos pœnitentes, quos noverint ab alijs ſolicitatos, moneāt de obligatione denūtiādi ſolicitantes.* Non ergo à Cōfeſſario imponitur obligatio denuntiandi, (vt falsò Thomas Hurtado, & Doctores ab illo citati exiſtimarunt) ſed de illa, quam pœnitens aliunde habet, ipſum admonet, ſicut & furem de obligatione reſtituendi ablatum, quam non confeſſarius, ſed lex naturalis, & diuina impoſuit. Vrgetur, quia aliàs fœmina ſolicitata, ſi admonitio confeſſarij ex oblivione, vel ignorantia defeciſſet, ab onere denuntiādi libera maneret, quod dicere ridiculum eſt: Ergo cum ex præcepto Pontificis, & ex edicto Dominorum Inquiſitorum, confeſſarium ſolicitantem denuntiare teneatur, & ab hoc onere, donec illi ſatisfecerit, à ſuperioribus non eximatur, eo ſemper adſtricta manebit; quamvis à confeſſario non admoneatur; neque ipſe in caſu præſenti ad id teneatur; ſed tantummodo ad abſolutionem non impertiendam, ſi indiſpoſitum pœnitētem ex defectu propoſiti iudicet, vel dubitet: vel, vt melius dicam, donec Inquiſitoribus denuntiauerit. Ni fortè neceſsitas communionis vrgeat, & tribunal longè diſtet, vt plures citans tradit Leander *tom. 1. tr. 13. quæſt. 48.* contra Sanctarellum, Freitas, & Ortiz, qui firmum propoſitum denuntiandi, in quovis eventu ſufficere autumant, vt perſona ſolicitata abſolui poſsit. Videatur idē Leander *tom. 4. tr. 2. diſp. 17. q. 89.* vbi iterū in hanc quæſtionem incidit, & pluribus citatis ſuam opinionē primò traditam corroborat. Quam enim Trullench *lib. 1. decalog. cap. 3. dub. 18.* defendit Doctor Garſi *cent. 1. cap. 32. num. 3.*

3 Quod autem pœnitens, ante admonitiodem confeſſarij, obligationem huiuſmodi contraxerit, concedit expreſsè ipſe Hurtado *tr. 4. citat. cap. 8. reſ. 47. n. 582. & ſequentibus*, vbi de alijs confeſſarijs ſermonem inſtituēs, inquit: [grauiter peccabit Sacerdos, ſi abſolvat (attende) non aperiendo illi obligationem grauiſsimam, quam habet denuntiandi ſolicitantem,] & iterum *num. 584.* dicit: [teneri ſub mortali advertere pœnitētem de obligatione denuntiandi, & ipſe pœnitens tenetur ſub mortali, quam primum commodè poſsit, denuntiare. Quare ſi hoc propoſitum non habet, abſolvi ſacramentaliter non poteſt, vtporè indiſpoſitus accedēs ad ſacramentum.] Sic ille vbi ſuprà *fol. 204.* Et bene quidem, ſed ſibi non conſtans: quem in hac parte laudo: eſt enim per ſe notum, quod ipſe in hoc loco ſupponit de obligatione pœnitentis independenter a monitione confeſſarij contracta; nec veriſimile eſt, Doctores ab Hurtado conſultos aliud intendiſſe, quàm liberare cōfeſſarium ab onere monendi pœnitentem, quod ipſummet denuntiet, caſu, quo vel pœnitens invincibiliter ignoret obligationem, vel firmiter proponat ſuæ ſtare obligationi; cui ſi bis, aut ter abſolutus defecerit, neutiquam abſolvi poterit, vt ait Doctor Garſi vbi ſuprà *num. 4.* ſed quidquid de hoc ſit, præfata Hurtadi ſententia ſuſtineri non poteſt, ſed vt falſa, & improbabilis omnino explodenda. Ideoque Summus Pontifex Alexander VII. die 24. Septembris anno 1665. inter alias, hanc ordine ſeptimā, vt minimum, vt ſcandaloſam damnauit, & prohibuit: *Modus euadendi obligationem denuntiandæ ſolicitationis eſt: ſi ſolicitatus confiteatur cum ſolicitante; hic poteſt ipſum abſoluere abſque onere denuntiandi.*

4 Adnotare ad praxim oportet, monitiunculam, quam ad confeſſarios dirigit Doctor Garſi vbi ſuprà *num. 11. & 12.* Nimirū; quod ſi in articulo mortis pœnitens ſolicitatus videatur invēcibiliter ignorare obligationem denuntiandi, & taliter affectus, vt malet damnari, quàm concipere propoſitum denuntiandi, non tamen in hunc actum prorumpit, ſed benè alias diſpoſitus eſt, confeſſarius eum non admoneat de obligatione, ſed in bona fide relictum abſolvat. Quia ex admonitione ſequetur certum, & irreparabile damnum, & cum Sacramentum inſtitutum ſit pro vitanda æterna hominum dānatione, veriſimile non eſt Pontifices intendiſſe cum evidente eius periculo pœnitentem moneri de obligatione; ſufficit enim quod extra mortis periculum confeſſarius moneat, etiam invincibiliter ignorantem, quia licèt cognoſcat non eſſe obtemperaturum, non tenetur illius peccatum vitare cū damno boni communis, tùm Religionis, tùm ſalu-

Digitized by Google

ſalutis ſpiritualis aliorum pœnitentium, quibus quantum fieri poteſt, conſulendum eſt: ac proinde ſi monitus denuntiare non proponat, abſolvendus non eſt. Sic in hoc caſu dicendum putat propter grauitatē materiæ; licèt in aliis mitius loquantur authores, quos ſequuti ſumus *diſp. de ſatisfactione, q. 4. n. 9.*

§. II.

5 Aliud excuſationis caput adducit, & admittit ipſe Thomas Hurtado, vbi ſupra *tr. 4. cap. 8. num. 907. fol. mihi* 237. Vbi cum Ioanne Sanctio *in ſelectis, diſp. 11. num.* 55. ab onere denuntiandi eximit; ſi fœmina ſolicitata fuerit à ſuo maximo benefactore, vel amico: [Rectè, inquit, infert Sanchez vbi ſuprà, quod ſi fœmina ſolicitetur ab aliquo maximo benefactore ſuo, aut amico, ſimiliter ſi beneficia ſit elargitus filijs, marito, parētibus, vel fratribus, non eſt obligatio denuntiandi, quia gratitudinis natura hanc excuſationem affert, quod intellige, inquit, quando crimen eſt patratū, & non pendet in futurum: tunc enim ob cōmune bonum omnia poſtponēda ſunt.] Cuius ſententia valdè diſſona eſt: qua propter iure illam damnauit Carolus de Baucio, *in Miſcellan. caſuum conſcientiæ, tom. 2. opuſc. 2. quæſt. 2.* 10. dicens: [Hæc opinio non eſt mihi probabilis, & iudico, eſſe temerariā, & ſcandaloſam contra bonum publicum totius Chriſtianitatis]& ſacra indicis congregatio ex operibus Ioannis Sanctij expungi decreuit, vt ex teſtimonio Secretarij Sacræ Congregationis teſtatur Diana *part. 10. tr. 13. reſ. 46.* & ab opere, quo vtor, edito Matriti anno 1624. eraſam invenio. Quod iure factum, nemo prudens negare poteſt, quia obligatio ex gratitudine orta longè minor eſt, quam obligatio denuntiandi confeſſarium; hæc enim ſub læthali adſtringit; illa verò in præſenti, nec ſub veniali. Inſuper ex gratitudine etiam infinitis titulis exedente, tenetur quis in honorem Dei, rectamque adminiſtrationem Sacramenti, & in animarum ſalutem, & ad totius Reipublicæ Chriſtianæ bonum, confeſſarium ſolicitantem denuntiare; quæ quidem maximè præponderant naturali gratitudinis, erga creaturā, obligationi. Præterea, (vt apud Theologos ſanctum eſt) quando duo incōpoſsibilia præcepta in praxi occurrunt, quod fortius eſt, præferri debet. Expendat ergo curioſus lector, quantum excedat præceptum denuntiādi confeſſarium ſolicitantem ſub læthali adſtringens obligationem illam ex gratitudine erga benefactorem; cui deficere, nec venialis quidem culpa foret. Præceptum autem denuntiandi confeſſarium ſolicitantē, non ſolum eſt de iure Eccleſiaſtico, ſed iure naturæ ineſſe pœnitenti, præſupponitur in decretis Pij IV. Clementis VIII. & Gregorij XV. vt benè notat Palao *tom. 1. tr. 4. diſp. 9. punct. 1. n. 7.*

6 Adde, ſi opinio illa Ioannis Sanctij probabilitatem vllam haberet, æqualis negari non poſſet conſectario, quod ipſe ibidem annexuit, dicens, [Quod & ſi ante impenſa beneficia confeſſarius fœminam ſolicitaſſet in confeſsione, & per tempus ſolicitationi incumbendo maxima beneficia impertiretur fœminæ ſolicitatæ, talis confeſſor non erit denuntiandus, quia licèt, dum aggrederetur ſolicitationem, non adeſſet excuſatio ex gratitudine ad denuntiationē omittendam, poſteà tamen, dum munera largitur, etiam ob explendam libidinem, benefactoris naturam non ſubterfugit, cui damnum parare inhumanum eſſet, præſertim, quia ſe priuaret fœmina beneficijs in futurum recipiendis.] Hæc Ioannes Sāchez. Quæ improbare non audet Hurtado, vt deberet, ſed alijs iudicium remittit; quod miror: eſt enim aſſertum omnino improbabile, quo ſolicitationibus aperitur via, & quiſque muneribus poſſet obligationem denuntiandi vitare. Imò, & cum frequenter munuſcula, & dona in his intervenire ſoleant, ferè nulla erit ſolicitatio, quę obligationem denuntiandi ſecum trahat. Vnde omnes Bullæ Pontificiæ ad hoc crimen omnino abolendum eluderentur. Qua propter exiſtimo, opinionem Ioannis Sanctij, & Hurtado dignam eſſe, quæ graui cenſura notetur, & comprehenſam credo ſub decreto Sacræ Congregationis *die 8. Iulij anno* 1660. quæſtione præcedenti citato contra eos, qui de fide quomodolibet, etiam leuiter, ſuſpectos à denuntiando *quovis prætextu* retraxerint. Ac proinde cenſuris in conſtitutione Pauli V. expreſsis ſubiacere, qui his opinionibus innixus ab onere denuntiandi quemquam eximat.

§. III.

7 Ex alio capite pluribus, & grauiſsimis fundamentis excuſant communiter Doctores ab obligatione denuntiandi: nimirum, ſi Sacerdos, qui ſolicitauit, eſt iam emēdatus: quos ſequitur Thomàs Hurtado *tom. 1. reſ. Moral. tr. 4. cap. 8. reſ. 43. à num.* 459. Vbi pro hac ſententia ad triginti Doctores refert, & ſibi omnino certam dicit, ſi perſona ſolicitata moralē certitudinem habet, confeſſarium iam emendatum eſſe, pœnitentiaque ductum, & non adſit probabilis timor de reincidentia. Primò,

mò, quia contra ius naturæ, & Euangelij nõ poteſt præualere ius humanum: denuntiatio autem de crimine occulto principaliter tẽdit, vt frater emendetur; vnde ſi conſtet fratrem iam emendatum, locum habere nõ poteſt humanum edictum contra ius naturale, ſeruandi famam proximi. Secundò, quia ſuppoſita fratris emendatione, ceſſat omnis ratio præcipiendi denuntiationem; nam licèt eſſet vtilis ad punitionem delicti; hæc tamen vtilitas ſola non dat ius ſuperioribus præcipiendi denuntiationem peccati occulti, vt tradit D. Thomas 2 2. q. 33. *art. 7. ad* 5. [Vnde, inquit, non habet poteſtatem præcipiendi, aliquid ſuper occultis, niſi quatenus per aliqua indicia manifeſtantur: puta per infamiam, vel ſuſpiciones.] Tertiò, quia hæreticus occultus, ſi emendatus ſit, non eſt denuntiandus Inquiſitoribus, vt docent Sylueſter, D. Thomas, & alij: imò nec iudex, aut ſuperior poteſt iuſtè præcipere, quod iſte talis denuntietur, vt tradit D. Thomas ſuprà, Aragon, Valentia, Sanchez, Caietanus, Ludouicus Lopez, Zanardus, & alij, quos ibidem refert Hurtado *num.* 463. cui conſentit Doctor Garſi *in qq moral. cent.* 1. *cap.* 32. *num.* 6. 7. & 8. Ex quo concludit in foro conſciẽtiæ non teneri confeſſarium monere pœnitentem, vt ſolicitantem iam emẽdatum denuntiet: (pro foro tamen exteriori cauere ſibi debere ne ab Inquiſitoribus puniatur) idemque dicendum quoties viderit, probabiliter poſſe excuſari a ſolicitationis crimine, aut ab obligatione denuntiandi.

8 Cæterum hæc ſententia, licet ſatis cõmunis, mihi non arridet, cum latitudine, qua à ſuis patronis defenditur; & contrariã ſubſtinendam cenſeo cum Suarez *de fide, diſput.* 20. *ſect.* 4. *num.* 11. Caſtro Palao *tom.* 1. *tr.* 4. *diſp.* 9. *punct.* 20. *num.* 1. & alijs, quos citatos ſequitur D. Ioannes Eſcobar del Corro *p.* 2. *q.* 3. §. 2. *num.* 15. & Diana *p.* 1. *tract.* 4. *reſol.* 3. apud quem Sanctarellus, Bonacina, Azor, Salon, Roxas, & alij. Moueor, quia ſi hæc excuſatio, iudicio pœnitentis appendẽda, ad eximendam ab onere denũtiandi, ſufficeret; ferè nunquam eſſet obligatio, quia nil facilius confeſſario, quàm pœnitenti ſe emendatum ſimulare. Quod & argumento ex principijs ipſiuſmet Hurtado evidẽter oſtendo. Quia loco ſuprà citato *num.* 467. inquirẽs: [Quibus indicijs generari poſſit moralis illa certitudo iudicij, quod confeſſor ſit iam emendatus] Reſpondet *num.* 472. ex dictis *num.* 469. ex Vazquez, Suarez, Barboſa, Genuenſi, Sylueſtro, & alijs: [quod, vt ſolicitans iudicetur emendatus, ſat eſt, quod conſtet acceſſiſſe ad Sacramentum pœnitentiæ, & abſolutionem ſacramentalem conſequutum.] Hoc autem medium adhiberé, nullus confeſſarius, ſiue bona, ſiue mala conſcientia ad vitandam denuntiationem, & ſe incolumem ſeruandum, recuſabit, vt ex eius deprauatis moribus colligi poteſt. Ergo ſi hæc opinio admittatur, latiſſima ſolicitationibus aperitur via: imò & ad confeſſiones ſacrilegas non leuis offertur occaſio. Facilius enim creditu eſt ſacrilegiũ tacendi peccatum in confeſſione, ad fugiendam pœnã, & infamiam, quam quod commiſit ſolicitãdo pœnitentem. Et ideo, qui hoc parrare nõ erubuit, credi cum fundamento non poteſt, quod ab illo abſtinebit, maximè cum hac via denuntiationem fugere, tanta certitudine nouerit, quod mulier ſolicitata, nequeat abſque graui, contra charitatem peccato, illum denuntiare.

9 Vt omittam, ſola ſimulatione confeſſionis, abſque vllo ſacrilegio, poſſe ſolicitantem id conſequi, quia ſi ad pedes confeſſarij acceſsiſſe cõſtet, de abſolutione dubitari prudenter nequibit. Tùm, quia confeſſarius ipſe abſolutionem indiſpoſiti ſimulare ſolet; & ex obligatione ſigilli, ob adſtantes, abſque dubio tenetur; tùm, quia aliunde negatæ abſolutionis teſtimonium haberi non poteſt. Addo effugium iſtud videri prohibitum ab Alexandro VII. in decreto Sacræ Congregationis ſuprà memorato contra eos, qui *quouis prætextu* à denuntiando ſolicitantem retraxerint. Præterquamquod eſt valde difficilè creditu ſolicitantem emẽdatum, eo quod ſemel ad Eucharistiam poſtea acceſſerit. Secus forſan eſſet, ſi perſona ſolicitata poſtea ter, vel quater ad confeſſarium pro abſolutione acceſiſſet, & honeſtum, nullaque animi libidine infectum reperiſſet, vt cum Soſa dicit Diana 2. *p. tr.* 5. *reſ.* 23 vel multum temporis interfluxiſſet, niſque contra illum auditum fuiſſet, vt cum Homobono, Freitas, Riccio, & Trullench, ait Doctor Garſi ſuprà *num.* 8. qui multum tempus cẽſet, ſi elapſum eſſet a ſolicitatione trienium, & nil ſimile de tali confeſſario auditum eſſet; tunc enim probabiliter emendatio præſumi poterit: Et in his tantum caſibus admitti poteſt, vt probabilis, opinio Hurtado, & aliorum. Addit Thomas Hurtado *ſupr. reſ.* 27. *num.* 268. *fol.* 169. pœnitentem ſolicitatum in confeſsione non teneri ſtatim denuntiare cõfeſſarium ſolicitãtem, ſi habet probabilem ſpem, quod ad trienium non deficiet. In hoc enim caſu, inquit, poſſe expectare ſpatium trium annorum ad comprobandam emendationem, & non teneri ſtatim denuntiare, licèt edictum, & monitorium Inquiſitorum præcipiat, quod intra ſex dies, aut intra duos menſes denuntiet. Pro qua opinione adducit Raynaldum, & Bonacinam. Sed quidem cum pœnitens ſolum poſſit ex hoc temporis ſpatio cognoſce-

noſcere ſe non fuiſſe ſolicitatam, non verò non ſolicitaſſe fœminas alias, non capio, qua ratione hæc ſententia ſubſtineri valeat: ea enim admiſſa, Bullæ Pontificum, & edicta Dominorum Inquiſitorum prorſus eliduntur, & rarò, vel nunquam erit obligatio denuntiandi.

10 Ad contrariæ ſententiæ fundamenta, vno verbo reſpondeo, præceptum denuntiationis criminis occulti ſolicitationis, & hæreſis, æque primo plures habere fines totales, & adæquatos, correctionem, ſcilicet fratris, vel vt potius dicam, præſeruationem á tanto crimine, rectam Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem, fidei Chriſtianæ conſeruationem. Item ſemiplenam delicti, ex teſtimonio perſonæ ſolicitatæ habere probationem, vt hoc denuntiationis fræno, qui ſemel ſolicitauit, ab iterando crimine, metu integræ probationis, ſingularibus teſtibus conflandæ coerceatur. Tot ſunt adequati fines Bullis Pontificum, & edictis Dominorũ Inquiſitorum, qui ad obligationem denuntiandi, ceſſante fine correctionis, ſubſiſtunt. Quapropter integra manet obligatio, quamuis confeſſarius, qui ſolicitauit, verè emendatus ſit.

11 Ad authoritatem D. Thomæ reſpondeo, ſolum habere locum, quando delictum in ſolius delinquentis damnum cedit, ſecus, ſi in alterius, vel boni communis præiudicium, vt in præſenti contingit. Hæc ſolutio conſtat ex ipſo D. Thom. 2.2. *quæſt.* 70. *art.* 1. *ad* 2. vbi ait [Circa ea vero, quæ aliter homini ſub ſecreto committuntur, diſtinguendum eſt; quandoque enim ſunt talia, quæ ſtatim, cum ad notitiam hominis venerint, homo ea manifeſtare tenetur; puta: ſi pertineāt ad corruptionem multitudinis ſpiritualem, vel corporalem, vel in graue damnum alicuius perſonæ, vel ſi quod aliud eſt huiuſmodi, quod quis propalare tenetur, vel teſtificando, vel denuntiando.] Hæc D. Thom. ſi ergo, quæ ſub ſecreto naturali ſunt commiſſa, ſtatim ſunt denuntianda, quanto magis, quæ expreſſe ſub tali ſecreto non committuntur, ſed ſolum implicite ex præcepto conſeruandi famam proximi, quod vim obligandi non habet, quando grauiora mala aliter vitari non poſſunt.

§. IV.

12 QVartum excuſationis caput affine præcedenti nititur præcepto correctionis fraternæ ante denũtiationem præmittendæ, quod in præſenti reſpectu etiam denuntiationis hæretici occulti, & ſolicitationis in confeſſione locum habere docent quam plurimi Theologi indè inferentes, neminē teneri denuntiare eiuſmodi occulta delicta, non præmiſſa correctione fraterna, illa vero correctum, & emēdatum denuntiare non licere. Ita in caſu hæretici occulti docent Aragon dicens *eſſe cõmunem*, Emanuel Rodriguez, Ludovicus Lopez, Zanardus, Lázarius, Homobonus, Reginaldus, Gundiſalvus, Decianus, Molfeſius, Ortiz, Aldrete, Valentia, Onufrius, Tannerus, Cardinalis de Lugo, Vazquez, Nauarra, Avila, Azor, apud Thomam Hurtado infra citandum, & eſt expreſſa D. Thom. 2.2. *quæſt.* 33. *artic.* 7. *in corpore*, *& ad quintum.* [Si hæreticus, inquit, priuatim hominem à fide auertat, oportet ſtatim procedere ad denuntiationem, vt eiuſmodi nocumentũ impediatur, niſi fortè aliquis firmiter exiſtimaret, quod ſtatim per ſecretam admonitionē poſſet eiuſmodi mala impedire.] Quem ſequuntur fere omnes diſcipuli, quoties firmá concipiatur ſpes, correctionem fraternam profuturam, D. Antoninus 2 *part. tit.* 9. *cap.* 6. §. 4 M. Sotus *in relectione de tegendo ſecreto memb.* 2. *quæſt.* 4. *concluſ.* 2. M. Bañez *artic.* 8. *ad quartum*, M. Acacius de Velaſco *tom.* 2. *verb. Heregia, reſ.* 26. *num.* 10. *&* 11. M. Canus *de locis, lib.* 12. *cap.* 9. *ad quintum*, M. Paludanus, M. Fumus, Sylueſter, & plures alij apud Lorcam, *diſp.* 47. *num.* 22.

13 Et in terminis de crimine ſolicitationis loquentes affirmant M. Ioannes de la Cruz, *in director. conſcientiæ.* 1. *part. præcep.* 5. *quæſt.* 2. *dub.* 5. *concl.* 2. M. Acacius de Velaſco *tom.* 1. *reſ. moral. verb. denuntiatio, reſ.* 230. M. Souſa, M. Texeda, M. Canus, M. Ledeſma, M. Ludouicus Lopez, & eſt communis inter Thomiſtas, vt omnes citans ait Diana 1. *part. tract.* 4. *reſ.* 2. *& part.* 9. *tr.* 8. *reſ* 46. Peyrinus, Molfeſsius, Ortiz, Homobonus, & alij, Hyeronimus Rodriguez, Fagundez, Palao, Lezana, & alij plures, quos citatos ſequitur Thomas Hurtado *tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 6. §. 1. *fol.* 149. *& cap.* 8. *reſ.* 27. *num.* 260. *fol.* 168. *reſ.* 28. §. 4. *numer.* 287. *fol.* 171. *& reſol.* 44. §. 2. *fol.* 195. *& reſol.* 55 *fol.* 213 Probant, quia præceptum de corrigendo fratre occulte, ſi occulte peccauit, eſt diuinum naturale Euangelium: ergo quotieſcumque poſſum lucrari fratrem, conſeruando eius ſalutem ſpiritualem, ſimul cum fama, teneor illo præcepto, cum nullum ius humanum illi contraire poſsit. [Ratio huius concluſionis (ait Hurtado *ſuprà cap.* 8. §. 4. *num.* 289.) adeo eſt perſpicua, vt mirer, aliquem Catholicum in eam impingere.] Secundò probatur, quia edictum Dominorum Inquiſitorum principaliter intendit emendationem fratris: Ergo ſi poteſt haberi ſine denuntiatione, correctione præmiſſa, te-

neor

neor ex vi præcepti naturalis eam præmittere. Nam quiuis adſtringitur fratrem corrigere cum minori diſpendio poſſibili.

14. Secunda ſententia, (quæ hac tempeſtate ab omnibus ſuſtineri debet) non ſolum in caſu hæretici occulti, quo plures patronos habet, ſed in caſu etiam ſolicitationis contrarium prorſus affirmat. Nimirum, non ceſſare obligationem denuntiandi; prætextu talis correctionis, (licèt eius firma fuerit ſpes) nec perſonam ſolicitatam poſſe a denuntiando excuſari. Ita D. Ioannes del Corro *part. 2. quæſt. 4. §. 1. numer. 56.* & ſequentibus, vbi plures pro hac parte refert, quos ſequitur Ioannes Sanctius *in Selectis, diſp. 11. num. 56.* Diana 4. *part. tract. 5. reſolut.* 24. Paramus *de origine Inquiſitionis, lib. 3. quæſt.* 10. *numer.* 4. & hanc ſententiam eſſe tutiſsimam fatetur Thomas Hurtado, vbi ſuprà *tract. 4. cap. 8. §. 2. numer.* 501. addens, in praxi eſſe, apud Dominos Inquiſitores, in edictis, quæ quot annis publicantur, & Cardinal. de Lugo *tom. 2. de iuſtitia, diſput. 38. ſect. 2. numer.* 20. dicens delicta contra bonum commune, & quæ adhuc in fieri, vel conſeruari pendent. *Debere ſtatim denuntiari, & ſi occulta v. g. crimen hæreſis, proditionis contra Rempublicam, vel principem.* Aduertunt autem communiter Doctores in his caſibus non debere præmitti correctionem fraternam, quia nulla eſt ſpes proficiendi, & aliunde maximum eſt periculum, ſi ille ſimulet ſe emendatum, & tamen in ſuo crimine perſeueret. Igitur concluſionem noſtram.

15 Probo primò ex decreto Sacræ Congregationis Generalis S.R. Inquiſit. habitæ feria V. die VIII. Iulij anno 1660. coram Sanctiſsimo Alexandro VII. atque Eminentiſsimis Cardinalibus, vbi Summus Pontifex proſcribit opinionem excuſantem a denuntiatione criminis, ſuſpicionem fidei generātis, ſub prætextu correctionis fraternæ: decreti verba ſunt : [Præterea idem Sanctiſſimus declarauit præfatos ſubditos, etiam ſi nulla fraterna correctio, vel alia monitio præmiſſa fuerit, omnino teneri, & obligatos eſſe accedere ad denuntiandum ordinarijs, vel Inquiſitoribus locorum quoſcumque, etiam confrates, ac ſuperiores, etiam primarios ſuos eiuſdem Ordinis, & Religionis, quos nouerint eſſe de fide quomodolibet, etiam leuiter ſuſpectos; ac propterea eoſdem debere omnes, & quoſcumque, etiam alios a ſe conſilium petentes, vt ſuprà, monere, & obligare ad denũtiādũ; nec poſſe illos a denũtiando, ſub dictæ fraternæ correctionis, vel alio quouis prætextu retrahare, aut retar-

dare. Et præfatos omnes, tàm ſuperiores, quàm ſubditos contrafacientes, ſanctitas ſua voluit, & declarauit, ſubiacere omnibus cenſuris in dicta Conſtitutione Pauli V. expreſſis, necnon priuationis quarumcumque dignitatum, ſiue Prælaturarum, ſeu officiorum ſuorum ordinum, ac vocis actiuæ & paſsiuæ, perpetuæque inhabilitatis ad eadem, ipſo facto, abſque alia declaratione incurrendis.] Hactenus in prædicto decreto, quo prorſus corruit opinio, quæ correctionem fraternam ex præcepto præmittendam ante denuntiationem Inquiſitoribus faciendam tenuit, & quæ delinquentem correctione emendatum denuntiari non poſſe, ex hoc principio ſuadere tentauit.

16 Ratio a priori deſumitur ex dictis §. *precedenti a n. 7.* quibus addo, nec Pontifices in Bullis, nec Dominos Inquiſitores in edictis, præcipere ſibi fieri denuntiationem fraternam, quæ in ordine correctionis a Chriſto Domino præſcripto. Matthæi 18. tertiò loco ponitur: ſed iuridicam (quæ non proximi, ſed bono communi conſulit) vt adnotat M. Acatius de Velaſco *tom. 2 reſol. moral. verb. Denuntiatio, reſol.* 230. Tùm, quia Summus Pontifex declarat, correctionem fraternam præmitti non debere, eum tamen certiſsimum ſit, ſæpiſsimè firmam, & moraliter certam ſpem correctionis, per admonitionem ſecretam obtinendæ, concipi poſſe; tùm, quia Domini Inquiſitores denuntiationem admittere non poſſent, ni de alijs gradibus in ordine correctionis contentis, fruſtra præmiſsis, certiores fierent: nec illa admiſſa, correctionem paternam prætermittere poſſent, ſed tenerentur ſtatim delinquentem accerſere, & ſemel, & iterum ſecretò paternè corrigere, dum ſpem emendationis non amitterent, vt hoc medio illam conſequerentur. Hoc autem eſt apertè contra praxim Dominorum Inquiſitorum. Ergo Bullæ Pontificum, & edicta, quæ circa horum ſaltem criminum denuntiationem a Dominis Inquiſitoribus publicantur, non tàm conſcientiæ delinquentis, quàm rectæ Sacramenti adminiſtrationi conſulere intendunt; & per denuntiationis præceptũ ſolicitantibus terrorem incutere, quo a tam enormi crimine, arceantur; perſonas ſolicitatas adſtringentes ad denuntiationem occulti criminis ſolicitantis, vt ſemiplenam probationem efficiant ad inquirendum, vel ad ſingulari alio teſte, & alijs indicijs delicta comprobanda, nil curantes de infamia proximi apud iudicem, cui crimen defertur, vt bono communi Religionis Chriſtianæ conſulant, quam aliter conſeruari non poſſe, Summi Pontifices iure cenſuerunt.

17 Ex quibus inferes, præceptum in edictis Dominorum Inquiſitorum contentum, non excludere obligationem naturalem, & Evangelicam corrigendi fratetne proximum, quia, me iudice, Domini Inquiſitores in edictis; & Alexander VII. in decreto *anno* 1660. non præcipiunt, quod non fiat correctio fraterna, ſed quod propter illam non omittatur denuntiatio: vtrumque enim præceptum poteſt ſimul adimpleri, & naturale de corrigendo fratre, ab iterando peccato, illum remouendo, & poſitiuum humanum de denuntiando Inquiſitoribus, vt emendatio, quæ correctione intenditur, citius obtineatur, & efficaci hoc medio ab alterius ſolicitatione cohibeatur, & metu pœnæ abſtineat.

18 Et ſanè, ſi correctio fraterna præmitti deberet, & dum eſſet ſpes emendæ; denuntiatio fieri non poſſet, ſerò medicina paratetur, & quando mala per longas inualuiſſent moras. Quia non ſolum tenemur ad correctionem fraternam, quando moraliter nobis conſtat proximum emendandum, ſed etiam quando probabiliter id cen emus, ac proinde raro denuntiari poſſet ſolicitans. Antecedens, loquendo de alijs peccatis, docent communiter Doctores cum D. Thoma *quæſt. 33. artic. 2.* quem ſequuntur Caietanus *in ſumm. verb. Correctio*, Suarez, Hurtado, Turrianus, Sotus, Valentia, Palao, quos citatos ſequitur Oviedo *controuerſ. 11. punct. 7. numer. 68.* & cum Franciſco a S. Iuliano *in Tribunali Regularium, capit. 2. advert. 2. §. 4.* tenet Leander a Sacrament. *tomo 6. & 1. in decalogum, tractat. 6. de correction. diſput. 2. quæſt. 18.* dicens, id eſſe certum. Quibus conſentit M. Ioannes Martinez de Prado *tom. 1. quæſt. Moral. cap. 14. quæſt. 3. §. 2. numer.* 10. ibi: [Neque exigitur certitudo, quod mea correctio proderit, ſed ſufficit probabilitas.] Et ita ſentire D. Thomam, etiam in caſu hæretici occulti 2. 2. *quæſt. 33. citata, artic. 2.* dicit M. Serra illum ſequutus ibidem *artic. 7.* vbi ait, verba illa: *Niſi fortè aliquis firmiter exiſtimaret, per ſecretam admonitionem malum impediendum;* ſic exponenda, *niſi fortè exiſtimaret firmiter: hoc eſt, prudenter, & probabiliter.* Quæ expoſitio eſt iuxta mentem D. Thomæ *in 4. diſtinct. 19. quæſt. 2 artic. 3. quæſt. 1. ad primum.* [Niſi certiſsimis ſignis appareat incorrigibilitas, & exaſperatio ipſius futura, non debet fraterna admonitio prætermitti.] Et iterum ad ſecundum. [Si autem delictum ſit omnino occultum, tunc conſiderandum eſt, vtrùm emendatio peccantis expectari probabiliter poſsit, aut non, &c. Si ergo emendatio ſperetur debet admonitio præcedere, & denuntiatio differri, quo vſque videatur, quomodo emẽdatur peccator; niſi fortè immineret occaſio ſimilis in peccatum ruendi, quam tamen declinare non vellet admonitus.] Sic D. Thomas. Quẽ ſequitur Diana *part. 7. tractat. 3. reſol. 22.* Addit Bañez 2. 2. *quæſt. 33. artic. 2. dub. 4.* [Si dubito an frater emendabitur, vel non, &c. Si certus ſum, quod mea correctio non nocebit, ſed poterit prodeſſe, tunc teneor corrigere, quia medicus tenetur applicare medicinam infirmo, de qua certus eſt, quod non poterit nocere.] Quem ſequitur Valentia cum Adriano, & Caietano 2. 2. q. 10. *diſp. 3. punct. 2. pag.* 665. & Caſtro Palao *tom. 1. tract. 6. diſp. 3. punct. 4. num.* 4. Si autem res ita ſe habet, vellem ab aduerſarijs edoceri caſum obligationis denuntiandi; quia ſemel monitum, ferè certum eſt, eamdem bis non ſolicitaturum, timore perculſum: & cũ aliunde nequeat probabiliter iudicari ſolicitatio pœnitentis, nũquam erit obligatio denuntiandi.

19 Adde, quod dum ſpes probabilis emẽdæ maneat, pluries correctionem tentare teneris, vt docent communiter Doctores cum D. Thoma, vbi ſuprà *art. 8. ad primum.* Abulenſis, D. Antoninus, Sylveſter, Tabiena, Sotus, Nauarra, & alij, quos ſequitur Thomas Sanchez *lib. 3. de Matrim. cap. 13. num. 3.* ibi: [Vt tamen monitio ſecreta non proſit, non ſatis eſt ſemel fieri, & non prodeſſe, ſed oportet iterum, atque iterum eam adhiberi, quãdiu prudentis arbitrio ſperatur correctio per illum.] Et iterum *tom. 2. opuſc. lib. 6. c. 2. dub. 7. n. 11.* Quod Ioan. Sanctius *in Select. diſp* 6. *n. 9* ſic extendit. [Quamvis per primam, & quartum correctionem non ſperetur fructus, tentanda vteruis erit, quando per alios actus ſperatur.] Cui conſentit Trullench *tomo 1. in decalogum, lib. 1. cap. 5. dub. 14. n. 4.* vbi citatis Soto, & Sylveſtro, ait. [Toties corripiẽdum eſſe, quoties ſperatur vtilitas arbitrio prudentis.] Et idem ſentit Fagundez in quinque *præcept. Eccleſ. præcept. 2. lib. 4. cap. 3. nu.* 31. & plures alij.

20 Hæc conſulto præmiſi, vt inde innoteſcãt in convenientia, quæ in animarum præiudicium pullulant, ex opinione aſſerente correctionem fraternam debere ex præcepto præire denũtiationem ſolicitationis Dominis Inquiſitoribus efficiendã. Nam ſi, licèt ſemel, & iterũ, monitione facta, non ſequatur correctio; debeat per monitionem ſecretã procurari, quandiu ſperatur futura; ſequitur apertè confeſſarium ſemel, & iterum ſolicitantẽ non poſſe denuntiari, iuxta cõmunẽ ſententiam, dum probabiliter iudicetur,

eſſe

Digitized by Google

eſſe emendandum: ac proinde præceptum in Bullis Pontificum, & in edictis Dominorum Inquiſitorum fulminatum, non ſolum non habere vim coercendi confeſſarium à prima ſolicitatione; ſed neque a ſecunda; nec tertia; cum adhuc, illis præcedentibus, poſsit correctio per monitionem non nunquam probabiliter ſperari. Quod menti Pontificum apertè repugnat, vtporè, quo eorum conſtitutionibus illuditur. Dicendum ergo eſt, in Eccleſia dari poteſtatem præcipiendi denuntiationem occulti criminis ſolicitationis vrgentis in damnum commune, etiam non præmiſſa correctione fraterna, ad præſeruandum confeſſarios ab horrendo crimine, & pœnitentes a veneno ſo morſu.

21 Qua propter Pater Suarez *de fide, diſput. 20. ſect. 4. numer. 11.* cum retuliſſet opinionem eorum, qui dicebant præmittendam eſſe correctionem, *ſi adſit firma ſpes,* quod hæreticus ſtatim eſſet emendandus: & conſequenter denuntiandi præceptum in tali euentu ceſſare. Quod à fortiori procedit de crimine ſolicitationis. Reſpondet eiuſmodi opinionem veram eſſe, ſtando in ſolo iure naturæ: at ex ſuppoſitione iuris Eccleſiaſtici præcipientis, immediatè procedendum ad denuntiationem; ſuſtineri non poſſe. Quam ſequuntur Ioannes Sanchez *in Selectis, diſp. 11. num. 56.* Arcualo *de correct. fraterna, fol. 188.* Freitas *quæſt. 18, numer. 30. & ſequent.* & Pater Fagundez *in 2. præcept. Eccleſiæ, lib. 4. cap. 3. num 85. in edict. Lugdun. anno 1632. fol. 368.* Quorum ratio eſt; quia bonum publicum magis eſt procurandum, quam particulare, & iudicium de ſpe emendationis hæretici, aut confeſſarij ſolicitantis, nolunt Domini Inquiſitores, nec Summus Pontifex committere denuntiaturis, ſed ſibi metipſis, qui tanquam litterati & in illis rebus experti ſanius rem meditabuntur. Et in hunc finem diriguntur verba illa edicti, ad denuntiationem efficiendam obligantia: *Sin comunicarlo con nadie, porque aſsi conviene, vengais a manifeſtarlo dentro de ſeis dias.* Sic diſcurrunt citati Doctores: in quos invehitur Thomas Hurtado *tom. 1. tr. 4. cap. 8. reſol. 28. num. 173. fol. mihi* 170. dicens: [non eſt poteſtas creata etiam Summi Pontificis, quæ obligare, edicto aut monitorio, quouis anathemate ob firmato, poſſit, vt teneamur delictum occultum propalare, non præmiſſa correctione fraterna. Hæc concluſio mihi indubitata eſt.] Sic ille pluribus citatis. Hæc autem concluſio poſt decretum Alexandri VIII anno 1660. tolerari non poteſt, in ſenſu ab iſto Doctore intento. Verùm vt ſuprà animadverti, ſi pœnitens firmam habeat ſpem correctionis per monitionem ſecretam, non eſt cur eam omittere teneatur, maximè cum Inquiſitores ex vnius teſtis depoſitione contra ſolicitantem non procedant, nec iuridicè, nec fraternæ: vnde ni aliunde pœnitens confeſſarij emendant, quæ ſperatur, non procuret per correctionem fraternam, fratrem ſuum non lucrabitur, poteſt ergo illum corrigere, & ſimul ad punitionem denuntiare: nec illud prohibetur edicto: ſicut nec conſulere virum doctum ad ſciendum, an delictum ſit ex illis, quæ denuntiari debent. Vt benè docent M. Bañez *2. 2. quæſt. 33. art. 8. dub. 2. ad 7.* & Ioannes Sanchez vbi ſupra *num. 57.*

§. V.

22 Quintum excuſationis caput petunt non pauci ex prudente, ſeu probabili timore grauis damni, vel denuntiatori, vel ſuis conſanguineis, aut affinibus, vſque ad quartum gradum eventuri, quando ex relatione nouerunt ſolicitationem. Sic Thomas Hurtado *tom. 1. reſolut. Moral. tract. 4. cap. 8. numer. 905.* vbi ſic ait: [Dico terriò, ſi confeſſor dicat amico, benefactori maximo, aut alicui ex conſanguineis, aut affinibus, vſque ad quartum gradum, non tenentur iſti denuntiare, ſi timeant aliquod graue damnum confeſſori eventurum. Ita tenent expreſſe Souſa *tract. 2. cap. 8. concluſ. 2.* Qui optimè addit *concluſ. 3.* ſufficere, quod probabiliter hoc timeatur. Acuña *quæſt. 9.* Sanctius *in Selectis. diſp. citata, numer. 55.* Ius enim naturæ facultatem conceſsit cuicumque, non ſolum propriam vitam, famam, & honorem conſeruandi, ſed mariti, fratris, patris, benefactoris, maximè amici, vel affinis, vſque ad quartum gradum; nam vſque ad illum durat affectio naturalis. Vt enim ex iuribus probat Zacharias Paſqualigus *deciſ. 220.* Lex contraria eſſet intolerabilis, & non contentanea conditioni humanæ.] Hactenus Hurtado, cuius fundamentum, vel nil probat, vel de perſona ſolicitata, idem perſuadet, & ideò abſolutè. Eandem ſententiam ſequuntur Trullench, *lib. 1. in Decalog. cap. 3. dub. 18. num. 86.* Leander de Sacramento *tom. 1. tractat. 5. de Sacramento pœnitentiæ, quæſt. 44.* Fagundez *de præceptis Eccleſiæ, tract. 2. libr. 4 cap. 3. numer. 11.* in prima editione, vbi ait: [Denuntiatorem non teneri huiuſmodi denuntiationes facere, cum probali periculo mortis, infamiæ, aut grauis alicuius damni proprij, vel patris, aut matris, mariti, vxoris, fratrum, aut aliorum coniunctiſsimorum.]

Digitized by Google

vbi Fagundez non verò determinat gradum intra quem *coniunctiſsimi* dicantur. Pro eadem ſententia ſtare videtur Diana cum alijs, quos citat 1. *part. tract.* 4. *reſol.* 7. & *part.* 4. *tract.* 5. *reſolut.* 19. & 36. Quorum opinio limitatur ab Acuña *in aphoriſmis*, *libr.* 1. *capitul.* 34. *numer.* 58. in caſu quo ex omiſsione denuntiationis, bonum fidei periclitaretur, non tamen explicat caſum.

23 Præfatam ſententiam extendunt alij ad denuntiationem hæretici non dogmatizantis. Sic M. Serra 2. 2. *quæſt.* 68. *artic.* 1. *dub.* 1. vbi ait, dicendum eſt, [quando quis prudenter timet ob accuſationem, vel denuntiationem graue aliquod damnum ſibi, aut ſuis eventurum, non tenetur accuſare, vel denuntiare, niſi bonum publicum id neceſſario poſtulet. Docent hoc multi.] Et infrà. [Dicendum eſt quartò, quando crimen eſt proprium, nullus tenetur ad accuſandum, vel iuridicè denuntiandum, &c. Hinc inferunt aliqui, neminem teneri ad iuridicè denuntiandum Patrem, vel filium, vel fratrem, vel maritum, vel vxorem, quia cenſetur vna, & eadem perſona, & iuri ipſi naturali repugnat ſe ipſum denuntiare, & prodere.] Sic Magiſter Serra, quem ſequuntur Magiſter Acatius de Velaſco *tomo primero*, *verb. Acuſar*, *reſolut.* 16. *numer.* 15. & Magiſter Candidus, Magiſter Sacri Palatij, *tomo primo*, *diſquiſit.* 5. *articul.* 3. *dub.* 7. vbi ſic ait. [Siquis ſua denuntiatione, aut teſtificatione timet ſibi, ſuiſque aliquod magnum damnum ſpirituale, aut temporale in ſua perſona, aut ſuorum, in honore, aut pecuniarijs bonis, non tenetur revelare.] Idque tradit *articulo primi*, *dubio quarto*, procedere etiam ſi iuramento præſtito, cogatur ad teſtificandum.

24 Et ſaltem, quod filius non teneatur patrem hæreticum occultum non dogmatizantem denuntiare docent Perez, & Abulenſis apud Sanchez in Conſilijs, *libr.* 6. *cap.* 2. *dub.* 19. *numer.* 4. Alexander Alenſis 3. *part. quæſt.* 33. *membr.* 4. *artic.* 2 Riccius, Ioannes Valerus, & Roxas, quorum ſententiam videtur probabilem putare Diana eos referens 1. *part. tract.* 4. *reſolut.* 4. & amplectitur Thomas Hurtado *tom.* 2. *reſolut. Moral. tract.* 6. *reſol.* 36. *numer.* 207. ſubnectit verò *numer.* 209. Patrem teneri denuntiare filium, ſi poſt factam diligentiam non reducatur, [quia non tenetur, inquit, tàm ſtricto iure pater defendere filium, atque filius patrem, vt benè notat Abulenſis. Vnde *capit.* 13. Deuteronomij, pater iubetur occidere filium, Idolis ſacrum facientem, & non occultare ipſum; ſi verò inquit iam emendatus eſt, & nullum timetur periculum recidiui, nec pater filium, nec filius patrem tenetur denuntiare, nec teſtificari, etiam ſi a Iudice interrogetur. Si enim iam emendatum eſt crimen, durum iugum eſſet hanc obligationem illis imponere.] Sic Hurtado vbi ſuprà *reſolut.* 36. & 37. vide Dianam ſuprà *reſol.* 5. apud quem aliqui liberant etiam vxorem ab obligatione denuntiandi maritum hæreticum non dogmatizantem, quod nonnulli extendunt ad fratrem, vt refert non improbans M. Serra vbi ſuprà.

25 Horum ſententiam attribuit, neſcio quis, Patri Fagundez, *lib.* 4. in quinque præcepta Eccleſiæ, *capit.* 3. *numer.* 31. Sed eſt aperta impoſtura, quia ibi loquitur de denuntiatione confeſſarij ſolicitantis, vt videre licèt in prima editione. De hæretici autem denuntiatione, ibi non agit, ſed *libr.* 1. *in decalog. cap.* 26. *numer.* 28. vbi contrariam ſententiam determinat, dicens: [Non ſolum teneri patrem filium hæreticum occultum, ſed etiam filium parentem etiam occultum denuntiare.] Idemque docet de marito reſpectu vxoris, & è contra: ſubnectens, [neminem ab hac obligatione liberum eſſe.] Et hanc ſententiam ante illum tenuit Pater Suarez *tom. de fide*, *diſp.* 20. *ſect.* 4. *numer.* 21. & eſt communis inter Doctores, quos citatos ſequuntur Farinacius *de hæreſi*, *quæſtion.* 197. *§.* 2. *numero* 40. & Diana 1. *p. tract.* 4. *reſol.* 4. Sed his omiſsis.

26 Dico primò: ſuppoſito præcepto poſitiuo in Bullis Pontificum, & in edicto Dominorum Inquiſitorum, denuntiandi confeſſarios ſolicitantes; nemo poteſt ab eius obſeruatione excuſari, niſi ob moralem impoſsibilitatem adimplendi, quæ illud intolerabile reddat; quia vt ait Pater Sà, *verb. Lex*, *numer.* 1. [cum eſt valde difficilè legem obſeruare, reputatur in iure impoſsibile.] Si verò lex hanc difficultatem non contineat, & ad bonum commune ordinetur, & magnum damnum non afferat, intentio legiſlatoris eſt, omnes, quos poteſt, ſub illa comprehendere. Ac proinde nullus excuſatur.

27 Ideò nunquam aſſentire potuit opinioni, excuſanti ab obligatione denuntiandi confeſſarium ſolicitantem, omnes ipſius valde amicos, & conſanguineos, & affines vſque ad quartum gradum. Dicere enim, his omnibus eſſe valde difficilè legem obſeruare, aut illos edictum non comprehendere, eſt mihi durum: &, vt reor, contra

præ-

praxim Sanctæ Inquiſitionis. Aliàs innumeri ab obligatione denuntiaudi liberi eſſent, indeque praui confeſſarij impune, & facilè poſſent inter perſonas amicitia coniunctas, & inter conſanguineas, & affines, vſque ad quartum gradum, horrendum ſolicitationis crimen fouere.

28 Pro contraria ſententia citatum inuenies Patrem Thomam Sanchez, ab Hurtado, Ioanne Sanctio, & a Leandro de Sacramento, & ab alijs: nempè *lib. 4. de matrim. diſput 4. numer. 9.* Verùm tàm in hac, quàm in ſequente diſputatione Pater Thomas Sanchez non agit de cauſis excuſantibus ab obligatione denuntiandi, ſed de his, quæ ſufficiunt ad timorem cadentem inconſtantem virum, quem talem reputat, ſi graue damnum non ſolum in propria perſona, ſed in aliena, arctiſsima amicitia coniuncta probabiliter timeatur, aut in conſanguineis, vel affinibus intra quartum gradum. Graue autem damnum putat ad hunc effectum, ſi honor alicuius ex dictis ſit ammittendus, vel infamia contrahenda; ac proinde metum honoris amittendi, & metum infamiæ, dicir ſuffieere ad anullandum matrimonium. Metum autem honoris, aut famæ amittendæ a confeſſario denuntiato, excuſare fœminam ſolicitatam in confeſsione, ſi illius conſanguineus, vel affinis, intra quartum gradum ſit; nullibi docuit Thomas Sanchez, nec ex eius doctrina infertur: quia, vt metus grauis damni excuſet, debet eſſe iniuſtè illatus, vt benè advertit Freiras *de Confeſſarijs ſolicitantibus, quæſt. 12. numer. 24.* Metus autem fœminæ illatus de amiſsione honoris, & famæ confeſſarij ſi denuntietur; iuſtiſsimé a Summis Pontificibus, & a Dominis inquiſitoribus infertur, vt hoc freno impuri confeſſarij a tàm deteſtabili vitio coerceantur.

29 Dico ſecundò: ſi perſona ſolicitata eſſet confeſſario coniunctiſsima, verb. grat. in primo gradu lineæ rectæ, aut tranſverſalis conſanguinitatis, vel affinitatis, vt mater, vel filia aut ſoror, aut nouerca, non obligarem ad denuntiandum, ſi probabiliter crederem confeſſarium eſſe emendatum. Qnia in tali eventu nec charitatis, nec Religionis naturale præceptum obligaret, & lex humana, ſi aliud præciperet, eſſet intolerabilis, & valdè difficilis obſeruatu. Et in hoc caſu lubens admitto ſententiam Hurtado, & aliorum, quos ſequuntur Homobonus, Sanctarellus, & Peyrinus apud Leandrum ſuprà, quam tenet Ioannes Sanctius *in Selectis, diſp. 11.* quam in terminis ſuprà datis ſequitur Thomas Hurtado *vbi ſuprà tom. 1. tract. 4. cap. 8. numer. 907.* dicens: [Ex qua concluſione rectè infert Sanchez, quod ſi Pater naturalis ſolicitet, vel quam habuit ex legitimo thoro, ante Sacerdotium; vel poſt Sacerdotium, ex ſacrilegio, vel ſi maritus factus Religioſus, & confeſſarius, propriam vxorem monialem ſolicitauerit, &c. Non eſt obligatio denuntiandi, quia conſanguinitas, vel affinitas hanc excuſationem affert. Quod intellige (inquit & benè) quando crimen eſt patratum, & non pendet in futurum: tunc enim ob commune bonum omnia poſtponenda ſunt.

30 Quando autem Doctores excuſant fœminam à denuntiatione confeſſarij ſibi conſanguinei, vel affinis, ex timore grauis damni ipſi confeſſario eventuri; ſi de gradibus alijs remotioribus loquantur; non de quocumque graui malo intelligendi ſunt, ſed de grauiſsimo, v.g ſi ex denuntiatione ei ſequatur mors, aut membri abſciſio à parentibus; vel conſanguineis iniuſtè comminata, aut hæc mala ipſi fœminæ, ſi denuntiet, immineant; aut alijs conſanguineis intra quartum gradum probabiliter eventura timeantur. Imò reſpectu iſtorum longè minora damna ſufficient, vt ait M. Souſa vbi ſuprà, v. g. notabilis famæ, vel honoris iactura, amiſſio maioris, vel magnæ partis bonorum. Cui conſentit Trullench, *lib. 1. in decalog. cap. 3. dub. 18. num. 86.* dicens: pœnitentes excuſari à denuntiatione confeſſarij ſolicitantis ob iuſtum timorem cadentem in virum conſtantem, qualis, inquit, eſt metus mortis, vel mutilationis alicuius membri, vel grauis corporis cruciatus; metus ſervitutis, vel captivitatis, carceris diuturni, grauis exilij, amiſsionis ſtatus, honoris, infamiæ, amiſsionis bonorum in notabili quantitate. Et ſimiliter, inquit, erit, ſi prædicta mala, vel aliquod ex his minentur filijs, aut parentibus ipſius fœminæ aſcendentibus, & deſcendentibus, conſanguineis, & affinibus ex copula licita vſque ad quartum gradum.] Sic ille.

31 Dico tertiò: quando hæreticus occultus eſt, nec dogmatizat, nec attenta qualitate, & conditione perſonæ, timetur probabiliter fore dogmatizantem; probabile mihi videtur non eſſe obligationem illum denuntiandi, ſi ipſi denuntiatori ſit coniunctiſsimus: ſcilicèt in primo gradu lineæ rectæ, vel tranſverſalis conſanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita. Hanc concluſionem probat ratio ſuperius attacta, deficit enim aliqua ex conditionibus requiſitis ad iuſtitiam legis humanæ: quia maxima difficultas illam obſeruandi reſpectu coniunctiſsimorum in-

intolerabilem reddit. Qua propter quando lex naturalis, vel diuina obligationem denuntiandi non inducat, credendum non eſt legislatorem humanum eam imponere intendiſſe. In hoc ſenſu explicatam admitto ſententiam Magiſtri Candidi, Magiſtri Serra, & aliorum, quorum verba dedi ſuprà, & illum tenent expreſſe Riccius, & Ioannes Valerus ſuprà citati, & Homobonus *tractatu de reſeruatis*, *part*. 2. *cap*. 1. cuius rationem reddit, [quia pater, & filius, maritus, & vxor, & fratres inter ſe cenſentur vna, & eadem perſona, & iuri naturali repugnat ſe ipſum prodere.]

AD TRACTATVM QVARTVM.

DE SACRAMENTIS APPENDIX.

QVÆSTIO PRIMA.

An ſumptione Euchariſtiæ ieiunium naturale frangatur?

1 QVÆSTIO Hæc, licèt in ſpecie vna, plures comprahendit. Prima autem, & præcipua eſt: an qui bis cōmunicaret, grauiter delinqueret, contra duplex præceptum, aliud ſemel tantum in die communicandi, quin ieiunus? Secunda: an in die Natiuitatis, dum tres Miſſæ celebrantur, interueniat diſpenſatio Pontificis? Iſtæ enim quæſtiones, & aliæ ex eiſdem principijs dependentes, ex reſolutione huius decidendæ ſunt.

2 Ad quod ſupponenda communis Doctorum ſententia, experientia ipſa comprobata, affirmans accidentibus, ſeu ſpeciebus conſecratis corruptis, ſubſtantiam ſuccedere, qua certum eſt nos poſſe nutriri; ſi enim quis, in magna quantitate, formàs conſecratas ſumeret, nullo aliò addito alimēto, æquè neutriretur, ac ſi non eſſent conſecratæ; & ſimiliter, ſi in magna copia ſumeret. ſpecies vini conſecratas, inebriaretur æquè, ac ſi ſub ſpeciebus ſubſtantia panis, & vini perſeueraſſent. Cuius ratio apud Theologos recepta eſt, quia in ipſamet duratione, in qua ſubſtātia panis, & vini, ſi permanſiſſent ſub quantitate, & accidētibus; corrumperentur per generationem alterius ſubſtantiæ; (nempè illius, quæ poſt digeſtionem ſuccedit, & in ſubſtantiam aliti conuertitur) in hac, inquam, duratione, vi caloris naturalis, inductis diſpoſitionibus requiſitis, in quantitate permanente panis & vini exigentibus formam illā, quæ poſt digeſtionem ſuccedit; de nouo generatur ſubſtantia, quæ eſt immediatum alimentum viuentis.

3 An verò non ſolum interueniat productio nouæ formæ, ſed etiam creatio nouæ materiæ primæ, ex qua educatur? Quæſtio eſt ad phiſicam, & metaphiſicam, magis quam ad moralem Theologiam pertinens. S. Thomas *in 3. part. q. 77. art. 5. in fine*, inquit, nullam creari de nouo materiam, neque antiquam re produci, ſed in ſola quantitate panis, recipi formam ſubſtantialē, quæ generatur. Verba eius ſunt. *Cū dici nō poſſit, quod materia redeat, vel creatur; melius videtur dicēdū, quod in conſecratione miraculosè datur quantitati, quod ſit primum ſubiectum ſubſequētium formarum*. Ex quo inquit Ferrara 4. *Contra gentes*, *cap*. 66. quantitatem habere locum materiæ in hac generatione ſubſtantiali, & ex illa informata prædicta forma reſultare compoſitum. Idem ſentit ex eodem fundamento Viguerius *in ſumm. verſ. 9. de Euchariſt*. Quibus facit, quod S. Thomas ait, ex ipſa quantitate generari id, quod ex ipſa materia panis generaretur, vt ait M. Sotus *in 4. diſt. 10. q. 2. art. 5*. [Et profecto (ſubnectit) qui attentè verba D. Thomæ inſpexerit, non poteſt non vehemens in animum ſuſpicio irrepere, quod hæc fuerit eius opinio. At verò ingenuè cum omni reuerentia fateor, mihi vix poſſe perſuadere.] Nec miror.

4 Hæc enim ſententia in Philoſophia plura

Digitized by Google

plura continet creditu difficillima, quæ totam invertunt. Impoſsibile enim eſt ſubſtantiam componi ex aliqua parte, quæ ſubſtantia non ſit, & ſequereretur, pari ratione, ex eadem quantitate, abſque alia materia, poſſe generari animal, immò vero hominem. *Quod eſſet totam philoſophiam ludibrio exponere*. Sic M. Sotus.

5 Caietanus hunc modum reputans impoſsibilem *in eadem quæſt. 77. art. 5.* in alium longè difficiliorem incidit, dicens quantitatem panis converti in materiam primam; id eſt (vt videlicèt apud Sotum) *quod quantitas ipſa in puncto corruptionis ſpecierum, ſit vera materia*. Quod mirabile dictu eſt, nam quod eadem res, quæ nunc eſt accidens poſtea ſit materia, [re vera neſcio, inquit Sotus, quis poſsit tanquam factibile comprehendere:] Exper. de quid dici deberet de opinione aſſerente, quod eadem res, quæ antea anima rationalis, modo ſit albedo? æquè vnum, ac alterum in intelligibile eſt.

6 Propter hæc, communis & vera ſententia eſt; materiam nouã miraculosè produci à Deo; vel eandem, quæ antea ſub illis accidentibus fuerat, reproduci: quia licèt Deo vtrumque æquè facilè ſit, maior verò mutatio ſit in rebus, reproducendo eandem materiam, quæ in conſecratione defecit; quam creando aliam de nouo. Qua re producta in eodem ipſo inſtanti, in quo diſpoſitiones exigunt generationem formæ ſubſtãtialis, hæc ex materia educitur; & eſt illa; quæ poſt digeſtionem ſuccederet; ſi conſecratio non præceſsiſſet. Et in hoc vltimo non eſt miraculum; vt ait D. Thomas *in 4. diſt. 12. quæſt. 1. art. 2. quæſt. 4. ad 4.* ibi: Ad 4. dicẽdum: *Quod ſecundum quamlibet opinionem; oportet ponere aliquid in hac generatione eſſe miraculoſum, & aliquid naturale: reditus ſubſtantia; vel creatio materiæ, vel conuerſio dimenſionum; in materia eſt miraculoſum: ſed quod materia exiſtens recipiat talem formam; cuius diſpoſitiones præceſſerunt in dimenſionibus, hoc eſt naturale*. His poſitis, quæ ad Philoſophiam pertinent. Ad rem noſtram deveniamus.

7 Per ſumptionem Euchariſtiæ ſolui ieiunium naturale, docent Fagundez, & Tanchredi, quos refert, & ſequitur Diana *p. 11. tract. 6. reſol. 15. & 35.* & Doctor Garſi *cent. 2. cap. 88. num. 13.* Quorum fundamentum eſt, quia re verà ſumendo hoſtias conſecratas homo nutritur, vt diximus ſuprà; non minus quam ſi conſecratæ non eſſent; ergo æquè ieiunium naturale frangitur in vno caſu, ac in altero. Contrariam ſententiam tenent Thomas Hurtado *tom. 2. var. tr. 11. cap. 9. quæſt. 15. reſol. 5. num. 285.* P. Amicus *in curſu Theologico tom. 7. diſp. 27. ſect. 2. num. 14.* & per neceſſariam conſequentiam deducitur, ex principijs Card. de Lugo, & P. Dicaſtillo infra referendis. Et probabilem putat Diana *p. 11. tract. 6. reſol. 15.* Ratio eſt: quia nec ſpecies ipſæ; nempè color, aut ſapor; aut aliæ qualitates, nec quãtitates, quæ poſt conſecrationem, remanent, ſunt cibus, vel potus, ergo nihil ſumitur, quod ieiunium frangat.

8 Confirmatur ad hominem, contra Garſi, ex ſententia plurium Doctorum aſſerentium præceptum ieiunij naturalis nõ violari tranſglutione rerum non nutritiuarũ, quos ipſe refert & ſequitur ſuprà *num. 6. fol. 696.* dicens. [Altero tamen præceptum naturalis ieiunij, prærequiſitum ad ſumptionẽ Euchariſtiæ, non violatur tranſglutione rerum non nutritiuarum, v. g. nummi aurei, lapilli, glandis plumbeæ.] Ita Ledeſma, Ludovicus de S. Iuan, & Ioannes de la Cruz, quos citat, & ſequitur Ioannes Sãchez, *diſp. 42. num. 23. ſumma corona part. 4. cap. 4. n. 65* Boſsius *tract. 22. num. 15.* citans Suarez, & Diana *2. part. tract. 4. reſol. 38. & part. 11. tract. 6. reſol. 22* vbi pro hac ſententia adducit Leandrum de Sanctiſsimo Sacramento, vtrumque Lugo, Martinum de San Ioſeph, Garciam, Paſqualigum, Buſtembaum, Averſam, Trullench, Tamburinum, & Amicum. Quorum ratio eſt, quia ſolùm eſt prohibita communio poſt ſumptionem cibi, vel potus, quæ ſunt alimentum viuentis: At qui ſpecies Sacramentales ſecus ſe habent, quia nec ipſæ ſunt cibus, & potus; & qui cõmunicat, & celebrat, manducat carnẽ Chriſti Domini; & bibit eius ſanguinem. Ergo. Conſequentia patet, quia, vt ſupradictũ eſt; materia de nouo creata (ex qua generatur forma illa; quæ immediatæ ſuccederet formæ panis ſi præceſsiſſet) eſt nutrimentum hominis, illam autem non ſuſcipit homo cõmunicans, ſed poſt ſumptam Euchariſtiam; & poſt ſpecies corruptas producitur; ergo verè & realiter, nihil homo nutritiuum ſuſcepit. Ergo re benè inſpecta, non magis ieiunium frangeret; quam ſi nummum aureum ſumpſiſſet; ex cuius materia Deus poſt à miraculosè educeret formam illam, quæ ſuccederet cibo comeſtibili; At qui in hoc evẽtu per revelationem noto, nemo illorum authorum diceret per ſumptionem nummi aurei fractum fuiſſe ieiunium naturale, ergo idem de facto dicere debent; de ſumptione Euchariſtiæ.

9 Secundo probatur ex D. Thoma *q. 80. art. 8.* ratione ex Auguſtino deprompta: nimirum, quia ieiunium naturale a tempore Apoſtolorum *inſtitutum eſt in reuerentiam huius Sacramenti: vt os Chriſtiani ſuſcipientis corpus Chriſti, quaſi nouum ad*

ip-

Digitized by Google

ipſum ſumendum accedat; vnde concludit D. Thomas. *Quantalibet autem cibi ſumptio hæc aufert nouitatem*. In quibus verbis apertè ſupponit, ſolam, & quantumvis leuem, cibi, vel potus ſumptionem, ieiunio naturali repugnare. Tertiò probatur, quia cōmunio, apud Concilia & Patres, ſolum prohibita reperitur, poſt manducationem cibi & potus alimentorum naturalium & vſualium. Nec ratio ob quam ieiunium naturale fuit inſtitutum, in hoc caſu, locum habere poteſt; quia communicatio corporis Chriſti non tollit nouitatem requiſitam ad eius reuerentiam, cum panis iſte alimentum cœleſte ſit; & ita concludit Hurtado: *Ieiunium non frangit naturale. Quod*, inquit, *vt certum ſupponunt omnes Theologi, & Summiſtæ*.

10 Ex quibus infertur, quod licèt nullus ſæcularis, nec Sacerdos poſsit bis in die communicare, vt cum D. Thoma vbi ſupr. *quæſt. 80. art. 10. ad 4.* tradunt omnes Theologi, ex vniuerſali Eccleſiæ conſuetudine ſub læthali obligante; ſi tamen aliquis contra faceret, non peccaret contra præceptum communicandi ieiunus, quia non ſumeret poſt ſumptionem cibi.

11 Nec dici poteſt excuſari ratione paruitatis materiæ, qui, bis communicaret, ſecus ſi hoſtias in magna quantitate ſumpſiſſet. Quia cum præceptum ieiunij naturalis directè prohibeat non quantitatem cibi, ſed communionem poſt cibi ſumptionem, materia præcepti prohibentis ſemper eſt gravis, nempè ipſa communio, ac proinde in hoc præcepto aſsignabilis non eſt materia parua. Qua propter dixit D. Thomas *quantalibet cibi ſumptione*, ieiunium naturale violari, id eſt, quantumvis minima parte ſumpta.

12 Vnde omnes Theologi tanquam improbabilem reijciunt opinionem M. Ioannis Pariſienſis aſſerentis in ieiunio naturali dari paruitatem materiæ, quam nouiſsimè Paſqualigus *deciſ. 333.* dixit eſſe probabilem: ſed, vt ait P. Vazquez *de Euchariſtia, diſp. 211. n. 27.* [Nullo fundamento nixam eſſe, omnes iam Scholaſtici meritò arbitrantur.] Et improbabilem vocat Diana *part. 5. tract. 5.* Et quidem in Concilio Toletano ſeptimo *canone 2. citato in capite nihil, q. 1.* hoc præceptū ſupponitur; verbis illis: [Nullus poſt cibum, potumque, quamlibet minimum ſumptum, Miſſas facere præſumat.] Quod intellige, dū advertenter traijciatur, ſi enim inadvertenter aliquid minimum, hiante ore, ſtomachū penetraſſet, Doctores communiter tenent ieiunium naturale non frangere. Quia id cēſetur per modum ſaliuæ deglutiri. Quod nōnulli exemplo culicis, vel muſcæ volantis explicant: ſic cum pluribus Garſi *cent. 2. fol. 696. num. 8.*

13 Nec auctores citati audiendi ſunt in hoc caſu, ſed in primo, vel quando advertēter traijcitur ſaliua, & in advertēter per modū ſaliuæ culex, vel muſca, quæ erat in ore. In hoc enim eventu non eſt vera comeſtio, nec deglutio per modum cibi, ac proinde nō frangitur naturale ieiunium: ſicut nec ſtilla aquæ, aut vini, quæ dum os abluitur ſaliuæ immiſta remanet. Hæc enim licet poſtea, quando ſaliua deglutitur, in ſtomachum traijciatur, cum id fiat per modum ſaliuæ, ieiunium naturale non frangit ita Authores apud Garſi *cent. 2. cap. 86. fol. 697. num. 10.* vbi ſic. [Ideò parum vini, vel aquæ, cum quis os abluit, vel parum iuſculi, cum coquus ollam deguſtat, hauriens, & tranſglutiens, non violat ieiunium, vt docet Palaus *tract. illo 21. diſp. vnic. punct. 18. num. 8.* referens Vazquez, Suarez, Bonacinam, & Layman; quia illud, quod traijcitur, & ſi re vera potabile ſit, non traijcitur per modum potus, ſed per modum ſaliuæ.

14 Et ita expreſſè habetur in Rubricis Miſſalis, §. *de defectibus in celebratione Miſſarum occurrentibus*: & cum pluribus tenet Diceſtillo, *fol. 676.* vbi de hoc, & alijs caſibus, ſic probat. [Quia nimirum hæ non cenſenſentur motales comeſtiones, aut potationes. Iidem putāt de ſanguine, vel humore ex gingiuis, aut ex capite defluente in os, vel ſiquis ſupinus iacens, hiante ore, forrè pluuiæ guttulas aliquas inadvertenter recipiat, aut, ſi aliquid terræ, aut pulveris per modum reſpirationis, vel occaſione reſpirandi, in ſtomachum recipiat, aut muſca, ſeu culex volans inviti ſtomachum penetret per os. Item; ſi iuſculum deguſtaſti, & aliquid parum cōtra voluntatem deſcendit in ſtomachum. In his omnibus, & ſimilibus non putant ſolvi ieiunium, ſed tantum, quando ore accipitur ab extrinſeco, & propria actione vitali tranſmittitur. Ita Paludanus olim: deinde Vazquez, Coninch, Suarez, Angles, Bartholomæus ab Angelo, S. Thomas, Sylveſter, Sotus, Nauarrus, Chamerota, Reginaldus, alijque multi, quos refert, & ſequitur Bonacina, *diſp. 4. q. 6. p. 2.* Nugnus *q. 8. art. 4.* Filliucius *tom. 1. tr 4. cap. 8. num. 236.* alij etiam apud Dianam infrà citandum.] Refert etiam noſter Granado *3. p. de Sacram. controu. 6. tr. 10. diſp. 8. num. 8.* Tabienam, & Henriquez mox citandos pro eadem ſententia: refert & Thomam Sanchez; non indicato loco, & Alphōſum Rodriguez, quorum prior affirmat non obſtare culicem inadvertenter traiectū; poſterior verò non obſtare tantum aquæ, quantum capit putamen auellanæ. Omnia hec ex Granado teſtatur Diana *5. part. tract. 5. reſol. 12.* quod prius retulerat *4. p. tr. 4. reſ. 104* vbi hoc probabile appellat.

15 Imò

15 Imò olim ſub opinionibus fuit; an aquæ potus ieiunium naturale frangeret? vt videre licet apud D. Thomam *in 4. diſt. 8. q. 1. art. 4. quæſt. 2. ad 2.* vbi ſic ait. [De aqua diuerſa eſt opinio. Quidam dicũt, quod quia non nutrit, non ſoluit ieiunium naturæ, alij probabilius, & ſecurius dicunt, quod etiam poſt aquæ potum corpus Chriſti non ſumendum eſt.] Cæterùm certiſsimum eſt, aquæ potum frangere ieiunium. Quia vt ait Garſi *cent. 2. cap. 88. num. 18.* & ſi aqua, in ſe conſiderata, non nutriat, nec aliquam ſubſtantiã deperditam reparet, vt docent Hipocrates *lib. de alimentis*, & Galenus *lib. 4. de vſu partium*, & Valeſius *libr. 5. rerum medicarum, cap. 7.* tamen commiſta alijs comeſtilibus verè nutrit, & reparat, & eſt vluentis alimẽtum, vt docent Ariſtoteles *lib. 2. de Anima*, Galenus *libr. 2. de ſimplicium medicamentorum facultate, cap. 32.* & Valeriola *libr. 2. de locis, cap. 7.* Quod confirmat diffinitio potus tradita à Clemente Alexandrino *libr. 1. Pedagogi, cap. 6.* diffinit enim potum, *humidum nutrimentum*; cum igitur nutrimentum ſit; etiam tantillum aquæ, quantum putamen avellanæ capit, ſufficit ad frangendum ieiunium naturale: neque vt volebat Ildephonſus Rodriguez, ex paruitate, ſiue ex modicitate, excuſabitur, qui, ea quantitate aquæ prius ſumpta, communicauerit. Vide Dianam *5. part. tr. 5. reſ. 11.*

§. I.

Quæſito ſatisfit.

16 IGitur, vt quæſtionis titulo reſpõdeam, ſuppono plures hoſtias cõſecratas dupliciter poſſe ſumi, vel ad famem pluralitate hoſtiarum ſaciandam, vel ob diuturnam conſeruationem Chriſti Domini in ſtomacho, ſub ſpeciebus, ex motivo adquirendi maius augmenium gratiæ ex opere operaro. Quia, ſcilicet, plures Doctores id contingere exiſtimant, iterata diſpoſitione intra tempus, quo ſpecies manent incorruptæ: quos refert Diana *3. part. tr. 6. Miſcell. reſ. 96. & 4. p. tr. 8. reſ. 96.* Adnotans, & benè, hoc non obſtante Dominos Inquiſitores procedere contra ſumentes plures, & maiores hoſtias ad hunc finem. Vnde licèt ſpeculatiua opinio Doctorum nullibi ſit prohibita, illius tamen praxis ob gravia inde inconvenientia pullulantia prohibita eſt; vt fertur. Hoc poſito.

17 Dico primo, hoſtias conſecratas, hoc ſecundo modo ſumptas, ieiunium naturale non frangere, quia ſemel communicaſſe nõ conſtituit irreuerentem ſecundam communionem, quæ potiùs ex reuerentia procedit, & ex deſiderio maioris augmenti gratiæ, ac proinde ceſſat finis, ſeu ratio prohibendi ſumptionem Euchariſtiæ, poſt cibum, & potum. Qua propter trina celebratio in die Natiuitatis Chriſti, Domini abſque vlla diſpenſatione, in præcepto communicandi ieiunus, cuilibet Sacerdoti conceditur. Nec de hoc Doctores dubitatunt. Nec præceptum ieiunij naturalis, ſeu non communicandi poſt ſumptionem cibi, vel potus coincidit cum præcepto ſemel tantùm in die communicandi, vel celebrandi. Hæc enim duo præcepta longe diuerſa ſunt: hoc duplicem cõmunionem iuſtis de cauſis prohibet in eodem die, quod ſuperfluum eſſet, ſi altera ieiunium naturale fregiſſet. Vnde fit, vno tantùm peccato deliuquere bis communicantem; quia contra vnum tantùm præceptum, (licèt ſupponamus diuerſam in ſpecie malitiam ex illis deriuari, & conſequenter, eum, qui poſt cibum bis communicaſſet, duplex ſpeciei diſtinctum peccatum committere in confeſsione explicandum.) In hoc ſenſu verum habet opinio Thomæ Hurtado, P. Amici, & aliorum.

18 Dico ſecundò, ſi vna, vel plures hoſtiæ ſuſcipiantur ob delectationem, vel ad extinguendam famem, probabile eſſe ieiunium naturale frangi: ac proinde grauiter contra hoc etiam præceptum delinquere; qui bis communicaret: & ſimiliter, qui in die Paſchatis poſt ſpecies panis & vini, ex hoc fine ſumptas, aliàs Miſſas celebraſſet. Quia de diſpenſatione in præcepto ieiunij naturalis non conſtat, & eius vis obligandi eſt certa.

19 Huic ſententiæ, me iudice, adhæſit D. Thomas *3. part. quæſt. 80. art. 8.* vbi ait. [Nec refert vtrùm aliquid eiuſmodi nutriat, vel non nutriat, dummodo ſumatur per modum cibi, vel potus.] Ergo licèt ſpecies Sacramentales non nutriant, ieiunium frangent, quoties ſumantur per modum cibi, & potus. Quia ex hac intentione, licèt ſubſtantiam panis homo non manducat, manducat tamen ſpecies per modum cibi, ad eundem finem conſequendum, quo illam manducaret.

20 Inſtat Hurtado *tom. 2. reſ. moral. tr. 11. cap. 9. reſ. 5. num. 285.* Concilia, & Diuum Auguſtinum [ſolùm prohibere manducatiõnem cibi, & potus alimentorum naturaliũ, & viſualiũ.] Sed contra ad hominem manifeſtè, quia, vt ipſe ait, *cap. 8. n. 248.* ex D. Thoma liquidò conſtat, ad ſoluendum ieiunĩũ naturale ad communionem requiſitum, accidentale eſſe nutritiuum, vel non nutritiuum. [Nec refert (inquit D. Thomas) vtrùm aliquid huiuſmodi, ſi ſumatur per modum cibi, aut potus, aut medicinæ.] Ergo in princi-

pijs

pijs huius Doctoris, & doctrinæ D. Thomæ, nihil refert, quod manducatio non ſit alimentorum naturalium, & vſualium. Contra ſecunda, quia vt ipſe rectè ait, *num.* 245. cum Ioanne de la Cruz, & Diana, ſiquis terram comederet ob delectationem, ſeu ad minuendam colorem, ieiunium naturale frangeret; quia licèt non ſit alimentum naturale, & vſuale, ſumeretur per modum cibi, & medicinæ, ergo quod hoſtiæ conſecratæ non ſint alimentum naturale, & vſuale, ſi ſumantur ob delectationem, vel famem extinguẽdam, cum verè ſumantur per modum cibi, nequeunt non frangere naturale ieiunium.

22 Ex dictis fit prima omnino exterminandam ſententiam aſſerentem non impedire ſumptionem Euchariſtiæ, quod præaſſumitur per modum medicinæ. Quam tenuit M. Ioannes Pariſienſis, vt ex eodem ordine teſtatur Sylveſter, Magiſter ſacri Palatij *verb. Euchariſtia, num.* 6. ſed erroneam eſſe, meritò dixit P. Suarez, *tom. 3. in 3. part. diſp.* 68. *ſect.* 4. Nec in ea magis impugnanda immorari oportet. Et contra vtramque opinionem militat expreſsè D. Thomas vbi ſuprà dicens ad quartum. [Neque poſt aſſumptionem aquæ, vel alterius cibi, aut potus, vel etiam medicinæ, in quantumcumque parua quantitate, licèt hoc ſacramentum accipere.]

22 Fit ſecundò. Reprobandam eſſe ſententiam Angeli Boſsij *tr.* 22. aſſerentis ſacerdotem, qui in prima miſſa Natiuitatis conſecraſſet aquam pro vini ſpecie, poſſe ſecundam & tertiam miſſam celebrare. Cuius ſententiam meritò reijcit Doctor Garſi *cent. 2. cap.* 88. *fol.* 699. *num.* 14. Quia licèt ex ignorantia invincibili iudicauerit eſſe ſanguinem Chriſti re tamen vera, non ſanguis, ſed aquæ potus fuit. Ergo rei conſcius nequibit ſecundam miſſam celebrare; nam ignorantia, quæ à peccato excuſabit ſumptionem aquæ loco ſanguinis, licèt non impediat perfectionem illius ſacrificij, conſecrando poſtea ſub ſpecie vini, quia hoc ab Eccleſia illi præcipitur, & ſi ieiunus non ſit; nequit verò excuſare a peccato, diſtinctam miſſam celebrantem poſt aquæ potum: ſicut in primatiua Eccleſia, quando fideles ſub vtraque ſpecie communicabant, ſiquis loco ſanguinis, aquæ potum ſumeret, nequibat poſteà ſanguinem ſumere, vtpotè non ieiunus: quia ex ignorantia potum ſumpſiſſe, non efficit non fuiſſe ſumptum; ac proinde hæc excuſatio ei ſuffragari non poſſet, vt ex terminis patet.

§. II.

Corolaria.

23 De reliquijs ciborum, quæ inter dentes remanent, non levis cõtrouerſia eſt, apud Doctores; an ſi poſt mediã noctem advertenter deglutiantur, communionẽ impediant? Negant non pauci, M. Tabiena *verb. Communicare*, §. 49. [id, inquit, quod præterito die intra os eſt ſumptum, etiam ſi data opera deglutiatur in ſequenti, non ſolvit ieiunium naturæ, neque impedit perceptionem Euchariſtiæ. M. Bartholomęus ab Angelis *in examin. Confeſſ. dialog* 4. §. 124 *litt. A.* [Quod dictum eſt de ſaliua, & de reliquijs cibi, dicendum eſt de eo, qui ſero accepit aliquid in ore pro voce, vel pro alio, quod remanet: non enim venit ab extrinſeco poſt mediam noctem, neque propter hoc ille non eſſet ieiunus.] Idem tenent Paludanus, Durandus, & Gabriel, quos citatos ſequitur Bauni *in Theolog. moral. tract.* 10. *q.* 22. aſſerentes. [Solui non poſſe ieiunium, niſi ſumptione reĩ alicuius externæ, idque eo die, quo ad refectionem, aut voluptatem accipitur.] Idem ſentiunt Sotus, Caietan, Petrus de Ledeſma, & alij, apud Leandrum *de Euchariſt. diſp.* 5. *tr.* 7. *q.* 8. & videtur ſententia D. Thomæ *in* 4. *diſt.* 8. *q.* 1. *art.* 4. *q.* 2. *ad* 2. vbi ait; [Ieiunium naturale eſt, quo quis ieiunus dicitur, ante cibi ſumptionem, illa diæ.] Quod putat probabile Ioannes de la Cruz *in direct. conſcientiæ, p.* 2. *q.* 5. *dub.* 4. ſicut & Diana 2. *p. tr.* 14. *reſol.* 52. & 3. *p. tr.* 4. *reſol.* 37. vbi ſic. [Sed ſi aliquis voluntariè tales reliquias deglutiret, & poſtea communicaret, non damnarem de peccato mortali, nam contraria ſententia videtur probabilis.] Idemque ſentit 4. *part. tract.* 4. *reſol.* 104. & 5. *part. tr.* 5. *reſol.* 12. qui reſ. 37. citata, benè ſubnectit hãc ſententiam viſam fuiſſe probabilem P. Suarez *tom. 3. in 3. p. diſp.* 68. *ſect.* 4. §. *Dices ergo.* Quidquid contra reclamet Dicaſtillo ſupra *num.* 271. Nam in loco quem ipſe citat nempè §. *Sed quæres*, non de reliquijs cibi, qui ex die præterito interdentes caſu remanſerunt, ſed de paruitate materiæ agit Suarez. Cum citans ſentiunt Manuel Rodriguez, & Coninch apud Dianam, quorum verba apud illum reperius.

24 Cæterum contraria ſententiam tenent communiter Doctores, & eſt expræſſa D. Thomæ 3. *p. q.* 80. *art.* 8. vbi ſic ſcribit. [Reliquiæ cibi remanentes in ore, ſi caſualiter transglutiantur, non impediunt, quia non traijciuntur per modum cibi, ſed per modũ ſaliuæ: & eadem eſt ratio de reliquijs aquæ, vel vini, quibus os abluitur, dummodo non traij-

traijciantur in magna quantitate, ſed per mixtæ ſaliuæ, quod vitari non poteſt.] Rationem adducit P. Vazquez *in 3. part. diſp. 211. cap. 3. num. 36. & 37.* nempè; quia non intuliſſe ori in eodem communionis die aliquid cibi, nil ad rem facit, ſi eodem communionis die tranſglutiatur, ſiquidem manducate formaliter conſiſtit in transglutiendo voluntariè ori illatum. Confirmatur, nam ſiquis paululum ante pulſationem duodecime horæ noctis, ori inferret partem aliquam ſachari, & poſt duodecimam maſticaret; & deglutiret, abſque dubio nequiret ad Euchariſtiam accedere; vt docent communiter Theologi: Nec contraria ſententia eſt probabilis, vt benè cum Vazquez, Suarez, Reginaldo, Bonacina, Sylvio, Coninch, & Molfeſio, tradit Thomas Hurtado, *tom. 2. reſol. moralium, tr. 11. cap. 8. num. 258.* Ergo ad ſolutionem ieiunij naturalis per accidens ſe habet, quod cibus eadem die, vel antecedēti fuerit ori illatus; ſed an advertenter, vel caſualiter (imò ſecundùm D. Thomam, vt conſtat ex verbis ſupra allatis,) licèt caſualiter, & abſque aduertentia; ieiunium naturale ſolvitur; ſi *in magna quantitate traijciatur*, quia non iam per modum ſaliuæ: ſicut violaretur ieiunium, licèt violenter, & contra voluntatem magna copia aquæ in ſtomachum traijceretur, vt contingere ſolet his, qui in fluuium cadunt.

25 Maior difficultas eſt de alijs, quæ nutritiua non ſunt, vt fracmenta metallorum, vitrum, lapilli, & ſimilia: an inquam ori illata, & advertenter in ſtamochum traiecta ieiunium naturale ſoluant? Ratio dubitandi ſumitur ex canonibus conciliorum; in quibus hoc ieiunij præceptum continetur: nā in illis ſolùm prohibetur, cibo præaſſumpto, celebrare: vt videre licèt in cōcilio Bracharenſi primo, Canone 16. & in alio Bracharenſi ſecundò, & in Concilio Toletano ſeptimo, Canone 2. vbi dicitur [nullus poſt cibum, potumque quemlibet minimū ſumptum, miſſas facere præſumat.] Idemque ſtatuitur in Concilio Conſtancienſi *ſeſſione 13.* & ab Inocencio III. *cap. ex parte de celebra. Miſſ.* At qui vitrum, metalla, lapilli, & huiuſmodi, non habent rationem cibi: ergo ieiunium naturale non frangunt. Minor probatur, quia ad rationē cibi requiritur, quod poſsit converti in ſubſtantiam comedentis, vt docent Cardinalis de Lugo *de Euchariſtia, diſp. 15. num. 32.* & Dicaſtillo *tom. de Sacramentis, tr. 4. de Euchariſtia, diſp. 9. dub. 17.* & alij. Ergo.

26 Ex hoc fundamento M. Ioannes de la Cruz *in directorio conſcientiæ, part. 2. q. 5. de Euchariſtia, dub. 4. concluſ. 2.* ſic infert. [Qui comedit modicum papiri, aut aliquid ſimile non habens rationem cibi, aut medecinæ, poteſt, iuxta ſententiam probabilem, ſumere Euchariſtiam.] Quem ſequitur Diana *1. part. tr. 14. de celebr. Miſſ. reſol. 52. & 3. part. tr. 4. reſ. 78* & ante illos ſumma corona *part. 4. cap. 4. num. 65.* Magiſter Petrus de Ledeſma *in ſumma tr. de Euchariſtia, cap. 13. concluſ. 4* & Paſqualigus *deciſ. 312.* Cæterum hanc ſententiam improbabilem cenſet. M. Nugnus, apud Thomam Hurtado *vbi suprà, num. 252.* dicens [improbabile eſſe aſſerere poſſe tranſglutientem papyrum communicare] & illam reijciunt Cardinalis de Lugo, & Dicaſtillo, locis ſupra citatis; quia papyrus eſt materia ex herva lini contrita, quæ ab humano ſtomacho alterari, & concoqui poteſt, & in ſubſtantiam converti: ac proinde licèt in ſtomachum traiectam quis evomeret, (ſicut & quemlibet cibum) nequiret communicare, vt docent communiter Doctores; ego tamen improbabilem aſſerere non audeo, quia illam vltra citatos, tenet cum Ludouico de S. Iuan, Ioannes Sāchez in ſelectis, diſp. 42. num. 23. & vt fatetur ipſe Dicaſtillo ſup. num. 288. Si ſint opiniones probabiles an fecerit, vel non fecerit comeſtio; licèt ſequi quamvis illarum.

27 De alijs dubitant Doctores; vt de terra, & bucharo, vt videre licèt apud Lugo, & Dicaſtillo ſentientes ad violationem ieiunij naturalis requiri ſubſtantiam eſſe comeſtibilem: Qua propter ſubnectit Dicaſtillo *diſp. 9. citata, dub. 17. num. 282.* [Quāuis non improbabile mihi videatur, quod ex parte modi, & intentionis traijcientis, poſsit quis non cenſeri ieiunus vorando id, quod alioqui non eſt cibus, v. g. traiectio tenuiſsimæ laminæ auri (quas vulgò in Hiſpania panes auri appellant) quę ab aliquibus ſumuntur, ſiue per ſe, ſiue alteri rei adhærentes, vt lætificetur Cor. Et ſimiliter illud argillæ genus, quod maxime in Portugalia habetur, rubrum, & fœminis in delicijs eſt, & vulgò vocatur *bucharo.*]

28 Pace tamen horum doctorum tenendum eſt, vt certum; ieiunium naturale non ſolùm violari per ſumptionem ſubſtantiæ cui vera ratio cibi, aut potus conueniat, ſed etiam per traiectionem rei non comeſtibilis, vel vt potiùs dicam, non nutritiuæ; quæ licèt, nec cibus, nec potus ſit; ſumitur tamen per modum cibi, vel medicinæ. Hanc concluſionem ſuadent appoſita exempla de laminis auri; de terra, & bucharo; ſcandaloſum enim eſſet aſſerere, poſt hæc præaſſumpta, licitum eſſe communicare. Hæc ſententia eſt expreſſa D. Thomę *1. part. quæſt. 80. art. 8. ad 4.* verbis ſupra datis. Vbi ſic ſcribit. [Nec poſt aſſumptionem aquæ, vel alterius ci-

cibi, aut potus, vel etiam medicinæ, in quãtumcumque parua quantitate licet hoc Sacramentum accipere. Nec refert (attende) vtrùm aliquid huiuſmodi nutriat, vel non nutriat, aut per ſe, aut cum alijs, dummodo ſumatur per modum cibi, vel potus.] Hæc ibi, quem ſequuntur communiter Doctores. Qua propter optimè Diana, *vbi ſupra, reſol. 52. citata*, conſultus reſpondit mulierē terram, aut ſimile comedentem, ſive illud comedat, ob delectationem, quod eſt comedere per modum cibi: ſiue comedat, vt colorē minuat, quod eſt comedere per modū medicinæ, non poſſe poſt iſtorum ſumptionem ſumere Euchariſtiam.] Cuius verba valde notanda ſunt, quia in illis continetur generalis regula ad dignoſcendum, quando res ſumatur per modum cibi, aut medicinæ, licèt nutritiua non ſit.

29 Hinc infertur eum, qui nummum aureum, glandes plumbeas, vel quid ſimile, vno hauſtu, deglutiret abſque vllo fine ex numeratis, poſſe Euchariſtiam ſumere, vt docent Boſſius tr. 22. num. 15. Diana 2. part. tr. 14. reſol. 59. & 3. part. tr. 4 reſ. 38 & p. 11. tr. 6. reſ 22. vti pro hac parte refert vtrũque Lugo, Leandrum à Sacram. Martinum à S. Ioſeph. Paſqualigum, & alios. Idem tenent Dicaſtillo & alij, quos ſequitur Doctor Garſi *Cent. 2 cap. 88. num. 6.* & Ioannes Sanchez *in ſelectis, diſp. 42. num. 23.* qui ſecus ſentit de deglutiēte *auellanā cum cortice, aut pineam, nucem, vel piñon*, quia eſt, inquit, *materia comeſtibilis*, ſed contrarium cum Roſſeo tradit Garſi ſup. num. 15. Quia eiuſmodi nuces non alterantur in ſtomacho propter corticis duritiem; ideòque communionem non impediunt. Ratio eſt, quia licèt ob reuerentiam Chriſti Domini ſit ieiunij præceptum inſtitutum; & tamen Euchariſtiæ Sacramentum in animarum etiam ſubſidium, & augmentum gratiæ ordinatū. Qua propter licèt habenæ laxandæ nō ſint, ne in irreuerentiam cedat; non verò vltra intentionē Eccleſiæ extendere debemus. Hæc autem ſolum intendit cibum iſtum cœleſtem omni terreno præferendum, ac proinde ſolam cibi, & potus ſumptionem expreſsè prohibet: & implicite, iuxtà communem Doctorum expoſitionem, quidquid per modum cibi, aut potus, aut medicinæ ſumatur. Poſt hæc, inquam, aſſumpta, ad communionem accedere vetat, non poſt alia.

30 Obijcit Thomas Hurtado, *tom. 2. reſol. moralium, tr. 11. cap. 8. ſuprà citato, num. 253.* Quodcumque ore voluntariè ſumatur, & in ſthomacum traijciatur, maſticando, vel digluriendo, ieiunium naturale ſolvere, & ſacram communionem prohibere; quia & ſi nutrimentum humanum nō ſit, naturalis tamen calor ita excreſcere poteſt, vt illud alteretur, & in chilum convertat, & ſi non totum ſaltem partem; ſiquidem plura animalia ſunt, quæ metalla & oſſa digerunt. Reſpondeo, quidquid ſit de calore naturali aliorum animalium calorem naturalem hominis tantam actiuitatem non habere: quod ſi certum non ſit, eſt tamen probabilius. Eccleſia autem non prohibet certò communionem, poſt ſumptionem rei, quæ certò non ſit cibus, vel potus, nec per modum cibi, potus, vel medicinæ ſumatur.

QVÆSTIO II.

Vtrùm omnibus laicis in ſtatu gratiæ exiſtentibus quotidiana communio ſit conſulenda?

1 QVæſtionem hanc ſub his terminis exagiraram invenies apud Dianam *part. 11. tract. 7. reſol. 15.* vbi ſic ſcribit: Aliqui authores Hiſpaniæ annis elapſis opinati ſunt, dum quis lethali culpa minimè teneatur; præſtat, eum diebus ſingulis communicare, quam abſtinere, quæcumque illius ſit diſpoſitio, velit nolit confeſſarius, qui male aget, ſi poſtulanti laico pęnitenti ad communicandum facultatem cōcedere noluerit. Hanc ſententiam nouiſſimè tuetur M. Antonius Bernaldus de Braojos, in quodam libello impræſſo Compluti per Frāciſcum Ropero (anno 1645.) in quo ex pluribus fundamentis firmat hanc concluſionem: *Eſto ſupueſto, la concluſion ſegura, cierta, y verdadera es, que à qualquier Chriſtiano, quando ſe halla ſin conciencia de pecado mortal, ò ſi la tiene, le confieſſa como deue, (como no falte à las obligaciones del precepto) aunque ſe vea cō tibiezas, ò imperfecciones; ſerà licito, ſanto, y loable el comulgar cada dia: Y eſto ſerà mejor, que dexar de comulgar, aunque ſea por temor, reuerencia, ò humildad.* Hanc verò ſententiā, niſi limitatione aliqua ſub intellecta, incredibile eſt à viris doctis defendi, quia cum ſtatu gratiæ componitur, quod fideles in actu ipſo communionis venialiter delinquant, fide autem ſanctum eſt, peccatum veniale nemini poſſe conſuli. Ergo neque quotidianam communionem omnibus indiſcriminatim in gratia exiſtentibus. Hæc concluſio tàm lumine fidei, quàm rationis, eſt nota, nec ab vllo Catholico negari poteſt: nec citati negant, licèt Diana non exprimat, vt deberet, maximè cum apud M. Braojos in ſui tractatus initio id notatum inuenerit.

2 Iam quando interueniat venialis culpa in ipſomet actu communicandi in ſtatu gratiæ? conveniunt omnes Theologi, id cōtingere, quoties peccatum aliquod veniale

ſit

Digitized by Google

ſit circunſtantia ipſius actus communicandi. Sic cum pluribus P.Suarez *tom. 3. in 3. partem, quæſt. 80. diſput. 66. ſect. 1.* vbi alijs citatis, inquit: [Dicendum in primis videtur, ſi peccatum veniale ſit aliquomodo circuſtantia ipſius actus communicandi, peccatum eſſe veniale, ſic communicare; verb. grat. ſiquis communicet propter oſtētationem, ſeu vanam gloriam.] Idem docent Filliucius *tom. 1. tract. 4. cap. 7. numer.* 206. Reginaldus *tom. 2. lib. 29. capit. 6. quæſt. 2. numer.* 100. Petrus de Ledeſma *in ſumm. tom. 1. de Sacramento Euchariſtiæ, capit. 11. concluſ. 1.* & alij communiter. An verò peccatum etiam veniale ſit, cum diſtractione, & mentis euagatione, aut cum aliquo veniali actuali accedere? Non conueniunt DD. negant plures, quos citatos ſequitur Ioannes Sanchez *in Selectis, diſp. 22. num. 9.* affirmant alij, quos ſequitur Suarez vbi ſuprà; vbi ſic: [certè ſi actu ſit in ipſo peccato veniali, vt in vna aliqua cogitatione, aut delectatione, & ea ratione accedat diſtractus & ſine debita attentione, & deuotione, peccatum eſſet veniale, ſic communicare. Quem ſequitur Cardinalis de Lugo *de Sacram. Euchariſt. diſp.* 14. ibi: [Requiritur ergo, non ſolum ex conſilio, ſed etiam ex præcepto, ſaltē ſub veniali, aliqualis præparatio, propter reuerentiam debitam tanto Sacramento: cui reuerentiæ adverſatur modus ille accedendi abſque vlla deuotione, aut præparatione.] Quibus adde M. Ioannem Martinez de Prado *tom. de Euchariſtia, quæſt. 80. dub. 4. numer.* 42. ibi: [Communis Theologorum ſententia eſt, peccare eum, qui cum diſtractione volūtaria accedit ad communionem, ſicut, & qui ad eam accedit propter inanem gloriam, aut cum formali affectu ad aliquod peccatum veniale, & intentione actuali illud faciendi.] Et Filliucium vbi ſuprà, [poteſt euenire, inquit, vt peccatum veniale ſit circunſtantia actus communicandi, vt ſi fiat ob vanā gloriam, vel quia cum diſtractione voluntaria.] Quibus adde M. Antonium Bernaldo de Braojos in ſermone, *erat Ieſus eyciens dæmonium*, edito Matriti anno 1661. vbi diſcurſu 5. ſic ait: *No aprueba, ni aconſejo comunion voluntaria, quando ſe vicia por alguna irreuerencia, por falta de atencion, y el reparo que ſe debe tener en vna accion tan ſanta. Todas eſtas diſpoſiciones no ſon de conſejo,* (*ſed de præcepto.*) Idemque iterum dicit, diſcurſu 7. putat verò nulla iſtarum carere, qui confeſsionem venialium ſaltem præmittit, cum mortalia non habuerit. Et abſolutè eum, qui con affectu, vel actuali peccato veniali, Sacramentum Euchariſtiæ ſumit, committere aliud veniale cuiuſdam irreuerentiæ, & ſacrilegij; tenent alij Doctores, quos citat, & ſequitur Laimā *in Theolog. Moral. lib. 5. tract. 4. cap. 6. num.* 3. Et in terminis, eſſe peccatum veniale, accedere cum diſtractione voluntaria, ſeu euagatione mentis, inquit M. Serra *in 3. part. q. 80. art. 7. fol. mihi* 457. vbi ait eſſe communem inter Thomiſtas, & conformiorem D.Thomæ.

3 Et ſanè id negare non poterit, qui ſanctum Doctorem tantum legerit *in 4. ſententiarum, diſtinctione 12. quæſt. 2. artic. 1. d 3. quæſt.* vbi totus eſt in probando, per peccatum veniale, ſeu per defectum deuotionis, quæ exigitur in hoc ſacramento, eius effectum impediri. Vnde, vt reſpondeat ad ſecundum argumentum; quod erat eiuſmodi. [Baptiſmus non eſt nobilius ſacramentum; quam iſtud, ſed nil impedit effectum Baptiſmi, niſi peccatum mortale. Ergo neque effectum huius ſacramenti,] & vt etiam reſpondeat ad tertium, quod eſt huiuſmodi: [peccatum veniale non facit fictū: ſed ſola fictio impedit ſacramentorum effectum. Ergo ſolum peccatum mortale impedit ſacramenti effectum.] Vt inquā, ad hæc argumenta reſpondeat, ad tertiam quæſtionem præmittit, actualem deuotionem, ſine peccato mortali poſſe prætermitti, illa verò deficiente, effectum huius ſacramenti impediri: [& quia interdum, (inquit ad 3. q.) abſque peccato mortali, actualis deuotio impediri poteſt, cū diſtractiones variæ ipſam impediant, & peccata venialia virtutum actum tollant; abſque peccato mortali poteſt effectus huius ſacramenti Euchariſtiæ impediri: ita quod aliquis augmentum gratiæ non cōſequatur; nec tamen reatum peccati mortalis incurret, ſed fortè reatum venialis peccati, ex hoc, quod imparatus accedit.] Hinc ad argumenta reſpōdet: [ad ſecundum dicendum; quod in Baptiſmo datur primum eſſe ſpirituale, & ideò effectus eius non impeditur, niſi per propoſitum peccati mortalis committendi, quod directè vitæ ſpirituali opponitur: ſed in hoc ſacramento fit coniunctio ad finem, quæ debet eſſe per debitam operationem, & ideò defectus talis operationis impedit effectum huius ſacramēti. Ad tertium dicendum, quod quamvis peccatum veniale non faciat fictum ſimpliciter, facit tamen fictum quo ad aliquid: nec tamen dicendum, quod omne peccatum veniale impediat effectum huius ſacramenti, ſed ſolum illud, quod tollit actualem deuotionem, quæ exigitur in hoc ſacramento.] Hactenus Angelicus Doctor.

4 Qui hæc tantum, vt prædixi, apud ſanctum Doctorem legerit, non mirum ſentiat, peccatum veniale intervenire in ipſo actu communicandi abſque deuotione: imò &

mortale, vtpotè quo impedimentum effectui ſacramenti apponeretur. Cæterum præfatam ſententiam poſtea retractauit D. Thomas, vt notauit M. Petrus de Soto de *inſtitutione Sacerdotis lect. 12. de Euchariſtia fol. 82.* vbi ſic ſcribit: [de venialibus, quæ in ipſa ſumptione ſacramenti committantur, qualis eſt mentis euagatio: quòd proculdubio impediant fructum ſacramenti, eſt ſententia D. Thomæ *in 4. diſtinct. 12. quæſt. 2. art. 1. ad quæſt. 3. &c.* putat enim peccato veniali manente, non augeri charitatem. Cæterum ipſe D. Thomas poſtea *3. part. quæſt. 79. art. 8.* aſſeruit, hoc peccatum euagationis animi, ſicut non opponitur habitui gratiæ, & charitati; ita nec impedire augmentum eius.] Hactenus Sotus, & non ſolum ſe retractauit Angelicus Doctor, (quod eſt valde notandum) ſed *quæſt. 80. art. 7.* apertè ſentit, diſtractionem, ſeu euagationem mentis, ex ſola congruitate, impedire comunionem: id eſt ſub nullius peccati etiam venialis reatu; quod probabile putat Serra vbi ſupra; & ego probabilius eſſe, probabi *1. par. [illegible] tra[illegible] 4. quæſt. 8. n. 2.* iuxta mentem D. Thomæ, & D. Gregorij; quod plures Theologi ſequuntur. Vnde non ſatis capio, quo iure Caietanus *3. par. quæſt. 79. a. 8.* [illegible] *1. 2. quæſt. 113. artic. 3.* conſenſerit ſententiæ, quam D. Thomas retractauit ei ca neceſsitatem deuotionis actualis ad recipiendum effectum Sacramenti Euchariſtiæ, & eundem Angelicum Doctorem veritatem poſtea aſſequutum, non ſequutus fuerit. Qua propter ex eodem fundamento repellendum eſt, quod aſſerit *quæſt. 80. artic. 10.* dum inquit; [non audeo aſſerere in qualibet celebratione opportere celebrantem eſſe diſpoſitum ſic, vt per quamlibet celebrationem augeatur habitus gratiæ.] Neceſſarium enim eſt ex opere operato augeri, quacumque diſpoſitione ad Euchariſtiam in gratia exiſtens accedat, vt docent communiter Theologi, & in qualibet celebratione oportet celebrantem ſic eſſe diſpoſitum, vt gratiam ſacramenti accipiat; imò id neceſſariũ eſt, cum debeat abſque culpa graui accedere. Quo principio nititur communis DD. ſententia aſſerentium amentibus, qui poſt vſum rationis, inciderunt in perpetua amentiam, miniſtrandam eſſe Euchariſtiam in articulo mortis; ſi non conſtet incidiſſe in amẽtiam in peccato mortali, (quod ait Sotus, *di[illegible] 15.* vix poſſe conſtare) & non ſit periculum expuitionis, vel alterius irreuerẽtiæ. Sic cum D. Thom. Soto, & Valentia, P. Granado, & plures, quos ſequitur Doctor Garſi *cẽt. 2. cap. 90. num 8.* vbi pro hac parte citat Dianam referentem Cardinalem de Lugo, Reginaldum, Suar. Vazquez, Merarium, & alios ſubnectens: [Et quidẽ, ita præcipitur in Concilio Carthagin. *4. cap. 76.* & Arauſicano *1. canon. 3.* & referuntur *cap. is qui, & cap. qui recedunt. 26. q. 6.* & ita ſupponitur in Concilio Tolet. *cap. 11.* Et probatur: quia in eiuſmodi amentibus, ſaltem moraliter perſeuerat deuotio ad Euchariſtiã; imò eſt implicita illius petitio; & magnum emolumentum ſpirituale illius ſumptio poteſt afferre: ergo miniſtranda eſt illis Euchariſtiã; & quidem Parochus, ad Euchariſtiam adminiſtrandam huiuſmodi amentibus in mortis articulo teneri, expreſ è tradit Filliucius *tom. 1. tr. 4. c. 7. q. 2. n. 180.* & colligitur *ex cap. quod in te de pœnitenti, & remiſsion.*

5 Ex dictis euidenter deducitur, quæſtionem de quotidiana communione conſulenda, non poſſe locum habere, ſi ſermo ſit de omnibus indiſcriminatim, qui peccato lethali non ſint infecti. Certiſsimum enim eſt, neutiquam conſuli poſſe, ſi aliunde veniale peccatum in ipſomet actu communionis cõmittant: quod in mulieribus non rarò timeri debet, vt monet Albertus Magnus *diſput. 6. de Euchariſti , tractat. 4. cap. t. 3. numer. 3.* ibi: [De his, inquit, qui mulieres omni die communicant, videtur mihi, quod acriter reprehendendi ſunt, quia nimio vſu viileſcere faciunt ſacramentum, & potius ex leuitate mulierum putatur eſſe deſiderium, quam ex deuotione cauſatum.]

6 Qua propter, vt præſenti quæſtioni detur locus, diſputanda eſt in ſenſu, & ſub limitationibus, quibus proponitur a Ioanne Sanchez *in Selectis, diſput. 22. numer. 7.* & a Magiſtro Anton. Bernaldo de Braojos in epilogo citato a Diana, vbi ſuprà *fol. 9.* nempè, an ei, qui licitè poteſt communicare, ſit melius, & vtilius quotidiè communicare, quam abſtinere? Et ſub his terminis, & non aliter loquuti ſunt Theologi, qui parti affirmatiuæ aſſenſum præſtitere, nullam aliam diſpoſitionem ex præcepto requiſitam credentes, præter nullius criminis mortalis conſcientiam, & defectum praui finis; & quod tempore ſuſceptionis aliud non inſtet præceptum; nil inquam aliud requirunt, vt melius, & vtilius ſit homini quotidiè communicare, quam abſtinere, & vt quotidiana communio omnibus fidelibus indiſcriminatim conſuli poſsit. Hanc ſententiam tenuit Marcilla in memoriali, ad Archiepiſcopum Compoſtelanum; & iterum in additionibus ad illud. Fr. Maurus de Balderas, apud Lugo *diſp. 17. ſect. 1. num. 6.* D. Antonius de Roxas *in præparatione ad Euchariſtiam.* Molina *in inſtructione Sacerdotum, tr. 7. cap. 4.* Delgadillo *tract. de Euchariſtia, dubio 52.* Antonius Velazquez Pinto *in lib.*

cui

cui titulus (*Teſoro de los Chriſtianos*) Falconi *in ſuo pane quotidiano.* Doctor Frutos de Ayala *in appologia ſacra 6. numer. 63. fol.* 24. Quibus adde Patrem Salmeron, Labaſtam, & Chriſtophorum Moreno, quos pro ſua opinione adducit Ioannes Sanchez vbi ſuprà *num.* 18. & ita etiam ſentiunt Hieronymus Perez, & Molina apud Braojos, & Martinus de S. Ioſeph apud Dianam ſuprà.

7 Contrariam tamen ſententiam tenent communiter Theologi, pro qua dicit Cardinalis de Lugo *vbi ſuprà, diſput.* 17. *ſect.* 2. ſtare fere omnes: [Quam, inquit, fideles omnes ipſo cum lacte acceperunt, & quaſi ex terminis notam Scholaſtici DD. non tàm probare curarunt, quàm ſupponere: & partem affirmatiuam, quod omnibus iuſtis vniuerſaliter ſit vtilior quotidiana communio; neſcio aliquis ex antiquis docuerit.] Idem dicunt Pater Luis de Torres *part. 2. Theologiæ Moral. diſput. 1. dub.* 2. Pater D. caſtillo *tom. de Sacramentis, tract.* 4. *de Euchariſtia, diſput. 9. dub. 18. numer.* 431. & innumeri alij, quos refert Ioannes Sanchez *in Selectis, diſput.* 22. & ſequitur Illuſtriſsimus noſter Ferdinandus de Salazar *in libr. aureo (de la frequencia de la comunion)* edito Matriti anno 1662. Et nouiſsimè, ſuprà quinquaginta citatis, defendunt duo præclariſsimi Theologi R. P. Fr. Ioſeph Mendez in libello de hoc puncto lucidato Matriti *anno* 1671. & R.P. Fr. Iuan Baptiſta Sicardus in lib. alio erudiiſsimo, quem typis dedit Compluti *anno* 1673. Et in hanc tandem ſententiam veniſſe videtur M. Braojos *in ſermone ſuper Euangelium: erat Ieſus eijciens dæmonium,* vbi alias diſpoſitiones reuerentiæ, & attentionis ſubueniali obligantes recognouit, verbis ex illo ſupra datis.

§. I.

Quid PP. ſentiant?

8 Diſputatio antiquiſsima hæc eſt, illamque exagitauit Auguſtinus *tom. 2. epiſtol.* 128. *& vltim. cap.* 3. vbi inquirit, *an ſit licita quotidiana communio,* & poſtquam contrarias ſententias, & earum fundamenta breuiter, & clarè præmiſit; concludit. [Rectius inter eos fortaſſe quiſpiam dirimit litem, qui monet, vt præcipuè in Chriſti pace permaneant: faciat autem vnuſquiſque, quod ſecundum fidem ſuam, pie credit eſſe faciendum. Neuter enim eorum exhonorat corpus, & ſanguinem Domini, ſi celeberrimum Sacramentum certatim honorare contendunt. Nec enim litigauerunt inter ſe, aut quiſquam eorum ſe alteri præpoſuit Zachæus, & ille Centurio; cum alter eorum gaudens in domum ſuam ſuſceperit Dominum; alter dixerit: *non ſum dignus*, ambo ſalvatorem honorificantes, diuerſo, & quaſi contrario modo. Valet etiam ad hanc ſimilitudinem, quod in primo populo vnuſquiſque Manna ſecundum propriam voluntatem in ore ſuſcipiebat: ſic in ore cuiuſque Chriſtiani, ſacramentum illud quomodo ſumatur, æſtimandum. Nam, & ille honorando, non audet quotidiè ſumere; & ille honorando, non audet vllo die prætermittere. Contemptum ſolum non vult cibus ille; ſicut Manna faſtidium.] Hactenus Auguſtinus.

9 Cum Auguſtino ſentit D. Thomas *in 3. par. quæſt. 80. art. 10. ad* 3. dicēs: [vtrùmque pertinet ad reuerentiam huius ſacramenti: & quod quotidiè ſumatur, & quod aliquando abſtineatur, nec enim litigauerūt inter ſe Zachæus, & ille Centurio, &c.] vt ex Auguſtino excripſimus ſuprà. Et prædixerat *in 4. diſtinct. 12. quæſt. 3. artic. 1. quæſtium* 2. vbi ſic: [In hoc ſacramento duo requiruntur, ſcilicèt deſiderium coniunctionis ad Chriſtum, quod facit amor, & reuerentia ſacramenti, &c. Vnde ſi aliquis experimentaliter cognoſceret ex quotidiana ſumptione, feruorem amoris augeri, & reuerentiam non minui, talis deberet quotidiè communicare, ſecùs verò eſſet, ſi contra contigerit.] Ideòque ſubnectit. [Si autem ſentiret per quotidianam frequentiam, reverentiam minui, & fervorem non multum augeri, talis deberet interdum abſtinere, vt cum maiori reuerentia, & devotione poſt modum accederet. Vnde quantum ad hoc vnuſquiſque relinquendus eſt iudicio ſuo; & hoc eſt quod Auguſtinus dicit, & probat per exemplum Zachæi, & Centurionis.] Idemque tradit iterum *3. part. quæſt. 80. art.* 10. dicens: [Ideò ſi aliquis ſe quotidiè ad hoc paratum inveniat, nempe cum magna deuotione, & reuerentia; laudabile eſt, quod quotidiè ſumat. Et ideò Auguſtinus cum dixiſſet *accipe quotidiè, vt quotidiè tibi proſit,* ſubiunxit: *Sic viue, vt quotidiè merearis accipere.*] Idem ſentit D. Bonauent. *in 4. diſt. 12. part. 2. q.* 2. ibi: [Secundum illam partem, ſecundum quam videt melius proficere, in illam magis declinet, quod homo ſolum experientia diſcit.]

10 In quibus duo notanda ſunt: primum, vniuſcuiuſque iudicio tres Eccleſiæ Doctores remittere, an quotidie poſsit communicare: *Faciat vnuſquiſque, quod ſecundum fidem ſuam pie credit eſſe faciendum.* Secun-

Digitized by Google

dum; quod Auguſtinus ob ſolum contemptum; & D. Thomas *ob diminutionem reuerentiæ* quotidianam communionem ab homine iuſto potente licitè communicare, prætermittendam cenſent. Ergo qui ob augmētum gratiæ comparandum; ob motus paſſionum animi reprimendos; ob pericula peccādi vitāda; ob tentationes carnis ſuperādas; aut ob alios honeſtos fines, ad cōmunionē quotidiè accedat, cū hic honorando non audeat vllo die prætermittere, nō erit cur ab iſtius cibi refectione quotidiana, qua vires animæ augentur, abſtineat: huic enim vtilius eſt, cū æquali diſpoſitione deuotionis, & reuerentiæ, communicare quotidiè, quam ſemel in hebdomada: cum maius gratiæ habitualis augmentum, pluries, quam ſemel communicando, adquirat: Et aliunde cum accedat honorando, & reuerendo tàm mirabile Sacramentum, non facilè apparet, cur tanti ſacramenti fructu priuandus ſit. Vtraque pars videtur certa, nam qui quotidiè accedit ex pio affectu conſequendi fructum huius ſacramenti, aliquo modo ex dictis recognoſcit excellentiam tanti Myſterij; & actum fidei diuinæ, circa Chriſti Domini præſentiam ſub ſpeciebus, emittit; & actum ſpei circa finis intenti conſequutionem elicit: quibus & Chriſtus Dominus honoratur, & homo, ad nullo die prætermittendum excitatur. Et quidem pluritatem horum actuum, magis ex opere operantis, & plures communiones, magis quam vnam, cæteris paribus, ex opere operato, gratiam augere, evidens ex terminis eſt: differre verò communionem, per aliquod tempus ex fine accedendi poſtea cum maiore reuerentia, bonum, quidem eſt, *quia honorando abſtinet*: an verò maius bonum; & ipſi vtilius dubium eſt. *Quia honorando etiam accedit*: & ſoli Deo eſt notum, an gratia adquirenda in fine hebdomadæ maior, an minor futura, quam ſi quotidiè communicaſſet. Et vnuſquiſque aliquo modo (vt ait S. Bonauentura ſuprà) in ſe ipſo poteſt experimentaliter cognoſcere, an multum, an parum proficiat; & an præſens diſpoſitio, quam poſt aliquos dies habet, illam, quæ ſingulis habebatur, excedat. Nam ſacramentum iuxta vniuſcuiuſque diſpoſitionem, gratiæ augmentum confert. Maior autem ſumentis vtilitas, ex maiore gratiæ augmento, penſari debet. Licèt autem contingere poſſit ex vna communione, plus gratiæ, quam ex pluribus, propter exceſſum diſpoſitionis adquiri; id tamen nobis, quando contingat, incertum eſt; & fideles facilius percipiunt ſingulis diebus communicando, vnum gradum gratiæ conferri, quàm octo ſimul die Dominica, (in reliquis abſtinendo) propter exceſſum diſpoſitionis: ideoque ferè omnes exiſtentes in ſtatu gratiæ, & carentes peccato veniali actuali vitante actum communionis, quotidianam communionem vtiliorem ipſis facillimè credunt, & ni fallor, ita plerumque contingit: nec aliud intendunt, qui omnibus indiſcriminatim conſulendam prædicant, non diſtinguentes inter vtile, & honeſtum.

11 Sed quidem hic diſcurſus non probat, magis placere Deo voluntatem communicandi quotidiè, quàm abſtinendi aliquibus diebus, ob reuerentiam Chriſto Domino debitam. Nam abſolutè loquendo non melius eſt, quod homini vtilius. Quia bonitas ex concurſu omnium circunſtantiarum deſumitur: & ſicut bonum honeſtum & bonum vtile ſunt diverſæ bonitatis ſpecies; ita ex augmento vtilitatis, non poteſt argui honeſtatis augmentum. Quia vtilitas ex fructu, tàm ex opere operato, quam operantis procedit; honeſtas verò, ex ſolo opere operantis: id eſt ex honeſtate actus, quo quis vult ſuſcipere ſacramentum, vel à communione abſtinere: quæ quidem ex fine deſumitur, & ex reuerentia erga Chriſtum Dominum. Finis autem, ſi minus honeſtus, minorem honeſtatem in actum deriuat; ſi indifferens, nullam; ſi prauus, maliciam. Quamvis autem communicare ex fine indifferenti, vtilius ſit homini, quàm abſtinere; eò quod gratiæ augmentum ex opere operato ſic comparat, quod ſi abſtinuiſſet, non compararet: non tamen hoc erit abſolutè melius, ſi reuerentia tanto Sacramento debita illi deficiat: cuius defectu actus ipſe communicandi eſt minus bonus, quàm actus abſtinendi, quia hic abſtinendo ex reuerentia magis honorat, minus verò ille communicando ſine illa: ex quibus fit æquiuoce à Doctoribus rem hanc cōtrouerti, & ideò diuiſos, quia alij ſolū attendūt ad maiorem vtilitatem ſuſcipientis; alij de hac bonitate relatiua non curant, ſed de abſoluta: id eſt, quid Deo magis placeat; ſemper communicare abſque lethali, an aliquādo ob reuerentiam ſacramenti abſtinere? & ex hoc capite decidendam volunt quæſtionem præſentem: *an omnibus licitè communicantibus, ſit quotidiana communio indiſcriminatim conſulenda.*

12 Vnum hac in re, certum eſſe debet, melius eſſe per ſe loquendo, id eſt magis Deo placere Euchariſtiam ſumere, quam ab ea abſtinere; quia primus actus ex obiecto bonus eſt, ſecus alter: eſt etiam vtilius

per

Digitized by Google

per ſe loquendo: Quia ſumere Euchariſtiam in ſtatu gratiæ, illam auget ex opere operato, & ex opere operantis, propter voluntatem ſumendi; quod non præſtat voluntas abſtinendi; ſecundum ſe conſiderata: ex fine tamen, hic poſterior actus poterit excedere quandoque, aut ſaltem æquare perfectionem primi actus ſumendi Euchariſtiam: ſi enim ex reuerentia, vt duo, erga ſacramentum, eligeret quis abſtinere hac die ab Euchariſtia, æquè videtur gratiam augere, ac ſi cum reuerentia, vt vnum communicaret: quia in primò caſu duplicem gradum gratiæ ex opere operantis adquirit; in ſecundò verò vnum ex opere operantis, & alterum ex opere operato. Vnde fit non eſſe vtilius communicare cum reuerentia vt vnum, quam abſtinere ex reuerentia vt duo; quia vtrobique idem augmentum gratiæ comparatur: & æquè gratus Deo quis conſtituitur Chriſtum Dominum, *quaſi contrario modo honorando*, vt ait Auguſtinus ſupra. Si verò ex reuerentia vt quatuor, vellet quis abſtinere, maius gratiæ augmentum abſtinendo compararet, quam ſi cum reuerentia vt vnum, eodem die communicaret. Qua propter huic vtilius eſſet abſtinere, quam Euchariſtiam ſumere. Vnde fit veram eſſe D. Thomæ ſententiam *in 4. diſtinct. 12. quæſt. 3. artic. 2. ad quæſt. 3.* dicentis; [ideò ſimpliciter loquendo, melius eſt Euchariſtiam ſumere, quam ab ea abſtinere, ſed in caſu aliquo, nil prohibet eſſe melius abſtinere, quando aliquis probabiliter præſumit ex ſumptione reuerentiam minui.] Hinc fit 1. non eſſe vtilius ſemper fidelibus exiſtentibus in ſtatu gratiæ quotidie communicare. Nam abſtinere ab Euchariſtia, ſi ex motiuo reuerentiæ notabiliter excedentis contingat; vtilius erit, vt euidenter oſtendi. Fit 2. ad communionem quotidianam vtiliorem iudicandam, debere animaduerti, vtilitatem, non ex ſolo opere operato, ſed etiam ex reuerentia Sacramento debita, penſandam eſſe: & cum hæc longè excedens abſtinentem ab Euchariſtia commitari poſſit; maiorem quandoque vtilitatem ex abſtinentia, quam ex ſumptione comparari poſſe. His poſitis.

§. II.

Vera ſententia aliquibus propoſitionibus explicatur.

13 Sit prima. Quotidiana communio conſulenda eſt iuſtis omnibus, qui maiore, aut ſaltem æquali reuerentia, accedunt, quam abſtinent. Patet ex dictis: quia ex vna parte vtilior eſt illis communio, & ex alia æquè, vt minimum, Deo placent, Chriſtum æquè honorando, vt conſtat ex verbis Diui Auguſtini ſupra datis. Quapropter ſi iuſtus magna deuotione, & reuerentia careat, ſed experientia nouerit, quod abſtinendo maiorem non comparat, ſed forſan minori diſpoſitione, & reuerentia, quam ſi quotidie communicaret, accedit, quotidiana communio erit illi conſulenda. Sed quid ſi frequentia communionis, creſceret vtilitas ſuſcipientis, maiore augmento gratiæ, quàm abſtinentia; decreſceret verò reuerentia Chriſto Domino debita? eſſet ne tunc gratius Deo abſtinere à communione, per aliquos dies, ne diminuatur reuerentia, quam quotidie communicare ob vtilitatem maioris augmenti gratiæ? Hic eſt difficultatis cardo. Reſpondeo primò, nos certò non ſcire hoc maius gratiæ augmentum, ex frequentia communionis prouenturum: fortè aliquibus dabitur compenſatio propter affectum abſtinendi ex maiori reuerentia. Reſpondeo ſecundò, in caſu dubij, ſemper præferendam Chriſti Domini reuerentiam, noſtræ vtilitati, ac proinde à communione abſtinendum.

14 Secunda propoſitio ſit: etiam ſi certa eſſet maior vtilitas ex opere operato prouentura; ſi tamen hæc contingat, cum diminutione reuerentiæ; aut certò, vel probabilius futura, tunc caſus, reuerentia, & honor Chriſti Domini præferẽda ſunt vtilitati propriæ: & rem magis Deo gratam faciet, qui abſtineat, quàm qui quotidie accedat. Atque adeò, in tali euentu, non eſt illi conſulẽda quotidiana communio. Quia conſiliũ debet eſſe de meliori, quo ad honeſtatẽ; quidquid ſit de vtilitate, ex opere operato ſequutura.

15 Hæc eſt ſententia ſanctorum Patrum, quos ſequitur P. Suarez *tom. 3. in 3. part. diſp. 62. ſect. 4. in fine, & diſp. 69. ſect. 2.* P. Salazar vbi ſupr. P. Dicaſtillo *ſupr. num. 425.* & ſatis conſtat ex D. Thoma locis ſuprà datis, dum abſtinere à communione conſulit, quando reuerentia minuitur, [circa vſum huius Sacramenti (inquit *3. p. q. 80. art. 10*) duo poſſunt conſiderari, vnum ex parte ipſius ſacramenti, cuius virtus eſt hominibus ſalutaris;

ideò vtile eſt quotidie ipſum ſumere, vt quotidie eius fructum ſuſcipiat. Alio modo poteſt conſiderari ex parte ſumentis, (attende) in quo requiritur, vt cum magna deuotione & reuerentia ad hoc ſacramentum accedat: & ideò aliquis, ſi quotidie ad hoc paratum ſe inueniat, laudabile eſt, quod quotidie ſumat.] Ergo ſecundum D. Thomam, licèt vtilis ſit fideli in gratia exiſtenti quotidiana communio, non tamen æquè ſaltem laudabilem putat, deficiente magna deuotione, & reuerentia. Hæc enim vtilitati præferenda eſt; ideòque illa carenti conſulenda non eſt quotidiana communio; quia Deo gratius eſt, ea deficiente, ſe vtilitate priuare.

16 Idque apertius conſtat ex his, quæ tradit *art.7.* vbi diſtractionem mentis dicit impedire ex congruitate communionem, vt ergo conſuli poſsit acceſſus, vt Deo magis gratus, neceſſarium eſt, quod vltra ſtatum gratiæ, diſpoſitiones aliæ ex congruitate requiſitæ non deficiant. Quapropter cum deficere poſsint, *in lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus*, dicitur: *Quotidie Euchariſtiam percipere, nec laudo nec reprehendo.* Quibus verbis adhunc finem vtitur ius Canonicum *de conſecr. cap. quotidie.* Et eadem fere repetit D. Hieronymus in Apolog. ad Iouinianum, dicens: *Scio Romæ hanc eſſe conſuetudinem, vt fideles Corpus Chriſti ſemper accipiant, quod nec reprehendo, nec probo.* Sic leges apud M. Sicardum *punct.1.num.6.& 9.* & licèt verba illa, quæ Auguſtino attribuuntur, non ipſius eſſe; ſed Genadij Epiſcopi Maſilienſis aſſerat Bellarminus, *de ſcriptoribus Eccleſiaſticis*, magnæ tamen ſunt authoritatis; eiſque vtitur D. Thomas *3.p.q.80.art.10.* vrgetur ex Concilio Trident. *ſeſſ.13.cap.8.* vbi cum ſermo ſit, *de vſu admirabilis huius ſacramenti*, non ait Concilium quotidianam communionē omnibus exiſtentibus in gratia conſulendam: ſed ſic pronuntiat. [*Paterno affectu admonet Sancta Synodus, hortatur, rogat, & obſecrat, vt omnes & ſinguli hæc clara myſteria, ea animi conſtantia, ea pietate, & cultu credant, & venerentur, vt panem illum ſuper ſubſtantialē frequenter ſuſcipere poſsint.*] Ergo non eſt omnibus indiſcriminatim conſulenda frequentia, eo ipſo quod ſint in gratia, alias Concilium, aliud non exigeret. Conſulit ergo, vt ſic ſe diſponant, vt poſsint frequēter ſuſcipere. Ergo ſentit, ſecus rem minus Deo placentem facturos, & ipſis licèt iuſtis non conſulendam.

17 Hunc diſcurſum praxis Eccleſiæ euidenter corroborat: certum enim eſt vtilius fore Sacerdoti, plures Miſſas in eodē die celebrare; & ſingulis fidelibus in gratia exiſtentibus, ſæpè in eodem die communicare; & etiam infantibus ante vſum rationis: & tamen pia mater Eccleſia ob reuerentiam tantò Sacramento debitam, hæc omnia prohibuit, cenſens, & meritò, vtilitati fideliū præferri debere reuerentiam ipſi Sacramento debitam. Ergo ad conſulendam quotidianā communionem, non eſt ſolum attendenda vtilitas fidelium, nec maior vtilitas, ex frequentia; ſed præcipuè reuerentia, & deuotio, quibus deficientibus, laudabilius eſt abſtinere, quam ad hanc menſam accedere.

18 Confirmatur ex ſcripto venerabilis Virginis Dñę Marinæ de Eſcobar *p.2.* mirabilis eius vitæ. Luci datæ per R. P. Andræam Pinto Ramirez, Sacræ Scripturæ Interpretem, in noſtro Salmantino Collegio. Igitur *cap.30.fol.382.* virgo venerabilis ſic ſcribit. [Entonces el Señor, con la miſma apacibilidad que antes, bolviò a reſponderme aſsi. Mira alma: Algunos de mis Teologos dizē, que eſtando vna alma en gracia, tiene baſtāte diſpoſicion para recebirme cada dia en el Sacramento: Y dizen bien, hablando por mayor, y en general, que llegādo al caſo en particular, no conviene hazerſe aſsi, que es grāde irreuerencia, deſacato, y temeridad, que no tratando vna alma de veras de ſu mayor aprouechamiento, y no teniendo mortificadas ſus paſsiones, con otros aparejos que requieren, quiera llegarſe a mi con eſſa frequēcia. Sin embargo deſto tienen aquellos por razon ſuficiente la ſuya, para conceder la comunion de cada dia.] Hæc ibi.

19 Ex quibus ſatis conſtat, ſolum concedi licitam quotidianam communionem exiſtentibus in ſtatu gratiæ, & carentibus veniali in ipſo actu communicādi. Et hoc ſuppoſito, diſputari primò: an eo præciſè, quod ſint iuſti, omnibus ſit vtilior? Secundò: an, cū conſilium de maiori bono eſſe debeat, in caſu particulari, ad vnius cuiuſque deuotionē, & reuerentiam attendendum ſit? & iuxta illam potius, quàm iuxta vtilitatem præſtandum; ita vt licèt vtilior; conſulenda tamen quandoque non ſit? In hoc vt ſuprà notaui, difficultatis cardo vertitur, quem Recentiores nimio vtilitatis fidelium zelo ducti non attenderunt, ſed iuxta maiorem vtilitatem, non iuxta maiorem honeſtatem, litem dirimerunt. Cum ad hanc potius conſilium referendum ſit.

20 Igitur cum deuotio & reuerentia, ex congruentia, requiſita ad communionem, non rarò fidelibus deficiant: & propter ſolam vtilitatem fructus Sacramenti, accedere ſolent; ideò Patres & Theologi communiter ad conſilium prudentis confeſſarij remittendos cenſent, qui omnibus penſatis, prudenter diſternet, quid magis expediat, conſiderata

rata

rata vtilitate fidelis,& Sacramenti reuerentia. Quod advertit Chryſoſtomus *Hom.* 17. *ſuper epiſtolam ad Hæbræos*, vbi ſic: [Quando (Apoſtolus) dicit *Sancta Sanctis* hoc dicit: ſiquis non eſt Sanctus, non accedat. Non ſimpliciter dicit a peccatis mundus, ſed ſanctus; ſanctum enim non mundatio a peccato tantū facit, ſed etiā præſentia ſpiritus,& bonorum operum opulentia. Non, enim inquit, tantum volo a cæno vos mundatos eſſe; ſed etiam albos eſſe,& pulchros.] Perquæ explicandus venit Chryſoſtomus, loco alibi ab adverſarijs allegato, nempè *Homil.* 28. *in epiſt. ad Chorint.* vbi dixit, [ſi habuetis cordis mūditiam, ſemper porcris accedere; id enim ſolum tempus præſcribit Apoſtolus, cū ait: *Probet autem ſe ipſum homo,& ſic de pane illo edat.*] Hic enim de diſpoſitione requiſita ad non peccādam læthaliter, fuit loquutus; & ibi de diſpoſitione, vt gratius ſit Deo cōmunicare, quam abſtinere. Quod non contingit ex eo tantum, quod in ſtatu gratiæ ad communionem accedas.

21 Et ſanè certiſsimum eſt, eum, qui ex motiuo reuerentiæ, aut obedientiæ abſtinet, tantum gratiæ augmentum ex hoc motiuo comparare poſſe, vt exceedat comparandum per communionem cum minori reuerentia, vt ſuprà notaui: & docet expreſſe D. Thom. 3. *p.q.*8. *art.*10. *citato*, vbi erudiens nos, quotidianam communionem non omnibus expedire, ſic ait. [Quia multoties, in pluribus hominum, multa impedimenta huius deuotionis occurrunt, propter corporis indiſpoſitionem vel animæ; non eſt vtile omnibus quotidie ad hoc Sacramentum accedere.] Nempè, quia magis in gratia creſceretēt, ſi obreuerentiam, per aliquo dies abſtinuiſſent. Poteſt enim reuerentiæ actus adeò feruidus, & intenſus eſſe, vt meritò ſuperet actum volūtatis ſuſcipiendi quotidie communionem;& adeò exceedat, vt maius gratiæ augmentum ex opere operantis ei correſpondeat, quàm ex opere operantis & operato, communicādo compararet. Eſſet ergò ſic ſe habenti vtilius abſtinere, quam communicare quotidie. Credo tamen rarò eſſe vtilius abſtinere, quia ſingulis diebus communicando augetur gratia, tàm ex opere operatò, quàm operantis; quod augmentum adquiri per actum, quo ex reuerentia eligat abſtinere, licèt poſsibile ſit, difficilè percipitur. Ideò quæſtio quo ad hanc partē decidenda eſt, iuxta, id quod plerumque contingit.

22 Qua propter quando ſumenti certū; vel probabile eſſet, minus vtile forè abſtinere per aliquos dies, quam quotidie communicare; quia abſtinendo priuat ſe gratia habituali ex opere operato adquirenda:& aliunde reuerentiam non augeri cognoſcit; quia non maiore poſt octo dies, accedit; conſulēda eſt illi quotidiana communio: quia eſt vtilior,& aliunde non magis Deo placet, quod abſtineat, ſi verò ex motiuo maioris reuerētiæ, videns frequentia communionis diminui, per aliquos dies abſtineret, melius faceret; imò & communis Sanctorum PP. ſententia eſt, quod deberet (id eſt quod expediret.) Ita S. Thomas *in* 4. *diſt.*12. *q.*3. *art.*1. *q.*2. cuius verba dedi ſupra, *in tali caſu*, (ait infrà) *eſſet melius abſtinere*. Non dixit *vtilius*, quia voluntati abſtinendi, ex præfato motiuo reuerentiæ, minus gratiæ habitualis, vt in plurimum reſpondebit, quam octo communionibus octo continuatis diebus, aliquali reuerentia in ſtatu gratiæ, ex affectū eam augēdi, ſuſceptis: cum vna communio ſit diſpoſitio remota ad aliam, quatenus augendo gratiam ex opere operato reddit perſonam digniorem,& quò dignior hæc eſt; eò maius eſt meritum affectus ad ſubſequentem communionem; quo augmentum gratiæ vndique creſcit. Nihilominus *melius eſſe abſtinere*, nos edocet, ſi ex ſumptione, reuerentia minuatur; nil curans de maiore vtilitate ſuſcipientis. Cui conſonat D. Bonav. *in* 4. *diſt.*12. *p.*2. *q.*2. dum ait. [Aliquando debet ceſſare, vt addiſcat reuereri; aliquando accedere, vt inflametur amore.] Et ideò omnibus etiam Religioſis ſemel in hebdomada communicare, dicit ſufficere *lib.* 2. *de profectu Religionis, cap.*77. Quod præſtiterat Auguſtinus, ſiue author libri de Eccleſiaſticis dogmatibus, *cap.*53. *tom.*3. vbi verba illa habentur. [Quotidie Euchariſtiam accipere, nec laudo, nec vitupero: omnibus tamen Dominicis communicandū ſuadeo,& hortor: ſi tamen mens ſine affectu peccandi ſit.]

23 Ex quibus patet non ideò laudandos quotidie communicantes, quod maius augmentum gratiæ ſibi adquirant, ſi minori reuerentia accedant, nec omnibus iuſtis indiſcriminatim quotidianam communionem, vt meliorem, id eſt, magis Deo gratam, conſulendam; ſed vt in catechiſmo Pij V. *par.*2. *cap.*4. *ſect.*61. dicitur. [Vtrùm autem ſingulis menſibus, vel hebdomadis, vel diebus, id magis expediat; certa omnibus regula præſcribi non poteſt.] Cui apertè opponuntur Recentiores, qui hac tempeſtate omnibus regulam generalem aſsignant, prædicantes, imò ægre ferentes, quod ſint qui contra dicant, communionem omnibus fidelibus in ſtatu gratiæ exiſtentibus, vt rem Deo magis gratam facientibus, conſuli debere.

24 Colligo ſecundò PP. & Theologos, ſi benè expendantur, & attentē conſiderentur, planè ſentire, ad conſilium præſtandum, pro quotidiana communione, aut cum minori frequentia, faciendam eſſe comparatio-

nem

nem inter actus, quibus fidelis diſponitur, vt accedat, & alios, quibus vult abſtinere; præſcindendo omnino ab vtilitate ex opere operato percipienda. Nam cum reuerentia tanto ſacramento debita præcipuè attendenda ſit; & vtilitati noſtræ præferri debeat, & ex hoc capite dicatur *melius eſſe* accedere, quã abſtinere; vel è contra: ſi actus, quo ex motiuo augendi reuerentiam, quis abſtinet, honeſtare vincat actus alios, quibus conſueuit accedere: huic erit conſulendum, vt per aliquos dies abſtineat, illum actum iterando: quia rem Deo gratiorem ſic præſtat: & forſan æquale gratiæ augmentum, hoc iterato actu, ac ſi communiones nõ omiſiſſet, comparabit. Si verò reuerentia potiùs diminuatur, & feruor charitatis abſtinẽdo decreſcat, prudentis confeſſarij erit conſilium, de cõmuni frequentia: item & quandoque experimentum facere, an è contra res eueniat, quod abſtinendo augeatur reuerentia, quæ frequentia diminuitur. Nulla enim certa regula omnibus præſcribi poteſt, vt dicit Pius V. Ideòque omnes Theologi (vt ait Cardinal. de Lugo,) in hac parte fideles inſtruunt, vt conſilium Patris ſpiritualis attendant, idque ex vſu, & praxi omnium timoratorum nobis conſtat. Quod exemplo Sanctæ Thereſiæ, quæ ex præcepto ſui confeſſarij, quandoque a communione abſtinebat, & aliorum ſanctorum, ibidem comprobat. Fidelis enim de ſuo maiori profectu ſoliciti eſt, confeſſarium informare de ſtatu ſuæ conſcientiæ, & de reuerentia, vel deuotione, quam communicando, vel abſtinendo experitur, & illius poſtea conſilio ſtare. Quia primum ex ſola experientia fidelis noſci poteſt: & ſecundum per prudentiam & ſcientiam docti confeſſarij taxandum eſt. Er quidem fidelibus, qui in mortalia nunquam, vel rariſsimè labuntur, ſi de venialibus, ad ſingulas communiones, confeſsionem præmittant, ex affectu accedẽdi cũ maiore diſpoſitione, & puritate; nunquam ego communicandi licentiam negarem. Vnde vt notat P. Fagundez *in 5. præcep. Eccleſiæ, lib. 3. cap. 7.* [Nimius cẽſeri non debet, ſi quis dignè & deuotè quotidie communicet; vt mos erat in primitiua Eccleſia: In ea tamen requiritur ſapientis, ac prudentis confeſſarij arbitrium. Enim verò in re tanta non decet hominem eſſe arbitrum in propria cauſa: prudens verò confeſſarius ad hoc non requirat in homine fragili, & luteũ vas portare, diuinam, aut Angelicam puritatem; ſed ſatis eſt ea conſcientiæ diſpoſitio, quæ de præteritis peccatis habeat iuſtã accuſationem, & dolorem; de præſentibus non habeat delectationem, de futuris propoſitum non re incidendi, & amplius Deum non offendendi; ſic enim humilis, & deuotus accedet, deuotio enim non eſt dulcis delectatio appetitus; ſed eſt promptitudo quædã ad exercenda opera diuini cultus, vt docet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 84. & Caietanus ibi, & Henriquez *lib. 8. de Euchariſtia, cap. 53. numer. 2. in fine.*] Hactenus Fagundez. Verùm regula 26. Sacerdotum noſtræ Societatis, me cogit, eos admonere, ne crebriùs, quam octauo quoque die accedant, præſertim ſi matrimonio ſint coniuncti.

QVÆSTIO III.

Vtrùm præceptum communionis ſit diuinum? an Eccleſiaſticum? vbi quid de Viatico.

1 NVllum eſſe diuinum communionis præceptum, ſed tantum Eccleſiaſticum, docent nonnulli; ita Alexander *4. part. quæſt. 11. memb. 2. art. 4.* Bonauentura *in 4. diſt. 12. 2. part. diſt. art. 1. q. 2.* Cartuſianus, Gabriel, Graffius, Chamerota, M. Ferrara, & alij apud Leandrum, *tom. 2. de Euchariſtia, tr. 7. diſp. 2. q. 1.* & apud Dianam *part. 3. tract. 6. Miſc. reſol. 95. & p. 9. tract. 9 reſol. 46.* Quibus adde M. Dominicum Balthanás *in Margarita Confeſſorum, fol. 195.* & quod magis, ita docet D. Thomas *in 4. diſt. 9. q. 1. art. 1.* licèt poſtea retractauerit, vt notat Caietanus *3. p. q. 80. art. 11.* dicens: [Author in 4. ſententiarum, *diſt. 9. q. 1. art. 1.* tenet communionem non eſſe ex Chriſti, ſed ex Eccleſiæ præcepto neceſſariam. Sed tutior apparet via authoris hic, quamvis cogens ratio non appareat.] Hæc Caietanus. Sed Angelico Præceptori ad mutandam ſententiam cogens apparuit ratio: inquit enim, vbi ſuprà: [Manifeſtum eſt, quod homo tenetur hoc ſacramentum ſumere, non ſolum ex ſtatuto Eccleſiæ, ſed ex mãdato Domini.] Vnde miror, quod Caietanus hæſitauerit, cum Diu. Thomas, poſt rem maturius conſideratam, dixerit *eſſe manifeſtum.* Et magis; quod Sylveſter oppoſitum expreſſe teneat, *verb. Euchariſt. 3. §. 1.* dicens: [Quia ſumptio Euchariſtiæ, non eſt de neceſsitate ſecundum ſe, ſed ex ſtatuto Eccleſiæ, ſecundum D. Thomam *in 4. diſt. 9.* ideò verius eſt hoc (nimirũ omittere communionem in articulo mortis) non eſſe mortale.] Hæc ille: ſed non abſque iniuria vtitur principio, quod tanquam falſum retractauerat D. Thomas. Vnde Valentia, *diſp. 6. q. 8. punct. 4.* dixit, [iam nullum Catholicorum contrariũ dicere.] Extant enim verba præcepti Chriſti Domini Ioannis 6. *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, &c. Non habebitis vitam in vobis.* Et inſuper ex Tridentino *ſeſſ. 13. cap. 2.* dicente. *Ipſius ſumptione colere nos ſui memoriam præcepit.*

cepit. Eſtque communis Theologorum ſententia, quam docuit Innocentius III. *libr*. 4. *de Myſterijs Miſſæ*, *cap*. 21. videantur Cardinalis de Lugo *diſput*. 16. *numer*. 2 & P. Dicaſtillo *tract*. 4. *de Euchariſtia*, *diſput*. 10. *num*. 4.

2 Nec audiendus eſt Caietanus, de cuius ſententia M. Ambroſius Catharinus, in annotationibus, *lib*. 5. *de Sacramento Euchariſtiæ*; ſic fatur. [Circa Sacramentum Euchariſtiæ, quod in commentario *ſuper* 3. *p*. *q*. 8. *art*. 11. & ſuper Ioannem, *cap*. 6. concludit, ſcilicèt illa Domini verba: *Niſi manducaueritis*, *&c*. Non attinent ad ſacramentalem manducationem: propter inſtantem, & horribilem hæreſim, annotare compulſus ſum. Quoniam, & in hanc ſententiam conuenere Lutherus, & cæteri Hæreſiarchæ noſtri temporis, contra communem Sanctorum, & Theologorum ſententiam.] Hæc Catharinus.

3 Semel autem ſtatuto certiſsimum eſſe dari præceptum diuinum communionis, reſtat inueſtigandũ, quo tempore obligat? M. Martinus de Ledeſma 1. *part*. 4. *q*. 21. *art*. 11. *dub*. 2. ſtando, inquit, in ſolo iure diuino, ſufficit ſolum ſemel in vita communicare.] M. Dominicus de Soto *in* 4. *diſt*. 12. *q*. 1. *art*. 8 *§*. *ſolutio autem*. [Sumere ſacramentum in articulo mortis, fortè non eſt præceptum diuinum ſed ſumere illud in vita,] idem ſentiunt Caietanus, Ledeſma, Victoria, Paludanus, & alij apud Suariũ *diſp*. 69 *ſect*. 3. qui aſſerũt, ſiquis iam ſemel in vita cõmunicauit, non amplius teneri præcepto diuino: quibus adiunge M. Dominicum Balthanàs *in Margarit*. *Confeſſor*. *fol*. 195. Et quod non ſit præceptum diuinum communicandi in articulo mortis, ſed tantum Eccleſiaſticum tradit P. Bauni *in Theolog*. *Moral*. *tr*. 5. *de Euchariſt*. *q*. 14. vbi ſic. [Contendunt alij ſumptionem hanc, non ad diuinam, ſed ad Eccleſiaſticam inſtitutionem referendam eſſe. Quibus ego calculum meum adiungo. Quia, quæ ſunt iuris diuini, priuari nemo poteſt. Sed apud multas gentes mos invaluit, vt vltimo ſupplicio afficiẽdis negetur Euchariſtiæ perceptio; non eſt ergo iure diuino ſub finem vitæ frequentanda communio.]

4 Addunt alij nullum eſſe præceptum, nec diuinum, nec Eccleſiaſticum communicandi in articulo mortis, ita nonnulli apud Dianam 3. *part*. *tr*. 4. *reſol*. 40. vbi ſic ſcribit. [Notandum eſt tamen hic obiter, D. Bonauenturam, Paludanum, Caietanum, Armillam, Victoriam, Ledeſmam, & alios docere, non eſſe mortale, omittere Euchariſtiam in mortis articulo, niſi adſit contemptus.] Idẽ tenet Sylveſter, cuius ſententiam ſic proponit M. Sotus *in* 4. *diſt*. 12. *q*. 1. *art*. 11. §. [attamen opinio.] [Vtrùm verò articulus mortis ſit tempus, quo ex præcepto teneantur fideles, ſacramẽtum hoc ſumere? Eſt dubium: Sylveſter namque, *verb*. *Euchariſtia* 3. §. 1. ſentit nullum eſſe præceptum; quare licèt quis, inquit, per negligentiam in articulo mortis Viaticum non ſumat, nullum incurret peccatum mortale. Adrianus autem cõtrarium cenſet, &c. De hac verò re neſcio, an certa poſſit ſententia conſtitui. Inprimis enim nullum extat, aut diuinum, aut humanum præceptum de hac re expreſſum. Canon enim ſolum iubet in Paſchate communicãdum.] Sic ille Licèt contrariam ſententiam tueatur ratione vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudinis perhibendi Viaticum infirmis; quod, inquit: [Magnum documentum eſt, tanquam diuino iure præceptum deſcendiſſe.] Cum Sylveſtro ſentit M. Martinus de Ledeſma 1. *p*. 4. *q*. 21. *art*. 11. *dub*. 2. vbi ſic inquit. [Dubitatur, an ſit de præcepto, quod ægrotantes ſumant Euchariſtiam? Sylveſter dicit, quod nullum eſt peccatum, ſaltem mortale: & ita tenendum, quia non eſt aliquod præceptum in contrarium.] citatos ſequitur M. Dominicus Balthanàs *in Margarita Confeſſorum*, *fol*. 195. vbi ſic ait. [In articulo mortis non communicàns peccat, ſed non mortaliter, niſi adſit contemptus. Quia quamvis valdè ſecurus exeat de mundo, qui ſumpſit Viaticum; non tamen ad hoc ſub præcepto tenetur; ſed iuri diuino ſatisfacit, qui ſemel in vita communicauit, licèt ad hoc ſub pœna mortalis nemo videatur teneri, cum Euchariſtia non ſit ſacramentum neceſsitatis, ſicut pœnitentia poſt mortale, iuri autem poſitiuo ſatisfacit communicando in Paſchatæ.] Hæc ille: cui, quoad vltimam partem conſentiunt alij aſſerentes eum, qui tempore Paſchatis communicauit, nullo teneri præcepto ad communicandum in articulo mortis. Ita Rodriguez *de communione*, *cap*. 64. *n*. 3. Graffius 1. *p*. *lib*. 2. *cap*. 38. *num*. 23. Chamerota *cap*. 10. *de Euchariſtia*, *dub*. 1. M. Victoria *in ſumm*. *de Euchariſt*. *num*. 85. *fol*. *mihi* 67. & alij; quorum opinionem probabilem putat Leander a Sacramento *tom*. 2. *tr*. 7. *de Euchariſt*. *diſp*. 2. *q*. 4.

5 Dicendum tamen eſt dari præceptum communionis in articulo mortis; hæc concluſio certiſsima eſt, & contrariam mereri cenſuram, ait Vincentius Baronius 2. *p*. *Manuductionis*, *fol*. 258. Probatur primò: ex Cõcilio Niceno *canon*. 13. & habetur *canone de his* 26. *q*. 6. vbi ſic dicitur. [De his verò, qui recedunt ex corpore, antiquæ legis regula obſerbabitur etiam nunc, ita vt ſi fortè quis recedit ex corpore, neceſſario vitæ ſuæ Viatico non fraudetur.] Cuius loci mentione facta in Tridentino *ſeſſ*. 13. *cap*. 6. loquente de

Eucha-

Euchariſtia ſeruanda,& infirmis impertienda,ſic dicitur[tam multis concilijs præceptum inuenitur,& vetuſtiſsimo Eccleſiæ more eſt obſeruatum. Quare Sancta hæc Synodus retinendum omnino ſalutarem hunc & neceſſarium morem ſtatuit.] Quid clarius pro præcepto Eccleſiaſtico communicandi in articulo mortis? Quod non ſolùm in Concilijs exprimitur,ſed adeò antiquum eſſe dicitur,vt præceptum diuinum non leui fundamento Doctores communiter inde deducant: cum enim Concilia teſtentur id eſſe *vetuſtiſsimo Catholicæ Eccleſiæ more obſeruatum*,& initium ignoretur;prudenter iudicare poſſumus ita fuiſſe à Chriſto Domino mãdatum:maximè accedente communi ſapientum conſenſu, & Summi Pontificis Pij V. motu proprio edito *anno* 1589.in quo præcipitur delinquẽtibus omnibus ſupplicio mortis afficiendis viaticum conferendum; cuius ſtatutum Philippus II.Hiſpaniarum Rex nona lege firmauit, iudicibus ſuis præcipiens non ſolum,vt detur communio reo,ſed quod non afficiatur ſupplicio niſi poſt viginti quatuor horas à ſuſcepta communione. An verò qui pridie,iuxta huius legis tenorem, communicauerit, poſsit etiam ipſo die mortis iterum communicare; affirmant nonnulli, quos ſequitur Diana *3.p.tr.6.reſ.59.& 5.p. tr.3.reſ.38.* imò addunt poſſe vna hora ante ſupplicium Euchariſtiam illi miniſtrari. Et mihi placet, quia certum eſt ſpecies Sacramentales, poſt horam eſſe corruptas, ac proinde nullam in hoc irreuerentiam reperio. Ita etiam cenſent Ioannes Sanchez *in Selectis diſp.* 40.*n*.4. P. Sà *verb. Euchariſtia n.* 2. Dicaſtillo *de Euchariſtia tr.4. diſp.*10.*dub*.2. *n*.26.& fauet M.Sotus *in 4.diſt.* 12.*q*.1. *art*. 2. vbi non nihil irreuerentiæ dicit interuenire,*ſi illico* poſt comunionem ad ſupplicium raperetur.Nil ergo ſi poſt horam,vt benè ait Diana ſupra.

6 An verò infantibus, qui ſunt capaces confeſsionis, ſit etiam in articulo mortis, ex præcepto Eccleſiæ, Euchariſtia conferenda?Non conueniunt Doctores.Nam qui ſentiunt præceptum Eccleſiæ de communione, in ea ipſa ætate obligare, qua præceptum confeſsionis, conſtanter aſſerunt debere in Paſchate,& in articulo mortis Euchariſtiam illis miniſtrari. Quod probant ex Concilio Lateranenſi *cap. omnis vtriuſque ſexus.* vbi quoad vtriuſque Sacramenti receptionem, eadem ætas diſignatur;ſic licèt poſt quam fidelis ad annos diſcretionis peruenerit, id eſt ſeptenium expleuerit.Ita Paludanus, S. Antoninus,Tabiena,& alij,quos refert,& ſequitur IoannesSanchez *in Selectis diſp.*26.Quibus adde Caſtrum Palao *tom.* 1.*tr*.3. *diſp*.1. *punct*.24.§.2.*n*.7. & Philippum de la Cruz *in Theſaur.Eccleſ.tract.*1.§.11.*numer.* 3. & alios,quorum ſententiam putat probabilem Diana 3. *part.tract.*6.*reſol.*70.*in fine.*

7 Alij verò annos diſcretionis ad communionem,aliter numerant, quam ad confeſsionem.Sunt enim, qui ad illos non perueniri cenſeant,vſque ad decimum,vel duodecimum, imò & vſque ad decimumquartũ, vt videre licèt apud Dianam 5.*p.tr.* 14. *reſ.* 50.Iſti ergo Doctores, & alij,qui maiorem diſcretionem ad communionem, quam ad confeſsionem requirunt,exiſtimant infantes non teneri ad Euchariſtiam in articulo mortis, niſi in ea ipſa ætate, qua extra illum in Paſchate,iudicio prudentis confeſſarij cenſerẽtur obligati:illius enim iudicio anni diſcretionis ad communionem ſunt computãdi,iuxta communem Doctorum conſenſum, & vniuerſalem Eccleſiæ cõſuetudinem: quidam enim maturius,alij tardius, ad prædictam diſcretionem veniunt. Ita P. Vazquez *tom.3.in 3.part.diſp.214.cap.4.* P.Fagundez *præcep.3. lib.* 1. *cap.5.num.* 20. Ochagauia, Granado,Meratius,Hurtado,&alij,quos refert Dicaſtillo *tract.4.diſput.*10.*dubit.5.numer.*110.

8 Cæterum,ego cum Suarez, Dicaſtillo, & alijs exiſtimo, prædictis pueris,ſi capaces ſint confeſsionis,miniſtrandam eſſe Euchariſtiam in articulo mortis, neque maiorem diſcretionem in hoc caſu exigendam: quia vt benè ait Dicaſtillo ſuprà,nec Eccleſia,aut proprius Sacerdos debet pro eo ſtatu,& articulo,illos incapaces iudicare; nec enim pro illo locum habere poteſt extenſio, ſeu facultas cõceſſa *cap.omnis vtriuſque ſexus* de differenda communione, de proprij Sacerdotis conſilio: tunc enim non eſſet ad tempus differre,ſed abſolutè omittere,morte ſuperueniente,ita P.Suarez *diſp.* 70. *de Euchariſt. ſect.*1.*in fine.*Caietanus, Armilla, Præpoſitus,Perlinus,Caſtro Palao,Baldellus, Salas, Bonacina, Reginaldus, Henriquez, & alij, quos citaros ſequuntur Dicaſtillo ſuprà *numer.* 112. & Diana 5.*part. tract.*18.*reſolut.* 44.

9 Horum Doctorum ſententia pro ſolo articulo mortis procedit,ego verò cum Ioãne Sanchez *in Selectis,diſ.*26.ſemper cenſui, experientia edoctus, non minorem diſcretionem ad confeſsionem,quam ad communionẽ eſſe requiſitam;ac proinde omnes Chriſti fideles in ea ætate,qua ad confeſsionem, ad communicandum in Paſchate,ex præcepto Eccleſiæ conſtrictos eſſe, niſi fortè,vt decernitur *cap.omnis vtriuſque ſexus,* [de proprij Sacerdotis conſilio,ob aliquam rationabilem cauſam,ad tempus ab huiuſmodi perceptione duxerit abſtinendum.]Ratio eſt;nã licèt narrare peccata grauia commiſſa, vt

talia

talia cognita, facilius ſit, quam diſcernere panem Euchariſticum ab alijs cibis;& latentem ibi Chriſtum credere: dolorem vero de peccatis commiſsis elicere, & propoſitum efficax non peccandi de cætero; ex motiuo ſupernaturali fugiendi pœnas inferni,& ſpem veniæ concipere(ad quos actus fides ſupernaturalis eſt neceſſaria)non minus difficile eſt, quam diſtinguere inter cibum corporalem; & ſpiritualem; & Chriſtum Dominum ſub ſpeciebus panis, & vini, occultum manētem credere. Vt omittam communionem in gratia ſuſceptam ſemper eſſe proficuam ex opere operato, licet infanti præfata diſcretiò deficiat, vt conſtat ex dictis *1.p.Select.tr.4.q.7.n.2.* ſecus vero confeſsio abſque dolore ſupernaturali,qui eſt pars eſſentialis huius ſacramenti; ob cuius defectum non ſolum infructuoſum,& invalidum eſt, ſed quandoque graue peccatum in eius ſuſceptione invenitur. Non ergo eſt cur ad communionem incapax cenſeatur; qui ad confeſsionem talis non eſt, & ita cenſet P. Andræas Mendo in epitome opinionum moralium, verb. *Lex, n.25.* dicens [meo iudicio non minus requiritur,vt infantes cōfeſsionem faciant, quam vt Euchariſtiam ſumant] ſic ille citans pro hac parte Valentiam *4. tom.diſp.6. quæſt.8. part.2.*

10 Addit Ioannes Sanctius *diſp.26.citat. n.4.* non ſolum veram eſſe, noſtram ſententiam, [ſed, ſi recte perpendantur præcepta, maior diſcurſus ad confeſsionis, quam ad communionis præceptum requiritur, vt expreſsè inquit D. Thomas *opuſc.65.§. de Euchariſtia*]Verba D. Thomæ ſunt. [Si vero aliqui pueri de Parrochia Sacerdotis venerint ad communicandum in feſto Natiuitatis, vel Reſurrectionis Domini,& tantæ adhuc inocientiæ ſint, quod nullo adhuc grauati ſint graui peccato, & ſint tantæ diſcretionis, & compunctionis, quod ſumant cum aliqua reuerentia, & timore, poteſt Sacerdos dare eis Corpus Chriſti poſt aliqualem confeſsionem,quæ inducit in illis deuotionem, & aſſuefactionem confitendi, (attende:) quia licet nō habeant actualem diſcretionem confitendi & conferendi, tamen in ipſis operatur Sacramentum, cum non inueniat obicem malitiæ in eis.]Hactenus D. Thomas. Cuius tamen authoritate, ad meam ſententiam promouendam non vtor:tum, quia non maiorem ego, ſed æqualem diſcretionem ad vtrumque Sacramentum ſufficere, cum citatis authoribus,doceo:tum,quia *opuſc. 65. vt ſpurium* ab operibus D. Thomæ eradendum, ait Vincentius Baronius *2 p. Manuductionis diſp.2.ſect.3.* licet Paulus Nazarius *in opuſculo de ſcriptis* D. Thomæ Aquinatis *fol. 12.* dixerit [inter opuſcula D. Thomæ, ea quæ minoribus excuſa ſunt charateribus (quale eſt iſtud) tanquam dubia recipienda.]

11 Quoad ætàtem verò ad obligationē confeſsionis, & communionis requiſitam, diximus ſupr.tr.3.diſp.1.q.12.num. 5. ſtandum eſſe conſuetudini ſingulis locis receptæ,in aliquibus enim locis tardius,quam in alijs diſcretio ſufficiens in pueris dignoſcitur: ſemper tamen curandum, vt poſt ſeptennium ad confeſſarium pium & doctum mittantur, qui de ſufficientia ad abſolutionem poſſet iudicium ferre,&ideò ad communionem inſtruere,quæ, iuxta dicta, eodem tempore, ſeu ætate obligat; ni fortè conſuetudo aliud introduxerit, nam cum hæc præcepta quoad temporis determinationem, Eccleſiaſtica ſint; vtrumque poteſt latitudinem aliquam per conſuetudinem admiſſa, cui abſque vllo peccato ſtari poteſt, non obſtante Conſtitutione Concilij Lateranenſis, *cap. omnes vtriuſque ſexus.*

QVÆSTIO IV.

Vtrùm parentibus iniuriam inferat, qui non vi,ſed precibus,& promiſsis, ſpontaneam fugam a domo paterna filiæ ſuadet, vt contrahat contra voluntatem Patris?

1 QVæſtio hæc omnino affinis eſt alteri, an puella inuitis parentibus cōtrahere poſsit? Si enim id concedatur; non leuiter inde concludetur, ſuadentem ſpòntaneam fugam, cum aliter matrimonium celebrari non poſsit, non peccaturum; quando quidem rem licitam conſulit,& medio licito obtinere prætendit. Ideo illa primum decidenda. In qua.

2 Prima ſententia abſolute defendit fœminam non peccare, ſi contra voluntatem patris matrimonium contrahat. Et videtur D. Thom. *2.2.q.104.art.5.* in corpore [Omnes homines, inquit, natura ſunt pares in his, quæ pertinent ad corpòris ſuſtentationem,& prolis generationem; vnde non tenentur, nec ſerui dominis, nec filij parentibus obedire, de matrimonio contrahendo, vel virginitate ſeruanda.]Idem tenent Caietanus *ibidem* dicens: [Nullus homo in his, quæ ad naturam ſpectant, habet poteſtatem ſuper alium.] Et cum D. Thoma ſentit Scotus *in 4 diſt.29.q.1* & alij; quos refert Thomas Sanchez *lib.4. de Matrim. diſp. 23. num.* 10. vbi ſic ſcribit: [Idem videntur expreſsè tenere Gloſſa, Hoſtienſis; Suarez,& Matienço, qui docent; textus petentes conſenſum parentum ad filiorū matrimonium, procedere ex honeſtate, non

cx

Digitized by Google

ex neceſsitate. Idem videntur tenere Ioannes Luppus cap. *per veſtras, de donationibus inter virê: & vxorũ*, vbi ait: filiam liberam eſſe, vt etiam ante vigeſimum quintum annum, nubat indigno, ſine patris conſenſu; nec alias liberas matrimonij impediatur, deturque anſa fornicandi. Idem expreſsius videtur tenere Couarr. 4. *decret. 2. p. cap. 3. §. 8. num. 1.* vbi ait, honeſtum eſſe filias parentum conſenſum, in Matrimonio contrahendo, exigere; & *num. 5.* nemini iniuriam facere filiã, quæ iure permittente, matrimonium ſine patris licentia contrahit.

3 Eandem ſententiam expreſsè tenet M. Ioannes Viguerius, *lib. inſtit. c. 16. §. 7. verſ. 6.* dicens: [Matrimonium adeò liberum eſt, quod filius, & filia ad præceptum patris contrahere non tenetur cum aliquo, vel aliqua; immò cum alio, vel alia, etiam patre, & matre inſcijs, & renitentibus, cõtrahere poteſt; quia in matrimonio eſt perpetua ſeruitus, ad quam filius, qui liber eſt, cogi non poteſt, nec etiam impediri] Cui conſentit M. Victoria in ſum. vbi *de Matrim. num 271. fol. mihi 208.* ibi: [Vtrùm filij peccent mortaliter contrahentes ſine conſenſu parentum? Reſpondeo, quod liberi contrahentes ſine conſenſu Parentum, immò etiam ipſis invitis, nõ peccant mortaliter, ſecluſo ſcandalo; quia licèt teneantur eis obedire, non tamen in matrimonio, in quo vno ſunt domini ſui.] Quibus convenit Machado *tom. 2. libr. 6. p. 7. tr. 7. doc. 16. num. 3.* vbi ſic: [Queda, pues, controuerſo entre los Doctores, ſi caſarſe el hijo, ò hija por ſu guſto, ſin cauſa juſta, contra la voluntad de ſus padres ſea pecado mortal? Santo Thomas, y otros ſienten, que no peca, y eſto, aunque ſe caſe con perſona indigna: porque de lo contrario ſe ſeguirà impedirſe la libertad del matrimonio; y juntamente afirman, que los textos, que piden conſentimiento de los padres, para que los hijos ſe puedan caſar, proceden, *ex honeſtate, non ex neceſsitate.*]

4 His Doctoribus adhæret P. Bauni *tom. 1. tr. 12. de impedim. raptus, fol. 721.* Dũ abſolutè tradit: [puellam, fuga ſpontanea à domo paterna, vt matrimonium contrahat, ius patrium non lædere, ſicut nec, qui precibus ei ſuadet: nec raptorem eſſe, qui puellam rapuit invitis parentibus, conſentientem, & volentem, & matrimoniũ cum raptore ambientem] Quod probat *ex extrau. de Raptorib. cap. 6.* Et eſt conſequentia legitima ex præiacta D. Thomæ, & aliorum opinione, quam proinde omnes ſuprà citati amplecti tenentur. Nã cui licèt finis, licitũ etiã eſt medium vnicè neceſſarium ad illum conſequendum.

5 Secunda ſententia primam limitans docet, exiſtente iuſta cauſa, & non aliter poſſe filiam, invitis parentibus, contrahere. Cauſam autem iuſtam reputat, ſi Pater iniuſtè prohibeat filiæ matrimonium illud, quod appetit inire; vel eſſet negligens in tradendo filiæ marito (vt quia iam vigeſimum quinrum annum exceſſit) aut pater vellet filiam ducere virum imprudentem, aut durioris cõditionis, aut indignum, &c. Ita Veracruz, Corduva, Vega, & alij, quos ſequitur Sanchez vbi ſup. *n. 8.* & Ludovicus Lopez *part. 1. inſt. c. 54 §. aduerte.* Et eſt communis Doctorum ſententia apud Machado, *tom. 1. lib. 6. p. 7. tr. 7. doc. 16.* vbi ſic: [Todos los Doctores convienen, y enſeñan por regla general, q̃ ſi los hijos tienen alguna juſta cauſa par a caſarſe contra la volunrad de ſus padres, en ninguna manera pecan, porque entõces vſan de ſu derecho.] Quibus conſonat M. Zanardus *1. p. vbi de honorandis parentibus, c. 4. §. 5.* dicens: iuſtam eſſe cauſam nubendi cõtra voluntatem patris: [Si pater velit illi dare indignam, vel deformem perſonam, vel pulchræ iuueni ſenem, & idem dicimus ſi filius, vel filia eſſent ſub cura novercæ multũ moleſtæ.] Et vniuerſaliter iuſtam cauſam, ad excuſandum a mortali inobedientiam, exiſtimat; ſi dignum, vel dignam ducere velit. Sic vbi ſuprà *fol. 530.* [Quintò, inquit, nec etiam ſub mortali tenentur obedire parentibus filij, quoad vxores, & filiç, quoad maritos ducendos; dummodo prim o dignũ, vel dignam ducant.] Cui faciunt Navarro, Azebedo, Henriquez, Capua, Philiarcus apud Sãchez ſuprà *n. 9.* dum filios contrahentes, invitis parentibus, ſolùm damnat culpæ lethalis, quando indignum, vel indignam duxerint.

6 Tertia ſententia aſſerit, teneri filios ſub læthali, conſilium parentum circa matrimonium petere, non tamen ſequi, & ita licitè poſſe, illis invitis, priùs tamen conſultis, inire matrimonium, quod appetunt. Hãc tenet Thomas Sanchez *n. 10.* cum Menochio, Gutierrez, & alijs. Quibus (limitatione adhibita) conſentit Trullench *in decalogum, tom. 1. lib 4. cap. 1. dub. 2. n. 13.* vbi ſic: [Dico filium teneri patrem conſulere, ſi cõmodè fieri poteſt, & non longè abeſt, aut ſi non timet malitiosè impedimentum, non tamen tenetur conſilium ſequi, niſi ducat indignam. At ſi ducat dignam, non tenetur ſequi patris voluntatem.] Sic ille, quem ſequitur Diana *p. 6. tr. 7. reſol. 21.*

Hæ ſunt Doctorum ſententiæ.

§. Vni-

§. Vnic. *Authores iudicium.*

7 DIco primò de ſtatu eligendo nõ tenetur filius, nec filia patrẽ conſulere, quia in hac parte ſui iuris ſunt, & cum ad bonum animę hæc electio fieri debeat, cõfeſſarius potiùs, quam parentes conſulendus venit. Sic cõmuniter DD. Nec aliud intendit D.Thom. verbis ex illo datis *n.* 2. recole.

8 Dico ſecundò, ſi filius, vel filia ſtatum matrimonij elegerit, conſilium confeſſarij prudentis eſſe oportet, quia imparia cõnubia infœlices exitus habere ſolent. Vnde Ovid. in epiſtol. Deianiræ ad Herculẽ. *Si qua voles aptè nubere, nube pari.* Et vt docet Leo Pontifex *epiſt.* 70. ad Ruſticum. *Nuptiarum fœdera inter æquales legitima ſunt*: quaſi contrarium ſit inter inæquales. Et inter Romanos Nuptiæ inter impares illegitimæ habebantur; vt teſtatur Boecius in Cõmentarijs Topicorum Ciceronis. His ergo confeſſarijs cõſilium cõforme eſſe debet. Et inſuper adverte, quod ſi ex electione perſonæ, rixæ, & ſcandala, vel magnum parẽtibus dedecus ſubortura prudentiſsimè timeantur; peccant mortaliter, ſi eiuſmodi matrimonium contrahant. Ratio eſt, quia libertas aliud eligẽdi ipſis remanet, & pietas erga parentes ad hanc iniuriam illis non irrogandam obligat, ſicut, & charitas erga proximos ad mala immenentia auertẽda, quãdo ſine mano incõmodo fieri poteſt. Vnde apud omnes nationes grauis iniuria parentibus illata cenſetur, ſi huiuſmodi matrimonia, illis inſcijs, aut inuitis, contrahant.

9 Hinc filij parentes cõſulere tenentur, & potiori iure filiæ, quia forſan in electione perſonæ malum aliquid latet, quod ſolis parentibus notum eſt: atque adeò ex obligatione vitandi rixas, & ſcandala, aut familiæ, & generis dedecus, neceſſario oritur naturale debitũ illos conſulendi, quibus, ni aliunde à veritate deuiare cognoſcantur; fidem adhibere, & eorum conſilijs, quoad illud matrimonium non ineundum, aquieſcere debent. Aliàs ad quid conſilium petendum? ſi de malis adhuc imminentibus, & de graui familiæ inhonoratione, filius admonitus non teneretur patris ſtare conſilijs, & a matrimonio tentato deſiſtere.

10 Si verò in matrimonio, in quod filius, vel filia inclinantur, auertendo; parẽtes abſque rationabili cauſa procedant, eorum cõſilijs filij ſtare non tenebuntur; quia irrationabiliter conſenſum nõ præſtant, aut filiorũ voluntati reſiſtunt, v. gr. quando ob ſolùm dotis augmentum, vel nobilioris familiæ cognationis ambitum, cõtra naturalem inclinationem contrahentium, aliud matrimonium ſuadẽt, eius primariũ finem nõ reſpicientes, ſed alios extrinſecos generationi prolis nõ fauentes. Vnde infertur, quod filia nõ tenebitur ſequi patris conſilium, etiã, vt æquali, vel nobiliori nubat, ſi iſte bonis moribus præditus nõ ſit. Nam, vt ait Rufinus *in vit. S. Eugeniæ, tom.* 1. vit Sanct. Patrum. *Moribus, non natalibus maritus eligendus eſt, ipſo enim, non eius parentibus vtendũ eſt.* Cui facit illud Senecæ ad Gallionem in lib. de remedijs fortuitorum. [*Inuenies bonam vxorem, ſi nil quæras, niſi bonam; dummodo, ne imagines, proauoſque reſpexeris, nec patrimoniũ, cui iã ipſa nobilitas ceſsit.*] Sic tũc Seneca. Quid modo!

11 Ex quibus conſtat, non raro poſſe filias, invitis parentibus, matrimonium contrahere, vel quia irrationabiliter hi prohibent, ſeu conſenſum nõ præſtant, vel quia nõ tenẽtur ad eorum voluntatem, in matrimonio contrahendo, attendere, quando nullum ex eo graue damnum imminet.

12 Ex his fundamentis titulo præſentis quæſtionis directè reſpondeo; Quoties liceat filiæ abſque parentum conſenſu, petito conſilio, matrimonium contrahere, licitum etiã illi erit medium proportionatum ad finem conquendum aſſumere, ac proinde, & fugam à domo paterna, ſi aliter conſequi nõ poſsit. In quo caſu non erit illicitum eiuſmodi ſpõtaneam fugam illi conſulere.

13 Rogabis, an filia cõtrahens, invitis parẽtibus, ex hæreditari poſsit? Reſpõdeo negatiuè, nã quando abſq; peccato cõtrahit, eſſet apertè iniuſta lex: quia metu pœnæ incurrẽdæ a licitis etiã nuptijs retraheretur, nõ leui libertatis læſione, cũ iuſtitiã cauſæ diſcernere litibus nõ expoſitã difficilè cuiq; ſit. Vide P. Sãch. *li.* 4. *diſp.* 34. & 35. vbi multis probat, leges Hipaniæ, quæ hãc poteſtatẽ parentibus cõceſſerũt, nõ fuiſſe vſu receptas, imò & fuiſſe poſtea correctas, nõ ſolũ iure Regio, ſed etiã Canonico. Pro qua opinione innumeros refert, quos ſequitur Dian. cũ alijs duodecim *p.* 1. *tr.* 2. *reſ.* 74. cõcludẽs: [vnde de illa nõ eſt dubitãdũ, vt ex alijs iuribus, & rationibus probat Martha.] Fr Machad. *to.* 2. *lib.* 6. *p.* 7. *tr.* 6. *doc.* 19. prædictas Hiſpaniæ leges cõcedentes patri ex hæreditare filiã cõtra eius volũtatẽ nubentẽ, cũ alijs improbat dicẽs: [Couarr. y otros Authores imprueban las dichas leyes, porq̃ diſponen de coſa eſpiritual, a que no ſe eſtiende ſu facultad, y por conſiguiente ſon contra la liberrad Ecleſiaſtica.]

14 Deniq; in hac parte aduertẽdũ eſt, grauiter peccare parẽtes, qui abſque iuſta cauſa, matrimoniũ filiorũ impediũt; vt bene docẽt M. Petr. de Sot. *lect.* 3. *de matr.* §. *Tertio etiam*; M. Ludov. Lopez 1. *p. inſtruct. cap.* 44. & alij, quos citatos ſequitur Thom. Sanch. *lib.* 4. *de matr. diſp.* 22. *n.* 6. Quorũ ſententiã dicit eſſe comunem Machad. *tom.* 2. *lib.* 6. *p.* 7. *tract.* 6. *docum.* 18 quorum ratio eſt, quia filius circa electionem ſtatus eſt ſui iuris. Hoc

tamen non tollit, poſſe patrem medijs ſuauibus filij matrimonium impedire, quando alias filius ratione fidei præſtitæ ad illum nõ tenetur.

15 Dubitant nonnulli, an iniuſtè impedientes incurrant excommunicationem latam in Tridentino *ſeſſ. 24. in decreto de reformatione, cap. 9.* vbi id prohibet; ſub anathematis pœna, quam ipſo facto incurrat? Affirmant Ludovic. Lopez vbi ſuprà, & alij, quos ibidem refert Sanchez; ſed melius ipſe negat cum communi ſententia; quia decretum Tridentini tantum loquitur de dominis temporalibus, & Magiſtratibus, & alijs iuriſdictionem in foro externo habentibus, qualem parentes in filios non habent. Sic enim ait: *Ita plerumque temporalium domi orum, ac Magiſtratuum mentes, oculos terreni affectus, atque cupiditates excitant, vt viros, & mulieres ſub eorum iuriſdictione degentes, maximè diuites, minis, & pœnis adigant, cum his matrimonium inuitos contrahere, &c.* Non ergo pœna excommunicationis ad alios extendẽda, vt pluribus probat Sanchez loco citato. Vt omittam hoc Tridentini decretum non videri contra dominos temporales, & Magiſtratos impedientes matrimonia, ſed contra cogentes *inuitos contrahere*. Et quamvis pœna excommunicationis ibi impoſita omnes *cuiuſcumque gradus, dignitatis, & conditionis exiſtant*, comprehendat: eis tamen Sãcta Synodus ſolum præcipit ſub anathematis pœna; *ne quouis modo directè, vel indirectè ſubditos ſuos, vel quoſcumque alios cogat, quo minus liberè matrimonia contrahant.* Quę etia verba non videntur dirigi ad impedientes hoc, vel illud matrimonium, ſed ad cogentes ad aliquid contrahendum; ſed de hoc Sacra Cardinalium Concilij interpretum Congregatio conſulenda eſt.

QVÆSTIO V.

An cum vxor ſeminauerit, liceat marito à copula ſe retrahere, ante conſummationem?

§. I.

1 Negatiua ſententia eſt communis Theologorum, cũ Sanchez, *diſp. 19. lib. 9. de matrim.* apud quem Caietanus, Paludanus, D. Antoninus, Tabiena, Armilla, Vera-Cruz, Graffis, & Henriquez, quos ſequitur P. Gaſpar Hurrado *diſp. 10. de matrim. diffic. 5. n. 2.* Leander *tom. 2. tr. 9. diſp. 25. q. 41.* & alij. Fundamentum eſt; quia viro ſe retrahente, ſemen fœmineum prodigitur, & fruſtratur finis generationis, ad quem natura ſua ordinatur. Vrgetur, quia ſemen fœmineum, ſi virile deficiat, non magis deſeruit generationi, quando fœmina per copulam prouocatur, ac quando per tactus; ſed viro nunquam licet illam tactibus prouocare ad emiſsionem ſeminis, ergo nec per copulam, animo non ſeminandi habitam. Secus verò erit, (inquit Sanchez *num. 6.*) ſi vir poſt fœminæ ſeminationem, animadverteret graue ſibi periculum vitæ imminere conſummationem copulæ expectanti; vt ſi fera, aut hoſtis ſuperveniret, vel ſi, coniugibus coeuntibus, ſubito adeſſent aliqui, aut ex alia grauiſsima, & vrgentiſsima cauſa. [Id autem ante acceſſum advertens teneretur (inquit) non coire: vbi tamen coiuit, ſiue advertit, ſiue non, poteſt, quo id periculum vitet, reſilire.] Quia nemo cum graui ſuo damno tenetur cooperari bono prolis, licèt nemo poſsit poſitiuè cooperari damno, ſcilicet pollutioni, vel ſeminationi fruſtrandæ.

§. II.

Affirmantis ſententiæ fundamenta duo.

2 Contrariam tamen ſententiam, (extra prædictos neceſsitatis caſus) abſolutè tenuit quidam vir doctus, apud Sanchez ſupra *num. 2.* quam ipſe eum referat, non improbat; quod ſignum approbationis videtur, iuxta ipſius Sanchez doctrinam *in ſum. lib. 2. cap. 36. n. 4.* per hæc verba: [Qui refert aliquos tenere aliquid licere, & non improbat, videtur approbare.] Ergo cũ ipſe loco citato *de matrim. n. 20.* referat, aliquos tenere, licere viro ſe retrahere à copula, vbi fœmina ſeminauit; & non improbet; non incongrue poteſt dici, prædictam opinionem approbare. Quod licèt ego non audeam, diſputandi tamen gratia eius fundamenta proponam.

3 Primum deſumitur ex his, quæ paſsim tradūt Doctores de actionibus, quæ licèt extra matrimoniũ, de peccato læthali damnentur, excuſantur tamen in coniugatis; ex eo, quod ex ſe, & ex natura ſua ordinantur ad conſummationem copulæ, licèt actu, ex intentione coniugum, nõ referantur ad illam, ſed in illis actibus, & delectationibus ſiſtere velint. Ex quo principio excuſant à læthali, inter coniuges, tactus impudicos, propter voluptatem venereã, animo ſiſtendi in ipſis, Thom. Sanchez *lib. 9. diſp. 44. num. 12.* apud quem alij 17. Doctores, inter quos Caietanus, Armilla, Sotus, Victoria, Bartholomæus de Ledeſma, & conſentit P. Vazquez *1. 2. quæſt. 74. diſp. 113. nu. 3. & 4.* quos cum Rebello, & Ægidio, ſequitur Hurrado, *diſp. 10. diffic. 10.*

4 Præ-

4 Præterea excuſant a læthali tactus, quibus coniugatus in abſentia coniugis ſe ipſum tangit, propter voluptatem captandam, abſque pollutionis periculo, Sanchez ſuprà *num.* 15. & apud illum Paludanus, & Ludouicus Lopez, [cuius ratio (inquit Sanchez) eſt, quia poſſunt referri natura ſua ad copulam coniugalem, licèt actu non dirigantur.] Quibus adhæſit Zanardus *in Direct. 1. p. 2. in explicatione ſexti, & noni præcepti*, §. [& decimo dubitatur] & plures, quos dedi *in opuſc. pro Ieſuitis, tr. de Matrim. prop. 9.*

5 Inſuper excuſant a culpa læthali, copulam ipſam, inceptam animo non conſummandi, ſed potiùs ſe retrahendi ante alterius coniugis ſeminationem, Pater Sanchez, & duodecim Doctores apud ipſum, dummodo non adſit pollutionis periculum. Quod etiam tuentur P. Sà, Baſilius de Leon, Hurtado, Filliucius, & alij, quos ſequitur Leander *tract. 9. diſp. 25. quæſt. 42.* citans Caietanum, Paludanum, & Tabienam. Quibus cõſentit Diana 3. *p. tract. 4. reſol.* 227 pro qua vltra citatos adducit M. Ioannẽ de la Cruz, D Antoninum, & Armillam; & iterum *par.* 10. *tract.* 14. *reſol.* 55. Putant enim non aliter philoſophandum de iſta copula, ac de tactibus partium verendarum: [imò vbi cauſa iuſta eſſet, ne ſeminatio noceat ſaluti; & coniuges habeant ſimilem copulam, abſque ſeminationis periculo, vt concupiſcentiam ſedent, nullam (inquit Sanchez) invenio culpam, idque colligo ex Paludano, Caietano, Roſella, D. Antonino, & Angelo, dicentibus, virum cum vxore habentem, nõ teneri ſeminare, niſi ipſa petente.] Sic Sanchez: quem ſequuntur Gaſpar Hurtado *de matrim. diſp.* 10. *diffic.* 5. Layman *in Thologia Moral. libr.* 3. *ſect.* 4. *num.* 19 & Diana 3. *part. tract.* 4. *reſol.* 227. Idem tradit Sanchez *diſp.* 44. *num.* 8. de tactibus impudicis, ſi coniuges his vtantur ad ſedandam carnis tentationem Quod tenent D. Antoninus, Paludanus, Roſella, & alij apud ipſum. Et cum Ægidio tenet Hurtado *di. p.* 10. *diffic.* 10. quos ſequuntur Ioannes Præpoſitus, & Diana, quibus citatis conſentit Vericelli *tom.* 1. *q. Moral. tract.* 4. *q.* 6. *num.* 5.

6 Ex quibus ſic conficitur argumentum; quæ ex natura ſua ordinantur ad generationem, licèt ex intentione agentis non referantur ad illam, ſed in ipſis ſiſtatur, excuſantur à culpa læthali, inter coniugatos; vt conſtat ex dictis de tactibus impudicis, & de ipſa copula incepta. Ergo ſeminatio fœminæ excitata, & occaſionata ex copula, etiam ſi à cõſilio in ea ſiſtatur, nec ad conſumationẽ copulæ referatur, excuſabitur à culpa læthali. Probatur cõſequentia, quia hæc ſeminatio natura ſua magis, & proximius ordinatur ad cõſummationem copulæ, quam ipſemet congreſſus: ergo ſi ordinari ad conſummationem natura ſua, ſufficit ad hunc congreſſum excuſandum a noxa læthali: ergo & ad illam excuſandam.

7 Vrgetur primò: Ad ſedandam concupiſcentiam, & carnis tentationem, non eſt læthale coniugatis, tactibus, & copula vti, abſque animo conſummandi, vt docent Doctores citati: ergo ad ſedandam carnis tentationem in vxore, non erit læthale viro copulam incipere cum animo ſe retrahendi; poſtquam fœmina carnis tentationem, media ſeminatione, ſedauerit; ſi enim finis prædictus honeſtus, & bonus eſt, & (vt inquit Sanchez *di. put.* 44. *citata num.* 8. *in fine.*) [Ad ipſum ordinatur matrimonium.] Cur grauiter illicitum erit, medium magis proportionatum ad illud aſſumere, quale eſt, fœminam per copulam matrimonialem ad ſeminationem prouocare? quia licèt deficiente virili ſemine, primarius matrimonij finis, nempè generatio, non conſequatur; obtinebitur tamen ſecundarius, qui eſt concupiſcentiæ, & carnis ſedatio. Probatur, quia ſteriles rectè poſſunt abſque vlla culpa coitũ habere: quod certiſsimum eſſe, inquit ex D. Thom. & alijs Theologis Sanchez *lib.* 7. *diſp.* 92. *n.* 26. tametſi vtriuſque ſeminatio defraudetur debito generationis fine; quia licèt [fruſtretur fine primario, (inquit Sanchez) qui eſt prolis generatio, conſequitur tamen finis ſecundarius, nempè ſatisfacere concupiſcentiæ vera copula.] Ergo vbi fœmina ſeminauit, non erit mortale, viro reſilire: quia conſequitur finem ſecũdarium, qui ſufficit ad honeſtationem ſeminationis.

8 Vrgetur ſecundò: ideò vir exercens copulam cum animo ſe retrahendi, antequam ſeminet, non peccat mortaliter, quia talis actus per ſe eſt vtilis ad generationem, quamvis per accidens fiat invtilis ex intentione illa efficaci, qua actu ſe retrahit, vt expreſsè concedit Angelus Maria Verricelli, *in quæſt. Moral. tom.* 1. *tract.* 4. *quæſt.* 27. *ſect.* 8. *ad quartum argumentum.* Sed ipſamet ſeminatio fœminæ, quando exercetur, per ſe eſt vtilis ad generationem, licèt per accidẽs, non ſequuta ſeminatione viri, fiat invtilis; eo quod vir ſe retrahat; ergo fœmina non peccabit læthaliter in prædicto congreſſu, licèt accedat animo ſe retrahendi, vbi ſeminauerit, ergo neque vir, quia eadem eſt vtriuſque ratio.

9 Vrgetur tertiò: quia etiam admiſſa opinione aſſerente fœmineum ſemen eſſe neceſſarium ad generationem, poteſt fœmina poſt viri effuſionem, ſtatim ſe retrahere, ergo etiam ſi virile ſemen ſit neceſſarium ad ge-

Digitized by Google

nerationem, poterit vir, poſtquam fœmina ſeminauerit ante conſummationem, recedere. Hæc eſt legitima conſequentia: antecedens non poteſt negari a Verricelli ſuprà ſect 9. vbi apertè concedit, in prædicta opinione, poſſe virum ſe retrahere, poſt quam ipſe ſeminauit, & non expectare fœminæ cõcurſum. Si ergo vir poteſt, cur non & fœmina? Nulla poteſt eſſe ratio diſparitatis in hac opinione, cum vtriuſque concurſum ad generationem æquè requiri ſupponatur. Et vt argumenti vis magis innoteſcat, audiamus ab iſto Doctore, quare vir poſsit recedere, non expectata cooperatione fœminæ, ſine qua (vt ponimus) ſemen virile fruſtratur. [Ratio (inquit) eſt, nam ille prior congreſſus de ſe aptus, & vtilis eſt ad generationem, per accidens autem fit inutilis, quia ex ſua frigiditate mulier non ſeminat, licèt continuato pauliſper congreſſu ſeminaret: vt conſtat ex titulo quæſtionis.] Ergo a ſimili, fœmina vbi ſeminauit, ante viri cõſummationem, poteſt ſtatim abſque mortali ſe retrahere, nec tenetur continuare, quo vſque vir ſeminet, nec peccabit lethaliter, licèt cum hac intentione incipiat copulam. Nã (vt prædicti authoris verbis vtar) [ille prior congreſſus de ſe eſt aptus, & vtilis ad generationem, & per accidens fit inutilis.] Quia ex ſua frigiditate vir ſimul cum vxore non ſeminat.

10 Secundò arguitur; quia ſecundum opinionem multorum, quam defendũt Gallenus *lib. 4. de vſu partium, cap. 7.* & Pſeudo Ariſtoteles *libr. 10. de Hiſtoria animalium, cap. 7.* & Petrus de Mato *lib. de ſemine, fol. 59. §. intercedente.* Simultaneus concurſus, ſeu ſimultanea vtriuſque ſeminatio requiritur ad generationem. Ergo poſtquam fœmina ſeminauit, non tenetur expectare viri ſeminationem; quando quidem elapſo tempore, ſiue ſequatur, ſiue non, fruſtratur ſeminatio. Ergo ex eo quod conueniant coniuges, quod altero priùs ſeminante, deſiſtant à copula; nil fit contra naturam, nec contra finem matrimonij: Ergo quoties fœmina, calidior, prior ſeminet, poterit vir ſecundum prædictam opinionem a copula ſe retrahere. Minus enim malum erit, vnius quã vtriuſque ſemen debito generationis fine fraudari.

§. III.

Triplex aliud eiuſdem ſententiæ fulcrum.

11 Arguitur tertiò; quia ſecundum quoſdam, mortale non eſt coniugatis, per tactus, & oſcula diſtillationi cauſam præbere; atque adeò nec per copulam, procurando directè ſolam diſtillationem, animo non conſummandi, vt aſſerũt Sanchez, Reginaldus, & Layman, quos citatos ſequitur Verricelli *ſuprà tract. 4. q. 24. num. 2.* [Cuius ratio (inquit) eſt, quia in diſtillatione non funditur verùm ſemen: cõiugibus verò non eſt mortale, niſi ſola veri ſeminis effuſio extra vas.] Sed fœminæ nec effundunt verùm ſemen, nec extra vas; ergo coniugibus grauis noxa non erit per cõgreſſum directè procurare ſeminationem fœminæ animo non conſummandi copulam. Conſequentia eſt legitima: minor probatur primò, quia eam tenent Thomiſtæ ferè omnes cum Ariſtotele *lib. 1. de generat. anim alium, cap. 19. & 20.* & cum Auerroe *de generat. animal. lib. 1 cap. 20.* & cum Auicena *ſent. 20. lib. 3. tract. 1. cap. 3.* & cum S. Thoma *3. part. quæſt. 31. art. 5. ad 3.* vbi ſic ait: [Semen fœminæ non eſt generationi aptum, ſed eſt quiddam imperfectum in genere ſeminis, quod non potuit perduci ad perfectum ſeminis complementum.] Cui conſonat Alvertus Magnus *lib. 9. de anim. cap. 3. & lib. 15. cap. 11. & 6.* vbi ait: [A mulieribus exit quoddam humidum album, quod tamen non habet ſpermatis virtutem, aut rationem, & a quibuſdam exit; frequentius quidem exit a mulieribus albis, rarò a nigris, & a fuſcis mares patientibus.] Secundò: nam quod fœminæ verùm ſemen non emittant, multis probat cum Peripateticis Verricelli *ſupr. tract. 4. q. 27. ſect. 1.* vbi ad argumenta in contrarium reſpondet. Si ergo iuxta præfatum authorem, in coniugatis ſoli veri ſeminis effuſio extra vas eſt peccatum mortale, & iuxta eundem, & alios, in fœminis non datur veri ſeminis effuſio, cur erit culpa grauis prædicti humoris effuſio per copulam coniugalem procurata.

12 Quartò, tactus venereus, cum diſtillatione, abſque animo conſummandi, non eſt inter coniuges mortalis, quia humor aqueus, qui per diſtillationem funditur, tantum habet delectare, & nil confert ad generationem, vt ait Galenus *lib. 14. de vſu partium, cap. 1.* Atqui ſemen fœmineum, iuxta Ariſtotelem, D. Thomam, & Auerroem, eſt humor aqueus habens tantum delectare, & nil confert ad generationem [Humor enim (inquit Ariſtoteles *libr. 2. de gener. animalium, cap. 4.*) qui a fœminis cum voluptate emittitur, nil ad conceptum confert,] & D. Thomas ait: [Non eſſe generationi aptum.] Ergo ſicut tactus venereus, inter coniuges, non eſt lethalis, licèt cum diſtillatione ex parte ſolius viri directè ab vtroque cõiuge intenta, ita nec copula cum ſeminatione ex parte ſolius fœminæ ab vtroque directè procurata. Vide apud Verricelli

ſup.

ſup. q. 27. ſect. 4. vbi ex prædictis Doctoribus probat, ſemen fœmineum, neque per accidẽs paſsiuè concurrere ad generationem, ſed inſtitutum tantùm eſſe a natura, vt delectet, & ad copulam inclinet.

13 Dices cum Verriceli *ſup. ſect.* 8. *num.* 68. licèt ſemen fœmineum habeat tantùm delectare, tamen mortale eſſe eius effuſionẽ extra copulam; nam cum ea ſacietur libido, & non per ſolùm diſtillationem; fœmina iſta delectatione contenta recuſaret vſum matrimonij: ſed contra eſt, quia hic loquimur de ſola effuſione ſeminis fœminei cauſata per copulam, non verò extra copulã, de qua loquitur Verricelli; ex eo autẽ, quod per eã ſatietur libido in fœmina, nõ ſequitur, reſeruaturam vſum matrimonij; vtporè medium ad eam ſatiandam. Quod autèm, ſatiata libidine, nõ ſubſequatur generatio, eo quod vir ſe retraxerit, parum refert, quia etiam ſatiatur in viro, quando ante ſeminationem fœminæ ſe retrahit, & (in opinione requirente vtriuſque ſeminationẽ; imò & ſimultaneã) non ſequitur generatio; & tamen non ideò damnatur de læthali; eo quod licèt nõ obtineatur primarius finis matrimonij, obtinetur ſecundarius conſiſtens in ſedatione carnis, & in ſatietate libidinis: ergo idem prorſus in altero caſu dici poterit.

14 Prærerquamquod, poſt quam fœminã concepit, ſatiatur libido a cõiugibus per effuſionem, quam non ſequitur generatio; & tamẽ non datur culpa grauis in prędicto vſu; etiam ſi ad voluptatem captandam referatur, vt docent communiter Doctores, quos ad 42. cõgerit Sanchez *lib. 9. de Matrim. diſp.* 11. *n.* 3. & 4 & innumeri alij apud Leandrũ *tr* 10. *de Matr. diſ.* 25. *q* 17. Imò nec venialis, ſecundum Dianam, Machadum, Ioannẽ Sanctium & Baſilium, apud Leandrum, ſupra (vide etiam Thomam Sanchez *diſp.* 24. *n.* 6.) ergo licèt ex prædicta effuſione, ex parte ſolius fœminæ ſatietur libido, & non ſequatur generatio ob defectum virilis ſeminis; nõ ideò de mortali eſt damnanda.

15 Inſtabis ex Verricelli, *ſect.* 8. *citata*: ſi fœminæ liceret, vbi ſeminauit, ante viri ſeminationem ſe retrahere, hoc cederet in dãnum prolis; quia nunquam curaret de ſeminatione viri, potius eam recuſaret ob prægnationis ærumnas, partuſque dolores, & in educanda prole labores: ſed contra eſt, quia id non licèt fœminæ, niſi conſentiente viro; & cum hic non ſatiet libidinem ſola fœminæ ſeminatione, non magis hoc cedet in dãnum prolis, quàm cum vterque ex cõmuni conſenſu nõ conſummat, ſed tactibus tantũ, & diſtillationibus eſt cõtentus. Contrà ſecũdò, quia idem inconveniens ſequitur, quando vir, vbi ſeminauit, ſe retrahit, ante fœminæ ſeminationem, iuxta opinionem aſſerentem, non poſſe ſubſiſtere generationem abſque vtriuſque ſeminatione. Et tamẽ [quia primus congreſſus eſt per ſe vtilis ad generationem, & per accidẽs fit inutilis, quia ex ſua frigiditate, fœmina nõ ſeminat, (inquit Verricelli *ſupr. q.* 27 *ſect.* 9) poteſt vir ſe retrahere; quia & ſi neceſſarium ſit fœmineum ſemen, non tenetur vir procurare, vt ſequatur generatio: ſufficit non impedire ſeminando extra debitum vas.] Ergo a ſimili: idem prorſus dicendum eſt de fœmina, vbi ſeminauit ante virum. Poterunt ergo inter ſe convenire, vt qui prior ſeminauerit, diſcedat, non manentè in altero periculo pollutionis extra vas. Quia cum neque fœmina teneatur procurare, vt ſequatur generatio, ſufficiet nõ impedire. Nulla ergo eſt ratio, cur in opinione aſſerente, fœmineum ſemen eſſe æquè neceſſarium ad generationem, ac virile; poſſit vir, vbi ſeminauit, ſe retrahere ante fœminæ ſeminationem, & non poſsit vbi ſola fœmina ſeminauit. Eandem vtrobique militare rationem, ſentit, in alio ſimili, P. Thomas Sanchez *lib.* 7 *de Matrim. diſp.* 9 *n.* 9, vt expendenti conſtabit.

16 Quintum argumentum eſt. Quia licèt vir ſit iam impotens phiſice ſeminare, ex aliquo morbo ſuperveniente, nihilominus poteſt habere copulam, & cooperari ad effuſionem ſeminis fęminei; ergo etiam poterit, licèt ſit impotens ſolum moraliter, ob timorẽ infirmitatis, vel alterius nocumenti, quod ex ſeminatione prudenter timet. Conſequẽtia eſt legitima, quia vtrobiquè ſemen fœmineum debito generationis fine fruſtratur: antecedens conceditur expreſsè a Thoma Sanchez *lib. 7. de Matrim. diſp.* 102. *n* 6. & 7. Vbi dubium, vt ſequitur, proponit, & diſſolvit. [Videtur non licere copulam (ſcilicèt, quando vir non poteſt emittere ſemen) quod fœmina verum ſemen emittat, idque debito generationis fine fruſtretur, deficiente virili ſemine. Et cõfirmatur; quia quando vir nullo modo poteſt intra vas ſeminare ſed extra, ille actus eſt prohibitus, eo quod virile ſemẽ extra vas effuſum defraudetur, contra naturã, debito generationis fine; cũ ergo idẽ contingat in noſtro caſu, in ſemine fœmineo, erit eadem ratione illicita ea copula; quippè vtrumque ſemen ad generationem natura ordinauit.] Hucuſque Sanchez: cui dubitationi ſic reſpondet: [Verùm exiſtimo, culpa vacare, ſiue petat, ſiue reddat, quod vir ille iure ſuo vtatur, vacans actui coniugali, quem matrimonium permittit; ſemẽ autem verum non emitti, contingit per accidens.] & paulò poſt: [Et obtinetur finis matrimonij ſecundarius, nempè ardorem concupiſcentiæ ſedare; non ergo obſtat defectus veri ſe-

Digitized by Google

ſeminis ad generandum apti, vt ob id neganda ſit copula vero matrimonio coniunctis. Nec eſt ſimile de copula extra vas, quod ea non ſit coniugalis, nec iuri matrimonij nitatur, qualis eſt habita intra vas.] Hæc Sanchez ſuprà, vbi pro hac opinione refert Toletum *lib.7.ſum.cap.12.n.4.*& Gaetam *cap. ad limina 3.q.1.ſſ.4.q.234.n.539.* Ex quibus ſic concludit: [vnde tunc vterque poterit petere, & alter reddere tenebitur, quia petit alter ius ſuum, quo orbatus non eſt.] Non potuit clarius caſum decidere.

ſſ. IV.

Vrgentius eiuſdem ſententiæ fundamentum.

17 Sed maioris claritatis gratia, tria ponderanda veniunt in fauorem aſſumpti. Primum, non eſſe paritatem a ſeminatione viri extra vas, ad ſeminationem fœminæ intra. Nam ad primam nunquam poteſt cooperari fœmina; ad ſecundam verò, etiam abſque virili ſemine remanſuram, poteſt vir a conſilio per copulam cooperari, iuxta doctrinam P. Sanchez. Secundum: ad talem cooperationem, fœminam habere ius, poſſeque virum iure matrimonij ad illam compellere, & hunc teneri cooperari, etiam ſi alias ſit impotens ſeminare. Tertium: virũ alias excuſatum a ſeminatione poſſe, & habere ius ad copulam exigendam, ad ſedandũ ardorem concupiſcentiæ, eo modo, quo poteſt, non effuſo ſemine. Inſuper fœminam habere ius ad exigendum debitum, ad ſedandã concupiſcentiam, media effuſione proprij ſeminis, quantumvis ex impotentia mariti ad emiſsionem, defraudandum ſit debito generationis fine: quia hoc contingit per accidens, vt ait Sanchez, & obtinetur finis matrimonij ſecundarius.

18 Ex quibus ſic argumentum inſtauratur; licèt vir nequeat phiſicè ſeminare, non ideo excuſatur ab obligatione habendi copulam quia fœmina petit ius ſuum, quo orbata non eſt, (vt inquit Sanchez) nam qui nõ poteſt in debitis iuſtitiæ ſolvere, quantum debet, tenetur partem, quam poteſt: ergo licèt ratione infirmitatis, vel damni, quod in ſalute maritus prudenter timet, non teneatur, imò fortè nec poſsit effundere, iuxta doctrinam, quam defendunt, cum pluribus alijs, Sanchez *lib.9.diſp.24.* Baſilius de Leon *lib. 10.cap.24.*& Leander *tr.9.diſp.25.q.48.* tamen tenebitur, exigente vxore, ad copulam, quia ipſa petit ius ſuum, quo priuata non eſt, quantumvis nequeat vir ſemen emittere. Si ergo huius impotentia phiſica ſeminandi nõ priuat fœminam iure petendi copulam, cur impotentia moralis priuabit? Vir enim tantum poteſt excuſari ratione damni; ergo cũ nullum ſequatur in habenda copula, non effuſo ſemine; idque pro ſua frigiditate, & detentione poſsit vir conſequi, nil datur ratione cuius excuſetur: tenebitur ergo ex iuſtitia debitum abſque ſeminatione reddere, quia licèt habeat cauſam excuſantẽ a ſolutione totius debiti, non tamen a parte: ſicut philoſophatur Sanchez de eo, qui habet impotentiam phiſicam ſeminandi.

19 Vrgetur, quia de hoc debito non aliter loquuntur Doctores, ac de alijs debitis iuſtitiæ, vt videre eſt apud Sanchez *diſp.24. citat.n.20.in medio,* & in Leandro *ſup.q.55.* in alijs autem debitis iuſtitiæ, idem iudicium fertur de eo, qui phiſicè nõ poteſt totum debitum reſtituere; ac de eo, qui abſque graui detrimento non poteſt: quia ſicut qui nõ poteſt phiſicè totum ſolvere, tenetur ad partẽ, ita etiam qui non poteſt moraliter, ſeu abſque graui detrimento ſolvere totum, ad partem, quam ſine tali detrimento poteſt, tenetur. Ergo ſimiliter, ſicut qui non poteſt phiſicè ſemen emittere, tenetur ſaltem ad copulam, quam poteſt, exigente vxore, ita qui ratione damni non poteſt moraliter ſemen emittere, tenebitur ſaltem ad copulam, quã abſque graui ſui damno poteſt. Nulla ergo, ſaltem grauis, interueniet culpa in eo, quod vir accedat ad vxorem, animo ſe retrahendi à copula, ante ſeminationem ſuæ nociuam ſaluti; quantumvis fœmina ſeminauerit: quia reddit fœminæ ius ſuum, intenditque ſolvere partem debiti, quam poteſt, & qua fœmina non magis eſt orbata, quam ſi vir phiſicè ſeminare non poſſet.

20 Confirmatur primò, quia in debitis iuſtitiæ, quando creditor contentus eſt parte debiti, non tenetur debitor ad totum, licèt poſsit, ergo ſi fœmina, quæ eſt creditor reſpectu corporis viri, ſit contenta parte debiti, nempè copula, non tenebitur vir, ſaltẽ grauiter, ad ſeminationem, licèt poſsit. Pro qua doctrina faciunt Paludanus, Caietanus, Roſella, D. Antoninus, & Angelus, apud Sanchez *de Matr.lib.9.diſp.19.n.3.* aſſerentes, virum cum vxore rem habente non teneri ſeminare, niſi ipſa petente.

21 Confirmatur ſecundò à paritate: quia vt Sanchez *lib.7.de Matr.diſp.102.n.7.* ſenibus decrepitis, iam ad generandum impotentibus, à nullo negatur vſus coiugis, ſi coire valeant. [Quia obtinetur (inquit) finis matrimonij ſecundarius, nempè ardorem concupiſcentiæ ſedare.] Poteſt ergo, ſecundum omnes, ſenex decrepitus cum vxore adoleſcentula coire, & vterque tenetur reddere, etiã ſi certiſsimum ſit, fœmineum ſemen ob defectum virilis ſemper fruſtrandum. Ergo, ſecundũ omnes, ſedare ardorem concupiſcentiæ,

rię, media ſeminis effuſione, per copulā cauſata, licitum eſt fœminæ; licitaque eſt viro eiuſmodi cooperatio, ad eamque fœmina ius habet, quantumuis ſemen fœmineum fruſtrādum ſit debito generationis fine; eo quod vir per accidens ratione infirmitatis, vel alterius damni ſit excuſatus à copula conſummanda.

22 Cui faciunt Doctores aſſerentes ad validè contrahendū, ſatis eſſe potentiam penetrandi vas; quamvis deſit potentia ſeminandi intra illud; quod tenet P. Sà, *verb. Matrim. vbi de imped. dirim. n.* 14. Gloſſa Vgelinus, & alij apud Hurt. *diſ.* 22. *diffic.* 5. cui fauet Petr. de Ledeſm. *de matr. q.* 58. *art.* 2. *dub.* 7. vbi inquit, non eſſe improbabile, impotētiam, quā habent Eunuchi, nō dirimere matrimonium iure naturæ; ſed ſolo iure Eccleſiaſtico; quia ſaluatur quodāmodo [finis matrimonij ſecundarius; qui eſt, concupiſcētiæ ſatisfacere. Quamvis enim, inquit, Sixtus V. declarauit irritum, nō explicuit, num ſolo iure Eccleſiaſtico antiquiori, an potius iure naturæ] Quam ſententiā, cum referat Sāchez non improbat *lib.* 7. *de matr. diſp* 98. *n.* 3. & ſuaderi poteſt ratione, quam pro ſenibus, adducit ex D. Thom. Tabiena *verb. Imped.* 12. *n.* 4. nimirū: [quia ſi nō eſt eis ad prolem, ſaltem eſt ad ſolatium.] Nam cū matrimonium conferat coniugi ius ad copulam, & in prædicto caſu nunquam futura ſit ſeminatio ex parte viri; iure matrimonij tenetur vir ad reddendum, & cooperandum effuſioni ſeminis fœminei, ipſaque poteſt eum obligare ad talem cooperationē, quin in prodigalitate, & fruſtatione ſeminis fœminei, vlla culpa interueniat: nō ergo eſt contra naturam eiuſmodi cooperatio, ſed iure matrimonij debita, quoties alias vir excuſatus eſt a ſolutione integri debiti. Potiùs cōtra rationem omnino videtur, vt excuſetur a ſolutione partis, eo quod vel phiſicè, vel moraliter non habeat potētiam ad ſolutionem totius.

23 Hæc ſunt, quæ pro hac parte militare videntur, quorū ſolutionē alijs remitto, & congruā ſpero: Ego autem pro contrariā ſententia ſemper ſtabo, dū in oppoſitum grauium Doctorum, vel Eccleſiæ authoritas non accedar.

§. V.
Conſectarium.

24 Dubiū aliud huic quæſtioni annexum per tractat Sāch. *lib.* 9. *de matr. diſp.* 19. *n.* 7. quod ad ſolutos pertinet: an in coitu fornicario, poſtquam fœmina ſeminauit, aut eſt in periculo proximo ſeminandi, liceat viro ſe retrahere a ſeminatione? Ratio dubitādi ſumitur ex communi cōſenſu Doctorum, id negante coniugato, quia eſſet cōtra naturā, in diſpendiū fœminei ſeminis. Quę quidē ratio, aut parum probat, aut cogit dicere virū non teneri ſe retrahere ab actu fornicationis, ſed licitè in tali caſu illū prō ſequi; imò & debere: quia minus malū eſt actū fornicationis cōſummare, quā peccatū contra naturā cōmittere: & ex duobus malis, cū vtrumque vitari nō poteſt, (vt in hoc caſu contingit) minus eſt eligendū. Hæc ratio tāti ponderis viris doctis fuit, vt affirmauerint virum nō teneri ab actu fornicario, in circūſtantijs præfatis, ſe retrahere; quinimo ad conſummandū ſub læthali adſtringi, [& hæc opinio (*inquit Sanchez ſuprà*) *probabilis eſt.*] Aduertunt tamen virum teneri proſequi abſque animo libidinoſo, & ita ſeminationē non eſſe fornicariam formaliter; ſed materialiter tantum, & non intrinſicè malam. Cum Sanchez ſentire Leſſium *lib.* 2. *cap.* 3. *dub.* 6. *n.* 55. ait Diana 3. *p. tract.* 4. *reſol.* 227. *in fine*, ſed apud Leſſium non inuenio.

25 Cæterum cuiuſcumque ſit hæc ſententia nullatenus ſuſtinenda eſt, & contrariā meritò amplectitur Sāchez. Quia dicere voluntariam proſequutionem actus fornicationis nō eſſe intrinſecè malam, in his circunſtantijs, viam aperit ad alios caſus, in quibus occurrentiam aliarum, facilè homines ſibi fingerent, nec in illis eſſe intrinſecè malam. Quod eſt contra omnes Theologos, & ſacrarum Scripturarum Interpretes. Nec admittēda paritas, inter non ſeminationem, & voluntariam effuſionem, quia plures ſunt cauſæ virum excuſantes a ſeminatione, etiā poſtquam fœmina ſeminauit, vt benè expendit Sanchez; vt ſi periculum vitæ immineret ex advētu feræ, vel hoſtis, vel ſi aduerſaretur naturali honeſtati, vt ſi coniugibus coeuntibus aliquis ſubito cubiculum intraret, & ſimiles: Verùm ab actu fornicationis inchoādo nulla eſt cauſa, (etiam periculum mortis) quæ excuſet; ergo nec a continuando. Quia periculum malæ educationis prolis, quod per ſe inchoationem pro omni caſu illicitam reddit; ipſummet adeſt, & militat contra continuationem, vſque ad conſummationem, vt ex terminis patet. Qua propter, vel damnum prolis non reddit actum fornicationis pro omni caſu illicitum, vel evidenter reddit illicitam cōſummationem actus fornicarij. Ideò concludendū eſt; quod ſicut aliæ cauſæ ſuprà memoratæ ſeminationem excuſantes, ita & periculum prauæ educationis prolis. Nec periculum, quod viro ſe retrahenti, ſeminandi extra vas, eſſe poteſt, excuſat ab obligatione, quia pollutio erit in volūtaria, & ex iuſta cauſa permiſſa.

AD

AD TRACTATVM QVINTVM,

MISCEL. APPENDIX.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm ſit peccatum læthale, in publicis concionibus omittere ſalutationem, ſeu elogium Immaculatæ Conceptionis Beatiſſimæ Virginis?

1 Conclusione vnica queſtioni ſatisfaciam; Reſpōdeo igitur in Hiſpania, & in quacūque alia Provintia vbi mos ſalutadi invaluerit, eſſe peccatū læthale ſalutationē omittere. Hæc concluſio probanda mihi eſt ex doctrina, & principijs D. Thomæ, cuius authoritate innixus, vt nec a veritate declinare, ita nec adverſariorum indignationem, in ea ſuadenda, incurrere timeo: ſed priùs ſupponendum eſt, tanquam primum fundamentū huius diſcurſus, Alexandri VII. Bullam, grauiſsimis pœnis, & cenſuris prohibere, & procedere contra omnes. [*Qui hanc ſententiam* (nempè aſſerentem B. V. in primò inſtanti animationis fuiſſe gratia præditam, & ab originali peccato præſeruatam) *feſtum, ſeu cultum, in diſputationem reuocare, aut contra quoquomodo directè, vel indirectè ſcripto, ſeu voce quinquam determinando, aut aſſerēdo, aut alio quovis excogitabili modo diſſerendo auſi fuerint. Et cōtra libros, in quibus præfata ſententia feſtum, ſeu cultus ſecundum illā exhibitus in dubium reuocatur, aut contra quomodocumque, vt ſuprà, aliquid ſcribitur, aut legitur.*

2 Hoc præiacto fundamento ſic diſcurro: in Bulla Alexandri prohibitam eſt omne dictum, vel ſi factum per quod directè, vel indirectè, vel alio quouis excogitabili modo, determinatur, aſſeritur, vel diſſeritur contra ſententiam piam, & cultum Immaculatæ Conceptionis, ſeu hæc in dubium reuocantur, ſed per omiſsionem ſalutationis in circunſtantijs prædictis, ſaltem interdictè, & aliquo excogitabili modo, determinatur, & aſſeritur contra ſententiam piam, & cultum; & vt minimum in dubium reuocatur: Ergo omiſsio ſalutationis Immaculatæ in dictis circunſtantijs eſt prohibita in Bulla Alexandri. Sola minor huius ſyllogiſmi probatione indiget, illamque Doctor Angelicus pluribus in locis nobis ſuppeditauit. Nam ſi ſemel ſtatuamus ex D. Thoma per prohibitionem dicti, vel facti contra illa, prohiberi etiam omiſsionem dicti, vel facti, per quam idem ſignificetur, evincetur planè, quod intendimus.

3 Id igitur oſtendo 1. ex D. Thoma *in 2. ſentent. diſt. 35. q. 1. art. 3.* vbi reſpondens ad quoddam argumentum deſumptum ex definitione peccati; quod eſt *dictum, vel factum contra legem, &c.* Reſpondet ſic. [Oppoſita reducuntur ad idem genus, & ideo *in dicto* includitur etiam omiſsio dicti, & *in facto* omiſsio facti, non enim hoc habet *dictum*, in quantū eſt affirmatione dictum, vt ſit peccatum, ſed in quantum eſt in poteſtate volūtatis a recta ratione exiens: in hoc autē conuenit cum *dicto* etiam non dicere.] Ex quibus ſic conficitur argumentum. Quoties nō dicere conveniit cum dicto in ratione formali, propter quam dictum prohibetur; in prohibitione dicti includitur etiam omiſsio dicti; ſed ratio prohibendi quodcumque dictū, quo directè, vel indirectè, vel alio quovis excogitabili modo aliquid aſſeritur, vel diſſeritur, vel determinatur contra ſententiam piam, & cultum; aut per quod in dubium reuocatur; reperitur in omiſsione ſalutationis Immaculatæ Conceptionis; cum per talē omiſsionem non ſolum viri docti, ſed etiam imperitum vulgus percipiant adverſarios in dubium, vt minimum, reuocare ſententiam piam, & cultum ſecundum illam exhibitum; ergo in prohibitione dicti contra illa, includitur omiſsio dicti.

4 Vrgetur: nam licèt ineſſe phiſico ſit diſtinctio inter poſitiuum, & negationem; tamen ineſſe moris, in re præſenti conveniunt: quia æquè per vnum, ac alterum manifeſta-

tur

Digitized by Google

tur exterius ſentiri oppoſitum contra piam ſententiam, & cultum; & ipſa omiſsione, ex perſuaſione omnium, aliquid contra illa determinatur, & aliquo modo agitur: nam vt ait D. Thomas 2.2.*q.79.art 3.ad* 1. [Negatio actus reducitur ad genus actus, & ſecundum hoc non agere accipitur vt agere quodam.] Ergo negatio ſalutationis, in prædictis circunſtantijs, eſt quoddam agere contra immaculatam conceptionem, & eius cultũ, & per conſequens virtute Bullæ Alexandri prohibitum.

5 Vrgentius. Qui quovis excogitabili modo agit contra Immaculatam Virginis cõceptionem, aut eius cultum incurrit omnes pœnas, & cenſuras in Bulla contentas, ſed qui omittit ſalutationem immaculatæ conceptionis, vbi conſuetudo oppoſita viget, aliquo excogitabili modo agit contra illa. Ergo.

6 Oſtenditur 2. noſtra concluſio ex Doctrina D. Thomæ 2. 2 *quæſt.72. art.* 1. vbi agens de contumelia, inquit. [Cum aliquis id, quod eſt contra honorem alicuius, deducit in notitiam eius, & aliorum: hoc proprie pertinet ad contumeliam; quod quidem fit per aliqua ſigna. Verba autem inter homines obtinuerunt principatum ſignificandi, quæcumque animo percipiunt; tamen quia etiam per facta aliqua ſignificatur aliquid, quæ in hoc quod ſignificant, habent vim verborum ſignificantium, inde eſt, quod contumelia extenſo nomine etiam in factis datur.] Ex quibus ſic. Ergo quoties per omiſſionem ſalutationis immaculatæ conceptionis aduerſarij ſignificant, quod animo percipiunt, contra immaculatam conceptionẽ, & eius cultum; hoc ſignum, vel factum, in eo, quod ſignificat vim verborum habet, ergo ſi in verbis revocantibus in dubium myſterium conceptionis, & honeſtatem cultus, daretur contumelia contra Beatiſsimam Virginem, etiam in hoc facto, vel ſigno datur. Ergo quando prohibetur ſcripto, ſeu voce, aut alio quovis excogitabili modo diſſerere, vel determinare aliquid contra conceptionem, & cultum; prohibentur etiam ſigna quælibet, vel facta, per quæ idem ſignificatur, quia vt ait D. Thomas [In hoc quod ſignificant, habent vim verborum ſignificantium.] Ergo non minus opponitur Bullæ Alexandri VII. qui aliquo ſigno, vel facto (quale eſt omiſsio ſalutationis) quam qui ſcripto, ſeu voce aliquid determinat, vel diſſererit, contra immaculatam conceptionem, ſeu cultum, vel illa in dubium reuocet. Nam vt luculenter ait Chryſoſtomus, ſeu author imperfecti in Matthæum *Homil.* 25. *Non ſolùm ille proditor eſt veritatis, qui palam mendacium loquitur, ſed etiam qui non libere veritatem pronuntiat, quando oportet.*

7 Oſtenditur 3. ex doctrina Angelici Præceptoris 2.2.*q.3.art.*2. vbi diſputans de obligatione externæ confeſsionis fidei, ſic ſcribit. [Confiteri fidem non ſemper, nec in quolibet loco eſt de neceſsitate ſalutis; ſed in aliquo loco, & tempore; quando ſcilicet per dimiſsionem huius confeſsionis ſubtraheretur honor debitus Deo &c. Puta: ſi aliquis interrogatus de fide taceret, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non eſſet vera.] Quæ ad rem noſtram ſic reduci poſſunt. Eccleſia Romana præcipit eum, Conceptioni Virginis Mariæ cultum exhibere, vt nõ ſolum dies feſtus cum officio & Miſſa celebretur, ſed etiam, quod nemo audeat contra piam ſententiam, ſeu cultum aliquid aſſerere, ſeu determinare, ſeu in dubium illa revocare; *Nec indirectè quidem, nec alio quovis excogitabili modo.* Ergo in quibuſcumque circunſtantijs per dimiſſionem confeſsionis ſubtrahatur honor debitus conceptioni Beatiſsimæ Virginis, de neceſsitate ſalutis, ſeu de præcepto erit eo loco, & tempore immaculatam illam confiteri. Eſt evidens conſequentia. Sed vt ait D. Thomas, *ſiquis taceat, quando ex hoc crederetur non habere fidem, vel quod fides non eſſet vera.* Subtrahitur honor debitus Deo. Ergo in re noſtra, ſiquis taceat, quando ex hoc crederetur non aſſentiri cultui immaculatæ conceptionis, vel quod ſententia pia non eſſet vera, ſubtrahitur honor debitus Conceptioni Beatiſsimæ Virginis. Ergo quotieſcũque ita res ſe habeat, tenetur quis ſub præcepto non tacere, ſed expreſsè confiteri B. V. ſine macula originali fuiſſe conceptam.

8 Confirmatur ex ratione, qua innixus doctrinæ D. Thomæ, probat Petrus Hurtado de Mendoza 2.2.*tom.* 1.*diſp.*48.*ſect.* 2. præceptum confitendi fidem. [Ratione, inquit, probatur, quia omittere confeſsionem fidei certis in cauſis, & circunſtantijs, perinde eſt ac negare fidem.] Ergo omittere confeſsionem immaculatæ conceptionis in cauſis, & circunſtantijs, quibus fieri conſueuit, vt in publicis concionibus, perinde etiam erit, ac negare fuiſſe immaculatam, ſed hoc eſt expreſsè prohibitum in Bulla Alexandri VII. Ergo, & illud.

9 Rurſus idem Hurtado, ex eo probat omiſsionem confeſsionis fidei eſſe prohibitam, in aliquibus circunſtantijs. [Quia iniuria, inquit, irrogatur Deo, quando homo dat ſigna, ex quibus prudenter iudicatur illum non habere fidem.] Ergo iniuria etiam irrogabitur Beatiſsimæ Virgini, quoties homo dederit ſigna, ex quibus prudenter iudicatur per illa in dubium revocare ſententiam piã,

&

& honeſtatem cultus ſecundum Bullas Pontificias ab Eccleſia exhibiti. Nam cum eiuſmodi cultus honeſtè, & laudabiliter exhiberi poſsit, vtpotè pro ſe habens ferè omnium fidelium conſenſum, & Eccleſiæ Romanæ approbationem, & ad illum exhibendum exhortationem, imò, & pro die octaua Decembris præceptum qui recuſat Virgini hunc honorem deferre, planè ſignificat ſuo facto ſententiam piam vt minimum eſſe dubiæ fidei, & non licere cultum immaculatæ conceptioni B. V. exhiberi: aliter enim, quis non exhiberet? Præcipuè quando ex omiſsione tot perturbationes, & ſcandala in populo Chriſtiano pullulaſſe reperiuntur.

10 Adde omittentem ſalutationem immaculatæ conceptionis; non vtcumque, ſed ea tenacitate opinioni contrariæ ſe adhærere ſignificat, vt nec a principiis extrinſecis, nempe ex authoritate fere omnium Catholicorum, Vniuerſitatum, Epiſcoporum, Eccleſiarum. Et quod magis, nec ex irrefragabili Summi Pontificis, & Eccleſiæ Romanæ poſsit ſibi ſuadere, licitum eſſe immaculatę Virginis Conceptioni cultum exhibere: itaque per omiſsionem ſalutationis immaculatę proteſtatur implicitè non ſolùm ſententiam piam eſſe falſam, ſed falſam etiam eſſe doctrinam, quę aſſerit licitum eſſe immaculatæ conceptioni cultum exhibere; ac proinde illicitum prorſus miſſa cum officio illam colere: & conſequenter Eccleſiam turpiter erraſſe, dum legem tulit de conceptione immaculata in primo inſtanti animationis celebranda, quod abſque errore in fide dici nequit. Quia vt ait M. Canus *de locis, lib. 5. cap. 5. q. 5. §. mox etiam.* [Turpiter errabit Eccleſia in doctrina morum, ſi legem ferat de colendo Divo, quem colere, ſi Diuus non eſt, & cum ratione, & cum evangelio pugnat] & iterum, *§. deinde.* [Cum Chriſtus dixerit illa: *quæcumque dixerint vobis facite, & qui vos audit, me audit*: quibus præcipimur Eccleſię legibus obtemperare, ita ſi errat illa, Chriſtus nobis erroris author eſt.] ſic ille ex D. Thoma *quodlibeto 9. art. 16.* vbi ait. [in Eccleſia non poteſt eſſe error damnabilis, ſed hic eſſet error damnabilis, ſi veneraretur tanquam ſanctus, qui fuit peccator.]

11 Quibus facit communis Theologorum doctrina, quam explicat Suarez *tom. de fide, diſp. 8.* ex qua conſtat Eccleſiam, & Pontificem, non poſſe errare, circa præcepta poſita ad gubernandas conſcientias, & fidelium mores; adeo vt ſanctus Antonius dicat contrarium eſſe hereticum. Cui ſubſcripſit M. Grauina *in præſcriptione de infalibilitate Romani Pontificis in decretis morum, q. 4. art. 1. fol. 290.* vbi inquit. [Qui diceret legem Eccleſiaſticam repugnare evangelio, vel lumini naturæ, vel traditionibus Apoſtolicis, meritò vt Hæreticus habendus tanquam cum Luteranis, & Calviniſtis conſpirans.] Quos ſequitur R. P. M. Ioannes a Sancto Thoma 2. 2. q. 1. *diſp.* 9. dicens: [De fide eſt, quod moralitas talis præcepti non eſt mala; & eſt de fide, in virtute illius vniuerſalis, quod quæcumque dicuntur ex cathedra ſunt ſeruanda, & facienda.] Et ante omnes docuit Sylveſter *verb. Fides, num. 2.* vbi ſic ſcripſit: [Ad fidem pertinet, inhærere determinationi Pontificis Summi, in his, quæ ſunt fidei, imò etiam in his, quæ ſpectant ad bonos mores, quia in eiuſmodi, Eccleſia etiam errare non poteſt, & conſequenter, nec caput eius in quantum caput, ſeu in quantum Pontifex.] Qua ratione, & principio innixus eſt M. Araujo vbi ſuprà *tract. 3. deciſ. q. 23. num. 2.* dum dixit; Papam, in canonizatione Sanctorum [errare nō poſſe, eſt certum de fide, quia procedit, vt caput totius Eccleſiæ.] Sic loquuntur Sapientiſsimi Patres Dominicani; ex quibus conſtat, quam ſuperiorem, infrà fidei certitudinis gradum, myſterium Immaculatæ Conceptionis Beatiſsimæ Virginis, in primò inſtanti animationis, non dum definitum in Eccleſia Catholica obtinuerit; & quàm irrefragabile ſit licitum eſſe cultũ illi exhibitum. Qua autem cenſura inurendus, qui hoc vltimum negaret? Cenſoribus fidei remitto; quia Summus Pontifex Alexander VII. in Bulla, quæ incipit: *Solicitudo omnium Eccleſiarum* expedita die octauo Decembris, anno 1661. nullã prohibuit cotra negantes licitũ eſſe occultũ, ſed ſolu contra aſſerentes eſſe Hæreticos, vel peccatum mortale incurrere, qui piam ſententiam negauerint, vt conſtat ex clauſula *vetamus*, vbi ſic. [Vetamus autem Sixti IV. conſtitutionibus inhærentes, quem piam aſſerere, quod propter hoc, contrariam opinionem tenentes, videlicèt glorioſam Virginem Mariam, cum originali peccato fuiſſe conceptam, hæreſis crimen aut mortale peccatum incurrant.

QVÆSTIO II.

Vtrùm Clericus minori excommunicatione ligatus poſsit licitè adminiſtrare Sacramenta?

1 TRiplex hac in re opinio apud Doctores invenitur. Prima aſſerit eſſe peccatum mortale. Quia *cap. ſi celebrat, de Clerico minori excomunicatione ligato* expreſſum eſt; *peccare conferendo Eccleſiaſtica Sacramenta*, cum autem quantitas peccati ex grauitate materiæ metienda ſit, & grauis, ſecundum omnes ſit conferre Sacramenta, illa efficiendo, vt ſolemniter baptizando, vel ordi-

Digitized by Google

ordinando, vel Sacramentum pœnitentiæ adminiſtrando; nequit leue peccatum eſſe, quod in eorum collatione interveniat. Ideò ita tenent Sylveſter *verb. excommunicat. 4. nota 1.* P. Vazquez *tom. de Pœnit. tr. de excommun. dub. 4.* citans regiam, *leg. tit. 9. partida 2.* & non diſſentit Covarrubias ibidem. Quos ſequitur Ioannes Sanchez *in Selectis, diſp. 32. num. 11. verſ. Nec ſcio*: & alij apud Suarez *tom. de cenſuris, diſp. 24. ſect. 2. num. 5. fol. mihi 428.*

2 Secunda ſententia defendit nō eſſe mortale, ſed veniale tantùm peccatum. Cuius ratio eſſe poteſt. Quia in eodem *cap. ſi celebrat*, conſtituitur diſtinctio, inter celebrantem minori excommunicatione ligatum, & conferentem ſacramēta; de illo enim dicitur; peccare mortaliter, de iſto verò ſolùm peccare. Verba textus ſunt. *Si celebrat minori excommunicatione ligatus, licèt grauiter peccet, nullā tamen notam irregularitatis incurrit, &c. peccat autem conferendo Eccleſiaſtica Sacramenta.* Eſt ergo certum peccare; & cum in textu non dicatur eſſe mortale, ſicut de celebrante dicitur; colligi videtur non eſſe peccatum graue, ſed veniale. Et ita ſentiunt M. Dominicus de Soto *in 4. diſt. 22. quæſt. 2. art. 3. in principio.* Avila *de cenſuris, 3. p. cap. 6. diſp. 12. dub. 3.* Medina *in Summ. lib. 1. cap. 11. §. 6.* Ioannes Valerus *in differentijs* vtriuſque fori, *verb. excomm. diff. 3.* & alij.

3 Tertia ſententia docet, nec mortale, nec veniale peccatum eſſe. Ita communiter Doctores, Navarrus *in ſum. cap. 27. num. 24.* Vbi ſic inquit. [Poteſt ei miniſtrare Sacramenta, ſi dando non recipiat, quia miſſus ad communicandos alios, non peccat, qua parte dat, ſed quia ſumit.] Idem tenet Graffius, *lib. 4. cap. 10. num. 3.* [Conferens, inquit, Sacramēta abſque celebratione, nec mortaliter; nec venialiter peccat. Ita contra Sylveſtrum, & communem Nauarrus.] Hanc opinionem ampleƈtuntur Hugolinus, Hoſtienſis, Ioannes de Lignano, & alij apud Filliucium, qui eis conſentit *tom. 2. tr. 3. cap. 2. num. 24.* Quos ſequuntur Illuſtriſsimus Epiſcopus Moſcoſo, *in ſum. tr. 16. cap. 3. num. 25.* ibi; [Parece llano, y certiſsimo, que miniſtrando no peca, ni mortal, ni venialmente.] Suarez *de cenſuris, diſp. 24. ſect. 2. num. 9. & 12* & ſumma Corona Confeſſorum vt refert; & non improbat M. Corradus *in Reſp. caſ. 1. part. quæſt. 175.* vbi ſic. [Advertendum, quod excommunicatus minori excommunicatione conferens Sacramenta, venialiter peccat, ſecundùm Sotum, ſecundùm verò Silveſtrum mortaliter. Summa Corona Confeſſ. *de excommunic.* dicit nullo modo peccare.] Hæc Corradus. Videatur etiam pro hac ſententia S. Raymundus *in ſum. lib. 3. tit. de ſententia excommunicationis, §. 17.* vbi ſic ait [Minore excommunicatione ligatus, neque eligere prohibetur, neque ea, quæ ratione iuriſdictionis ſibi competunt, exercere. Si celebrat, peccat mortaliter.] Quem ſequitur ibidem in Gloſſa M. Ioannes de Friburgo, ex eadem familia, dicens: [Non eſt privatus ab exercicio ſui ordinis, ſed tantùm à participatione Sacramentorum, quæ tantùm in ſola conſiſtit perceptione. Vt ex textu de Clerico excōmunicato, *cap. vltimo*.] & Eminentiſsimus Caietanus, *in ſum. verb. Excommunic. Minor.* vbi inquit. [Excommunicatio minor ex Eccleſiæ cenſura, qua homo excluditur à paſsiva tantùm participatione Sacramentorum.] Et vt certam ſupponit M. Hyacinthus Donatus, *tom. 4. tr. 12. quæſt. 84. num. 2.* vbi ſic. [*Cap. duobus de ſententia excommunic.* deciditur, duos habentes facultatem ſe ſe invicem abſolvendi, ſi ambo in excommunicationem minorem incidant, nō ptivari dicta poteſtate, nec vſu eius, vt rectè ibi Gloſſa exponit; quia excommunicatio minor privat receptione Sacramentorum, & non vſu iuriſdictionis.] Et pro hac ſententia militat aperte M. Petrus de Soto *de inſtitut. Sacerdot lect. 4. de excommunicatione, fol. 226.* vbi ait [Eſt igitur hæc (nempè excommunicatio minor) ſeparatio à paſsiua tantum communione Sacramentorum, &c. Poteſt igitur, ſic excommunicatus Sacramenta ipſa conferre, & exercere omnes actus Eccleſiæ iuriſdictionis.] Sic ille, quem cum alijs refert P. Vazquez *tr. de excommunic. dub. 4.* dicens: [Petrus de Soto, Caietanus, & Navarrus aſſerunt, quod non peccat iſte talis, quia nō prohibetur conferre Sacramenta, ſed illa ſuſcipere; quæ eſt differentia receptiſsima inter maiorem, & minorem excommunicationem.] Quam diffinitionē plures alij Theologi amplectuntur. Si ergo ab activa non excluditur, poterit licitè Sacramenta adminiſtrare. Et ita expreſsè cum Navarro, Præpoſito, & Hurtado, & cum alijs doctiſsimis, tenet Diana *p. 5. tr. 9. reſ. 3. & 45.*

4 Ratio ſumitur ex textu citato, *cap. ſi celebrat* in quo deciditur, minori excommunicatione ligato non eſſe prohibitum Eccleſiaſtica Sacramenta conferre. *Ab eo*, inquit; *collata virtutis non carent effectu; cum non videatur à collatione, ſed à participatione ſacramentorum (quæ in ſola conſiſtit perceptione) remotus.* Vnde Theologi communiter in hoc diſtinguunt excommunicationem minorem à maiori, quia per minorem ſolùm prohibetur recipere Sacramenta, non verò illa conferre, per maiorem autem vtrumque. *Si autem non eſt remotus* (ait Suarez ſuprà, *nū. 9 & 12.*) *cur peccat?* & infrà. [Cenſura enim nō eſt culpa, ſed pœna, ergo per ſe ſolam coram Deo non affert indignitatem, vel indecentiam, ra-

tio-

tione cuius contra rectam rationem ſit, aut contra ſanctitatem Sacramenti, illud in eo ſtatu miniſtrare, cum ergo alias, ex vi talis cēſuræ, illa adminiſtratio prohibita directè non ſit: nec ex iure poſitiuo, neque ex naturali apparet in eo actu ſufficiens ratio culpæ etiam venialis.] Hæc Suarez.

5 Cæterum hæc ſententia magnam mihi ingerit difficultatem, quia, *cap. ſi celebrat*, duo continet, & quod conferens Sacramenta peccat, & quod ab eorum collatione, non ſit remotus: *peccat autem conferendo, ſed ab eo collata virtutis non caret effectu, cum non videatur à collatione remotus.* Ergo eſt verum quod peccat, licèt non ſit à collatione remotus. Ergo non eſſe remotum à collatione non eſt idem, ac non peccare, & hæc clauſula: non ſignificat non eſſe illi prohibitum conferre. Quia vbi nulla eſt prohibitio, nullum eſt peccatum.

6 Reſpondet Suarez ex Abbate cum Nauarro, & communi expoſitione Canoniſtarū, verba illa *peccat autem conferendo Eccleſiaſtica Sacramenta* referri ad initium capitis. Ideoque ſenſum eſſe; Sacerdotem celebrantē minori excommunicatione ligatum peccare mortaliter conferendo illud Sacramentum, ad cuius collationem fuit neceſſarium, quod ipſe prius recepiſſet. [Quia licèt hæc cenſura, inquit, non prohibeat vſum actiuum Sacramentorum, qui in collatione conſiſtit, tamen prohibendo paſſiuum, prohibet ex conſequenti illum actiuum, qui ſine paſſiuo eſſe non poteſt.] Sed contra 1. quia celebrare, & conferre Sacramenta, ſunt actiones diuerſæ, & ſeparabiles, ſæpè enim conferuntur Sacramenta, ad quæ opus non eſt, quod conferens illa recipiat: hoc enim ſolùm eſt neceſſarium ad collationem ordinum, vel quando non prçcedit diſpenſanda Euchariſtia ab alio cōſecrata, quod per accidens eſt. Pontifex verò omnia Sacramenta comprehendens tradit excommunicatione minori ligatum, ſi illa conferat, peccare: ergo licèt non præcedat receptio Sacramenti in conferente, peccat conferendo. 2. Quia Pontifex condiſtinguit celebrantem à conferente, & illum dicit peccare mortaliter, iſtum verò *peccare*, non determinando qualitatem culpç. 3. Quia diminutè proceſſiſſet, ſi ſolùm nos inſtrueret Pontifex de culpa interueniente in receptione Sacramentorum, & omnino omiſiſſet, an etiam in collatione, conſiderata ſeorſim à receptione, & quando hæc non præceſsit. 4. Quia licèt receptio Sacramenti præcedat in Epiſcopo conferente Ordines, poteſt ante collationem conteri, ac proinde nullum in collatione interueniet peccatum; & conſequenter nequiret Pontifex vocare peccaminoſam collationem: quia prohibendo vſum paſſiuū, non maneret abſolutè prohibitus actiuus; ſed tantum pro caſu, quo Epiſcopus non eliceret actum contritionis, poſt peccatum receptionis in celebrando. Igitur hæc expoſitio textus illi non quadrat. Sed neceſſariò fatendum ligatum excommunicatione minori, etiam ſi ſacramentum ad collationem non receperit; peccare quodcumque conferēdo. Præter hæc ex tribus ſententijs relatis, ſecundam tenendam cenſeo.

7 Eſt etiam ſingularis alia difficultas ex hoc textu pollulans; quā a Doctoribus attactam non inuenio. Nempè in illo probari, Sacramenta ab excommunicatione minori ligato collacta, virtutis effectu non carere; ex eo quod iſte *non eſt à collatione remotus.* Ratio difficultatis eſt, quia licèt eſſet ab illa remotus, virtutis effectu non carerent. Nam eſſe prohibitum Sacerdoti baptizare ſolemniter, conferre ſacramenta confirmationis, pœnitentiæ, vel ordinis, nec efficit ſacramenta collata eſſe irrita; cum nec poteſtas, nec iuriſdictio per ſolam prohibitionem vſus deficiant; nec peccatū conferentis reddit informia, ſeu carentia fructu gratiæ, ſacramēta ab illo collata; ſolum enim peccatum mortale recipiētis hoc illum priuat effectu. Ac proinde baptizatus, vel confirmatus, vel ordinatus, vel abſolutus à ligato minori excommunicatione; quamuis iſte remotus eſſet à collatione per minorem excommunicationem; valida, & fructuoſa forent; & virtutis effectu non carerent. Quid ergo ſibi vult Pontifex Gregorius IX. dum ex non remotione, ſeu ex non prohibita adminiſtratione, deducit ſacramenta non carere virtutis effectu, quandoquidem prohibitio hunc non cauſaret effectum?

8 Ex ſolutione huius difficultatis, genuina textus expoſitio petenda eſt. Huic ergo reſpondeo, ſenſum textus capitis *ſi celebrat* eſſe, cum, cui prohibitum eſt recipere ſacramenta, peccare mortaliter ea recipiendo, & ideò virtutis effectu carere, etiam ſi valida ſint; vt omnes ratione obicis fatentur: & ſimiliter, ſi cōferens ſub culpa graui, eſſet à collatione remotus, qui ab illo reciperet, (nulla aliunde excuſante cauſa) grauiter etiam peccaret, eius peccato cooperando, ac proinde ſacramenta ab illo collata virtutis carerent effectu, quia licèt valida, in fructuoſa tamen ſeu informia manerent, ratione obicis peccati mortalis in recipiente.

9 Hac ſolutione rectè explicantur, ſine contradictione, verba illa textus *peccat autem conferendo*, & ſubſequentia, quibus dicitur, *nō eſt à collatione remotus.* Quorum ſenſus eſt, non eſſe ſub læthali remotum, ſeu prohibitū conferre, ſed ſolum recipere ſacramenta: peccare tamen conferendo, nempè venialiter, ideò

ideóque ſacramenta a minori excommunicatione ligato collata virtutis effectu nō carere. Quia licèt recipiens coöperetur veniali peccato conferentis, hoc non impedit effectum ſacramenti. Quod peccatum nō credo provenire ex diſpoſitione huius textus, ſed in illo ſupponi prohibitionem ex iure naturali diuino: quia ſuppoſita excommunicatione etiam minori, vt ait P. Vazquez ſuprà. *Eſt irreuerentia Sancta ita attrectare*. Et quāvis P. Suarez ſupr. *n.11.* hanc expoſitionem referens reijciat, dicens; *quod eſſe probabilis, ſi verum eſſet, quod ſupponit, eſſe peccatum veniale adminiſtrare ſacramentum in minori excōmunicatione*. Id verùm eſſe putamus, quia textus aliam expoſitionem congruentem nō admittit, vt cōſtat ex dictis. Et ita ſenſit Ioanes Valerus in differentijs vtriuſque fori, *verb. Excommunicat. diffic. 3.* pro ſe referens M. Dominicum de Soto, Anchartanū, Martinum de Ledeſma, & alios, quos ſequitur Philippus Faber *de cenſ. in 4. ſent. diſt. 25 q. 1. diſp. 4 cap. 2. num. 22.*

10 Ad fundamentum Patris Vazquez, & aliorum, qui de culpa graui damnant cōferentem ſacramenta minori excommunicatione innodatum. Reſpondeo ex ipſo Vazquez 1.2. q. 99. art. 4 diſp. 158. cap. 6. n. 59. & 60. Ad grauitatem, & leuitatem materiæ taxandam, nō eſſe materiam præcepti ſecundū ſe ſolā implendam, ſed reſpectu finis ad quē à ſuperiore ferente legem ordinatur. Poteſt enim fini vnius multū conferre, & ſic reſpectu illius erit grauis, & modicū fini alterius, & ideò reſpectu illius erit leuis. Sicut auditio ſacri eſt materia grauis reſpectu cultus diuini, & profeſſus ſpiritualis audientis, ad quē ordinatur Eccleſiæ præceptū; & eſt materia leuis in ordine ad gubernationem vniuerſitatis, ad quam ordinatur præceptum Rectoris. Ideóque huius violatores nō grauis, ſed leuis culpæ reos eſſe, ait Vazquez loco citato. Ita ergo ſimiliter in noſtro caſu dicimus collationē ſacramentorum eſſe materiā grauē conſideratam in ordine ad effectum ab illis cauſatū: eſſe autem leuem in ordine ad irreuerentiā, quæ intervenit in eo, quod ad excōmunicato minori excōmunicatione conferantur. Ac proinde nō grauem, ſed leuē culpā inducere. Imò & nullam ſi ex cauſa fiat, vt ad petitionē fidelium, quia poſt Concilium Conſtancienſe, excōmunicatione etiā maiori ligato ſacramenta cōferre nō eſt prohibitum, ſi toleratus ſit. Vide Leandr. à Sacram. *tom. 4. tr. 2. diſp. 6. q. 14. & ſeq.*

11 Ex dictis refutatur 1. ſententia docens peccare mortaliter, qui minori excommunicatione ligatus confert ſacramenta: repugnat enim textui dicenti, non eſſe remotum à collatione, ſed à ſola receptione; eſſet autem ab vtraque ſimiliter remotus, ſi conferendo mortaliter peccaret. Reijcitur etiam tertia, quæ nec culpam venialem admittit: textus enim expreſsè contradicit, dū ait, vniuerſaliter; *peccare ſacramenta conferēdo*. Quare ſecunda, & media ſententia, vt textui, & veritati conformior cum Dominico de Soto, & alijs contra Petrum de Soto, & plures tenenda eſt.

12 Infertur 2. ex dictis excommunicatione minori legatum peccare mortaliter recipiendo ſacramentum pœnitentiæ, antè abſolutionem à cenſura; atque adeò confeſsionem eſſe invalidam; quā propter ad eam iterandam tenetur, non ſolùm in *genere, vel ſpecie*, vt maledixit Sylveſt. *verb. Excommunicatio 4. num. 1.* ſed omnia individua ſygillatim referendo; vt conſtat ex Tridentino. Adidque aſſerendum cogitur etiam Sylveſter ex alio principio, quod ex ipſo cum Paludano, & Adriano defendit Vazquez *tom. de Pœnit. tract. de excommunic. dub. 4. numer. 9.* nimium ex vi excommunicationis etiam minoris, ſe habentis ex parte recipientis; abſolutionem à peccatis eſſe nullam, licèt ipſe ignoret. Quod pluribus citatis docet Ioannes Sanchez *in Selectis, diſput. 32. num. 11.* contra Navarrum, Caietanum, Sotum, Suarez, & alios, qui tenent nullam excommunicationem ex parte recipientis irritam reddere abſolutionem a peccatis; ſed manente excommunicatione reſeruata; peccata remitti poſſe. Atque adeò quando neceſſitas vrget, poſſe abſolutionem à peccatis nō reſeruatis impendi, non præmiſſa abſolutione ab excommunicatione, quam cōfeſſarius impertiri non poteſt.

13 Infertur 3. grauiter peccaturum, qui excommunicatione minori ligatus Subdiaconatum, vel Diaconatum reciperet. Sunt enim verùm ſacramentum ordinis. Et quāvis M. Sotus *in 4. diſtinct. 24. quæſt. 1. artic. 4. §. Hinc fit*, dicat *quod non eſſet magna reprehenſione dignus*, qui opinionem contrariam ſuſtineret. Quam ſequitus eſt Caietanus *tom. 1. opuſc. tr. 11. & 3. part. q. 64. art. 3.* & putant probabilem M. Victoria *de ſacram. num. 226 & 233.* & M. Ledeſma 2. p. 4. q 40. art. 1. tamen illam [oppoſitam eſſe Concilio Florentino, & Tridentino *ſeſſ. 23. cap. 2.*] ait Ioannes de la Cruz *in direct. 2. part. de Sacr. ordin. dub. 1.* Imò & quæ negat quatuor minores ordines eſſe vera ſacramenta, ait Guido, reputari errorem; & Peſantius putat contrariā; & communem eſſe de fide, vt videre licèt apud Leandrum *tom. 2. tr. 6. de ordin. diſp 1. q. 6. 7. & 8.* Non eſt ergo dubitandum, peccaturum mortaliter, qui non præcedenti abſolutione ab excommunicatione minori, hos ordines reciperet.

14 De Epiſcopatu eſt maior difficultas. Quia non eſſe ſacramentum Ordinis, tradidit D. Thomas *in 4. diſt. 24. q. 3. art. 2. in corpor. & ad 2.* dicens: [*Epiſcopatus non eſt ordo, ſecundum quod ordo eſt quoddam Sacramentum,*] cui conſentiunt Richardus *eadem diſtinct. art. 5. quæſt. 2.* M. Capreolus *diſtinct. 25. quæſt. 1. art. 1.* Sotus *in 4. diſt. 24. quæſt. 1. art. 3. & lib. 1. de iuſt. quæſt. 1. artic. 2.* Turrecremata *in canon. 1. 21. diſt. §. ad 3.* Ex quo deducitur recipientem Epiſcopatum minori excommunicatione affectum non peccare mortaliter, quia hæc ſolum remouet a receptione ſacramentorum. Cæterum quod Epiſcopatus ſit ordo, & ſacramentum, eſt communis Doctorum ſententia, quam ita certam putant hoc tempore Theologi. Vt P. Vazquez *diſp. 240. cap. 3. num. 25.* dixerit, *id ſine graui nota negari non poſſe*, & M. Petrus de Soto *de inſtit. Sacerd. lect. 4. de Sacramento Ordinis*, [*certa fide tenendam.*] Verba eius ſunt. *Epiſcopatus cenſendus eſt verus ordo, & hoc antiqua omnia concilia, & Patres teſtantur, Epiſcopum Ordinari, de Sacerdotis verò ordine nullus vnquam dubitauit. Quare hoc, vt minimum certa fide habendum eſt, quemlibet horum duorum ordinum, verùm eſſe Sacramentum.* A cuius cenſura, non eſt alienus Dicaſtillo *tom. de Sacramentis, tract. 6. de Sacram. ordinis, diſp. 1. dub. 3. num. 34.* dicens: [Epiſcopatum fuiſſe a Chriſto Domino inſtitutum tanquam verùm ordinem, & ſacramentum, & in hoc ſenſu, (inquit,) intelligendi ſunt, qui dicunt ſine nota hæreſis, hanc ſententiam non poſſe negari. Quæ videtur definita ſatis expreſsè in Concilio Tridentino *ſeſſ. 23.*] Sed ego ab omni cenſura abſtinens, de qua iudicabunt alij, quoad præſentem quæſtionem practicam, aſſero mortaliter peccaturum, qui minori excommunicatione ligatum ad Epiſcopatum aſcēderet. Quia communis, & abſque dubio probabilior ſententia, verum eſſe ſacramentum ordinis, defendit.

15 De Matrimonio eſt difficultas, ſi inter abſentes per procuratorem contrahatur. Quia ſic contractum non eſſe ſacramentum, defendunt Caietanus, Canus, Viguerius, Victoria, Ledeſma, & alij apud Sanchez, *tom. 1. de matrim. libr. 2. diſp. 11. num. 26.* Verùm contraria ſententia eſt communis, [illegible]uam cum M. Soto *in 4. diſtinct. 27. quæſt. 1.*
9 [illegible] *c. 3.* & alijs, tenent P. Sanchez vbi ſu-
art [illegible] & P. Vazquez *de matrim. diſput 3. cap.*
pr [illegible] ententiam Caietani, & aliorum gra-
4. vbi [illegible] ra dignam eſſe putat, licet M.
ui cenſu[illegible] *c. Non prorſus diffiteor.* mitius Soto, *ver*[illegible] rtexit, dicens: *Non nil temerin illam inſu*[illegible] *à Sacramenti ratione excipeɾitatis continere* [illegible] *verum matrimonium.* Ad[illegible] *quod eſt* [illegible] notare tamen non omittam M. Sotum inconſequenter ibidem tradere, non eſſe peccatum mortale accipere per *procuratorem* matrimonij ſacramentum in peccato mortali, *dum neuter ſcit prorſus quando alter eſt conſenſurus.* Quem ſequuti ſunt P. Sà, *in 1. editione, verb. Sacrament. numer. 1.* & Ludovicus. Lopez apud Sanchez: ſed omnes reijciendi. Quia præceptum non recipiendi Sacramentum Matrimonij in ſtatu peccati mortalis; (nec minoris excommunicationis ligamine) obligat ad hanc diſpoſitionem habendam toto tempore, quo probabiliter creditur celebrandus contractus, vt benè ait Sanchez ſuprà. Ideòque, vt conſequenter procederet, M. Sotus, debuerat tradidiſſe, matrimonium inter abſentes non eſſe ſacramentum. Quia vt ait M. Canus *de locis, lib. 8. cap. 5.* [omnes ſine controverſia ſacrilegi ſunt, qui poſt peccatum mortale, ſine pœnitentia, ſacramenta percipiunt.] Quod potiori iure de peccantibus mortaliter in ipſa perceptione procedit. Sic Canus ſuprà contra Petrum de Palude, *in 4. diſtinct. 5. quæſt. 2.* qui, vt ipſe refert, *non credit ſic contrahentes eſſe reos ſacrilegij.* Quod falſum, & improbabile eſt. Vnde concluditur excommunicatum quacumque excommunicatione, ſiue maiori, ſiue minori, qui ab ea non abſolutus matrimonium contrahit, ſiue per ſe, ſiue per procuratorem; grauiter delinquere, licèt validè contrahat.

QVÆSTIO III.

Quid de electione excommunicati minori excommunicatione?

1 QVæſtioni ſuprà exagitatæ annexa eſt alia, quæ ex eodem iuris cap. *ſi celebrat* dedicēda eſt: ibi enim de innodato minori excommunicatione ſic dicitur. *Nec eligere prohibetur, vel ea, quæ ratione iuriſdictionis ſibi competunt, exercere. Si tamen* (attende) *ſcienter talis electus fuerit, eius electio eſt irritāda, pro eo quod ad ſuſceptionem eorum eligitur, à quorum perceptione à SS. Patribus eſt priuatus.* Hæc verba diuerſimodè explicantur à Doctoribus. Quia non conueniunt, an adverbium illud *ſcienter* ad electores, an ad electum, an ad vtroſque referatur. Alij enim ad electores tantum referunt, dicentes, electionem ad beneficia eſſe irritandam, ſi electores elegerint, quē minori excōmunicatione ligatum ſciebant; ſecùs ſi ipſi ignorabāt: id enim *Ly ſcienter* exprimit. Alij verò è contra ſentiunt *Ly ſcienter*, referri tantum ad electum, [illegible] ita

ita vt ſenſus ſit, ſi electus ſciat ſe eſſe excommunicatum, electionem eſſe irritandam, ſecùs ſi ipſe ignoret, licèt electores ſciuerint. Quia ob eius culpam irritanda præcipitur. Ita Sylueſter *verb. Excomm. 4. num. 4.* & Gloſſa ibi, his verbis: [Quod dicit *ſcienter* referas ad ipſum excommunicatum minori excommunicatione.] Ergo ſiue electores id ignorauerint, ſiue non; in conſiderationem vocandum non eſt, ſed culpa tantum electi, in cuius pœnam id in iure ſtatutum eſt.

2 P. Suarez *tom. 5. in 3. part. diſp. 24. ſect. 2. num. 18.* cenſet cum alijs communiter, in quocumque euentu electionem eſſe irritandam, ſiue ignorantia intercedat in alterutra, ſiue in vtraque parte, ſcilicèt eligentium, & electi; probat, quia ignorantia nequit impedire effectum cenſuræ, qua electus eſt ligatus; quia eo ipſo, quod impediat vſum paſſiuum ſacramentorum, impedit electionem ad illud munus, quod talem vſum paſſiuum requirit; ac proinde talis electio eſt irritanda, licèt nulla culpa in ea interuenerit.

3 Cæterum hac expoſitione admiſſa, omnino ſuperfluum redditur *Ly ſcienter*, quod exprimitur in textu, quando quidem licèt ignorantia ex vtraque parte intercedat; idem dicendum, ac ſi ſcientia interueniſſet: cum ergo Pontifex conditionatè fuerit loquutus dicens, *ſi tamen ſcienter*, ſi hæc conditio defecerit, electio caſſanda non erit. Qua protet cum ad hunc effectum Pontifex exigat electionem excommunicati *ſcienter* fieri, & huius electio dici nequeat *ſcienter* fieri, ſi nec electores conſcij fuerint excommunicationis minoris eligendi, nec ipſe excommunicatus, dicendum eſt, ignorantia ex vtraque parte interveniente, electionem non eſſe irritandam. Imò cum *Ly ſcienter* ad electionem, ſeu ad electores propriè loquendo referatur (quod, vt ait Suarez ſupra, *omnes Expoſitores indicant.*) dicendum eſt cum Auila *de cenſ. p. 2. cap. 6. diſp. 12. dub. 4. conclu.* 4 non eſſe caſſandam electionem talis excommunicati, niſi ſcienter facta ſit ab electoribus. Quidquid ſit de electo. Quia cum lex iſti ſit pœnalis, verba textus rigorosè interpretãda ſunt. Qua propter audiendus nõ eſt Sylveſter, qui ſolius electi ſcientiam ad præfatum effectum ſufficere dixit, cui conſentit P. Layman *lib. 2. tract. 5. part. 2. cap. 3. num. 5.*

4 Ad fundamentum P. Suarez reſpõdeo; verùm eſſe, quod prohibitus recipere ſacramenta, eo ipſo maneat prohibitus, vt eligatur ad munus, quod ſacramẽti ordinis receptionem requirit: cæterum cum plura ſint beneficia, ad quæ ſola prima tõſura ſufficit: quã recipere (cum ordo non ſit) minori excommunicatione ligatus non eſt prohibitus; non eſt vnde ad illa eligi inhabilis reddatur, aut electio ſit irritanda, niſi forſan in pœnã peccati, vel ipſius, vel ſaltẽ eligentiũ, & neutrũ admittit Suarez. Ad alia verò beneficia, quæ ordinẽ requirũt; ſicur excõmunicatio nõ reddit ordinẽ inualidũ, ſed ſolùm ordinis vſum impedit, ita nec electionem reddit nulla, ſed ipſi excõmunicato, & electoribus prohibitam; & illum ad fructus beneficij adquirendos, vtpotè ſine titulo, facit inhabilem; dum ab illa abſolutus non fuerit.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm Eccleſiaſtici teneantur legibus ciuilibus ſubiacere?

§. I.

Vi directiua tenentur, non coactiua.

1 HÆc concluſio eſt communis Doctorum, quoad 1. partem: quoad 2. verò cum limitatione; ſcilicèt dummodo leges ad bonum cõmune ſpectent, & Eccleſiaſticæ libertati non repugnent, ita tradit Eſcobar *in Moral. Theol. tr. 1. exam. 1. cap. 5. n. 34.* à quodã Theologo ideò ſugillatus: ſed præ doctrinæ inopia; quia vt prædixi, ſententia cõmunis eſt inter Theologos: Quã optimè explicat, & probat Illuſtriſ. ac Reuer. M. Tapia Archieſcop. Hiſpalenſis ex ordine Prædicatorum *in ſua catena Moral. lib. 4. de legibus q. 16. artic. 6.* Vbi ſic inquit: [Dicendum eſt primò, has leges non comprehendere Clericos quoad vim coactiuam, ſeu punitiuam. Ita Molina, & Suarez, & alij plures, quos refert, & ſequitur Diana 1 *p. tr. 10. reſ. 12.* Ratio autem eſt, quia Principes, & Iudices laici non habent poteſtatem iuriſdictionis coactivam in Eccleſiaſticas perſonas, &c. Quoad vim verò directiuam, & præceptivam, prædictæ leges civiles obligant perſonas Eccleſiaſticas in foro conſcientiæ. Ita Suarez, & Diana, qui pro hac aſſertione plures referunt; & eſt communis Canoniſtarum *ex cap. Eccleſia de conſtitution.* Vbi Panormitanus, Felinus, Decius, Cardinal, & alij. Et Legiſtæ *in l. cunctos populos.* Ratione autem probatur: Primò, quia ratio naturalis dictat, partem non debere diſcordare à toto; ergo quamvis lex ciuilis non habeat ex ſe vim obligandi Eccleſiaſticas perſonas, ea tamen ſuppoſita, conſurgit lex naturalis, in licitis, & decẽtibus, omnes partes debere cõformari cũ toto. Secundò: quia prædictæ leges ciuiles per Canones approbantur, ſeu conſentiuntur. Ex his autem rectè intelligitur, leges ciuiles

nũquam obligare Clericos directè, & vi ſua, ſed indirectè ex vi rationis, ſeu legis naturalis, & approbatione, & conſenſu Canonici iuris, dantis prædictis legibus eam vim obligandi, quæ ſufficiat convenienti gubernationi politicæ, &c. Sed quæres, quibus regulis cognoſcentur leges civiles obligantes perſonas Eccleſiaſticas? Regula obſeruanda eſt; quando materia legis communis eſt laicis, & Eccleſiaſticis, & nil continet contra libertatem, & decentiam Eccleſiaſtici ſtatus, etiam ſi interdum non iuuet ad vtilitatem temporalem particularē dum tamen ſit vtilis bono cõmuni. Ita communiter Doctores, qui hanc materiam tractant.] Hæc Archiepiſcopus Hiſpalenſis, quæ ſufficere poſſent ad plenam huius ſententiæ probationem.

2 Eandem ante illum tenuit M. Sylveſter *verb. Lex, quæſt.* 15. ibi: [Decimoquinto quæritur, vtrùm leges, aut ſtatuta laicorum ligent Clericos, aut alias Eccleſiaſticas perſonas, vt teneantur hæc obſeruare?] cui poſt alia reſpondet: [ſi lex eſt rationabilis, & non contradicens Canonibus, ſeruanda eſt, etiam quoad Clericos, & Eccleſiaſticas perſonas, ſi eſt fauorabilis, &c. Vbi etiam notandum, quod quando talis lex, generaliter diſponens, poteſt ſe habere ad cõmodum, & incommodum, non poteſt dici præiudicialis, &c. Vnde omnes leges diſponentes ſuper contractus emptionis, & vēditionis, locationis, & commodati, & huiuſmodi, ſi non contradicunt Canonibus, vel legi naturæ, ſunt ſeruandæ, etiam quoad Eccleſiaſticas perſonas.]

3 Conſonat M. Victoria *in Relect. 1. de Poteſt. Eccleſiæ, quæſt. vltim. fol.* 103. *num.* 4. *& ſeqq.* ibi: [Clerici tenentur obedire legibus ciuilibus in his, quæ ſpectant ad gubernationem, & adminiſtrationem temporalem ciuitatis, & non impediunt adminiſtrationem Eccleſiaſticam, & peccant facientes contra legem, &c. Antecedens probatur: quia Clerici præter hoc, quod ſunt Miniſtri Eccleſiæ, ſunt ciues ciuitatis: Ergo tenentur viuere aliquibus legibus ciuilibus. (& infrà *num.* 6) Exemptio Clericorum, maximè quoad perſonas, ita ſcilicèt, quod nec iudicari, nec puniri a ſæculari poteſtate poſſint eſt multum conformis iuri diuino, & naturali.] Hæc ille, in quibus teneri legibus parere, non tamen ex vi coactiua, ſeu punitiua, defendit.

4 Facit ad hæc M. Sotus *in 4. diſtinct.* 25. *quæſt.* 2. *artic.* 2 *concluſ.* 4. vbi ait: [Perſonæ Eccleſiaſticæ, neque iure diuino, neque humano ſunt omnino a legibus ciuilibus exemptæ. Probatur: Clerici, non obſtante Clericatu, ſunt ciues Reipublicæ, & eius mēbra, ſed Reſpublica non gubernatur, ni legibus Principum, ergo quatenus prædictæ leges ad pacem, & tranquilitatem Reipublicæ ſpectant, Clerici tenentur eis parere, &c. Enim verò ſi Rex pretia frumenti, aut olei, aut quarumque rerum, lege moderetur, Clerici carius vendentes, mortaliter delinquũt, & ad reſtitutionem, ſicuti laici tenentur. Et idem eſt de multis alijs legibus, tametſi, a pœnis iuris, quæ ſunt corporales, ſint exempti. Sed dubium eſt, vtrùm tranſgreſſores legum ciuilium ſint ab ipſis Principibus, & iudicibus ſæcularibus iudicandi, & puniendi? Et ideò adhibitur quinta concluſio. Quod perſonæ Eccleſiaſticæ non ſunt ad iudicium ſæculare deferendæ: ſed an ſint ab eiuſmodi iudicio exemptæ? Non expreſsè conſtat de iure diuino, &c Sed eſt iuri naturali, & diuino magis conſentaneum, &c. Nam cum iure diuino ſint Eccleſiæ Miniſtri conſtituti; idem iuri proximum eſſe videtur, vt nequeant à iudicibus ſæcularibus evocati.] Sic Sotus, quem citatum ſequitur M. Bartholomæus de Medina 1. 2. *quæſt.* 95. *artic.* 5. *dub. vltim.* Hanc quæſtionem dilucide explicant Victoria *in Relect.* 1. *de Poteſt. Eccleſ. quæſt. vltim.* Omnino videndus: & M. Texeda *tom.* 1. *controuerſ. Theolog. Moral. lib.* 1. *tract.* 2. *controuerſ.* 18. *ſub.* 4 vbi ſic ait: [Tenaciter aſſerendum eſt, cum Sylveſtro, & alijs, leges ciuiles, quæ in bonum Reipublicæ cedunt, nec muneri Clericali offendunt, aut ſacris Canonibus repugnant, obligare qualcunique perſonas Eccleſiaſticas, &c. Ergo quoad vim directiuam, & ſub mortali tenentur eas ſeruare.] Item Hieronymus Garcia *in ſumm. tract.* 1. *diffic.* 3. *dub.* 2. *par.* 4. *num.* 34. *§.* [*Las leyes politicas, &c.*] dicens: [Eſta concluſion es muy comũ entre los Doctores, los quales refieren, y ſiguen Villalobos, Suarez, Vazquez, Bonacina, Palao, Baldello, Gregor. Martinez, Fragoſo, Fagundez, &c.

5 Hos ſequuntur Recentiores fere omnes. Diana 1. *part. tract.* 2. *de immun. reſ.* 8. vbi ſic: [An Eccleſiaſtici ſint exempti à legibus civilibus, quæ cum libertate Eccleſiaſtica non pugnant? Affirmatiuam ſententiam mordicus ſuſtinet M. Antonius Genuenſis *in praxi, cap.* 74. per totum; ſed cõmunis Theologorum, & ſacris peritorum ſententia contrarium docet, nempè Clericos neque iure diuino, neque humano eſſe exemptos ab illis legibus ciuilibus, quæ non ſunt contra libertatem Eccleſiaſticā, & ideò ſi Clerici vendunt frumenta, vltra pretium iuſtè à Republica ſtatutum, & peccant mortaliter, ſicut laici, & tenētur ad reſtitutionē, &c Dico igitur, Clericos non teneri *directè* legibus ſæcularibus, ſed ex ratione naturali dictante, ſeruandas eſſe leges ſæculares, propter con-

conformitatem cum perſonis ſæcularibus eiuſdem Reipublicæ: tenentur igitur Clerici ſeruare leges Principum ſæcularium, non vi coactiua, ſed vi directiua. Ita etiam docet Pitigianus, Villalobos, Portel, Filliucius, Fauſtus, Barboſa. Ratio noſtræ concluſionis eſt, quia nemo tenetur *directè* legibus eius, qui in ipſum non habet iuriſdictionem, vt docet D. Thomas 1. 2. *quæſt. 96. artic. 5.* Sed Principes non habent in Clericos iuriſdictionem, vt determinat Innocentius III. *in cap. Eccleſ. Sanct. æ Mariæ de conſt.* Ergo. Et infrà: ſed notandum, quod etiam ſtādo opinioni affirmatiuæ, quod Clerici teneātur *directè* legibus ſæcularium, non ſequitur, quod poſsit per tranſgreſsionē laicos illos punire, vt benè notat Salas *vbi ſupr. diſp. 14. de legib. ſect. 8. n. 104. in fine.*

6 Pro eadem pugnat Verricelli *tom. 1. Quæſtionum, tract. 8. q. 12 num. 2.* ibi: [Adverto primò, receptiſsimam eſſe omnium luriſtarum, ac Theologorum ſententiam, Clericos obligari ſecundum vim directiuam communibus Sæcularium Principum legibus, quæ ad Reipublicæ bonam gubernationem, & quietem pertinent, & quæ generaliter pro omnibus ciuibus feruntur, non nominando ſpecialiter Clericos, & quæ non ſunt ſacris Canonibus, & Clericorum ſtatui repugnantes, &c. Dixi, obligari ſecundum vim directiuam, non coactiuam: non enim Clerici incurrunt pœnam legibus ciuilibus decretam, neque a Ciuili Magiſtratu puniri poſſunt. Vt docent Suarez, Vazquez, Conarrubias, Thomas del Bene, Diana, 1. *part. tract. 2. reſol. 72. & part. 4 tract. 1. reſol. 52. & part. 5. tract. 1. reſol. 6*] Hanc ſententiam tenent etiam alij doctiſsimi M. Serra 2. 2. *tom. 2. quæſt. 96. art. 5. fol. mihi 471.* dicens: [Docent communiter Doctores,] & Illuſtriſ. M. Acatius de Velaſco *tom. 1. reſol. Moral. verbi Contractos, reſ. 218. n. 10.*

§. II.

Quid de vi coactiua nonnulli ſenſerint; refertur, & impugnatur.

1 M. Acatius de Velaſco vbi ſuprà *num. 9.* aſſeruit, ſententiam affirmantem Clericos quoad vim coactiuam teneri legibus Principis ſæcularis, eſſe communem Iuriſtarum, & Theologorum. Verba eius ſunt: [Digo, que es ciert, que olos Eccleſiaſticos eſtàn ſugetos a las leyes pueſtas por la Republica, *quoad vim directiuam*: ſi lo eſtàn tambien *quoad vim coactiuam*, (eſto es, que eſtèn ſugetos a las penas, que las leyes ponen, ſino las guardaren) es lo dificultoſo, A lo qual todos los Iuriſtas, y Theologos dizen, hablando en general, que los Eccleſiaſticos eſtàn obligados a las leyes ciuiles, quanto à ſus penas, que es *quoad vim coactiuam*. Pero que la duda eſtà en quien ha de executar eſta pena De eſta *dificultad* trata largamente Garcia con otros, que dizen, que el Iuez ſecular, ò Magiſtrado. Y quando no quiſieren paſſar por ella, que puedan prēderlos para remitirlos à ſu Iuez en orden a conſeguir eſte efecto. Pero eſtos Doctores (como dize Diana) andan muy anchos en orden à la juriſdicion Real, &c. Miror autem, ſcriptum doctiſsimi Acatij, quia pauciſsimi Theologi numerantur, qui Clericos, quoad vim coactivam, legibus civilibus Principis ſæcularis ſubijcerint.

8 Non inficior, nonnullos Iuriſtas ita ſenſiſſe, quorum opinionem putat probabilem M. Serra ſuprà *q. 96. art. 5. citato*, vbi ſic: [Difficultas tamen eſt, an his legibus ſubijciantur Clerici ſola æquitate naturali, & ſolùm quantum ad vim directivam, an etiam ex vi, & efficacitate legum, & quantum ad vim coactivam? Quidam recentiores hoc ſecundo modo ſubijci, & obligari probabilius eſſe ſentiunt, &c. Mihi ſolo primo modo ſubijci, & obligari, probabilius videtur.]

9 Et illam partim amplectitur, ex eadem doctiſsima familla, M. Samuel Lublinus *in ſummula caſuum conſcientiæ*, *verſ. Bullæ Cenæ, caſu* 17. quia Clericos tranſgreſſores legis Principis ſæcularis poſſe in bonis, licèt non in perſona, ab illo puniri, concedit: ſic enim ſcribit: [Conſtituit Rex eum Senatoribus, in ſuis committjs, iuſtum pretium frumenti, ſimul obligans ad pœnam ſubditos, ſi maiori prætio præſumerent vendere: interim Clericus, contra hanc pragmaticam, carius vendit, (attende) cuius bona iudex, vel Magiſtratus ex officio ſequeſtrat; nunquid talis cenſuram incurret? Dicendum, quod leges taxantes pretium rebus, non ſolum obligant ſæculares, verùm etiam Clericos, quoties illas violaverint. Proinde licèt Clerici non ſint ſubiecti legibus civilibus, ſubduntur tamen legi naturali, & diuinæ, quæ præcipit, ne res alio pretio, quam iuſto vendantur, ergò præfatus iudex frumentum Clerici ſequeſtrans non incurrit cenſuram. Oppones: igitur per te Clerici tranſgreſſores legum Ciuilium ſunt puniendi. Reſpondeo, in perſonis nequaquam puniendi, ſed ſolùm in rebus, & bonis tempor. ſubus.] Hæc M. Lublinus. Et Laxius Petrus Gonçalez de Salzedo *in tract. de lege Politica, lib. 1. cap. 4. num. 15. & ſeqq.* Vbi multis ſuadere conatur: [Clericos quatenus ciues Reipublicæ, directè, & coactivè illius laicis legibus teneri, ſicut & cæteros ciues.]

Cui conſentit Cutellus apud Dianam *5.par. tr.1.reſ.6.* Quem multis ipſe impugnat, dicens: [Sed hæc doctrina eſt contra communem Canoniſtarum, & Theologorum ſententiam.] Vbi plures pro hac parte refert: & *1. p.tr.2.reſ. 7.* pro contraria adducens Bobadillam, inquit; [ſed hæc opinio eſt prorſus eliminanda.]

10 Et neſcio ſanè, quomodo ſuſtineri poſsit; cum Innocentius III. *in cap. Eccleſ. Sanctæ Mariæ de conſtit.* oppoſitum decreuerit, dicens: [Nos attendentes, quod laicis etiam Religioſis, ſuper Eccleſiaſticis perſonis, & Eccleſijs, nulla ſit attributa facultas imperandi.] Et Bonifacius VIII. *in cap. ſæcular. de Foro competenti in 6.* decernit: [Nullam ſæcularibus iudicibus cōtra perſonas Eccleſiaſticas iuriſdictionem competere.] Et Leo X. ſacro approbante Concilio Lateranenſi, *ſeſſ 9. in Bulla*, quæ incipit: [Supernæ diſpoſitionis arbitrio,] ſic determinat: [& cum à iure tàm diuino, quàm humano, laicis nulla poteſtas in Eccleſiaſticas perſonas attributa ſit.] Quæ verificari non poſſent, ſi poteſtatem haberent, eos ligandi legibus ciuilibus directè, & coactiuè. Qua vero ratione hi textus explicandi: conſtabit ex dicendis §. ſequente. Dicere autem hos textus eximere perſonas, non verò earum bona; ac proinde Clericos in perſonis puniri non poſſe, ſecùs in bonis: friuola diſtinctio eſt. tum, quia pœna pecuniaria, & in bonis fortunæ ſunt verè perſonarū pœnæ; tum quia, vt benè ait Suarez contra Regem Angliæ, *lib.4.cap.24.num.* 11. Bona ſemper adhærent perſonæ ipſius Clerici, & ideo tunc dicitur perſona perfectè, & integrè exempta, quando eius bona exempta ſunt: Tum, quia perſona Clerici ſimpliciter eſt exempta, & conſequenter etiam illa, quæ illi acceſſoria ſunt.

§. III.

Conſectaria.

11 AN verò inſiſtendo cōmuni doctrinæ aſſerenti, Eccleſiaſticos ſolùm teneri parere legibus ciuilibus ex vi directiua, ex hac teneantur *directè*? Non conueniunt Doctores. Affirmant nonnulli ſuprà citati. Sed in re morali quæſtio de voce eſt: rectius verò loquuntur, qui indirectè tantum obligari aſſerunt. Suarez *de legibus, lib.3.cap. 34.n.11.* [Quia ſi Rex (inquit) poſſet ſua lege directè, & ex vi ſuæ poteſtatis obligare Clericos ſuis legibus, eadem ratione poſſet tranſgreſſores earum punire, quod nullus concedit. Sequela probatur: Quia teſte Ariſtotele: Poteſtas directiua inefficax eſt ſine coactiua, ideòque vel eſt vna, & eadem vtrumque actum comprehendens tanquam finem, & medium, vel moraliter non ſeparantur.] Sic Suarez. Cui conſonat Vazquez 1.2.*tom.2.diſp.*167. *cap.4 nu.*29 dicens: [Eccleſiaſtici verè non ſunt ſubditi Principibus, cum ab eis puniri minimè poſsint; ergo id, quod lege Principū præcipitur, non ratione obedientiæ, & ſubiectionis; ſed vt conſonet toti Reipublicæ, facere debent; alioqui ſi obedire deberent, tanquam inferiores; ſequeretur, eos etiam incurrere pœnas lege ſtatutas. Impoſsibile enim videtur, aliquem ſubditum eſſe alteri, & ei debere parere iure obedientiæ; nihilominus ab eo non poſſe propter tranſgreſsionē puniri.] Igitur indirectè ſolum legibus Principum ligantur: ita cum alijs ſentit Diana *numer.*6. citatus, & pro hac parte adduci debēt quotquot aſſerunt, ex vi directiua teneri, & non exprimunt, an directè, vel indirectè: hoc enim ſupponunt; & textibus §. præcedenti allegatis, vbi nulla iuriſdictio ſæculari in Eccleſiaſticas perſonas competere dicitur; efficaciter ſuadetur.

12 Rogabis, ſit nè Clericis peccatū mortale, legibus ciuilibus non obedire? Partem negatiuam ſecluſo ſcandalo, defendit Bonacina *tr.de legib.diſp.1.q.1.p.6.nu.* 53. dicēs: [Vtrùm Clerici grauiter peccent tranſgrediendo leges ciuiles? Conſtat ex ſuprà dictis non grauiter peccare; poſito, quod directè non teneantur legibus ciuilibus.] Et cum Salas videtur putare probabile Diana *p.1.tract.* 10 *reſol.*12. & nouiſsimè Caſpenſis *in ſuo curſu Theologico, tom.1.tr.31. de legibus, diſp.4. ſect.2.num.*15. quem refert Diana *p. 6. tr.8. reſol.4. in fine.* Pro quorum ſententia a fortiori militabunt Doctores alij, qui nimis laxè ſcripſerunt, Clericos nullo modo ſubiectos eſſe legibus ciuilibus. Quorum veſtigijs inſiſtit Nauarrus *liv.1. conſ.* de conſtit. conſ. 3.*n.*4. vbi loquens de lege ciuili prohibente extractionem equorū extra Regnum, ſic ait: [Etiam ſi eſſet fauorabilis non obligaret eos (nempè Clericos) attēto, quod loquitur per verba præceptiua, vel prohibitiua, quorum etiam ſecundum receptiorem ſententiam, lex ſæcularis, etiam fauorabilis, & generaliter loquens non includit Clericos, ſi prohibendo, vel præcipiēdo loquatur, vt poſt alios tradit Decius] Sic Nauarrus, qui tamen non de omni lege ciuili, eodem modo diſcurrit: ſentit enim, Clericos vendentes triticū vltra pretium à Republica taxatum peccaturos mortaliter: *Sic in Manuali, cap* 23. *num.*85. [Porque los Clerigos, inquit, pueſto, que no ſean ſugetos a las leyes Reales, ſon empero à la ley natural, y diuina, que manda, que nadie venda lo que es ſuyo, allende el iuſto precio, el qual es el taſſado por el Rey, ò por los Gouernadores de la Republica, &c. Diximos

taſſa

Digitized by Google

taſſa juſta, porque la injuſta no obliga, ſegun latamente de todos.] Itaque opinio Navarri ſolùm verſatur circa leges ciuiles non taxatiuas iuſti pretij. Quod obſeruare oportet, ne occaſione huius opinionis, quam nonnulli amplexati ſunt, conſcientiæ laxentur habenæ: Præterquam quod, cum impoſita lege obligante rempublicam ob bonum ſui regimen, partes iure naturali debeant toti conformari, non eſt cur non æquè Clerici alijs iuſtis legibus, ac taxatiuis iuſti pretij; non obligentur, modo ſuperius explicato: & ita tenendum cum communi ſententia, §. primo graui authorum numero comprobata.

QVÆSTIO V.

An liceat locare domum meretrici nulla cauſa iuſta excuſante.

1 Sententia affirmatiua eſt communis Doctorum, vt illam defendēs teſtatur M. Petrus de Ledeſma *in ſum. p. 2. tr. 27. cap. 9. poſt concluſ. 6. fol. mihi 754.* ibi: [La dificultades, ſi alquilar las caſas à ſemejantes mugeres, que ſe ſabe las quieren, y habitan para pecar, ſerà pecado, por alquilarlas como para eſte efecto, y oficiò, &c. Digo, que ſi vno alquila la caſa à ſemejantes mugeres, no con intencion de que ſe ofenda à Dios, ſino con intencion de que las viuan, y habiten, no me parece, que peca mortalmente. Eſta ſententia tiene Maior, y tienenla comunmente los Doctores, y eſto ſignifica Manuel Rodriguez en la primera concluſion. Pruebaſe lo primero de la vniuerſal coſtumbre de todos los fieles, que tienē buenas conciencias, los quales ſin eſcrupulo ninguno alquilā ſus caſas à mugeres ſemejantes, ſabiendo, y entendiendo, que en ellas ſe han de exercitar en eſtos oficios malos. Luego ſeñal es, que alquilar eſtas caſas (attende) no es pecado alguno, &c.] ſic illè; quem citatum ſequitur M. Ioānes Martinez de Prado *tom. 1. Theologiæ moralis, cap. 15. quæſt. 12. §. 3. n. 16.* ibi: [Communiter authores contra Nauarrum docent, licere, locare domū meretrici, etiam abſque vrgenti neceſsitate. Probant Ledeſma, Lezana, Sanchez, Trullench, Diana, &c.] Et conſentit M. Paulus de Blanchis, ex eodem ordine *in diſceptat. caſuum conſcientiæ in litt. E. diſp. 1. dub. 3. fol. 366. concluſ. 1. in fine.* [Si non eſſet, qui locaret domum meretricibus, Reſpublica ipſa prudenter ædificaret illis domos ad euitanda maiora mala; ergo non erit peccatum, locare illis domum, vel vendere veſtes laxiuas ad ornamentum illarum, & quid ſimile facere.] Hæc M. Blanchis.

2 Idem tenent M. Ioannes de la Cruz *in direct. 1. p. 6. præcep. art. 3. dub. 3. concluſ. 2.* ibi: [Licet locare domos meretricibus, non hac intentione, vt in eis peccent, ſed vt ibi habitent, nam res indifferentes ad bonum, & malum, licitè venduntur, etiam ei, de quo certiſsimus, illis malè vſurum, ſed non in damnum tertij: dum tamen venditor nō intendat illum malum vſum, ſed vendere rem ſuam.] Idem etiam tradit *in 7. præcepto, q. 3. dub. 12. fol. mihi 71.* ibi: [Licet vendere res indifferentes ad bonum, & malum, & ſi alias, vt ait Caietanus, ſciat emptorem malè vſurum, ſed ſine damno tertij: licèt enim locare domos meretricibus contra Navarrum; *cap. 17. num. 195.* & contra alios relatos a Ludouico Lopez *tom. 2. cap. 193.* nec in hoc venditor conſentit peccato emptoris, cum non teneatur vitare eius peccatum, hoc medio negandi merces, ſed conſilijs bonis. Vide D. Thomam 2. 2. *q. 169. art. 2. ad 4.*] His accedit M. Bartholomæus de Medina *in ſum. §. 25. in fine, fol. 145.* dicens: [Si lo q̄ ſe vende ſe puede vſar bien, y mal, no es pecado venderlo; como vender naypes, ò dados, ò afeytes, de lo qual ſe puede vſar mal, y bien.] Et eſſe cōmunem teſtatur Leander a Marcia Capuccinus *in diſquiſit. in 1. 2. D. Thomæ, lib. 2. diſp. 5. reſ. 24. n. 9.* ibi: [Communiter Doctores contra Navarrum docent licere, locare domum meretrici, etiam abſque vrgenti cauſa, vt pluribus relatis probat Petrus de Ledeſma, Lezana, Sanchez, Diana, Trullench, & noſter Baſſæus.]

3 Eandem opinionem defendit M. Ludouicus Lopez *in inſtruct. p. 1. cap. 201. fol. 485.* ibi: [An liceat, locare domos meretricibus paratis ibi ad meretricandum? &c. Quartò dico, quod licèt Navarrus aſſerat difficilè defendi poſſe, quod non peccet mortaliter, &c. Sed quia contrarium ſeruat conſuetudo totiùs ferè orbis Chriſtiani, &c. & quia in Vrbe Romana ſciente, & patiente Papa, conſueuerunt locari domus meretricibus, & confeſſarij abſoluunt, & ſemper abſoluerunt locatores earum, ſine propoſito abſtinendi à tali locatione; ideò contrariū ſcilicet, quod liceat locare illis domos, quod ſine ſcrupulo affirmat Maior, non audet Nauarrus damnare propter prædicta.] Sic M. Lopez. His adde Villalobos *in ſumm. tom. 2. tr. 21. diffic. 16. n. 4.* ibi: [De lo dicho ſe infiere, que el que alquila vna caſa à vna muger publica, no peca, ſino es que lo haga cō mal animo, de que vſe mal de ella. La razon es, porque aqui no ſe dà cauſa al pecado, y ſi eſte no la alquilara, huviera otros que la alquilaran, y no eſtà obligado nadie à evitar el abuſo de aquellas mugeres; pues le permite la Republica, para evitar maiores males.] Cui alij

Digitized by Google

alij conſentiunt. Nam vt ait Auguſtinus, quē citatum ſequitur D. Thom. 2. 2. q. 10. *art.* 11. *in corpore.* [Aufer meretrices de rebus humanis, turbaueris omnia libidinibus.]

4 Pro hac opinione militat etiam Bonacina *tom.* 1. *q.* 4. *de matrim. punct.* 14. *num.* 5. ibi; [Quæres tertiò, vtrùm locantes domus meretricibus, excuſari poſsint à mortali? Reſpondeo excuſari poſſe, etiam ſi eas poſsint alijs commodè locare, quia vtuntur iure ſuo; tum, quia non cenſentur cooperari peccato illarum, nam locus ſe habet extrinſecè, & remotè ad peccatum, cum ex loco non ſoleat ſumi occaſio peccandi. Sic Valentia, Lopez 1. *p. cap.* 59. *verſ.* [Item an liceat,] & alij communiter. Quibus videtur adhærere Thomas Hurtado *tom.* 1. *reſ. Moral. fol.* 16. *n.* 119.

5 Conſentit etiam Antoninus, Diana *p.* 5. *tr.* 7. *de ſcandalo*, *reſ.* 26. vbi hanc verſans quæſtionem ait: [Hurtadus de Mendoza exiſtimat, ſi domus poſsit alijs locari, non poſſe licitè locari meretrici. Item propter ſolùm lucrum locationis, non eſſe locandam, ſi prudenter exiſtimetur, fœminam alibi non eſſe perditè victuram: tunc enim domus locatio excuſatur graui damno proportionato, & non minori. Alij autem, & rectius aſſerunt, etiam nulla alia iuſta, & vrgenti causa excuſante, licitum eſſe, locare domum meretrici publicæ. Ita Valentia, Salas, Sylvius, Salonius, & Merolla, &c. quia locatio domus nimis à peccato remota eſt, cum non ſit illius materia, nec occaſio.] Et in fine ſubiungit. [Quæ omnia contra Molfeſsium procedunt, etiam ſi domus locanda meretrici poſſet æquè commodè alteri locari.]

6 Sic loquuntur Doctores citati innixi doctrinæ Eminentiſsimi Caietani 2. 2. *q.* 10. *art.* 4. vbi ad hanc opinionem fundamenta iecit: ſic enim inquit; [ſi tamen diligenter conſideretur, quod vendendo iſta communia ad bonum, & malum vſum cum ſcientia, & ſine intentione mali vſus futuri, ex parte rei venditæ, non dat directè occaſionem peccandi, quia res talis non eſt principaliter ad vſum malum, ſed indifferens, & ex parte voluntatis nam eſt conſenſus ad hoc, vt iſte habeat opportuna ad ſacra ſua, ſed ſola ſcientia futuri vſus mali interuenit, apparebit, quod malus vſus, qui ſequetur, non eſt reſpectu ſic vendentis voluntarius, ita vt ſibi imputetur, ac per hoc non eſt peccatum.] Sic Caietanus ſuprà. Ex cuius diſcurſu præfatam concluſionem deduci, etiam contrariæ ſententiæ Authores fatentur.

§. Vnicus.

Iudicium Authoris.

7 HÆc ſententia pro meretricibus illis, quas Reſpublica ad maiora mala vitanda impune permittit, vera eſt: quia nemo earum peccata impedire tenetur, ſed ſolùmmodo eis non cooperari: nequeūt autem locanti domum attribui, cum habitatio valdè remotè conducat, & aliunde bono communi expediat notam habitationem habere. Quoad alias verò meretrices à Republica non permiſſas, vt domus illis locari poſsint, exiſtimo iuſtam aliquam requiri cauſam, vt à peccato excuſetur: quia ex charitate quiſque tenetur proximi peccatum vitare, ſi abſque ſuo incommodo poſsit, quo autem pauciores ſint, qui eiuſmodi mulieribus domos ſuas locent, eo magis huic vitio aditus præcludetur; & plura vitabuntur peccata. Ergo iure naturæ congruum, & debitum eſt, vt nemo eis domum ſuam locet, quando alius conductor reperiatur, cui abſque ſui graui incommodo, ſeu priuatione lucri, locare poſsit.

8 Pro hac opinione ſic explicata militāt Sanchez, Vazquez, Rebellus, & Caſtro Palao ex noſtra Societate, quos pro contraria, ad invidiam eis conciliandam, non nemo traduxit, ad cuius pœnam, eorum verba dabo. P. Thomas Sanchez *in ſumm. tom.* 1. *cap.* 7. *n.* 20. ſupponit cum Valentia, & Azorio, multum intereſſe inter materiam peccati, & locum; quia illa intrinſecè pertinet ad peccatum, & proximè ſe habet ad illud, ac proinde maximè ſumitur ex illa peccati occaſio, & ideò cauſa excuſanti opus eſt, quamvis ſic indifferēs ex ſe ſit, vt licitè miniſtretur. Locus autē omnino extrinſecè ad peccatum ſe habet, neque ex eo propriè occaſionem peccādi homines ſumunt, & ſi peccando loco abvtantur; ſicut, & aëre, cibis, & alijs ad vitam neceſſarijs abvtuntur. Quæ tamen illis dare abſque cauſa excuſanti licet.] Hæc verò ipſe Sanchez immediatè limitat, ſubnectens: [Hanc tamen ſententiam benè limitant Valentia, & Salon, niſi accideret, vt ob loci circunſtantiam aliquis peccatum admitteret, quod eo ſibi non conceſſo loco, minime perpetraret: tunc enim, ſi abſque ſuo detrimento poſſet, teneretur huic non locare domū. Quod idem ego credo, quando in ea domo ratione ſitus, aut alia, eſſet ſpecialis ad ea peccata committenda aptitudo, &c. Similiter etiam benè limitat Salon, niſi vicinia meretricis domum conducentis plurimum fœminis honeſtis vicini noceret: tunc enim ob id damnum neceſſaria eſt cauſa iuſta excuſans locan-

Digitized by Google

locantem, quam tamen eſſe cenſeo, ſi nequit commodè alij locare.] Hæc Sanchez.

9 P. Vazquez *opuſc. de ſcandalo, quæſt.* 43. *art.* 8. *dub.* 5. *num.* 38 aliquam etiàm requirit cauſam, nempè vtilitatem temporalem, qua caret, nō locata meretrici domo, ibi [Quare, ſi æquè benè poteſt vendere aliquis res ſuas alicui ſine vllo ſcandalo paſsiuo; non deberet vendere ei, quem ſit ſcandalizaudū, quia iam nulla vtilitate, etiam temporali bono, excuſantur ab euentu ſcandali. Hinc ſequitur (inquit) falſum docuiſſe Nauarrum *in ſum. Latina, cap.* 17. *num.* 195. cum aſſerit, licitum non eſſe locare domum meretrici, quæ ſcitur ab vſura illa domo in peccatum: quam ſententiam retractaverat *in ſum. Hiſpana. cap.* 28. &c. ſicut enim licitum eſt, petere mutuum ab vſurario, etiam cum periculo vſurarum, quia ille paratus eſt, petere vſuras, & ita peccaturus ex malitia, & propter peccatum ex malitia ſcandalizati, non eſt omittenda vtilitas temporalis. Eodē modo licitum erit meretrici, quæ parata eſt, fornicari, & peccare ex malitia, locare domum propter vtilitatem temporalem.]

10 P. Rebellus *lib.* 14. *q.* 17. *num.* 8. concluſionem etiam limitat, dicens, licere locare domum meretrici, aliquando verò id eſſe illicitum. [Quāvis ex prohibitione (inquit) humana, vel ſi ex eo præberetur occaſio cômittendi peccata aliter non committenda; quæ ſine damno notabili, locator vitare valear, illicita contra charitatem locatio reddi poſsit.]

11 Et denique P. Caſtro Palao *tom.* 1. *tr.* 6. *diſp* 6. *punct.* 12 poſtquam ſcripſit, communem ſententiam docere, nullam cauſam ad hoc requiri, ſed liberè te poſſe locare, & vendere domum, cibaria, & veſtes meretricibus ad illarum habitaculum, & ſuſtentationem; primo, quia hæc nimis à peccato remota ſunt, cum non ſint illius materia, neque occaſio. Secundò, quia veteris iure proprio res tuas locando, & vendendo: limitat hanc ſententiam, *num.* 3. dicens: [ſi tamen tua domus aptior ſit ad illam exercendam turpitudinem, exiſtimo te teneri, nec vendere, nec locare his perditis perſonis, ſi invenias alias, quibus loces, quia lege charitatis teneris, vitare peccata, quæ poſsis abſque tuo graui detrimento. Et ita tenent Ponacina, Valentia, Sanchez, & Rebellus ſuprà. Idē, quod dictum eſt de domo, dicendum eſt de veſtibus, quæ magis ad ornatum, & iuuenum animos alliciendos deſeruire poſſunt, quàm ad neceſsitatem.]

12 Vnum aduertere non omittam, ex principio illo vniuerſali, quo Thomiſtæ ſuprà citati defendunt, licitum eſſe, etiam abſque cauſa, domos locare meretricibus, M. Vincentium Iuſtinianum Dominicanum intuliſſe, non peccare læthaliter habentes domos expoſitas ad ludum, vt refert M. Ludouicus Lopez 1. *p. inſtruct. cap.* 182. Quod mordicus defendit Thomas Hurtado *in reſ. moral. tr.* 8. *cap.* 7. *reſ.* 84. *num.* 785. contra Sanchez, Molinam, Valentiam, & alios. Verum contraria ſententia eſt communis Doctorum apud Dianam *p.* 2. *tr.* 1. *Miſc. reſ.* 65. Vbi ſexdecim refert, quos ſequitur Sanchez *in Conſilijs, lib.* 1. *cap.* 8 *dub.* 21. *num.* 1. Quia locatio domus remotius ad peccatum ſe habet, quam miniſtratio alearum, & menſæ quæ in tali tempore, & loco, moraliter deſtinantur ad pravum vſum; provt excommuniter contingentibus, agnovimus. Secus verò dicendum in caſu, quo inconuenientia ceſſarent, iudicio prudentum; vt benè docet Tamburinus *in decalogo, lib.* 8. *tit.* 2. *cap.* 9. *n.* 34. Trullerch *in decalog. lib.* 7. *cap.* 27. *dub.* 1. Quibus fauet Lugo *de iuſt. diſp.* 19. *ſect.* 2. §. 4. *n.* 76. dum ex rationabili cauſa id licere exiſtimat. Ex hoc excuſari etiam poſſe à peccato artifices alearum, ait Caietanus 2. 2. *quæſt.* 169. *art.* 2. Vbi id verum putat, licèt chartis, & aleis communiter homines vterentur ad malum, cuius rationem reddit: [Quia hoc non eſſet imputandum artifici, ex quo vendit id, quo poteſt benè vti, & non vendit, vt male vtantur.] Sed ego a peccato contra charitatem in tali euentu non excuſatem, ſi abſque graui ſui incommodo poſſet aliam artem profiteri. Verùm vt modo res ſe habent, non communiter ad malum, ſed ad recreationem, chartis pictis Nobiles vti ſolēt; ideòque de læthali non ſunt damnandi earum artifices, nec habentes domos expoſitas ad eiuſmodi ludos. Quod enim vnus, vel alter his malè vtatur, cum ex malitia ipſorum procedat, non debet eos recipienti attribui, cum nec ille, nec alter, qui concurrunt ad ludum licitum, re ſibi vtili ad recreationem indifferentem ordinata, debeant privari, ob malitiam alienam. Leges autem prohibentes domos ludo exponere, quales refert inter alias, lex Regia 6. *tit* 14. *par.* 7. contraria conſuetudine ſunt abrogatæ, vt ex Homobono, Sals, Leſsio, & Filliucio tenet Diana *part.* 2. *tr.* 15. *reſ.* 65.

QVÆS-

QVÆSTIO VI.

An licitum ſit, ſe, vel alterum inebriare, ad recuperandam ſalutem?

1 AD huius quæſtionis reſolutionem, ſuppono primò, ebrietatē non eſſe ita intrinſecè malam, ac fornicationem, aut actionem aliam ex his, quæ in nullo caſu honeſtari poſsit. Antecedens probatur authoritate Angelici Præceptoris, qui non ſemel docuit, (licèt poſteà retractauerit) ebrietatem non eſſe peccatum mortale ex ſuo genere. Quod abſque aperta hæreſi de fornicatione dici non poteſt: legas, quæſo, illum, *in quæſtionibus de malo, q. 2. de peccatis, art. 8. ad 3.* vbi ſic ſcripſit [Dicendum, quod multoties, inebriari non eſt circunſtantia conſtituens ſpeciem peccari, & ideò ſicut ſemel inebriari eſt peccatum veniale, ita & multoties inebriari, per ſe loquendo.] Quod iterum tradit *q. 7.* Ex quibus Caietanus *2. 2. quæſt. 150. art. 2. §. Ad hoc dicitur*, ſic ait, [D. Thomas *in quæſtionib. de Malo quæſt. 2. art. 8. ad 3. & quæſt. 7. art. 4. ad* 1. ſenſit, quod ebrietas non eſt peccatum mortale ex ſuo genere. Hæc opinio ſequaces multos inveniret, niſi authoritas tanti Doctoris hic, & ſuperius *1. 2. quæſt. 88 art. 5. ad* 1. Expreſsè obſtaret.] Hæc ille. Ex quibus ſaltem deducitur ebrietatem non eſſe æquè intrinſecè malā, ac fornicationem: ſiquidem illius malitia tantùm Magiſtrum aliquando latere potuit. Quin obſtiterit illud Pauli *1. ad Chorint. 6. Nolite errare. Neque fornicarij, nec adulteri, nec ebrioſi Regnum Dei poſsidebunt.* Ex quo ipſemet Angelicus Præceptor *opuſc. 4. de ſexto præcepto legis*, ſic arguit [à Regno autē Dei non excluditur aliquis, niſi per peccatū mortale, eſt ergo peccatum mortale, &c. Eſt ergo hæreſis dicere fornicationem ſimplicem nō eſſe peccatum mortale.] Igitur iuxta D. Thomam non inconſequenter loquuntur Doctores, qui ebrietatem ex aliquo fine honeſtari poſſe defendunt, ſecus fornicationem, & voluntariam pollutionem: iſtæ enim ex nullo poſſunt, vt de fide certum omnes Theologi tenent. Sunt enim aliquæ actiones, vt ait Angelicus Doctor *Quodlibeto 9. art. 15. in corpore.* [Quæ habent deformitatem inſeparabiliter annexam, vt fornicatio, adulteriū, & alia huiuſmodi, &c. ſunt verò quædam actiones, quæ abſolutè conſideratæ deformitatem quandam important, quæ tamen, aliquibus circunſtantijs advenientibus, bonæ efficiuntur, ſicut occidere hominem, vel percutere.] Difficultas ergo eſt, an ebrietas inter has numerari poſsit.

2 Suppono 2. ex D. Thoma *2. 2. q. 150. art. 2.* ad incurrendum peccatum ebrietatis, ſufficere. [Quod quis advertat potum eſſe immoderatum, & in ebriantem: & ſic (inquit) ebrietas eſt peccatum mortale.] Advertit verò Sanctus Doctor, potationem ſano immodicam, & noxiam eſſe aliquando ægroto ſalubrem, moderatam, & modicam: quia cum cibus, & potus ſumi oporteat, vt conuenit incolumitati corporis; [tunc fit, inquit S. Doctor, vt potus ſano ſuperfluus, infirmo ſit moderatus.] His poſitis.

3 Dico 1. nullum eſſe peccatum, ex cōſilio periti medici, ſumere largiorem potum ad ſanitatem recuperandam, etiam ſi infirmus agnoſcat illo inebriandū. Ratio à priori ſumitur ex doctrina D. Thomæ, quia reuera tunc ille potus immoderatus illi non eſt. Potus enim moderationem accipit per ordinem ad naturalem corporis valetudinē, & indiuidui conſiſtentiam: ac proinde in tali euentu ſemper remanet intra limites moderati; & vt ex Caietano refert Vincentius Baronius, *2. p. Manuduct. diſp. 1. ſect. 1. fol. 59.* ebrietas à medico præcepta, à fine à natura conſtituto non recedit, imò ad illum confert, & omnino neceſſaria eſt.

4 Ideò hanc ſententiam defendit Caietanus *in ſumm. verb. Ebrietas*, vbi ſic: [Siquis ex intentione inebriaretur, ex diſpoſitione artis medicinæ, propter ſanitatem, non eſſet ebrietas peccatum etiam veniale.] Quod tradiderat *2. 2. q. 150. art. 2.* cuius ratio, inquit, eſt, [quia ebrietas in illo caſu non eſſet ebrietas formaliter, quæ eſt peccatum, ſed materialiter tantum: quoniam non eſſet ex delectatione in potu vini, & eſſet licita,] & ibidem *§. Ad hoc dicitur* ſubnectit, [eſſe mētem Diui Thomæ *art. 2. ad 3.*] Quem ſequuntur Almainus, Maior, Zelaya, & Palacios, apud Sanchez *lib. 9. de matrim. diſp. 9. num. 2.* & alij, quos citatos ſequuntur Salas *1. 2. tom. 2. q. 88. tract. 13. diſp. 16. ſect. 30.* & Valentia *2. 2. diſp. 9. q. 30. punct. 2.* [Quod ipſum, inquit, re vera ſenſit D. Thomas, vt Caietanus, & Sylveſter adnotarunt.] Idem ſentiunt Armilla, Nauarrus, Reginaldus, Molfeſius, Bonacina, Fernandez, quos refert, & ſequitur Doctor Garſi *cent. 3. cap. 39.* ibi: [Neque negandū, inquit, eſt vini potui, quod alijs medicamentis conceditur: ergo cum liceat ſuffitu tabaci, vel oppio, vel alijs, rationis vſu priuare; quando id exigit ægritudo curanda, licebit idem facere vini potu nimio,] ſic ille. Quibus adde Petrum de Ledeſma *in ſumm. p. 2. tract. 27. cap. 3. in fine*, vbi ait: [El comer, y el beber ſe ordena de ſu naturaleza, à la conſeruacion del indiuiduo, y à la conſiſtencia dèl, y aſsi (attende) es licito en algún caſo beber demaſiado, aunque ſe ſiga embriaguez, ſi eſto es neceſſario para la ſa-

Digitized by Google

ſalud, y conſiſtencia del indiuiduo.] Cui cõſentit M. Araujo 1. 2. *quæſt.* 74. *art.* 10. *dub.* 2 & Fr. Patricius Sporer *in Tyrocinio Theolog. moral. p.* 3. *cap.* 4 *num.* 198. Vbi de ebrietate loquens, ſic ait: [Eſt exceſſus voluntarius in potu inebriante, voluptatis gratia, vſque ad priuationem, vel grauem perturbationem vſus rationis, &c. *Dicitur voluptatis gratia*: ob alium enim finem, v. g. ob recuperandam ſanitatem (attende Lector) vel dum vſtio, ſectio, alia vè enormis medicina ſuſtinenda eſt, licitum eſt forti hauſtu ſe inebriare. Nec enim tunc abſurdum iudicat recta ratio ad breue tempus vſu rationis deſtitui (quod etiã in ſomno accidit) vt reparata valetudine, munera rationis rectius præſtentur.] Ex quibus conſtat largiorem ſolito potũ, ex præcepto medici, moderatum eſſe, & malitiæ ebrietatis expertem, licèt rationem perturbaturum prævideatur.

5 Quorum diſcurſus idem ſuadet de ipſa ebrietate formaliter, nempè de violenta priuatione vſus rationis, ſi eiuſmodi priuatio per ſe, vel ratione ſui, ſit medium neceſſariũ ad conſiſtentiam indiuidui: (quod an aliquãdo ſit, meum non eſt diſputare) Probatur authoritate D. Thomæ 1ª 2. *q.* 88. *art.* 5. *ad primum*. Vbi ad peccatum ebrietatis exigit, quod abſque neceſsitate, ex ſola voluptate vini procedat. [De ebrietate, inquit, dicendum eſt, quod ſecundum ſuam rationem habet, quod ſit peccatum mortale. Quod enim homo, abſque neceſsitate, reddat ſe impotẽtem advtendam ratione, per quam homo in Deum ordinatur, & multa peccata occurrẽtia vitat, ex ſola voluptate vini, expreſse cõtrariatur virtuti.] Ergo iuxtà D. Thomam, ſi ex neceſsitate, & non ex ſola voluptate, quis intenderet ſe impotentem reddere ad vtendum ratione, malitiam ebrietatis non contraheret: & potiori iure, ſi voluptatem non intenderet, quæ ſecundum D. Thomam, vbi ſupra, ad formale peccatum ebrietatis requiritur. Quem ſequitur Caietanus 2. 2. *q.* 150. *art.* 2. dicens: peccatum ebrietatis conſiſtere [In hoc, quod propter delectationem in potu, non curaret quis ſciens, & volens privare ſe vſu rationis.] Quorum ſentẽtiam amplectitur M. Araujo 1. 2. *q.* 74. *art.* 10. *dub.* 2. vbi reddens diſparitatem, cur infirmus poſsit licitè ſumere medicinam per ſe cauſatiuam ebrietatis, non verò ſumere cauſatiuam pollutionis? Contra Albarez vtrumque negantem ſic ait: [Sed verior eſt opinio Sylveſtri admittentis antecedens, & negantis conſequentiam; quia emiſsio ſeminis, cum per ſe ordinetur ad generationem prolis, & conſervationem ſpeciei; (attende) inordinatè fit, & aſſumitur tanquam mediũ ad conſeruationem indiuidui, quod eſt infe-rius bono ſpeciei: ebrietas autem, cum tantùm ſit alienatio ſenſus, & mentis, quæ ſunt bona indiuidui; convenienter ordinari poteſt ad ſalutem eiuſdem indiuidui, quando ad illam eſt medium vtile, aut neceſſarium.] Hæc M. Araujo: Cui conſentit Patricius Sporer, vbi ſupra citatus, qui eiuſmodi alienationem ſenſus, & mentis, non ſolùm ob ſanitatem indiuidui, ſed ad torporem ſenſus, quo dolorem vitet, dum vſtio, vel ſectio ſuſtinenda eſt, licitè intendi poſſe, exiſtimauit.

6 Ex quibus deducitur peccatum mortale ebrietatis conſiſtere in actu ſumendi, ſcienter potum inebriantem abſque neceſſitate. In quo caſu, ebrietas inſeparabilẽ habet deformitatem grauem ratione damni grauis conſiſtentis in violenta alienatione mentis. Quod ſi, ex neceſsitate ebrietas contingat; intendatur vero delectatio ex largiori potu conſurgens, à culpa veniali excuſari non poterit, quia vt ait D. Thomas 2. 2. *q* 148. *art.* 2. Vitium gulæ conſiſtit in concupiſcentia inordinata.] Itaque in duplici caſu, eſt inſeparabilis deformitas ab ebrietate: vel quia ex concupiſcentia inordinata delectationis, vel, quia, abſque neceſsitate, potus inebriãs aſſumitur. Ex primo capite malitiã contrahit præſcindentem à graui, & levi, quia inordinatio finis in hoc caſu aliam non derivat: Ex ſecundò verò grauem malitiam ſortitur, quia vitium gulæ, ratione grauis damni, quod propriæ ſaluti affert, graue peccatum conſtituit. Vt docent communiter Theologi.

7 Quod autem mentis alienatio graue indiuiduo damnum inferat, eſt conſtans Sanctorum Patrum, & Theologorum ſententia; quos congerit P. Valentia vbi ſuprà, de quo non eſt controuerſia. Dubitatur vero, an adeò graue ſit, vt omnia alia damna, etiã vitæ iactura, ſint illi poſtponenda? Et quidẽ quando largior potus alium habet effectũ, qui à medicina intenditur, licèt prævideatur alienatio mentis futura, longè minor eſt difficultas: quia certum eſt, ebrietatẽ non eſſe magis intrinſecè malam, quam pollutionem, vel aborſum; quæ licet non poſsit aliquis directè intendere, etiam ſi ad ſanitatem matris, vel ſubiecti, neceſſarium ſit; poteſt tamen adhibere medicinam, vel ſumere potionem directè tendentem ad propriã vitam conſeruandam; licèt obiter ſemen expellendum ſit, vel aborſus ſequatur. Videatur Diana 3. *p. tr.* 5. *Miſcell. r. reſ.* 13. & 6. *p. tr.* 8. *reſ.* 37. Ergo ſimiliter, licèt alienatio mentis in nullo caſu poſſet licitè directè intendi; id non obſtaret, quod poſſet indirectè permitti, in cauſa habente alium effectum. Si autem ipſamet alienatio mentis ſuppona-

ponatur medium neceſſarium ad ſalutem & directè intendatur, maior eſt difficultas: attamen argumenta ſuperius facta, & Doctorum authoritas, idem de illa dicendum, probabiliter ſuadent; quia non apparet ita intrinſecè mala, quod circunſtantia neceſsitatis ad conſeruandam vitam indiuidui, non poſsit illam honeſtare. Ex quo principio ortum habuit ſententia Patricij Sporer vbi ſuprà, qui ipſam alienationem mentis directè intendi poſſe iactauit. [Dū vſtio, ſectio, aliavè enormis medicina ſuſtinenda eſt.] Hæc enim damna longè grauiora ſunt indiuiduo, in eius ſententia, quam violenta mentis alienatio.

8 Cæterum ad has anguſtias nos reduci opus non eſt, vt ad quæſtionem propoſitā reſpondeamus; ſufficit enim, quod extrema neceſsitas conſervandi vitam a ſumptione largioris potus inebriantis excuſare valeat, licèt aliæ cauſæ non ſufficiant, nec directam intentionem alienationis mentis defendimus, niſi ex ſuppoſitione, quod iudicio medicorum, ſit medicum neceſſarium ad ſalutem.

§§§.

Conſectarium.

9 EX quæſtionis præcedentis reſolutione, alterius valde controuerſæ deciſio dependet: nimirum, an ſola neceſsitas ab intrinſeco, id eſt ab infirmitate; an etiā ab extrinſeco proveniens, v.g. ex malitia tyranni minantis mortem violentam, niſi nimio potu cauſaturo ebrietatem, replearis, poſsis abſque læthali ſumere? Negabunt D. Antoninus, & Summiſtæ alij, qui ex nullo fine poſſe honeſtari cenſent. Affirmant verò Martinus de Magiſtris, qui vt refert Caietanus 2.2.*q.*150.*art.*2. docuit: [Ad evitandam ſæuitiam Tyranni, vel infidelis, hominem poſſe ſe inebriare.] Et eſſe conſequētiam neceſſariam ex opinione concedente licitam ebrietatem, pro conſeruanda vita, cuius periculum ab intrinſeco imminet, docent Villalobos *in ſumm. tom.* 2. *tr.* 40. *diffic.* 6. *num.* 5. P. Leſsius *lib.* 4. *cap.* 3. *de ebrietate, dub.* 4. *num.* 37. dicens: [Ita mecum tenēt multi viri docti in hac vniuerſitate, (nempè Lobanienſi) conſulti.] P. Laymam *lib.* 3. *ſect.* 4. *n.* 5. vbi ait: [Ex qua doctrina non improbabiliter Leſsius infert, licitū eſſe inebriari mortis vitandæ cauſa] Et probabilem eſſe dicit Diana, deficiente ſcandalo: [licitum, inquit, eſt, te inebriare vitandæ mortis cauſa, quam tibi aliquis per violentiam minatur, ni propinanti reſpondeas, modo abſit ſcandalum.] Et vt notat Villalobos *num.* 5. ex doctrina Caietani. [No ſe ha de llamar embriaguez, porque no lo haze voluptati cauſa.] Quos ſequitur Doctor Garſi vbi ſuprà.

10 Probatur primò authoritate D. Thomæ 1.2. *q.* 88. *art.* 5. *ad* 1. verbis, vbi ſuprà, ex illo datis; vbi ex eo probat, ebrietatem ſecundum ſuam rationē havere, quod ſit peccatum mortale; [quod homo abſque neceſſitate reddat ſe impotentem ad vtendam ratione ex ſola voluptate vini.] Ergo iuxta D. Thomam, ſi ex neceſsitate, & non ex ſola voluptate, aliquis ſe impotentem redderet ad vtendum ratione, malitiam ebrietatis nō contraheret: & potiori ratione, ſi voluptatē nullo modo intenderet, ſed ſolùm mortem ab extrinſeco ſibi imminentem euitare: neque enim D. Thomas neceſsitatem ab intrinſeco prouenire debere aſſerit. Confirmatur ex Caietano 2.2. .150. *art.* 2. vbi: [Peccatum ebrietatis (in hoc conſiſtere dicit) quod propter delectationem in potu, nō curet quis ſciens, & volens priuare ſe vſu rationis.] Ergo cum in caſu præſenti, non propter delectationem in potu, velit homo indirectè priuationem vſus rationis, ſed propter mortem vitandam, peccatum ebrietatis nō incurret.

11 Secundò probatur, quia ex vera neceſsitate fit, quod aſſumitur, vt medium neceſſarium, ad evitandam mortem in his circunſtantijs: nec minor eſt neceſsitas ex eo, quod ab extrinſeco, quam ſi ab intrinſeco proveniret: ſed quando ab intrinſeco prouenit, licitum eſt ſumere potum inebriantem: ergo & quando ab extrinſeco Maior, in qua ſola eſt difficultas, probatur authoritate Doctorum. M. Victoria *in relatione de temperantia, num.* 6. [Si hoc, inquit, (nempè veſci carne humana) in extrema neceſsitate eſt licitum, (vt docet Caietanus 2.2. *q.* 148. *art* 2. §. *Ad ſecundum vero*;) ergo etiam, ſi timore Barbarorū aliquis cogeretur comedere. Nihil enim facit, an timor ſit ab intrinſeco, vel ab extrinſeco illatus.] P. Thomas Sanchez *in ſumm. lib.* 1. *cap.* 18. *num.* 13. [vt benè ait Victoria. Nil refert, ſiue metus mortis ab intrinſeca neceſsitate conſurgat, ſiue ab extrinſeco inferatur. Cum vtrobique eadem vitandæ mortis neceſsitas hunc eſum excuſet.] M. Petrus de Ledeſma 2. *p. ſumm. tract.* 4. *cap.* 3. §. *A eſto ſe reſponde.* [La neceſsidad, inquit, extrema, es en dos maneras; vna como intrinſeca, que nace de adentro: otra extrinſeca, y nace de la malicia de otro.] Sic ille. Quem ſequuntur Bonacina *diſp.* 3. *q.* 5. *punct.* 6. & Baldellus *lib.* 3. *diſp.* 30. *num.* 26. ibi: [Parum videtur referre, quod neceſsitas ex morbo ſit inducta intrinſecus, & neceſsitas a Tyranno ſit inducta extrinſecus. Doctor Garſi *cent.* 1. *cap.* 20. *num.* 11. [Neceſsitas

ex

ex eo, quod ab extrinſeco ſit, non deſinit eſſe extrema: ergo illi ſuccurrendum eſt, non minus, ac ſi eſſet ab intrinſeco.] Idem ſentiunt Baſilius de Leon *lib.10.de Matrim.cap.13.num.2.* Petrus de Nauarra *in noua editione, lib.2.de reſtit. cap.3. difficul.2. de indirectè accidente, num 130* Leander à Sacramento, *tom.5.de irregularitate, tract.2.diſput.11. quæſt.2. verſ.1.* Franciſcus Galetti *in Margarita caſuum, verb. Neceſsitas in fine*, ibi: [Nil refert an periculum ſit ab intrinſeco, an potiùs ab extrinſeco, dummodo vtrumque ſit probabile, ad hoc, vt propria vexatio iuſtè redimatur.] Antoninus Diana *3.par.tr.5.Miſcel.reſol.51.* [Non refert, (vt aſſerebat Sotus) quod neceſsitas inducatur ab extrinſeco; imò quanto plus eſt ab extrinſeco, & violenter proveniens ab aliena malitia, tantò eſt maior neceſsitas] cui conſentit Doctor Ioſeph Garſi *cent.1.cap.20.n.9.*

12 Vrgetur, quia ex eo, quod in extrema neceſsitate licitum ſit vti bonis alienis ad ſuſtentationem neceſſariam ad vitæ conſeruationem, inferunt communiter Doctores idem licere, quando ad vitandam mortem ab extrinſeco imminentem, id eſſet neceſſarium. Diana *3.part.tract.6. Miſcellan. reſol.48. & 5.part.tract.7.reſol.30.* Thomas Hurtado *tom.2.tract.12.cap.1. numer.1419.* Verricelli *tom.1.quæſtionum Moralium, tractat.2.quæſt.35.ſect.3.n.22.* pro ſe referens Molin. Cardin. de Lug. *de iuſtit. tom.1. diſp.16.ſect.7.num.154.§.Priorem partem.* Palao *tom.1.tract.6.diſp.6.punct.11.num.12.* Pater Vazquez *opuſc.de teſtamentis, cap.5.§.1.* vbi inquirens. An mater, quæ ſcit filium ex adulterio conceptum, teneatur cum diſpendio mortis, illud revelare, ne filij legitimi contra iuſtitiam hæreditate priuentur? Poſtquam affirmatiuam Adriani ſententiam propoſuit. Sic ait: [Oppoſita ſententia placet, quam omnes cæteri Authores ſequuntur. Ratio ergo, quæ contra Adrianum probat euidenter, ea eſt, quod ex eo, quod retineatur pecunia, ne mortis damnum ſequatur, creditor non eſt rationabiliter inuitus. Ergo mulier in eo caſu non tenetur reuelare veritatem; aliàs ex conſequenti (attende) ille, qui eſt in extrema neceſsitate, teneretur reſtituere debitum: tam enim in vno caſu, quam in alio, imminet mortis periculum, licet in vno à fame, in alio ab aduerſarijs.] Sic Vazquez.

13 Confirmatur, quia ex eo, quod propter neceſsitatem ex infirmitate ortam, liceat ex conſilio periti medici, manum, vel brachium ſibi amputare, ad vitandum mortem imminentem: Inferunt Doctores idem prorſus licere, quando ex malitia Tyranni ab extrinſeco imminet. M. Bañez, & M. Ledeſma, quos refert, & ſequitur M. Serra *2.2.q.64.art.6.§.3. Si Tyrannus, & in reſponſione ad 3.* Petrus de Nauarra *lib.2. de reſtit. capit.3.* Aragòn *2.2.quæſt.65. art.1,* Toletus *libr.5 ſummæ, cap.6.* Molina *4.tom. diſp.10.num.2.* Leſsius *lib.2.de iuſtit.cap.9.dub.14.* Quibus adde M. Acatium de Velaſco *tom.2. verb.Homicidio, reſol.35.num.6.* ibi: [Eſto ſe ha de entender aora la ſalud provenga, y dependa de cauſa intrinſeca, ò extrinſeca.] Et infrà. [Si ſe le dieſſe a eſcoger, que ſe cortaſſe vn miembro, ò le quitarian la vida, podria muy bien cortarſele, para euitar mayor daño, con que ſe juſtifica la accion.] Ergo ſi alicui daretur electio, *aut bibas vſq; ad ebrietatem, aut necaberis*, poſſet iſte bibere, vt maius ſibi damnum vitaret. Nec obſtat, ebrietatem per ſe, ad mortem ex malitia alterius vitandam, non ordinari: quia, vt benè ait Leſsius *vbi ſuprà lib.4 cap.3.dub.4.n. .. .37.* licitum eſt ad vitandam mortem re[illegible] facere, quæ per ſe ad hcc non ſunt ordinata, alioquin non licuiſſet, ſibi amputare manū, ad mortem à Tyranno imminentē redimē-dam, quia illius abſciſsio nullo modo per ſe ad iſtud ordinatur, & extra hoc periculum graue peccatum eſſet. Quod alijs exemplis ibidem confirmat, in quibus licitum eſt lædere ſanitatem, & corporis integritatem, ad vitandam mortem ex alterius malignitate impendentem. [Ergo etiam (inquit) licitum erit lædere rationis vſum, ad breue tēpus, ob eamdem cauſam, quia etſi dominium iſtorum non habeat, habet tamen cuſtodiam in ordine ad bonum totius, ac proinde poteſt de illis diſponere, prout eſt neceſſarium ad ſalutem totius.]

14 Ratio huius ſententiæ ex ſuperiùs dictis ſumenda eſt; quia ſicut in caſu morbi excuſatur ebrietas à peccato, eo quod circumſtantia neceſsitatis vitandi mortem efficit, quod potus ille largior vini, qui abſolutè, & ſecundum ſe, in alijs circumſtantijs, eſſet nimius, & immoderatus, deſinat eſſe talis, reſpectu hominis affecti morbo; ita ſimiliter videtur dicendum, nec nimium, nec immoderatum cenſeri homini, cui mors aliter ab extrinſeco imminet. Quia medium virtutis verſantis circa paſsiones, à ratione præſcribitur, ſecundum omnes circunſtantias, atque adcò maximè per reſpectum ad operantem. Cui, cum minus damnum ſit priuari violenter vſu rationis, ad aliquod tempus, quam priuari vita: prudenter operari videtur, dum minus eligit ad maius damnum vitandum. Atque adeo hæc circunſtantia honeſtabit actionem inferendi, ſibi hoc graue damnum priuationis vſus rationis. Quæ, inquit Leſsius, in hoc caſu. [Non eſt intenta, ſed ſolùm permiſſa,

quam non tenetur cum tanto ſuo malo impedire.]

15 Obijcies, contra ſuperius dicta, dictum Auguſtini, ſermone 232. [Etiam ſi ad hoc veniretur, vt tibi diceretur, aut bibas, aut morieris; melius erat, vt caro tua ſobria occideretur, quamquod per ebrietatem anima moreretur.] Eſt ergo peccatum mortale ebrietatem eligere ad mortem, ex malitia alterius imminentem, vitandam. Reſpondeo cum Pater Leſsio, & alijs, D. Auguſtinum loquutum in caſu, quo quis cogeretur bibere in contemptum virtutis. Aliàs eodem prorſus modo deberet infirmus, potiùs ſobrius mori, quàm ſe inebriare, vt vitam corporis conſeruaret: ſicut ergo iſte mortem animæ non amplectitur, amplectendo ebrietatem, ita neque ille, quia neuter in contemptum temperantiæ Chriſtianæ efficit electionem potus inebriantis. Authoritas autem Auguſtini contra vtrumque, verborum corticè, æquè militat; ac proinde eamdem pro vtroque ſolutionem admittit.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm ad vitandum graue malum, quod aliter vitari non poteſt, licitum ſit inebriare authorem?

1 QVæſtionem hanc verſat P. Leſſius loco ſupra citato *libr. 4. cap. 3. dub. 4. num. 33.* ad cuius deciſionem, proponit caſum meditantis proditionem oppidi, in certam horam; vel impedientis, ne oppidum, quod eſt in rebelium hæreticorum poteſtate, ſuo Principi, condicto tempore, tradatur; nec ſuppetit aliud medium ad ſcelus tantum auertendum. In quo caſu, & ſimilibus quæſtioni reſpondet, [videri ſibi licitum prouocare ad æquales hauſtus, & alterum inebriare. Hoc eſt potu conſopire.] Cuius ſententiam amplectuntur Villalobos *in ſumm. tom. 2. tract. 40. diffi. 6. n. 9.* Cuius hæc ſunt verba. [Si ſuccedieſſe, que alguno quiſieſſe hazer algun gran mal, el qual no ſe podia impedir, ſino es embriagandolo, ſeria licito brindarle vno que tiene buena cabeça, para embriagarle, como dize Leſsio: y lo miſmo dize, ſi huvieſſen a vno preſo vnos ſalteadores, que no ſe puede librar de ellos, ſino embriagandolos.] Et Fr. Ludouicus a Conceptione *in exam. Theolog. Moral. part. 1. tract. 2. de reſtitut. caſu 27. numer. 18.* dicens: [Licitum eſt paratum ad aliquod facinus patrandum, conuiuio recipere, & multos hauſtus vrgendo ad ebrietatem prouocare.] Quorum ſententiam probabilem eſſe dicit Diana *6. part. tract. 7. reſol. 43.* Cuius ratio eſt, quia licitum eſt ſuadere, & inducere ad minus malum, vt impediatur maius, vt communiter Doctores tradunt, atque hic nil aliud fit. Ergo, ſic P. Leſsius vbi ſuprà *num. 33.* in fine, ex quo reliqui.

2 Hæc ſententia ex prejacto principio mihi placet. Quod defendunt M. Sotus *de iuſtit. lib. 4. quæſt. 7. art. 3.* ad finem, ibi: [Conſulere minus malum ad vitandum maius, dico, quod nulla ſit culpa, imò ſit quandoque virtus.] Caietanus *in ſumm. verb. Tyrannis.* [Sicut luxurioſo ſancte conſulitur, vt non adulteretur, ſed fornicetur.] Idem tradunt Sylveſter, Armilla, Medina, & alij innumeri, quos ex eodem ordine citatos ſequitur M. Serra *2. 2. artic. 7. dub. 1.* Thomas Sanchez *tom. 2. de Matrim. lib. 7. diſput. 11. à num. 15.* Diana *5. part. tract. 7. reſol. 18.* & plures apud illos, & vt aiunt M. Sotus, Nauarrus, Gutierrez, & Aragòn, apud Sanchez ſupra, eſt ſententia D. Auguſtini *lib. 2. de adulterinis coniugijs, cap. 15.* & refertur cap. Si quod verius *33. quæſt. 2.* vbi cuidam, qui vxorem decreuerat necare, vt aliam duceret, conſulit, adulterium potiùs committat, quam vxoricidium. [Si enim (inquit Auguſtinus) facturus eſt, quod non licèt, iam faciat adulterium, & non faciat homicidium, vt viuente vxore ſua, alteram ducat, & non humanum ſanguinem fundat.] Quibus D. Auguſtinus minùs malum, de quo proximus non meditabatur, apertiſsime conſulit ad vitandum maius. Quod licitum eſſe probat Sanchez vbi ſuprà, cum grauiſsimis Theologis; & apertis teſtimonijs Sanctorum Patrum Epiphanij, Gregorij, & Chryſoſtimi, ad 30. Authores referens. Quo principio ductus Cardinalis de Lugo *tom. 1. de iuſtit. diſput. 10. ſect. 1. num. 39.* Difficiliorem concluſionem elicuit, dicens: [Si Tyrannus decreuiſſet grauius aliquod malum facere, ad illud impediendum, poſſes ei conſulere, vt te occideret.] Ergo licitum eſt, conſulere ebrietatem determinato ad homicidium, vel proditionem ciuitatis: ebrietas enim minus malum eſt.

3 Ratio a priori noſtræ concluſionis eſt, quia conſilium non habet pro obiecto minus peccatum, cuius malitia, vel formaliter, vel eminenter in grauiori continetur, ſed fugam exceſſus; quo ab iſto ſuperatur, nec enim conſulens petit minoris mali executionem, ſed ſolam præ electionem. Quod obiectum, vt benè inquit Sanchez ſuprà, non eſt malum, ſed bonum. Velut explicat Lugo, & conſtat ex verbis D. Auguſtini ſupra datis; illud conſilium de minori malo non eſt abſolutum, ſed conditionatum implicitè, vt ſi vnum è duobus peccatis effectu-

rus

rus eſt, faciat potiùs minus graue. Quod cum Caietano, Soto, & Salon prædocuerat P. Sanchez ſuprà *num.* 22. & P. Leſsius vbi ſuprà *num.* 34. adnotans, non eſſe opus conditionem exprimere, quando noſcitur, nil ad malum impediendum prodeſſe; ſed ſufficere, vt mens tua ſit, illud minus obijcere, velut illecebram, vt dum circa illud occupatur, poſsit impediri maius, nec enim huius animus eſt, vt abſolutè faciat, ſed vt potiùs faciat, quam illud maius, quamvis ob iuſtas cauſas idem non exprimas, ſicut medici in morbis deſperatis, vt mortem auertant, venena quædam minorem noxiam inferentia adhibere ſolent.

4 Cui fauet doctrina Caietani 2. 2. *quæſt.* 150. *art.* 2. *in fine*, dum ait: [Qui ex medicinæ neceſsitate inebriat alium, non niſi materialiter ebrietatem incurrit, quoniam non tendit ad delectabile, quod eſt formale in ſpeciebus temperantiæ.] Ac proinde non peccaret. [Quia ebrietas in illo caſu non eſſet ebrietas formaliter, quæ eſt peccatum.] Vt tradit ipſemet Caietanus §. [Ad hoc dicitur,] & in fine articuli ſecundi ſuprà citati. Cum igitur, qui ad maius damnum vitandum, alterum inebriat, non tendat ad delectabile; non niſi materialiter, ebrietatem incurret & conſequenter ebrietas, in illo caſu reſpectu ſuadentis, non eſſet peccatum, quia non eſſet ebrietas formaliter, in qua ſtat malitia peccati.

5 Dico ſecundò: quoties licèt ebrietatem conſulere, licitum eſt ad illam inducere. Hæc concluſio euidenter deducitur ex prima, quia conſilium quædam inductio eſt, non ad malum, vt diximus, ſed ad prælectionem minoris mali, quæ bona eſt. Ita P. Thomas Sanchez vbi ſuprà *num.* 16. dicens: In hoc conuenire Caietanum, Sotum, Angelum, Nauarrum, Armillam, Ludouicum Lopez, & alios in alijs caſibus loquentes: En Caietani verba *in ſumm. verb. Tyrannus.* [Excuſantur, inquit, à peccato inducendi Tyrannum ad actum, & opus ſibi illicitum, quia non petunt actum illicitum, ſed iuſtitiā actus illius illiciti,] & infra: [Eadem autem ratio eſt de ſuadente, & petente.]

6 Dico tertiò: licitum etiam eſt, offerre potum inebriantem parato maius malum committere, vt ab illo deſiſtat, ſi aliter auerti non poſsit: Probatur, nam cui licèt minus peccatum conſulere, licèt etiam eius materiam offerre. Ita docet, & benè Doctor Garſi *cent.* 3. *cap.* 39. vbi pluribus argumentis id ſuadet. Hæc concluſio neceſſaria conſequutione deducitur ex doctrina excuſantium à peccato factum Loth. Geneſis 19. qui proprias filias obtulit ſtuprandas Sodomitis, qui corde ſtatuerant hoſpitibus, quos domi exceperat, ab vti; quia licèt lex charitatis ad peccati occaſionem tollendam obliget, id verum habet, niſi neceſsitas vitandi grauius malum aliud ſuadeat. Qua propter Caietanus, Arboreus, Oleaſter, Couarrub. Valentia, & alij apud Sanchez *lib.* 7. *de Matrim. diſput.* 11. *numer.* 18. à noxa liberant illud factum, quia materiam minoris mali obtulit. Quibus conſentiunt D. Thomas, D. Ambroſius, Aragon, & alij, ideò excuſantes, quod minus delictum ſit, ſecundum naturam coire, quam contra naturam delinquere. Deindè probatur ex Pater Sanchez vbi ſuprà *numer.* 19. *&* 20. Quia proponens minus malum non determinat ad malum, ſed retrahit à maiori malo, propoſita minoris materia, ad quod mala eius voluntas ſe determinat: Quod fundamentum, inquit Sanchez, ſicut; & alia ſuperius adducta, æquè probat, licere conſulere, & inducere ad minus malum, vel eius materiam offerre; ſiue ille ad vtrumque malum determinatus eſſet, ſiue ad ſolum maius. Quem ſequuntur Pater Vazquez, *opuſc. de ſcandalo, quæſt.* 43. *artic.* 1. *dub.* 1. *numer.* 9. Tutrianus 2. 2. *tom.* 1. *diſput.* 95. *dub.* 6. *verſ. Mihi autem*, & Baſilius Pontius *de Matrim. lib.* 5. *cap* 18. §. 5. *numer.* 16 [Quod quidem, inquit, non ſolum verum eſt, cum ille, cui probetur conſilium, paratus erat, vnum ex illis duobus malis facere, ſed etiam ſi non eſſet paratus illud minus committere, neque de illo cogitaret, &c. Atque id euincunt, quæ ex Chriſoſtomo, & Auguſtino adduximus, & hac etiam ratione excuſatur factum Loth. Geneſ. 19.]

7 Dico quartò, ſi inebriandus ignoret qualitatem potus, ita vt abſque eius peccato, priuatio vſus rationis euentura ſit, licitum eſt illum inebriare, ad euitandum grauiſsimum damnum, quod inferre proximè molitur, quando aliter vitari non poteſt. Ita Patritius Sporer *in Tyrocinio Theologiæ Moralis, part.* 3. *cap.* 4. Ratio eſt aperta, quia licitum eſt per modum iuſtæ defenſionis eum, qui mortem tibi inferre, aut ciuitatem prodere decreuit, vita priuare; ergo & vſu rationis. Conſequentia eſt euidens: ergo licèt daremus, illicitum eſſe, conſulere, ſeu inducere ad ebrietatē nimia potatione peccaturum, negari tamen non debet, nec poteſt, in aliquo caſu licitum eſſe, inebriare non peccaturum; quia longè minus damnum illi infertur ſpoliando ratione, quam vita. Confirmatur, nam, quem licèt in bello occidere; licèt libertate priuare, quia minus illi malum eſt, quam mors. Hæc eſt ſententia P. Layman *lib.* 3. *ſect.* 4. *num.* 5. qui exi-

ſtimat ex nulla cauſa licere inducere ad ebrietatem eum, qui ſe inebriando peccabit. Verba eius ſunt. [Illicitum eſt, talem hominem iuſſu, vel ſuaſsione inducere, ſeu prouocare ad ebrietatem.] Et ad Leſsium contrarium aſſerentem reſpondet dicens: [ad fundamentum Leſsij reſpondetur, &c.]

§§§.

Animadverſio in Baronium.

8 VIncentius Baronius *diſp. 3. ſect. 2. artic. 1. §. 2. fol. 297.* cùm fundamentis pro opinione Patris Leſsij adductis reſpondere non poſſet, quin communem aliorum opinionem improbaret: vt hoſtem, quem impugnaret, haberet, illi impoſuit dicens: [Sed aliud eſt, illum delectum docere, habere minus mali, quod licèt; aliud illum impellere, quod expreſsis verbis concedit Leſsius.] Cæterum verbum *impellere*, apud Leſsium non invenit, ſed ex ſuo penu deprompſit, vt ex eius verbis ſuprà datis, *num.* 3. apertiſsimè conſtat. Si autem prouocare ad æquales hauſtus idem ſit, apud Baronium, ac impellere; cum hoc nil aliud ſignificet, quàm inducere, vt patet ex Ambroſio Calepino, licitum erit ad minus malum impellere, ad vitandum maius. Si verò per ly *impellere* intelligat non ſuaſionibus inducere, ſed ad ebrietatem cogere, & inuitum inebriare; cùm hoc abſque inebriandi peccato contingat, magis certum eſt, fore licitum per modum iuſtæ defenſionis; quando aliter homicidium, vel ciuitatis proditio, vel exidium vitari nequiret.

9 Ex quibus infero Baronium abuſum fuiſſe regula communi. *Non eſſe facienda mala vt veniant bona.* [Qualis eſt, inquit, ſine dubio ad ebrietatem inductio.] In quo apertè fallitur, quia inductio ad minus peccatum, vt vitetur maius, mala non eſt, iuxta communiorem ſententiam ſuprà relatam. Quia vt benè ait Leſsius ſuprà *num. 35.* non tendit ad hoc, vt minus malum fiat abſolutè, ſed vt præferatur malo maiori, imò ad illius conſenſum in minus malum, solùm permiſsiue ſe habet: vtitur enim ſuaſione, vt propoſitione obiecti, vt alter à maioro malo abducatur; non intendens, vt conſentiat in minus, ſed permittens, vt relinquat maius.

10 Nec malum eſt ad ebrietatem vi impellere, vt probabi, quando liceret occidere. Imò re benè inſpecta, quando ad iuſtam defenſionem inebriatio violenta ſufficeret, vel propinatio vini fortiſsimi, cuius virtute incognita, proximus inebriaretur, ac proinde abſque lethali: non eſt facilè negare obligationem eligendi ad propriam defenſionem aliquod ex his medijs, potiùs quàm ocíſionem. Quia charitas obligat ad vitãdum grauius damnum imminẽs, minori, quo poſsit, proximi damno. Violenta autem, vel ignorata inebriatio minus illi malum eſt, cùm abſque ipſius culpa contingat, & ſic mortem euitet.

AD TRACTATVM SEXTVM.

MISCELLANEVM APPENDIX.

DISPVTATIO PRIMA.

MISCELLANEA DE IVSTITIA.

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrùm ad valorem contractus ſufficiat ſignum externum conſenſus, licèt internus deficiat.

1 PARS Negatiua ſemper mihi arriſit, contra quẽdam Theologiam, qui cenſura illam notauit; & vt communem tradit Eſcobar *in Theolog. Moral. tom. 1. lib. 10. ſect. 2. Problem. 20. fol. 462.* [Quia abſque verò cõſenſu Domini, quo velit dominium rei ſuæ in alterum transferre, aut ei conferre ius in illam, id nequit fieri, etiam ſi exterius ſignificet, id velle: ſolo enim eo exteriori ſigno verè non conſentit. Ita Molina, Lopez, Fauſto, Reginaldus, Filliucius. Huic communi quidem ſenſui adhæreo.] Sic Eſcobar, & non abſque fundamento communem dicit, quia talem eſſe teſtatur doctiſsimus Villalobos *in ſum. tom. 2. tr. 19. diffic. 6. num. 3.* vbi ſic ſcribit: [Quando el contracto es invalido, ò fingido, no nace de alli obligacion ninguna, ni en el fuero de la conciencia, ni en el fuero exterior. Eſta concluſion es comun, y en eſpecial la tienen Bartulo, Baldo, y otros Iuriſtas, y Antonio Gomez, probandolo con vnas leyes. La razon es, porque aqui no ay verdadero conſentimiento para contraer, y aſsi llama Baldo à eſte contracto, cuerpo ſin eſpiritu. De lo qual ſe infiere, que ſi deſpues del contracto ſimulado, ſe ſigue la entrega, tambien es ſimulada, y fingida (ſino es que por otra parte conſtaſſe lo contrario) y lo miſmo es de la poſſeſsion, como dizen comunmente los Doctores, que cita Antonio Gomez; deſuerte que todo ello no vale nada.] Sic Villalobos.

2 Quæſtionem hanc in terminis etiam exagitat Eminentiſsim. Cardin. de Lugo, *tom. 2. de iuſt. diſp. 22. ſect. 4.* vbi ſic: [Vtrum cõſenſus internus neceſſarius omnino ſit ad valorem, & obligationem contractus.] Cui reſpondet *num. 45.* contra Turrianum, [cõtraria ſententia negans contractum, ex conſenſu ficto initum eſſe validum, ſupponitur, vt communis, & certa ab omnibus fere Doctoribus: quibus citatis, manifeſtum, & certum id eſſe; nec in controverſiam venire, ait Sanchez *lib. 1. de Matrim. diſp. 9. num. 3. & lib. 2. diſp. 25. num. 1.* Molina *tom. 2. diſp. 352. §. Ergo probabilius in fine.* Vnde in definitione contractus, & pacti, ponitur ab omnibus Theologis, quod ſit conventio duarum voluntatum, ſeu quod ſit obligatio ex contrahentium voluntate deſcendens.] Sic Lugo multis hanc ſententiam probans, & concludens non eſſe fundamentum vllum ſufficiẽs, propter quod diſcedendum ſit ab hoc principio ab omnibus communiter recepto.

3 Faciunt ad hæc Doctores aſſerentes, promittentem abſque animo ſe obligandi, non manere obligatum. Sic plures, quos loquentes de ſpõſalibus citat, & ſequitur Thomas Sanchez *lib. 1. diſp. 9. num. 5.* his verbis: [Secundò probatur, quia omnis obligatio, quæ non eſt lege, oritur ex priuata hominum voluntate: ergo vbi deeſt ſe obligandi voluntas, deficit obligatio, &c. Quia lex diuina, & naturalis non obligat circa rem ſpontaneã, niſi ſuppoſita voluntate hominis, obligationem ſibi imponentis, &c. Quare hanc ſententiam tuetur Henriquez. Et in alio ſimili, ſcilicèt in voto, docent Ricardus, D. Bonauẽtura, D. Antonin. Angelus, Sylveſter, Armilla, Tabiena, Medina, Nauarrus, Viguerius, Palacios.] Idem tradit *diſp. 18. num. 1.* [quia verba, inquit, habent vim obligandi, quatenus explicant conſenſum internum; & con-

tractus ex intentione legem accipiunt. *Reg. contract. de reg. iuris in 6.* Item quia hæc obligatio eſt lex quædam particularis, quam homo ſua ſponte ſibi imponit: obligatio autem legis ex legiſlatoris mente pendet, nec in hoc fundamento aliquis diſcrepat.] Et infrà *n.* 2. citatis Angelo, Sylueſtro Nauarro, & alijs. Mens illorum Doctorum eſt, ſi deſit intentio, & conſenſus internus, qualiacumque ſint verba, nulla ſponſalium, aut Matrimonij oritur obligatio.] Videatur etiam Diana *p.* 3. *tr.*4. *reſ.*205. vbi ſic ait: [An in ſponſalibus ſufficiat cõſenſus fictus? Reſolutio huius dubij pendet ex illa quæſtione, an promiſsionis contractus, ſine animo ſe obligandi verò, ſed tantum ficto, obliget promittentem; & communiter negatiue reſpondet Sanchez, &c. Et vniuerſim de omni pactione docent Angelus, Sylueſter *verb. Pactum*, q.4. Armilla *ibidẽ*, *n.* 2. Tab. *ibid. q.* 2. &c. & de omni cõtractu, docẽt Ricardus, Guilielm. Gabriel, &c. Hãc ſententiam puto in praxi tutam, & probabiliſsimã, quã tenent nouiſsimè Villalobos, Coninch, Molina, Laymam, & alij.] Ex quibus conſtat, propoſitionem Eſcobarij tàm longè eſſe à nouitate, & à cenſura Theologaſtri, vt potiùs fere indubitata, & ſine controuerſia ſit inter Doctores. Quibus ob rationem cui innituntur lubens adhæreo. His propoſitis.

4 Difficultas duplex eſſe poteſt. Prima: an ſit peccatum mortale contractum celebrare exterius, abſque verò cõſenſu ad illius valorem requiſito? Secunda: an qui conſenſum initio non præſtitit, teneatur poſtea præſtare? Ad primam reſpondet communiter Doctores, & benè quidem, in contractu vtrinque obligatorio, eſſe peccatum læthale non habere conſenſum. Quia in contractu illo ore tenus celebrato, interuenit mendacium perniciosum in graue detrimentum alterius, qui verè ex ſua parte contraxit, & ſe obligatum reputans caret libertate recedendi. Si verò promiſſio non ſit mutua, & ex eius non adimpletione, nullum, aut leue damnum ſequatur promiſſario, non erit culpa læthalis, quia vere non eſt cõtractus, mendacium autem fictæ promiſsionis non fuit alteri perniciosum.

5 Quoad ſecundam verò, an qui fictè cõſenſit, teneatur poſtea verè conſentire? non conueniunt Doctores: negant enim (in contractu etiam vtrinque obligatorio) obligationem ex iuſtitia ad habendum conſenſum, quotquot aſſerunt fictè promittẽtem, & ſub ea ſpe virginem defloranтem, non teneri eã ducere, ſed damnum, honori puellæ illatum pecunijs compenſare. Sic videntur ſentire D. Antoninus 3. *p. tit.* 1. *cap.* 19. ſupplementum Gabrielis 4. *diſt.* 28. *q.* 1. *art.* 2. Barthol. de Ledeſma *de matrim. dub.* 19. *fol. mihi* 1296.

6 Cæterum communis Doctorum ſententia contrarium tenet, quia ille, qui ex parte ſua adimpleuit contractum, eo ipſo acquirit ius, vt alter adimpleat, & per conſequens, vt verum conſenſum præſtet, ſi antea finxerit. Ita Leſsius *lib.* 2. *cap.* 10. *dub.* 1. dicens eſſe communem ſententiam Doctorũ, & Thomas Sanchez *lib.* 1. *de matrim. diſp.* 10. *num.* 3. vbi loquens de ficte promittente matrimonium, & ſub ea ſpe virginem deflorante, inquit, teneri eam ducere, & probat, quia [ex iuſtitia commutatiua tenebatur habere conſenſum, vt conſtat in omnibus contractibus, in quibus interuenit, *do, vt des, vel facio, vt facias*. Ergo cum poſsit reſtituere adhibendo eundem conſenſum ex iuſtitia debitur. Secundò, quia in omnibus contractibus in quibus interuenit *do, vt des, facio, vt facias*, vbi alter ex ſua parte impleuit, tenetur alter implere, quamvis ficte contraxerit, eo quod tenebatur ex iuſtitia verè contrahere, ergo cum hic contractus fuerit mutuus; mulierque iam impleuerit tradendo corpus, tenetur fictus promiſſor adimplere.] Sic Sãchez referens D. Thomam, & ſupra viginti Doctores, quos ſequitur M. Araujo *in deciſ. p.* 2. *diſp.* 11. *q.* 8. *n.* 30.

7 Hanc doctrinam ad alios etiam contractus extendit M. Araujo ſuprà. [Quia in omnibus (inquit) contractibus, in quibus interuenit *facio, vt facias, do, vt des*, ſi alter cõtrahentium ſua parte impleuit, tenetur alter adimplere, licèt fictè contraxerit, quia tenebatur ex iuſtitia verò animo contrahere.] Cui conſentit Eminentiſsim. Cardin. de Lugo vbi ſuprà *num.* 48. ibi: [Sic dicendum eſt in alijs contractibus teneri fictũ contrahentem fictionem auferre, & verè conſentire, quando aliter non poteſt contrahentem deceptum indemnem ſeruare, ne patiatur damnum ob fictionem poſitam. Quando verò (ſubnectit) ex fictione nullum patitur damnum, qui deceptus fuit, non apparet inconueniens, quod ex defectu valoris conſequatur, magis quam ex alijs deceptionibus, circa materiam non perniciosam, quæ ſolùm erũt contra veracitatem, & fidelitatem debitam in verbis externis, vt menti conſirmentur.] Sic ille cum citatis, quibus conuenio.

8 Ex quibus conſtat aliud eſſe, contractum deficiente conſenſu eſſe validum; aliud ex contractu ſolis verbis fictè celebrato, ac proinde inualido, poſſe ratione damni, per deceptionem illati, oriri aliquando obligationem habendi verũm conſenſum. Primum eſt falſum, vt conſtat in matrimonio, ficto conſenſu celebrato; quod omnes nullum fatentur: ſecundum non rarò verũm eſt, quia damnum iniuſtè illatum parit obligationem reſtitutionis, cui aliquando ſatis fieri non

poteſt.

poteſt, niſi de nouo adhibeatur conſenſus. Et differentia inter hæc eſt clara, vt benè notat Lugo; nam qui ficte equum v. g. vendit, eſto obligatus maneat ad habendum conſenſum; quandiu tamen non habet, non transfert dominium in emptorem, etiam ſi equum tradiderit: ſed habet obligationem perſonalem conſentiendi, & transferẽdi dominium. Vnde ſi poſt venditum ficte, & etiam traditum Petro, eundem poſtea occultè acceptum vẽderet, traderetque Paulo, transiret in dominium Pauli, non obſtante prima venditione. Deberet tamen Petro reſtituere pretium ab eo acceptum, & ſimul damnum, ſi quod ex deceptione pateretur. Eſt ergo notum diſcrimen inter contractum invalidum, (& ſi quandoque relinquat obligationem reualidationis) & contractum a principio valorem habentem.

QVÆSTIO II.

An legatum ſit validum, ſi cauſa legandi verè non ſubſiſtat?

1 CAſus eſt. Legauit quis Petro certam quantitatem his verbis: *Lego Petro hanc ſummam; in gratitudinem, quod negotia mea geſſit*: Inquiritur, an legatũ valeat, ſi cauſa non ſubſiſterit?

2 Dico primo, probabile eſt legatũ fore validum, dum teſtator non expreſſerit ſuæ voluntatis eſſe, quod cauſa non ſubſiſtentè nullum, & invalidum ſit. Hoc autem non dũ ſufficienter exprimitur, licèt dixerit, in gratitudinem talis obſequij legare: rectè enim id compatitur cum valore legati, dum aliũde non probetur clarè, mentem teſtatoris aliam fuiſſe. Fundamentum eſt; quia in tali legato dubia eſt teſtatoris mens, vt tenet Pater Molina *de iuſt. tom. 1. diſp. 209. §. vltimo*: in dubio autem, iure civili præſumitur; animum teſtatoris fuiſſe, vt legatum valeret, etiam ſi cauſa non ſubſiſteret; atque adeò ad hæredem ſpectat probare contrarium. Ita expreſsè P. Molina ſupra: quod deciſum *eſt in §. longè inſt. de legat. l. demonſtratio falſa, §. quod autem, & l. cum tale, §. falſam 1. ff. de condit. & demonſtrat. l. legati, §. vltim. de liberat. legata*, & alijs legibus. Ex quibus infert P. Molina, compellendum eſſe hæredem legatum ſolvere, licèt Petrus teſtatoris negotia non geſſerit, & conſequenter legati cauſa non ſubſiſtat.

3 Hinc fit, in foro conſcientiæ prædictũ legatum deberi; nam vt ait P. Thomas Sanchez *lib. 1. de Matrim. diſp. 5. n. 20. in medio*: [Quandocumque in foro externo, iure quis compellitur adimplere promiſſum, tenetur ex lege iuſtitiæ ſub mortali implere in foro interiori.] Cuius ratio eſt, quia idem in vtroque foro ſervandum eſt, vbi forus externus non innititur falſæ præſumptioni; vt ibidem docet Sanchez, *& in ſum. tom. 1. lib. 1. cap. 10. n. 11.* & apud illum, Baldus, Sotus, Nauarrus, Covarr. Ledeſma, Sayrus, Salas, & alij. Quod tenent etiam P. Vazquez *1. 2. diſp. 72. cap. 1. num. 2.* P. Suarez *tom. 3. in 3. p. diſp. 40. ſect. 5. num. 16* & Ioannes Sanchez *in ſelect. diſp. 41. n. 4. in fine, & diſp. 48. n. 54. & 55.* Ergo in foro conſcientiæ debetur Petro prædictum legatum, licèt cauſa legandi non ſubſiſtat. Et ita expreſsè tenet Sanchez *in ſum. lib. 1. cap. 10. n. 13. in medio* [Nemo, inquit) dubitat in omnibus euentibus; in quibus dubia eſt teſtatoris voluntas ſervandam eſſe in vtroque foro præſumptionem fori externi] Pro qua citat Menochium, & P. Molinam *tom. 1. de iuſt. diſp. 196. colum. 3.* paulò ante verſiculum *quando libera*.

4 Probatur inſuper: quia rectè compatitur, animum teſtatoris ita eſſe diſpoſitum, quod ſi ſciret, cauſam non ſubſiſtere, re vera non legaret, poſtquam tamen ſemel legauit, non velit, legatum eſſe nullum, vt de donationibus loquens docet P. Molina ſuprà, [ſunt enim (inquit) quidam, qui ſi ſcirent, cauſam, à qua ad conferendum mouentur, falſam eſſe, vel non eſſe tantam, quantã exiſtimant, re vera non conferrent, quod conferant, & tamen poſtquam ſemel contulerunt, animum non habeant, vt invalida ſit diſpoſitio; atque in hoc euentu in vtroque foro eſt invalida.] Idem tenet P. Leſsius *de iuſt. lib. 2. cap. 18. dub. 17.* [ſæpè (inquit) fit, quem piã ita eſſe affectum, vt ſi ſciret, cauſam eſſe falſam, nollet donare, tamen quia dedit; non vult, donationem eſſe irritam, vt ſi donaſſi aliquid amico, quia putas, illum curaſſe aliquod negotium, quod nõ curauit; tamẽ multa alia tua cauſa fecit, ob quæ velles donationem confirmare.] Igitur iuxta hos Doctores ad nullitatem donationis ob cauſam, ſeu ingratitudinem, non ſufficit, quod cauſa non ſubſiſtat; ſed vltra requiritur, quod animus donantis fuerit, vt ea nõ ſubſiſtente, minimè ſit valida talis donatio; & ita loquens de legatis, donationibus, alijs vè contractibus, ob cauſam finalem exiſtimatam, non tamen ſubſiſtentem, docet P. Filliucius *tom. 2. tr. 33. cap. 10. n. 178.*

5 Sed vnde colligemus, donantis ſeu legantis animum talem fuiſſe, vt etiam cauſa non ſubſiſtente, valida ſit donatio, ſeu legatum, cum ille non expreſſerit? Reſpondeo cũ Patre Leſsio id ex conditione dantis, & accipientis, & rei donatæ, & ex conditione cauſæ colligendum eſſe. Si enim donans alia beneficia acceperit à donatario, & benè erga eum ſit affectus; ſeu alias probabiliter poſsit conjectare,

lectare, ipſum non ignorare, vel ſaltem dubitare poſſe de ſubſiſtẽtia cauſæ, propter quam legat, vel donat; in his, & ſimilibus valdè probabile erit, animum legantis fuiſſe, vt cauſa etiam non ſubſiſtente, valeret legatum. Quia vt ceſſante cauſa ceſſet effectus, oportet omnes cauſas ceſſare, vt cum Baldo, & Tiraquel. tradit P. Thomas Sanchez *de matrim. lib. 6. diſp. 27. n. 4.*

6 Tertiò probatur, quia non eſt idem, legare, ſeu donare ob hanc, vel illam cauſam, ac donare ſub conditione, quod talis cauſa ſubſiſtat: expreſſio enim cauſæ nõ habet vim conditionis, vt patet in contractu matrimonij, v.g. ſiquis ita dicat: *Accipio te in vxorem, quia diues, vel quia bonis moribus es;* talis enim contractus eſt validus, ſiue cauſa in re ſubſiſtat, ſiue non, vt advertit P. Leſſius ſuprà: ſolùm enim exprimitur, quod mouet, & impellit animum ad contrahendum; non autem ponitur vlla conditio contractui.

7 Tandem probatur a paritate eleemoſynæ erogatæ diuiti ſe pauperem ſimulanti, quam ait Sotus *de iuſt. lib. 9. cap. 7. in fine.* Validam eſſe, cuius ratio, inquit, eſt. [Nam qui eleemoſynam largitur, non cenſetur, conferre ſub ea conditione, ſi pauper eſt, ſed abſolutè donat., licèt motiuum ſit falſum.] Sic M. Sotus, & alij, quos refert, & ſequitur P. Henriquez *lib. 4. de indulgent. cap. 35. §. 5.* P. Granado *tr. 11. de charit. diſp. 7. n. 4.* Caietanus *in ſumm. verb. Reſt. & cap. vltim. caſu 4.* Angelus *ibidem §. 8.* Medina *in ſumm. lib. 1. cap. 4. §. 35.* & alij. Ergo a ſimili, licèt teſtator dicat, ſe ob talem cauſam legare, non eſt cenſendus, conditionatè legere, ſed abſolutè, licèt motiuum legandi falſum ſit. Nam vt ait Sotus, quod abſolutè donentur eleemoſynæ inde apparet, quod homines propter Deum largiuntur; cum autem legatum pauperibus relictum vera eleemoſyna ſit, nõ eſt cur de illo aliter philoſophari debeamus. Ergo ſaltem ſi legatarius ſit pauper, huius ſententiæ probabilitas negari non poteſt.

8 Dico ſecundò probabilius eſſe, legatũ non eſſe validum, ſi cauſa legandi non ſubſiſtat. Probatur *ex l. cum tale 11. §. Falſam cauſam, ff. de conditione, & demonſtratione,* vbi deciditur tunc viriari legatum ex cauſæ defectu, ſi probetur fore, vt cognita veritate teſtator non legaret. Probatur 2. ex Vazquez, *opuſc. de eleemoſyna, cap. 3. dub. vltim. nu. 15.* Quia de ratione actus legandi, & donandi, vel contrahendi cum aliquo eſt volũtarium ſimpliciter, ſine quo valor actus non ſubſiſtit. Si enim actus ſit inuoluntarius circa ſubſiſtentiam rei, circa quam verſatur, rationem donationis non habet, nec dominium rei datæ transfert: cum autem motiuum actus deficiat, legandi cauſa non ſubſiſtente, verè deficit volũtariam circa ſubſtãtiam actus. Cõfirmatur, quia ſiquis ſe fingeret conſanguineum teſtatoris, & ob hanc cauſam illi relinqueret legatum, eſſet abſque dubio nullũ, nec fictus cõſanguineus poſſet recipere, nec hæres veritate cognita teneretur donare, ergo a ſimili in noſtro caſu.

9 Idemque propter hoc fundamentum dicendum eſt de paupere ficto, nequit enim licitè accipere eleemoſynas hoc prætextu ipſi oblatas, & tenetur acceptas reſtituere, vtpotè quarum dominium non adquiſiuit, vt benè ait Vazquez ſuprà. Poterit verò ſe per Bullam componere, & ad 30. Bullas aſſumere, quarum qualibet fere ſexaginta legales, id eſt, duo millia marauedinorum componuntur: nempè ſi domini ſint incerti; vel ſi mauis alijs verè pauperibus eroget, his enim donare, voluntatis Domini fuit, ac proinde, & quod illis reſtituatur, verè ſimilius præſumitur, quamquod aliter fiat compoſitio.

10 Hæc opinio propter ſuperius dicta probabilior, vt dixi mihi eſt, ni coiecturæ tales exiſtãt pro vera traditione dominij, quod probabiliter cenſeri poſſit animum donantis, aut legantis fuiſſe, donatum, vel legatum non reſtitui, licèt poſtea conſtiterit donandi, vel legandi cauſam non ſubſtitiſſe, tempore donationis. In quo ſenſu videntur loquuti Doctores primæ ſententiæ.

QVÆSTIO III.

An mutuanti, vel credito vendenti licitum ſit aliquid vltra ſortem exigere ratione periculi probabilis eam amittendi.

1 DVplex eſt opinio circa contractum in titulo quæſtionis expreſſum. Prima mordicus negat eſſe licitum; quã defendunt M. Soto *6. de iuſtit. q. 4. art. 1. ad 1.* Bañez *2. 2. q. 77. art. 4. dub. 6.* Rebelius *p. 2. lib. 9. q. 12.* Toletus *lib. de ſeptẽ peccatis, cap. 51.* Ludouicus Lopez, Pallacios, Garcia, Nauarrus, & alij apud Salas *tr. de vſuris, dub. 22.* Quos ſequitur Vincentius Baronius *2. part. Manuductionis, fol. 168. & tom. 2. Ethices Chriſtianæ, diſp. 3. ſect. 3. de vſura, numer. 51.* vbi de aſſerit nullum pro contraria ſententia Thomiſtam militare. [Nam Thomiſtæ, inquit, hoc ex Angelico præceptore exceperunt omnes, & perpetua traditione ſeruarũt, nullum ex mutuo ratione periculi lucrũ paciſci, aut ſperari poſſe legitimum, niſi ea cõditione, vt damnum non timeatur ſolùm, ſed etiam præſens ſit, & ſentiatur.] Qua autem veritate id ſcripſerit, ex dicendis conſtabit.

2 Secunda ſententia, quæ mihi, probabilior

lior eſt, affirmat, licitum eſſe aliquid ſupra ſortem exigere, ſi ſubſit probabile periculum illam amittendi. Hanc defendunt grauiſsimi Theologi, tam ex Thomiſtis, quàm ex alijs. M. Serra 2.2.q.77.art.1.dub.4.§. [Probatur ratione ſumpta ex Sylueſtro] vbi ſic: [Quamuis enim vſura ſit, ſi quis recipit aliquid vltra ſortem ratione mutui; non eſt vſura, inquit Sylueſter, ſi recipit ratione periculi tantum, vt pretium periculi.] & q. 78. art. 2. dub. 3. (Mutuans in ſe ſuſcipiens mutui periculum, poteſt ratione illius, quãtum fideiuſſor, & aſſecurator poſſet, exigere.) Hæc Serra. Pro eadem ſententia ſexdecim authores refert M. Ioannes Martinez de Prado *tom.2. Theolog. Moral. cap.37.§.2. à n.6.* inter quos Santarellum, Caramuel, Fauſtum, Villalobos, & Trullench, ſubiungens (idem docuerunt alij octo Doctores, quos refert, & ſequitur Sylueſter, & hæc opinio propter extrinſecam Doctorum authoritatem, & rationem, qua nititur, ſpeculatiuam habet probabilitatem; ſed in praxi falſam reputo cum Soto) verum practicè etiam probabilem putant, vltra citos, M. Petrus de Ledeſma *in ſum.p.2. tr. 8. cap. 33. de vſura concluſ. 29. ad 4. titulum*, vbi ſic: [Digo lo ſegundo, que ſerá licito con buena fè, conſiderando el peligro del Capital, y los gaſtos que ſe han de hazer en cobrar la deuda, taſſar al tiempo de la venta cierta cantidad, en la qual ſe aprecie el peligro, y los gaſtos, y pedirla al comprador, fuera del precio preſente.) Sic ille. Quem ſequitur Illuſt. P. M. Acatius de Velaſco eiuſdem inſtituti, Epiſcopus Oriolenſis *tom.1. reſ. Moral. verb. (Contractos) reſ.206.n.1.* dicens: [ſe puede vender vna coſa mas cara *propter periculum amittendi pretium rei, vel recuperandi cum expenſis.* Por el peligro de perder el precio de la coſa, ò recuperarlo con daño della.] Quod putat probabile M. Corradus. *1.part. Reſp.q.130.* & plures apud Salas *tr. de vẽdit. cap.41.n.5* & fauet ſatis D. Thomas *opuſc. 73. de vſuris cap.10.* dum ait; [ſi venditor rẽ ſuam intendat vendere carius; non propter tempus tantum, ſed propter damnum, quod ſibi videt imminere ex dilatione ſolutionis recuperandæ, ſeu propter vexationem ſuam redimendam, quam probabiliter putat ſibi futuram in receptione debiti ſui, propter malitiam, vel impotentiam debitoris; tunc excuſatur à vitio,] & iterum in fine eiuſdem capitis, lucrum vltra ſortem damnat. [Proueniens ex natura temporis ſine exercitio laboris, (attende,) & ſine dubio periculi probabiliter poſsibilis euenire.] Supponit ergo ratione periculi probabilis excuſari poſſe. Si ergo timor vexationis probabiliter futuræ, licet poſtea non ſequatur, ſufficit iuxta D. Thomam, vt propter timorem aliquid vltra iuſtum rei pretium, quando credito venditur, exigatur; cur non & propter periculum probabile ſortis amittẽdæ? Eſt ne parui momenti vexatio, pecuniam mutuo datam, vel ex malitia, vel ex impotentia debitoris non recuperare? Ergo poterit mutuans, vel credito vendens in pactum deducere aliquid ſupra ſortem, vel pretium rei venditæ, quoties probabile fuerit periculum amittendi ſortem.

3 Addo, & ipſum Baronium pro nobis (ſi conſequenter loquatur) ſtare debere, vt conſtat ex ipſius verbis 2. p. *Manuductionis fol.178. & 179.* vbi cum interprete Caietani excuſat à peccato emententem minoris ius ad æs alienum liquidum, & abſque vlla difficultate exigibile, *ſi ſubſit aliquod periculum amittendæ ſummæ, & ſortis.* Sentit ergo Baronius periculum hoc eſſe pretio æſtimabile, *ergo & licitum eſſe ex mutuo, ratione periculi lucrum paciſci.* Quo ergo iure contrarium omnes Thomiſtas, ex Angelico præceptore, excepiſſe iactat, *iſi damnum non timeatur ſolum, ſed etiam præſens ſit, & ſentiatur?* Alij iudicent. Inſuper neſcio cur diſſentiat M. Soto cum ipſemet *lib. 6. de iuſt. q. 4. art. 1. ad 3.* loquens de debitis immaturis, ſic ſcripſerit. [Quandò ſolutio in periculo verſaretur, nil dubito, quin liceret viliori pretio emere, quàm eſt totum debitum:] ergo ſentit apertè M. Soto periculum recuperandi debitum eſſe pretio æſtimabile. Ergo & periculum amittendi ſortem. Vtraque conſequentia eſt legitima, quam licet Sotus ibidem, adhibita diſparitate, conetur infringere, non conſequitur. Denique pro noſtra ſententia, non ſolum Thomiſtæ citati, ſed alij Doctores militant Couarr. Corduba, Salon, Gabriel, Aragon, Angelus, Maior, Emanuel, Leſsius, Medina, Valentia, Sa, Molina, quos citatos ſequuntur P. Salas vbi ſupra; & Emin. Cardin. de Lugo *tom. 2. de iuſt. diſp. 25. ſect. 6. n. 8. & diſp. 26. ſect. 7. n. 104.* dicens eſſe communem. Bonacina *diſp. 3. de contr. q. 2. punct. 4. n. 18.* Filliucius *tr. 35. cap. 5. n. 112.* Malderus *tr. 6 cap. 3. dub. 14.* & Diana *1. p. tr. de contr. reſ. 37. & 57.* & huic ſententiæ fauete D. Thomam, dicunt Salas, & Lugo ſupra.

4 Probatur 1. quia periculum probabile expenſarum, in recuperanda ſorte, eſt pretio æſtimabile; & licitum eſt ratione illius aliquid ſupra ſortem exigere, & ſi nullæ poſtea fiant, ergo idem dici debet de periculo probabili amittendi ſortem. Antecedens tradunt communiter Doctores M. Sotus *lib. 6. de iuſt. q. 4. art. 1.* Per hæc verba [vbi omni procul fraude, bonis coniecturis timentur expenſæ, nempè dum tuus debitor à tua vrbe

loco

ôco diſtat, nulla eſt iniquitas de expenſis, & laboribus, pactum cum illo inire, conſtitutumque pretium recipere, etiam ſi nullus ſit poſtea facturus. Nam etiamſi eſſes plura expenſurus, non poſſes amplius, quam fuit cõuentione firmatum.) Hæc Sotus. Quem excerptis verbis ſequitur M. Ioannes Martinez de Prado *tom. 2. Theolog. Mor. cap. 27. q. 3. §. 3.* addens: [eſſe hodie communem inter Doctores, octo relatis, docet Bartholomæus a Sancto Faucto] Pro qua P. Salas *tr. de vſuris dub. 22. n. 2.* adducit Molinam, Leſſiũ, Valentiam, Sa, Nauarram, Cordubam, & alios: *& tr. de vendit. dub. 41. n. 5.* dicit (omnes illam docere.) Quam ſequuntur M. Petrus de Ledeſma, M. Serra, M. Acatius de Velaſco, & alij infra citandi. [Quo conceſſo (ait Salas ſuprà *dub. 22. citato* (vt cõceditur à Soto, quem Sotus & Bañez imitari videntur) vrget valde argumentum; quia nulla videtur eſſe ratio diſcriminis, cur pro metu expenſarum auctarium recipi poſsit, etiamſi poſtea expenſæ non fiant, non verò propter periculum ſortis amittendæ, licet poſtea nõ amittatur] conſecutio hæc negari non poſſe videtur, & quia illam negauit M. Soto, eum propter inconſequentiam reijcit M. Serra *2. 2. q. 77. art. 4. dub. 4.*

5 Probatur 2. & explicatur lucrandi titulus, qui de præſenti adeſt, quia ſe in gratiã alterius exponere periculo probabili amittendi ſortem, vel pretium rei credito venditæ, eſt pretio æſtimabile: quilibet enim, ſi periculi inſcius mutuum dediſſet, & poſtea agnoſceret mutuatarium in paupertatem deueniſſe, vel in Regionem diſtantem profectum fuiſſe, ſponte pretium offerret aſſecuranti ſortem, vt vel ſic probabile eam amittendi periculum, vitaret. Quod efficax argumentum eſt, pretio æſtimabili eſſe probabile mutui periculum ſubire; poterit ergo ratione illius aliquid vltra ſortem exigere; quia ex eo, quod tempore condicto fiat ſolutio, & deinceps metus diſpareat, nil datur mutuanti in compenſationem periculi probabilis, cui ſe expoſuit, quod in pactum cõpenſandum, vtpote pretio æſtimabili venire potuit, & de facto (vt ponimus) venit, fieri enim poteſt contractus de pecunia determinata pro damno indeterminato, ſiuè poſtea nullum contineat, ſiuè maximum.

6 Probatur 3. quia periculum incommoditatis corporalis eſt pretio æſtimabile, quãuis damnũ aliud poſtea non ſequatur ergo & periculum amittendæ ſortis, licèt de præſenti aliud damnum non ſentiatur. Propter periculum autem incommoditatis corporalis, quæ timetur, poſſe aliquid ſupra ſortem exigi, tradit M. Prado vbi ſuprà *cap. 28. q. 1. §. 5. & latius n. 29.* dicens: [Cum moraliter non contingat, vt magno temporis ſpatio non occurrant hominibus neceſsitates, & occaſiones diſpenſandi pecunias, ratione huius ſpecialis incommoditatis, poteſt aliquid vltra ſortem exigi] ſic ille. Quem ſequitur Vincentius Barorius *2. p. Manuductionis fol.* 167. vbi in hanc concluſionem trahit Caietanum, Sotum, & Bañez, (iure vel iniuria alijs relinquo) ergo & propter periculum amittendi ſortem aliquid poterit ſuprà illam exigi, etſi aliud damnum præſens non ſit.

7 Quartò probatur, quia fideiuſsio eſt pretio æſtimabilis ratione probabilis periculi, quod fideiuſſor ſubit ſoluendi pro debitore, vt docent communiter Doctores apud Salas *tr. de vſuris dub.* 11. Hoc autem periculum nil aliud eſt, quam minus habendi tempore condicto in bonis ſummam illam, ad cuius ſolutionem pro alio ſe adſtringit; licèt cum iure ad ſolutionem: ſed eidem prorſus periculo ſe exponit mutuans, ſi mutuatarius non ſolverit, ergo cum æquale ſit vtrique contractui periculum, eadem vtrique compenſatio correſpondere debet.

8 Probatur quintò, quia ſubiacere periculo amittendi ſortem propter alium, eſt damnum quoddam emergens, non in rebus fortunæ, ſed in bonis animæ, & eſt pretio æſtimabile, vt fatentur Sotus, Bañez, Lopez, & alij apud Salas *dub. 22. verſ. 4. probatur*, ergo pro illo poteſt aliquid exigi. Sextò probat Salas, quia mercator poteſt carius vendere, quam emit, ratione periculi cui ſe exponit transferendo rem de loco ad locum, vt docent D. Thomas, Sotus, Nauarrus, Antoninus, & alij, quos ibi citat. Ergo & mutuans ratione periculi ſortis, cui probabiliter ſe exponit, poterit aliquid ſuprà ſortem exigere. Septimò probat Molina *diſp. 314. & diſp. 356*, quia pecunia ſubiecta periculis minus mihi valet, quam non ſubiecta, ergo ex eo quod illam mutuo alteri cum periculo non recipiendi, diminuo valorem illius, & amitto aliquid propter alterum, ergo potero ab illo petere compenſationem. Denique principium, cui noſtra ſententia innixa, eſt, probatur ex doctrina Magiſtri Conrado *de contractibus q. 59.* vbi ait: Pro timore inferente anxietatem, & moleſtiam, ex probabili periculo expenſarum poſſe aliquid ſupra ſortem exigi, licèt expenſæ non ſequantur, quia adhoc auctarium ſatis eſt timore illo grauatum fuiſſe, & anxietatem, laboremque animi perpeſum. Quod fundamentum, idem probat, licèt expenſas ſequutas recuperet; ergo potiori iure pro ipſo periculo amittendæ ſortis, licitum erit aliquid ſuprà illam exigere, etſi poſtea non amittatur, quia huic periculo ſe exponere anxietatem, & moleſtiam

ſtiam cauſat. Quod damnum quoddā emergens eſt.

9 Obijcies 1. ſi non præcedere pactum, debitor ſatisfaceret reddendo ſortem, vel pretium tempore condicto, ergo propter timorem illum, ſeù probabile periculū amittendi ſortem, nil exigi potuit: aliàs ſecluſo etiam pacto deberetur. Reſpendeò, deficiēte pacto, ſolum teneri debitorem ad damnum in bonis fortunæ iniuſte illatum compenſando, ac pro indè non tenetur ad aliquid reddendum vltra ſortem pro anxietate illa, & moleſtia ex timore amittendi ſortem proveniente. Confirmatur, quia mutuatarius non tenetur ad compenſationem damni emergentis, vel lucri ceſſantis, niſi de hoc præceſſerit ſpeciale pactum, quia onus eiuſmodi compenſationis non eſt imponendum niſi conſentienti, ergo nec onus compenſandi periculum amittendi ſortem, ſeù moleſtiam, ex mutuò, periculoſo præviſo prouenientem. Ita cùm Molina, Aragon, & Nauarro, P. Salas, & Lugo ſuprà.

10 Obijcies 2. *cap. Nauiganti de vſuris*, vbi dicitur. [Nauiganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem: eo quod ſuſcipit in ſe periculum, recepturus aliquid vltra ſortem, vſuratius eſt cenſendus.] Reſpondent communiter Doctores caſum in hoc cap. reprobatum, ſolùm eſſe, quandò mutuans addit aliùd pactum ſimul celebrandū, aſſecurationis rei mutuatæ, aut merciū ob quatū periculum in ſe ſuſceptū, aliquid vltra fortē reddendum ſit; ſecus mutuum non daturus; ita Valentia, Navarrus, Aragon, Medina, Caietanus, Sylveſter, Sotus, & alij, quos citat. s ſequitur Salas *tract. de vſuris, dub.* 23. Cardinalis de Lugo ſuprà *n.* 78 & Vincentius Baronius 2. *p. Manuductionis, fol.* 165. quia non poteſt mutuans obligare mutuatarium ad aſſecurationis contractum cùm illo celebrando: hoc enim onus iniuſtè mutuo ſuperadderetur; licèt poſsit nolle mutuare, abſque fideiuſſore. Hoc verò non tollit contractum aſſecurationis poſſe libere, poſt mutuum, celebrari: & ſic expreſsè docent authores noſtræ ſententiæ M. Serra *q.* 77. *art.* 2. *dub.* 2. [Quod aliùs (inquit) aſſecurare poteſt, etiam poteſt, & ipſe mutuans dum tamen non mutuet cū pacto, vt aliùs cū ipſo cōtractū aſſecurationis ineat; nam non eſt peioris conditionis, quàm alij.] Sic ille cùm Syluestro, *verb. vſura* 1. *q.* 35. vbi ait, vſuram non interuenire [vbi liberaliter quis mutuet, & de indè, vt aſſecurator ſuſcipiat periculum cum pretio] quod prædixerat verbo negotium. Aliter explicat M. Arauxo *in deciſ. moral. de ſtatu ciuili di p.* 1. *quæſt.* 1. dicens *in capite Nauiganti* ſolùm damnari lucrum ob periculū fictum. Hoc autem non tollit quod ratione periculi probabilis mutui, (vt dictum eſt) poſsit de certa quantitate vltra ſortem reddenda paciſci, ſicut & ratione probabilis periculi damni emergentis, vel lucri ceſſantis, ita vt licèt maximum poſtea emerſerit, vel lucrum ceſſauerit, nil vltra exigi poſsit.

11 Quod autē non ſolum ratione damni emergentis, ſed etiam ratione lucri ceſſantis, ſeruatis ſeruandis, licitum ſit aliquid ſupra ſortem exigere; eſt communis Doctorum ſententia, contra Sotum, Panormitanum, & Diuum Antoninum partem negatiuam cùm Scoto tenentes, [verùm partem affirmatiuam, (inquit M. Arauxo eam amplectens *in deciſsionibus moralibus de ſtatu ciuili diſp.* 1 *q.* 1. *n.* 10.) tuentur Syluester *in ſumma verb. vſura* 1. *q.* 19. Caietanus in ſuo *ad articulum* 2. *dictæ quæſtionis* 78. 2. 2. *Cōmentario, & in ſumma verb. vſura.* Contradus *q.* 3. *de contractibus* Adrianus in quæſt. de vſura, & Nauarrus *in ſumma latina*, eandem tranſcribens *ex commentario de vſuris notabili* 15. *cap.* 17. *num.* 211. *& ſequenti; & lib.* 5. *conſiliorum tit. de iudæis, conſilio* 4. Quæ ſententia licèt modernorum Doctorū, iam vſu eſt communiter recepta, & rationibus à Nauarro perpenſis demonſtratur.] Sic Illuſtriſsimus Epiſcopus M. Arauxo, & ante illum, Molina, Leſsius, Bañez, & innumeri alij, quos congerunt, & ſequuntur P. Salas *dub.* 19. *n.* 2 & Cardinalis de Lugo *tom.* 2. *de iuſtit. diſp.* 25. *ſect.* 6. *n* 87. Itaque ſi lucrum, quod ceſſat; ſit certùm, poterit totum ex pacto expreſſo compenſandum exigi: ſicùt & damnum, quod iam emergit, vel quod poſtea propter mutuum datum emerget, quia mutuans ius habet ſe indemnem ſeruandi, & nollendi aliter mutuare. Si autem probabile tantùm ſit lucrum, quod certò, vel probabiliter ceſſaturum creditur; poterit iuxtà qualitatem dubij, iudicio prudentis pecunia determinata, ſicut & damnum, quod probabiliter timetur, ex pacto compenſari. Si verò non propter mutuum lucrum ceſſet, vel dānum emergat, ſed ex alia cauſa, non debet, nec poteſt in cōtractum venire. Si enim mutuans aliam pecuniæ ſummam habet, qua poſsit abſque ſui præiudicio damnum vitare, & lucrum non amittere: nullum ei damnum propter mutuum emerget, aut lucrum ceſſabit. Quod maximè obſeruare oportet.

§. I.

Conſectarium pro montibus pietatis.

15 NOn poſſum hic non tractare ex profeſſo hanc quæſtionem, quā obiter attigi 1. *p. ſelectarum* in fine. Ex principi-

Digitized by Google

cipijs enim ſuprà iactis evidenter deducitur licitos eſſe montes pietatis, in quibus à ſingulis mutuatarijs aliqui vltra ſortem exigitur, pro conductior domus, pro alimentis, & ſtipendijs Mini...orum, alijſque expenſis præcisè, vt pecunia ad mutuum, ad aliorum commodum deſeruiat, ad mutuatariorum maius damnum vitandum. Ita Doctores omnes Societatis, Molina *tom. 2. de iuſt. diſp* 925. Valentia *de vſuris, diſp. 5. quæſt.* 23. *part.* 4. ad finem, Toletus *lib. 5. ſum. cap.* 58. Salas *tract. de vſuris, dub.* 33. *num.* 3. Leſſius *dub.* 23. Cardinalis de Lugo *tom.* 2. *de iuſt. diſp.* 25. *ſect.* 10. & communiter Doctores, M. Bañez, M. Ludovicus Lopez, M. Peña, M. Tabiena, Medina, Nauarrus & alij apud ipſos, quos ſequitur M. Arauxo *in deciſionib. moral.* Ratio a priori eſt; quia licitum eſt mutuanti aliquid vltra ſortem exigere pro expenſis in recuperanda ſorte faciendis, eaſque in pactum deducere, vt cum D. Thoma, docent omnes eius diſcipuli ſuprà citati; quia eiuſmodi pactum ordinatur ad reddendum indemnem mutuantem, & quod vltra ſortem exigitur, conferendum eſt ratione damni emergentis: Ergo licitum erit, pro expenſis ad mutuandum præciſe factis, aliquid etiam ſupra ſortem exegere. Conſequētia eſt euidens, quia eadēm prorſus ratio militat in præuie ad mutuum factis, ac in faciendis ad recuperationem mutui; *quia nemo militat ſtipendijs proprijs* 1. *ad Chor.* 9. *& dignus eſt operarius mercede ſua*, Lucæ 10. Confirmatur, quia tam in vno, quàm in altero caſu eſt damnum emergens mutuanti, quod in gratiam alterius pati nō tenetur; nec compenſare nollenti mutuum dare. Vrgetur, quia, vt bene inquit P. Salas, ſi mutuum a me petas, quod dare nō valeam, quin Hiſpalim, v.g. famulum pecuniam relaturum mittam, nullam tibi iniuriam irrogabo, ſi rem tibi aperiam, delectumque tibi liberum relinquam mittendi famulum tuis expenſis, vel carendi beneficio mutui. Ergo à ſimili in re noſtra.

13 Secundò efficacius probatur, quia eiuſmodi montes pietatis, vt ſupra expoſitos, licitos eſſe, & minime vſurarios definiuit Leo X. in Concilio Lateranenſi *ſeſſ* 10. verbis, quæ ſequuntur. [*Sacro approbante concilio declaramus, & definimus montes pietatis ante dictos, per Reſpublicas inſtitutos, & authoritate Sedis Apoſtolicæ hactenus approbatos, & confirmatos; in quibus pro eorum indemnitate aliquid moderatum, ob ſolas miniſtrorum expenſas, vltra ſortem abſque lucro eorundem montium recipitur, neque ſpeciem mali præſeferre, neque vllo pacto improbari. Quinimo meritorium eſſe, & probari debere tale mutuum, & minime vſurarium eſſe.*] Et paulò infra. [Omnes autem Religioſos, & Eccleſiaſticos, ac Sæculares perſonas, qui contra præſentis declarationis, & ſanctionis formam, de cætero prædicare, ſeu diſputare verbo, aut ſcripto auſi fuerint, excommunicationis latæ ſententiæ pœnam, priuilegio quocumque non obſtante, incurrere volumus.] Hactenus in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. anno 1515. celebrato.

14 Ex quibus patet omnino reijciēdam eſſe opinionem M. Soti *lib. 6. de iuſt. q. 1. art.* 6. qui poſt concilij diffinitionem, contra ſanctionis formam, contrariām ſententiam ex inſtituto defendit dicens: [Arbitror eiuſmodi rationem montis neutiquam ab vſuræ ſordibus elui poſſe.] Quem propterea *M.* Salon 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 2. *controu.* 27. iure carpit inquiens Soti ſententiam, quæ poſt diffinitionem Concilij Lateranenſis, hunc montem damnauit *eſſe temerariam, & periculoſam*, falſoque docere, errare poſſe Pontifices, & concilia in diffinitionibus earum rerum, quæ non habentur in ſcripturis, & traditionibus. Nam (vt benè notat Henriquez *lib. 3. de pœnit. cap. 3. num. 2. in Gloſſ. litt. G.*). Concil. Lateran. ſub Leone X. *ſeſſ.* 8. definit immortalitatem animæ, & mundum non fuiſſe ab æterno: propter quod M. Cano *lib* 12. *de locis, cap. vlt. concluſ.* 3. oppoſitum damnat erroris, & tamen id ſcitur ratione naturali. Et quidem in re præſenti de montibus pietatis, in M. Sotum inſurgunt fere omnes, qui poſt Concilium Lateranenſe ſcripſerunt.

15 Videatur Antonin. Diana *part.* 11. *in fine tract.* 2. de infalibilitate decretorum Pontificis, vbi diffinitionem Leonis X. contra Caietanum, & Sotum, vt omnino certam propugnat, ſubnectens: [*Ita rectè Nauarrus, Coment. de vſuris, num.* 59. *Sotum, & Caietanum grauiter reprehendit immodeſtiæ, & irreuerentiæ erga Sedem Apoſtolicam, & Concilia generalia: diſplicet mihi viros tam doctos ſugillare, ſed neceſſarium eſt in re tam graui, & contra Caietanum, & Sotum inſurgit ex Dominicanorum familia M. Ioannes à Sancto Thoma 2. 2. quæſt. 1. diſp. 9. art. 3. fol.* 777. Vir quidem ſapientiſsimus.] Quibus acquieſcit Henriquez ſuprà dicens montem pietatis à Concilio Lateranenſi fuiſſe confirmatum [quare errant, qui negant licere; vt probant Nauarrus, Sarmiento, Medina, Corduba, Baptiſta Lupus, & in Comicijs Salmanticæ, Sotomaior, Gallo Epiſcopus, & multi alij putant certum, &c.] Sic ibi.

16 Et ſuppreſſo nomine, Doctores alij ex eodem inſtituto M. Sotum grauiter ſugillant. Illuſtriſsimus Epiſcopus Seg...ienſis M. Arauxo *in deciſ. moral. p. 2. diſp.* 1. *q.* 6. *num.*

Digitized by Google

numer. 6. ibi: [*Concilium generale legitimè congregatum in his, quæ ad fidem, & mores pertinent, errare non poſſe, oſtendimus cum D.Thoma 2.2. quæſt.1. artic.10.*] M.Canus *lib.5.de authorit.Concil.quæſt.5.§.Deinde Eccleſia, fol.* 193. [*Eccleſia non poteſt deſiuire quidquam eſſe vitium, quod honeſtum eſt, aut è contra honeſtum eſſe, quod eſt turpe; ergo nec ſua edita lege probare quidquam, quod Evangelio, rationi vè, inimicum ſit. Quæ autem ratio id de Eccleſia convincit, eadem convincit de Concilio; in quo vniuerſalis Eccleſiæ authoritas reſidet.*]

17 An verò de fide ſit, montes pietatis à Concilio Lateranenſi ſub Leone X. approbatos, & definitos, ab omni vſuræ labe immunes, licitoſque eſſe? Videtur affirmatiuè reſpondendum ex principijs Theologorum, quæ ſubijcio. M.Canus vbi ſuprà *quæſt.4.§.* [*Non igitur.*] Notam inquirens ex qua, vis definitionum dignoſci poſſit, ſic ait. [*Dixerit aliquis, erit aliqua nota, qua Conciliorum de fide iudicia inter noſci queant? Erit planè (& duabus annumeratis) tertia eſt, ſi in eos, qui contradixerint excommunicationis ſententia ipſo iure feratur. Exemplum eſt de hæreticis, cap. Cum Chriſtus, & cap. Ad abſolvendum.*] Eſt & exemplum in caſu præſenti circa montes pietatis *ſeſſ.*10. *Concilij Lateranenſis*, in quo excommunicatione latæ ſententiæ, *verb. Aut ſcripto*, contradicentes feriuntur Magiſter Sylveſter *verb. Fides, numer.* 2. [*Ad fidem pertinet inhærere determinationi Pontificis in his, quæ ſunt fidei, imò etiam in his, quæ ſpectant ad bonos mores.*] M. Bañez 2. 2. *quæſt.* 1. *articul.* 10. *dub.* 8. *concluſ.*4. *Non poteſt Summus Pontifex errare, &c: Ita vt approbet leges pernicioſas, aut nociuas ſaluti animarum, &c. Qua propter eiſdem cenſuris notandus eſt, qui hanc concluſionem negauerit, ſicut ille, qui negaret tertiam præallegatam. Tàm certa* (inquit ibi) *eſt concluſio, vt oppoſitum non dubitem eſſe hæreticum.* M.Dominicus Baltanàs *in ſua Margarita confeſſorum, fol.*184. *in ſpectantibus ad fidem, & bonos mores, aſſerere Papam poſſe errare, eſt hæreticum.* Ex mente Diu. Thomæ eſſe dicit. Caſtro Palao *tom.* 1. *tract.*4. *diſput.* 1. *punct.* 5. §. 6. *num.* 6. [*Dicendum exiſtimo de fide eſſe, non poſſe Pontificem errare, &c. Ita vt approbet tanquam conſentaneum Euangelicæ perfectioni, quod conſentaneum non ſit.*] Angelus Maria Verricelli *tom.*1. *q. q. moral. tract.*8. *quæſt.*24. *num.* 8. [*Quod Papa toti Eccleſiæ leges, quoad mores, proponens nequeat errore, declarans eſſe bonum, quod malum eſt, & è contra; & id eſſe de fide*, docent S. Antonius 3. *part. tract.*12. *cap.*8. §.2. Ioannes de Nea-

P.Mat.de Moy.*Quæſt.p.*2.

poli *quod leg.*11. Cano *de locis, lib.*5. *cap.* 5. Molina *de iuſtitia, tom.*2. *diſp.*325. Suarez *de fide, diſp.*5. *ſect.*8. *num.*7. Turrianus 2. 2. *diſp.*16. *dub.*2. Caſtro Palao ſupra Comitolus *lib.*1. *Reſponſ. q.*113. *num.* 4.] Sic ille.

18 Ex his premiſsis deducit Verricelli, non poſſe abſque hæreſi, poſt Concilium Lateranenſe, ſub Leone X. negari licitos eſſe montes pietatis, in quibus pro eorum indemnitate ob ſolas miniſtrorum impenſas, aliquid vltra ſortem exigitur. [Hinc, inquit, *contractus montis pietatis à Leone X. licitus declaratus, de fide eſt, quod ſit iuſtus. Molina, Turrianus, vbi ſuprà* Bellarminus *de Romano Pontifice, lib.* 4. *cap.*10.] Sic Verricelli loco citato: quæ prædixerat *tractat.*4. *quæſt.* 16. *numer.* 5. Et hanc partem veram eſſe, ſupponit cum alijs Patre Salas vbi ſuprà *tract. de vſuris, dub.* 33. *numer.* 7. vbi cum Molina invehitur in Caietanum aſſerentem (quod, & Sotus vbi ſuprà tenet) rem iſtam non potuiſſe à Pontificibus, & Concilijs definiri, tanquam de fide: [Quod parum (inquiunt) reuerenter, nimiſque audacter dictum eſt, & plus iuſto poteſtatem, quæ in Eccleſia eſt ad definiendum, & declarandum, quæ ad fidem, & mores ſpectant, coarctat; neque tutum eſt.] Qua propter, haud mirari non poſſum, quod montes pietatis, vt licitos ab Eccleſia declaratos, & definitos, ſint, qui contradixerint.

19 Quamvis, vt verum fatear, poſt Concilium Lateranenſe, & Leonis X. diffinitionem, non plures, ſed vnus Soto contradixit, quia ex authoribus, qui à Cardin. de Lugo, & ab alijs pro ſententia repugnante adducuntur (nempe Sylveſter, & Caietanus,) vterque ante Concilium ſcripſerat: de Sylveſtro conſtat ex epiſtola dedicaroria in fronte ſummæ, quam Leoni X. ad Summum Pontificatum recens aſſumpto conſecrauit, nempè anno 1513. & ex ipſo ſummæ contextu *verb. Vſur.* 5. *q.*4. vbi ait: [De mõte pietatis, liceat, necne? Papa eſſet conſulẽdus, & interim eſſet abſtinendum, nequis exponat ſe diſcrimini, & ad hoc rogatus alias feci conſilium, quod nõ liceat.] Ex quibus patet Sylveſtrum ante Leonis X. definitionem contra montes pietatis ſcripſiſſe. De Caietano autem magis certum eſt, quia *opuſc.*6. de hac re, quod extat *tom.*2. *opuſc.* teſtatur ipſemet, in fine perfeciſſe die 13. Iulij anno 1498. Concilium autem Lateranenſe indictum fuit à Iulio II. anno 1512. & *ſeſſio illa* 10. habita eſt ſub Leone X. anno 1515. Quinimo, vt notant Salas, & M.Bañez, ſuam retractauit ſententiam Caietanus in eo Concilio, quia, cum in ea decima ſeſsione interrogati fuiſſent Patres,

an decretum placeret? Omnes reſponderunt placere: vno excepto Hieremia Epiſcopo Tranenſi. Vnde, cum Caietanus, qui ibi aderat, tanquam Generalis ſui Prædicatorum Ordinis, approbauerit tale decretum, videtur retractaſſe, quod antea in præfato opuſculo ſcripſerat. Dices M. Sotum *lib. 6. de iuſt. quæſt. 1. art. 6.* exemplo Caietani ſe protegere, & ex illo excuſationem ſibi texere, ne temeritatis redarguatur, quod poſt definitionem Concilij Lateranenſis contrariam ſententiam intrudere tentauerit. [*Sed hac de re* (ait Vincentius Baronius) *deceptus eſt Soto, quod crediderit opuſculum illud de monte pietatis ſcriptum fuiſſe ab authore poſt Concilium Lateranenſe, cùm tamen ad calcem libri adnotatum ſit, illud abſoluiſſe anno* 1498.] Ex quibus apertè conſtat, vnum Magiſtrum Dominicum de Soto poſt Concilium Lateranenſe, & Leonis X. definitionem, eius vim labefactare tentaſſe, & ſcripto contra præſentis declarationis, & ſanctionis formam diſputare auſum fuiſſe; quod mirabile dictu eſt de viro pijſsimo, & ſapientiſsimo.

§. II.

Animadverſio in Baronium.

20 MAgiſtrum Soto nouiſsimè ſequitur Vincentius Baronius 2. *part. Manuductionis, diſput. 1. ſect. 2. §. 4. fol.* 175 & iterum *tom. 2. Ethices Chriſtianæ, diſput. 3. ſect. 3. numer. 48. fol.* 363. vbi ſe, & Sotum protegit authoritate Caietani, *cuius opus,* (inquit) *de hac re editum, non videmus fuiſſe poſtea damnatum: quamvis nonnulla ex monte pietatis minus probaret.*]

21 Fateor, non ſine admiratione, hanc ſententiam apud Baronium legiſſe; maximè poſtquam apud ipſum 1. *part. Manuductionis, ſeu Theologiæ Moralis* contra Caramuelem, & Theophilum Raynandum, *diſput. 2. ſect. 4. fol.* 241. Verba valdè notanda reperi, quæ licèt ad aliam concluſionem comprobandam, pro noſtra tamen apertè militant, & quia in ſubſidium Myſterij Conceptionis Beatiſsimæ Virginis cedunt, (licèt in Baronij caput obliquè recidant) repetere placet. *Quiſquis negaret, inquit Baronius* (*licitum eſſe credere Immaculatam Conceptionem Deiparæ*) *de hæreſi vehementer eſſet ſuſpectus, quod dubitaret de certa fide, nimirum, de Eccleſiæ authoritate, emergentia circa Religionem dubia dirimendi.* Ergo quiſquis poſt definitionem Leonis Decimi Sacro approbante Concilio, negauerit licitum eſſe aliquid ſuprà ſortem exigere pro montium pietatis indemnitate, ob ſolas Miniſtrorum expenſas, de hæreſi vehementer ſuſpectus erit; *quod dubitet de certa fide; de Eccleſiæ ſcilicèt authoritate emergentia circa mores dubia dirimendi.* Argumentum ſanè non contemnendum. Quia prohibitio Pontificis, contra negantes licitum eſſe credere Virginis Immaculatam Conceptionem, maiorem vim non habet; quam Leonis Decimi Sacro approbante Concilio, contra negantes eſſe licitos montes pietatis ſupra dictos; & neutram ex his quæſtionibus poſſe apertè, & certò dirimi ex Scriptura, & traditione, dicit ipſe Baronius *ſupr. ſect. 3. citata fol. 363.* Ergo idem de vtraque quæſtione iudicium ferre debet. Atqui contra decretum Alexandri VII. procedentes ſuſpectos de hæreſi vocitare non dubitat. Quid ergo de procedente contra diffinitionem Leonis, dicere debet?

22 Igitur vt ſententiam Soti, quibus ipſe præſidijs, tueatur etiam Baronius, alia per calumniam ſubnectit, dicens: *Adde Concilium Lateranenſe, & Leonē X. vt obſeruat Suarez tom. 5. de cenſuris, diſp. 23. ſect. 7. approbaſſe montes pietatis, quatenus non diſſentiunt à Sacris Canonibus.* Verùm deceptus eſt Baronius, quia P. Suarez id non obſeruat, nec montis pietatis ibi meminit, ſed aliam longè quæſtionem exagitans ait. [Cenſuras Concilij Lateranenſis, vt Caietanus, & Nauarrus adnotant, non eſſe vſu receptas.] Verba autem, quæ Baronius incautè Suario impoſuit, apud Sotum, vbi ſuprà invenit, qui à Caietano 2. 2. *quæſt. 1. artic.* 10. poſt Concilium Lateranenſe ſcripta falſo refert, vt ſuprà notaui, & ipſe Baronius fatetur, *diſp. 1. citata 2. part. Manuductionis.* Vnde hæc violenta, & extorta Concilij explicatio explodenda eſt, nilque fauere poteſt ſententiæ Soti, vt ex terminis patet: quia certiſsimum eſt montes pietatis, vt à Leone X. & à Concilio Lateranenſi approbatos, & vt licitos, & minimè vſurarios declaratos, non diſſentire à Sacris Canonibus; vt benè expendit M. Araujo *in deciſ. Moral.* Et tamen huiuſmodi montes, [ab vſuræ ſordibus elui non poſſe,] dixit M. Soto, cuius patrocinium Baronius ſuſcepit; ſed qua laude?

23 Inſuper aliunde, auctoritate Cardinalis Bellarmini, illum protegere tentat, dicens: [*Bellarminus etiam lib. 2. de concil. cap. 13. ait dubium eſſe, an vltimum Lateranenſe Concilium verè ſit œcumenicum.*] Sed in hoc etiam Baronius à veritate deviat, & mala fide ſcribit: quia Bellarminus eo loco id neutiquam aſſerit, ſed alios dubitaſſe refert, dum aliam exagitabat quæſtionem de poteſtate Pontificis, ſu-

ſuprà

Digitized by Google

ſupra Concilium. En eius verba. *De Concilio Lateranenſi, quod expreſsè rem definiuit, nonnulli dubitant, an fuerit verè generale, ideò vſque in hanc diem quæſtio ſuperſt inter Catholicos.* Sic ille ex aliorum mente vbi ſuprà, à qua ipſe longè ibidem diſtat, ſuamque exprimit cap. 17. inquiens: [*Ad hunc locum Concilij nil poteſt reſponderi, niſi vel non fuiſſe Concilium generale; vel non definiuiſſe hoc tanquam de fide; ſed non fuiſſe generale vix dici poteſt; nam etſi fuerint Epiſcopi paucisſimi; nam ad centum non peruenerunt; tamen Concilium omnibus patebat. Quod verò Concilium hoc rem iſtam non definierit propriè, vt decretum fide Catholica tenendum, dubium eſt, & ideò non ſunt propriè hæretici, qui contrarium ſentiunt, ſed à temeritate magna excuſari non poſſunt.*] Hæc Bellarminus in quæſtione de poteſtate Pontificis ſupra Concilium; quibus tamen Concilium Lateranenſe generalè fuiſſe certum putat. Quod ſi ex vi definitionis circa montes pietatis, non magis certum eſſe contendas licitos eſſè, quam Pontificem habere poteſtatem ſupra Concilium. Sit eſto? Sed hinc expendes, qualis ſit ſententia, quam vt Soto morem gereres, defenſandam ſuſcepiſti, & vt meliora ſapias, conſule Doctores, qui de poteſtate Papæ ſupra Concilium poſt Lateranenſe ſcripſerunt: nam Caietanus 2. 2. *quæſt. 1. artic.* 10. dicit contrariam ſententiam eſſe damnatam in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. *ſeſſ.* 11. M. Bañez 2. 2. *quæſt. 1. art. 10. dub.* 2. *pagin.* 130. Peña, & Recentiores apud Henriquez *de Pontific. claue, lib. 3. cap. 9. nu. 1. in gloſſ. litt. E.* Dicunt *eſſe fomentum hæreſum, & periculoſam in fide.*]

24 Denique, ex alio capite, Sotum defendit Baronius, nimirum, quod licèt iure naturæ illicitos cenſeat montes pietatis, in quibus pro alimentis, & ſtipendijs Miniſtrorum, aliquid vltra ſortem exigatur, (qua ratione approbati ſunt à Concilio) exiſtimat tamen Sotus pro obligatione mutuandi, qua mons pietatis adſtrictus eſt, licitum eſſe tenuiſsimum aliquid ſuprà ſortem exigere. Soti verba ſunt. [Reſpondetur in hoc nullum apparere vſuræ vitium; dummodo hac ſolum de cauſa tenuiſsima eſſet exactio: & procuratione pignorum, & pro ſcriptis rationibus dati, & accepti, & pro alijs id genus operis nil exigeretur.] Cæterum Concilium de hoc lucri titulo non meminit, ſed de alijs ſuprà memoratis, ob quos auctarium mali ſpeciē nō habere definiuit. Et vt verùm fatear, ſub lite modo eſſe debet, an hæc ſolutio ſubſtineri poſsit? quia obligatio mutuandi, & obligatio non repetendi debitum vſque ad certum terminum, in æſtimatione morali æquiualent: pro ſecunda autem aliquid vltra ſortem exigere illicitum eſt, & contrariam ſententiam M. Petri de Ledeſma *2. part. ſumm. tract. 8. cap. 33. concl. 4. difſic. 2.* M. Serra *2. 2. q. 78. art. 2. dub. 3.* & aliorum, quos alibi retuli, & refelli, (& quam nouiſsimè *in Theolog. fund. lib. 2. fund. 60. q. 7. fol. 895. in edit. anno* 1675. mordicus defendit Caramuel.) damnauit, *vt minimum, vt ſcandaloſam.* Summus Pontifex Alexander Septimus *die 24. Septembris anno* 1665. Prærerquam, quod, ſi poteſt exigi compēſatio obligationis mutuandi, vt poſt cēſuram relatam Alexandri VII. contendit Baronius vbi infrà, dicens: *Sed non putò ea feriri montes pietatis his, quas adiunxeram ex Soto limitationibus.* Si inquam pro obligatione mutuandi, vt à Soto explicata poteſt exigi aliquid tenuiſsimum. Cur non, & expenſas pro monte pietatis conſeruando? Quia hæc pretio æſtimabilia eſſe iure naturæ patet, illa verò, niſi incommoda ſit mutuanti, non eſt cur æſtimabilior, quam ipſa mutuandi actio cenſeatur; pro hac autem nil ſupra ſortem exigi poſſe certiſsimum eſt: In conſequenter ergo M. Soto, & Baronius pro expenſis, & laboribus ad mutuum neceſſario præcedentibus, aliquid ſuprà ſortem exigere licitum negant; & pro obligatione mutuandi concedunt. Excuſat Sotum Baronius in Ethices Chriſtianæ *part. 2. diſp. 3. ſect. 3. num. 48 fol.* 365. dicens illum poſt argumenta pro ſua ſententia propoſita, adiungere *cauſas non de eſſe iuſtas, quibus ille contractus* de monte pietatis *honeſtatur*, ſed apud Sotum non extant, nec cauſæ, nec verba.

§. III.

Conſectarium alterum.

25 EX hactenus dictis evidenter etiā deducitur debita immatura, v. g. poſt annum ſolvenda, poſſe modo minoris emi, ſi non ſint liquida, vel eorum ſolutio difficilis, aut non ſine lite, & expenſis, laboribus, & moleſtijs obtinenda, vel ratione alterius damni emergentis, vel lucri ceſſantis. Hæc enim omnia, vel eorum aliquid ſubire, pretio æſtimabile eſt, quod proinde ex iuſto alias pretio rei emptæ, deducere licebit. Sic communiter Doctores, Sotus, Lopez, Sanctus Antonin. Cordub. Caietan. Nauarrus, & alios, quos citatos ſequitur P. Salas *tr. de vſuris, dub. 27. n. 4.*

26 Si verò nil horum interueniat, præfata debita nullatenus poterunt minoris, emi, quia ſublata difficultate, & periculo probabili expenſarum, & nullo emergenti damno, vel lucro ceſſante: non minus valent centum poſt annum ſolvenda, quàm

centum præſentia, ac proinde ius ad centum poſt annum ſolvenda non minoris æſtimatur, quàm ipſa centum. Aliàs mutuans mille poſſet recipere, in fine anni mille,& quinquaginta, dicens quantitatem præſentem tantum valere, quantum valet iſta futura,& qui daret nonaginta hodie ſub onere, quod centum poſt annum reſtituantur, nil adquireret ſuprà ſortem, vt benè ponderant Pater Salas, *tract. de vſuris, dub. 27.* & Caramuel *in Theologia Moral. lib. 2. diſput. 14. numer. 790. & in Theolog. fundam. num. 262. & 264. fol. mihi 131.* Quo principio latiſſima vſuris pateret via; ſic cum D. Thoma *opuſc. 73. de vſuris, p. 1. cap. 8.* poſt medium. Communiter Doctores apud Salas ſuprà, & *tract. de vendit. dub. 39.*

27 Ideò omnino reijcienda eſt ſententia Caietani, *verb. Vſura* in fine, §. [Cogor.] vbi ſic ſcribit. [Reſpondeo, miſsis diſputationibus, quòd hic nulla intervenit vſura, quia eſt contractus non palliati, & impliciti mutui, ſed emptionis, & venditionis, quoniam Ioannes vendit ius ſuum, quod habet ſuper illas pagas, nec aliquod mutuum accipit,]& infrà. [Nec hoc, quod dicimus de venditione, & emptione iuris pagarum ex Monte Genuenſi, eſt ſingulare in illo mõte, quoniam hoc eſt commune omni alteri iuri quorumcumque creditorum. Poſſum enim licitè emere ius tuum, quo tibi debentur ab altero mille aurei, hinc ad annum, & licitè emendo dabo tibi minus mille aureis (attende) præſuppoſito debito liquidiſsimo, & abſque difficultate, ac labore exigibili, quoniam ius recipiendi ad annum mille aureos, minus eſt ſecũdum rem, & humanum vſum, ac humanam æſtimationem, quàm mille aurei.]Sic Caietanus. Sententiam hanc probabilem eſſe dicunt M. Ioannes de la Cruz *in directorio 1. part. præcept. 7. de vſura, dub. 6.* & M. Serra *2.2. quæſt. 77. art. 1. dub. 5, §. Dicendum eſt ſecundo,* vbi ſic ait: [Probatur *ex lege minus, ff. de regul. iur.* vbi dicitur, minus eſt actionem habere, quàm rem; ſed qui emit debitum mille aureorum ſolvendorum poſt annum, etiam ſi liquidiſsimum ſit, & abſque difficultate, & labore exigibile, non emit mille aureos, ſed ius, & actionem ad illos: Ergo cùm minus ſit talem actionem habere, quàm mille aureos, minoris emi poterit, quam mille aureis.] Hæc Serra, & eadem M. Fumus *in Armilla, verb. Vſura, numer. 50.* Quos nouiſsimè ſibi non conſtans ſequitur Vincentius Baronius *tom. 2. Ethices Chriſtianæ, diſp. 3. ſect. 3. de vſura, num. 53. & 54.* Et hanc ſententiam tenere Armillam, & Ioannem de Ripa(ſiue debita immatura emantur ab ipſomet debitore, ſiue ab alio tertio) dicit M. Ludovicus Lopez *2. p. inſtruct. cap. 57.* idque tenent Bernardinus de Buſtos *ſerm. 34.* Conradus, & Roſella, vt refert Pater Thomas Sanchez *lib. 1. conſil. capitul. 7. dub. 18. numero 1.* & alij.

28 Verùm cuiuſcumque ſit hæc ſententia, non ſolum eſt contra communem Doctorum, ſed palliatis vſuris, viam aperit, & (vt inquit M. Sotus *lib. 6. de iuſtit. quæſt. 4. artic. 1. ad 3. argum.*)[*Eſſet non ſolum palliatum, verùm, & detectum, & funebre mutuum,*]& benè quidem: quia vt expendit P. Salas *tractat. de vſuris, dub. 27.* apertè ſequitur ex illa, te abſque vſura, & iniuſtitia, poſſe mutuum petenti dicere, nolo mutuum dare, ſed pro 90. emam à te obligationem, qua tenearis ſolvere mihi centum poſt annum; ius enim ad centum poſt annum, quod tibi emo, non pluris hodie æſtimatur, quam 90. de præſenti. Et vt vis illationis non te prætereat; videas quæſo M. Ioannem de la Cruz ſuprà, vbi hanc proponit quæſtionem. [An qui debet ſolvere centum in fine anni, ſatisfaciat dando creditori petenti nonaginta in principio anni.] Cui reſpondet [etiam ſecluſo lucro ceſſante, & damno emergente, eſt probabile ſatiſfacere, ita Armilla *verb. Vſura, numer. 33.*] Ex quo principio ſic inferunt, & benè P. Salas, & Caramul vbi ſupra: [ſi ergo centum aurei ſolvendi poſt annum, poſſunt hodie extingui nonaginta paratis, ergo mutuans nonaginta, poterit in fine anni centum recipere, nil enim ſuprà ſortem exigit, quia illa quantitas præſens tantùm valet, quantùm iſta futura.] Propter hæc, ſententiam Caietani, & aliorum eſſe improbabilem, dicunt Molina *diſput. 361.* M. Bañez, & P. Salas vbi ſuprà, & alij grauiſſimi Doctores, quibus ſubſcripſit M. Prado, *tom. 2. Theolog. Moral. cap. 28. quæſt. 1. §. 3. numer. 21.* & conſenſerat Baronius *2. part. Manuductionis, fol. 178.* [Nam ſi huiuſmodi, inquit, emptio, aut commutatio æris alieni ſit licita, ſublatum eſt vſurarum peccatum.] Sic Ille, & meritò. Addens principium, cui innititur Caietanus *improbatum eſſe à reliquis Thomiſtis, nec ab vllo receptum,* (quod licèt falſo dixerit, dignus eſt laude:) & eius ſententiam defendi non poſſe, *niſi quando ſubeſt periculum amittendæ ſortis, vel expenſarum.* Qua propter miror valdè, quod poſtea ſui oblitus, loco citato ex Ethica Chriſtiana, ſuſceperit provinciam defendendi Caietani opinionẽ,& eius principia. Argumentum verò Caramuel & P. Salas inſolutũ reliquit. Sed vt benè dixit Prado ſupra.[Ex vno principio falſo, non mirum quod aliud

fal-

Digitized by Google

falſum ſequatur.] Hæc eſt genuina ſolutio, quam poterat adhibuiſſe Baronius, & ea diſſolvere argumenta Philippi de la Cruz in *tr. de intereſſes*, ab Inquiſitione prohibito, quæ in ſententia illa falſa nitebantur.

§. IV.

De mercibus vltroneis.

29 SI autem (retenta Caietani ſententia) curioſus inquiras, quanti poſſit minoris emi ius ad centum poſt annum ſolvenda? Reſpondet Caietanus ſuprà *verbo Vſura*, §. *Cogor*. [Iuſtum pretium conſtat eſſe, quod communiter invenitur abſque fraude.] Sed quid ſi venditor emptores non inveniens, vltro ſe tibi offerat, & ab eo rogatus emas? Reſpondeo huius dubij deciſionem petendam, ex communi Doctorum ſententia circa merces vltroneas, quas vileſcere conveniunt omnes; quanti verò? diſſident: Caietanus, & alij, quos refert, & ſequuntur Diana 1. *part. tract. 8. reſol.* 53. & Ludovicus Lopez *de contr. lib. 1. cap.* 34. §. [*Reſpondetur*,] aſſerunt pro tertia parte vileſcere; verba M. Lopez ſunt, quæ ſequuntur. *Secundum Caietanum, & axioma commune, merces vltroneæ pro tertia parte ſolent vileſcere.*

30 Caietani locus extat 2. 2. *quæſt.* 77. *artic.* 1. §. *Ad evidentiam*, vbi ſic. [Modus vendendi, ſcilicèt vltro offerre, & quærere emptorem, manifeſtè in æſtimatione hominum vilificat rem venalem; (attende) *vltroneæ namque merces, vt in proverbio dicitur, vileſcunt pro tertia parte.*] Hæc Caietanus. Ex quo principio excuſat Diana vbi ſuprà *reſol.* 53. ementem quadraginta aureis veſtem, ſexaginta valentem. An verò ex eodem, eximere etiam teneatur Caietanus ab vſura, & iniuſtitia, tàm hūc, quàm illum, qui rogatus à venditore ius ad ſexaginta poſt annum ſolvenda, modo emeret numeratis quadraginta, & ſic in cæteris, debita proportione? alijs conſiderandum relinquo: quia conſequentia præmit. Addunt alij merces vltroneas quandoque vileſcere pro medietate. Ita M. Serra 2. 2. *quæſt.* 77. *artic.* 1. *dub.* 3. §. *Advertendum*. [Merces, inquit, vltroneæ vileſcunt quandoque pro medietate, & quandoque plus.] Cui conſonat M. Conradus 1. *part. reſp. caſuum, quæſt.* 130. vbi ſic ait. [Quantum ad pretij varietatem, valdè attendendum eſt, quia pluribus modis variari poteſt, vnde quando à Mercatore emptorem expectante res vendita eſt viginti, & quidem iuſtè, ſi eadem res per plateas deferatur vendenda; & offeratur, quia merces vltroneæ vileſcunt, quod iuſtè priùs viginti venditum fuit, fortè nec decem vendi poterit, idque accidit ſolùm ex vario vendendi modo; ecce quomodo eadem res, eodem die iuſtè tam diſtante pretio vendi, & emi contigit.] Quibus adde Caram. *in Theolog. fund. num.* 43. §. 8. *num.* 795. & in noviſſima editione Lugdun. anno 1675. in qua lib. 2. fund. 59. d. 878. ſic ait. [Merces vltroneæ vileſcunt pro media parte, amplius etiam interdum; pretia enim à venditorum, & emptorem multitudine pendent.] Sic ille. Cui adiunge Paulum de Pallacios, Rebellum, Bartholomæum à S. Fauſto, Magalam, & alios apud Dianam 1. *p. tr.* 8. *reſol.* 78. & Doctores aſſerentes merces vltroneas in publica auctione iuſtè emi, dum non infrà dimidiū iuſti pretij. Sic Ludovicus Lopez, Salon, Malderus, Rodriguez, Corduba, & alij apud Dianā *p.* 9. *tr.* 8. *reſol.* 57. & cum M. Serra, vbi ſuprà Ioannes Martinez de Prado *tom.* 2. *Theolog. Moralis cap.* 27. *q.* 1. *nu.* 42. ſubnectens: [infrà dimidium etiam merces ſub haſta emi poſſe, ſicut & duplo, & pluris, quam valent vendi,] & adducit Trullench, Villalobos, & Dianam vbi ſuprà decem authores referentem. Quos ſequitur Doctor Garſi *cent.* 1. *q.* 64. *n.* 14.

31 Quibus addendi ſunt plures alij Doctores, quorum ſententiam valdè probabilem vocat eos citans F. Leander à Murcia, *tom.* 2. *diſquiſ. Moral. diſp.* 11. *reſ.* 6 *nu.* 9. & 20. Aſſerentes licitum eſſe in foro conſciētiæ, ſecluſo dolo, & fraude, rem vendere pluris iuſto, & minoris emere, dum pretium nō excedat ſuprà, vel infrà dimidium non deficiat: v. g. res valoris 20. non vendatur ſuprà triginta, vel ematur infrà decem. Verùm niſi ex modo vendendi ſub haſta, vel aliter cōmuniter recepto id proveniat, non aſſentiar. Quia licèt in foro externo ad excuſandas lites non detur actio repetendi nō video, quod in interno, maior licentia concedi poſſi, quā ad vendendum ſummo rei pretio, & ad emendum infimo: quorum iuſtitia ex circunſtantijs dependet, vt benè Caietanus *in ſumm. verb. Emere*, vbi ſic. [Nec redditur iniuſtum pretium ex cauſa, puta quia neceſſitate dictas, ac per hoc non voluntariè vendidit: quia inopia, qua cogitur quis ad vendendum, nō reddit venditionem involuntariam; alioquin etiam ſi rigido pretio venderet, involuntaria redderetur venditio: quod conſtat eſſe falſum. Eadem ſiquidem ratione; iuſtum pretium eſt, quod nunc hic, ſub hoc modo vendendi, vel emendi invenitur communiter, qua ratione iuſtum quoque eſt pretium, cùm poſt bella, aut peſtes, domus, agri, horti, &c. emuntur viliſſimè, quia non inveniuntur emptores. Et eadem ratione gemmæ, quæ emptæ fuerant mille, modo emuntur centū, quia non inveniuntur emptores. Et ſimiliter tranſeuntes navi aliquas videmus emi res

res vilius quàm ibi valeant, quia non inueniuntur emptores nunc pro alio pretio. Et ſic de ſimilibus.] Legas quæſo Caramuelem vbi ſuprà, ſic inferentem. [Si equus valeat centum aureis, & tu roges emptorem alias non empturum debebis vendere quinquaginta, ergo ſi rogaris, alias non venditurus poteris vendere ducentis? Vel redde diſparitatem.] Reddo autem facile, quod ſicut ad dimidium iuſti pretij deſcendit rogata emptio, ita ad dimidium iuſti, poteſt aſcendere rogata venditio, ac proinde ad 50. ſupra 100.

QVÆSTIO IV.

An liceat mercatori vendere credito merces pretio rigoroſo, & redimere pretio infimo?

1 SATIS Communis eſt inter Doctores diuiſio iuſti pretij in rigoroſum, medium, & infimum, v.g. res, quæ pretio rigoroſo valet centum, pretio medio valet 95. & pretio infimo 90. Eſt igitur difficultas, an mercator, qui nullo præcedente pacto, merces vendidit alicui pretio rigoroſo, pecunia credita, poſſit redimere pro infimo numerata pecunia?

2 Hunc contractum illicitum eſſe, & vſurarium, docent nonnulli ſequuti D. Antoninum, Toletum, & alios, quos refert P. Salas *de vſuris, dub.17. & de empt. & vendit dub.37.* Quia vendere credito pro centum, & ſtatim numerata pecunia emere pro 90. Eſt virtualiter 90. mutare pro centum poſtea ſoluendis. Hic enim eſt effectus ex duplici iſto contractu reſultans: Eſt ergo vſura, palliata voce emptionis, & venditionis.

3 Cæterum contraria ſententia, iuri naturæ ſtando, eſt communis Doctorum. Quam tenent Ioannes de la Cruz *in direct. conſcientiæ, p.1. præcep 7. quæſt.5. dub.1.* Vbi etiam mutuantem merces alicui, ait poſſe ab illo eaſdem emere viliori pretio, ſicut & alij poſſunt; & in terminis de vendere credito tuentur Homobonus, ſumma Corona, & alij, quos refert, & ſequitur Diana *p.1. tract.8. reſ.33. & 58.* P. Salas vbi ſuprà. P. Leſſius *lib.2. de iuſt. cap.21. dub.16. num.130.* Cardin. de Lugo *tom.2. de iuſt. diſp.36. ſect.13. num.205.* Nauarrus, Petrus de Nauarra, Bañez, Syluester, Salonius, Angelus, Garcia, Angles, Rodriguez, & alij apud ipſos. Quibus adde Illuſtriſ. P. M. Acatium de Velaſco *tom.1. reſ. moral. verb. Contr. reſ* 206. *num.3.* vbi ſic. [Reſpondo con Laymam, y otros muchos, que eſtos mohatras ſe pueden comprar licitamente, porque en eſta venta, y compra, lo que ſe compra, y vende es intra limites de iuſto precio, y aſsi puede muy bien hazerſe.] Quem ſequitur M. Paulus de Blanchis *in diſceptat. caſuum conſcientiæ, litt. E. diſp.1. fol.3. 77.* Ratio eſt: quia hic nullus mutui contractus interuenit, ſed duplex emptionis, & venditionis pretio iuſto; alter ex parte mercatoris, alter ex parte illius, qui merces priùs emerat, vterque enim contractus eſt iuſtus, cum iuſtum vterque pretium attingat, & vterque libere abſque dependentia, & connexione vnius cum altero fiat; nullum enim pactum eos connectens interuenit. Ergo licitè poteſt mercator merces, quas credito ſummo pretio vendiderat, ſi emptor ſponte velit ipſi eas vendere, ipſe mercator emere, eo pretio, quo alij poſſunt; in hoc enim, vt bene adnotat Lugo: *Emptor non grauatur, ſed pótius liberatur ab onere quærendi alios emptores, vel proxenetas* (vulgò corredores) *qui eos inueniant, & quibus nouam mercedem daturus eſſet.* Ideo in hanc ſententiam tãdem venit Mercatus *1. de contractibus, cap.26.* (quem pro contraria refert Salas locis citatis.) Si acaeciefe, inquit, auer vendido ſu ropa, y verla deſpues en tienda, ò à lo menos expueſta à vender, no auiendo concierto en ello, ni temiendoſe de infamia, bien podrà comprarla, como qualquiera otro del Pueblo, por el precio que los demàs la compran.] Sic ille. Quam opinionem [veram eſſe ſpeculatiue loquendo.] Ait M. Ludouicus Lopez *de contractibus, lib.1. cap.34.* Et non ſolum ſpeculatiuè, ſed practicè probabilem eſſe, ait M. Serra 1.2. quæſt 19. art.6. fol.376.

4 Hanc verò ſententiam limitant, & benè P. Leſſius, & Paulus de Blanchis, dummodo non ſit ſcandalum, nec vlla ſibi, vel ſuis infamia; & nequeat abſque ſui diſpendio mutuum dare. Quos immerito reijcit Baronius *2. part. Manuduct. fol.169.* dicens: *Nullum inde eſſe iuſtum infamiæ, & ſcandali metum.* Imò ex hoc fundamento videtur, iure poſitiuo huius Regni Caſtellæ, damnari mercator, ſi merces, quas credito vendidit, iterum emat pecunia numerata. Sic leg. *22. tit. 11. lib* 5. Nouæ recollectionis. Ibi. [Mandamos, que los dichos Mercaderes, y Plateros, por ſi, ni por otras interpoſitas perſonas para ello, *directè, nec indirectè* no tornen à recobrar lo que aſsi dieren en fiado, ſo pena que lo ayan perdido; y demàs deſto incurran en perdimiento de ſus oficios, y mas cada vno en 50000 marauedis, &c.] Quibus verbis, vt ait Molina, Mercatores prohibentur emere per ſe, vel per alios pecunia numerata, quæ credito maiori pretio vendiderunt.] Sic apud Salas *fol.158. num.4.*

5 Limitant etiam Syluester, & Ludouicus Lopez, Emanuel, Bañez, & Salon apud

Sa-

Salas ſuprà *dub.*17. Quos ſequitur Molina *tom.*2. *diſp.*310. *num.*2. dummodo mercator non vendat merces credito, animo eas iterū ab emptore minori, & ſi iuſto pretio, redimē di. Verùm hanc limitationem excludunt Salas, & Lugo vbi ſuprà, & meritò; nam cum ſecundus contractus licitus ſit, nequit intentio illum celebrandi mala eſſe, & ideò nec primum venditionis contractum vitiare: nā quod licitum eſt, licitè intendi poteſt. Nec ad rem facit, vt benè ipſi advertunt, quod mercator non vendidiſſet credito, ni ſpem concepiſſet redimendi viliori pretio. Quia ſpes alterius contractus celebrandi, præcipuè ſi in vtilitatem vtriuſque, (vt hic contingit) non eſt mala; ideòque nequit vitiare contractum præcedentem, qui ex ſe iuſtus eſt; & ſponte omitti poterat, ſpe deficiente.

6 Plus addunt Salas, & Lugo, neque reddi illicitum talem contractum venditionis credito, licèt venditor ſuam intentionē manifeſtet emptori dicendo. [Ego libere tibi credito vendo has merces, ſi tamen volueris poſtea viliori pretio, ſed quidem iuſto, mihi vendere ad habendam pecuniam præſentem, ego paratus ſum ad eas emēdas.] Hæc enim intentionis expreſsio, cum pactum non contineat, & in vtilitatem ipſius etiam emptoris redundet, ne cogatur alios emptores quærere, (& forſan viliori ipſis, quam mercatori, pretio vendere) nequit licitum aliàs contractum venditionis, pecunia credita, vitiare. Dixi *forſan viliori*, quia cæteri, vt merces vltroneas, emerent, quæ pro tertia ſaltem parte vileſcere, conſtat ex alibi dictis: Tametſi, vt benè advertunt Doctores citati, cautè in hoc procedendum eſt, quia in foro externo, vſura præſumeretur, non ſolum quando intentio expreſſa fuiſſet, ſed me iudice, licèt occultè retenta, quia ad præſumptionem ſufficit ſtatim redimere minori pretio præſenti, quod maiori fuerat credito venditum.

7 Quod in hoc caſu diximus, dicunt alij de mutuante; qui licèt nequeat aliquid vltra ſortem, vt ex iuſtitia ſolvendum exigere; poteſt tamen excitare mutuatarium, ad aliquid vltra ſortem, ex gratitudine beneficij accepti, conferendum, & amicitiæ pactum prius initum in memoriam reuocarè, vt mutuatarius ſic excitatus aliquid vltra ſortem mittat. Ita cum Molina, Caietano, Aragòn, Cōrado, & Bañez tradit Salas *ſupr. dub.*7. & eſſe communem Recentiorum, inquit Salon *art.* 2. *c. utr.* 3. *concl.* 2. Qui, vt prædixi, advertunt exprimendum clarè, non intendere aliquid recipere vt ex iuſtitia debitū, ſed ex ſola gratitudine beneficij accepti: ſi enim id non exprimatur, vehemens ſuſpicio erit vſuræ. Sicut in mercatore ſtatim redimente merces, quas credito vendiderat exprimens intentionem redimendi viliori, abſque vllo pacto obligandi emptorem.

8 An verò mercator poſsit, iuſto pretio ſummo, merces credito vendere, cum pacto retrouendendi pretio iuſto infimo, (quod apud Hiſpanos vocatur *mohatra*, & apud Italos *ſtrochola*.) Conveniunt omnes, (inquit Lugo *tom.*2. *de iuſt. diſp.*26. §.2. *num.*204.) vſurarium eſſe hunc contractum ſi animus vſurarius ſit, hoc eſt capiendi lucrum ex mutuo ſub prætextu, & ſpecie venditionis ad palliādam vſuram: & licèt hic animus deficiat, iniuſtus erit, & virtualiter vſurarius, quia contractus reſolvitur in mutuum virtuale pretij præſentis, pro maiore ſumma ex prima venditione ex iuſtitia ſolvenda in futurum. Sic Lugo, & communiter Doctores. In hanc verò communem, & veriſsimam ſententiam, obijci poteſt Locus Caietani *ex ſumm. verb. Emere, in fine*, vbi ait: *Quartò* (emptio eſt illicita) ex pacto de retrovendendo, (attende) ſi pretium, quo emitur minus eſt, quam res valeat; habet enim ſpeciē mutui palliati, ſub nomine emptionis. Vnde ſi pretium eſt iuſtū cōtractus licitus reputatur, & cōmuniter fit.] Similia habet *verb. Venditio*. Cuius verba duas continent propoſitiones. Prima eſt; ſi rem emat minoris, quam valeat. Emptio eſt illicita; ſecunda: ſi pretio iuſto emat, contractus licitus reputatur. Has ego alibi in verſo ordine retuli dicens Caietanum dicere, quod *quando emitur aliquid cum pacto de retrovendendo, ſi pretium eſt iuſtum contractus licitus reputatur*. Secus. [*Si pretium, quo emitur, minus eſt quam res valeat.*] Nullum ex meo penu verbum addens præter ly *ſecus* ad propoſitiones diſtinguendas; & a me additum alio charactere deſignans.

9 Vnde apertiſsimè apparet Vincētium Baronium immeritò, in me irrupiſſe 2. *part. Manuduct. fol.*170. *& tom.*2. *Ethices Chriſtianæ, diſp.*3. *ſect.*3. *de vſura*, dicens, *me puniēda fraude, invertiſſe verba Caietani, referendo continuata ſerie, quaſi ita habeant apud Caietanum, prima poſtremo loco reponens, & vltima primò* Fateor ex duabus propoſitionibus quas ſententia Caietani continet, ordinem primæ & ſecundæ invertiſſe; ſed cum hæc inverſio ſenſum nō mutet; nil ad rem facit: eadem enim eſt oratio *Ioannes, & Paulus; ac Paulus, & Ioannes*. Nec vllius fraudis, ordinis inverſio capax eſt, ne dum *puniendæ*, ſed quod mirabilius, hoc non contentus addit à me factam, *vt cruciem, & ex carnificem Caietanum, vt ab invito eliciam poſſe, vltra vſuræ vitium, redimi minoris à venditore, quod pluris eidem vendiderat*. Sic Baronius: & intactam relinquens difficultatem ex verbis Caietani ſubortam, *ſubrectit Caietanum contractum huiuſmodi fucata vſura initum pronuntiare*,

tiare, & pactum illud nil aliud eſſe, quàm quod vulgari vocabulo [Mohatra] appellatur, omnibus fere Theologis inteſtabile, & horrendum. Ita ille. Verum non obſtante pacto retrouendendi, ait Caietanus ſuprà, quod ſi pretium eſt iuſtum, contractus licitus reputatur. Non ergo fucata vſura initum pronuntiat. Huic difficultati vellem, reſpondiſſet Baronius. Qua non ſoluta poſſet aliquis inferre Caietanum in hoc loco ſenſiſſe, contractum de retrouendendis mercibus mercatori, à quo quis credito emerat, licitum eſſe, ſi pretio iuſto vterque emat.

10 Nihilominus Caietanum (cuius mens in hoc loco non affulſit Baronio) id non ſentire, eſt mihi euidens. Primò quia oppoſitum expreſsè tradit, verb. Vſura, caſ. 9. [Si quis inquir, cum egente pecunijs palliat multos contractus ſimultaneos (puta; dicit ſe vendere tot pannos mille aureis reddendis octauo menſe: & ſe emere illos ab eodem pro octingentis aureis nunc ſoluendis, & ſic dat nunc octingentos, & fit contractus pro mille hinc ad octo menſes) vſura eſt palliata ſub multis contractibus. Nec excuſatur ex eo quod ipſe non eſt deterioris conditionis, quā alter, qui emeret illos pannos pro octingentis: tum quia interuenit pactum de retrouēdendo ſibi, perdendo ducentos, quod non interuenir cū alio: tū quia iſte in veritate non venderet illi niſi propter hoc lucrum.] Sic Caietanus. (Quamuis, vt verum fatear, hæc vltima ratio parui ponderis ſit; conditionalis enim, deficiente pacto, nil ponit in re.) Secundò. Quia in ſumma, verb. Emere, non iſtum caſum, ſed alios longe diuerſos attingit, quamuis non exprimat, v.g. An qui ab egente pecunijs domum emit, pecunia præſenti, cum pacto de retrouendendo. contractum licitum efficiat; & reſpondet affirmatiuè, ſi pretio iuſto emat. Secus ſi minori pretio, quàm domus valet. Idemque docet de vendente cum pacto de retrouendendo.

11 Et tamen aduertendum, quod aliquid de pretio eſt detrahendum, ſi in fauorem vendentis fiat pactum, quia hoc onus impoſitum ementi pretio æſtimabile eſt. Etècontra ſi in fauorem ementis fiat, augendum eſt pretium propter onus, quod vendenti iniungitur, reſcindendi primum contractum, quādo ementi placuerit. Si verò pactum retrouēdendi in fauorem vtriuſque apponatur, ita vt altero eorum volente, res ſit redimenda, tunc pretium maius eſſe debebit, quàm ſi in ſolius venditoris gratiam apponeretur; minus verò, quàm ſi abſque illo pacto, vt cum Leſſio, & Ioanne de Medina, docet Cardin. de Lugo ſuprà ſect. 13. num. 202. Qui, num. 203. benè ait cum Molina, fructus tempore intermedio perceptos ad emptorem pertinere, vt pote qui toto eo tempore rei Dominus fuit, niſi aliud fuerit pacto firmatum, ſub hac, vel illa conditione, vel cauſa, quæ conſiderari initio potuit.

QVÆSTIO V.

Vtrum, qui ſcripturam publicam amiſit, poſſit abſque lethali, pro ſua indemnitate, aliam ſimilem efficere?

1 AFFIRMANT Nonnulli, quia hoc non eſt falſare ſcripturam; & cum aliunde nulli fiat iniuria, non eſt vnde culpæ grauis cenſeri debeat; ita Nauatrus in ſumm. Latina, cap. 17. num. 168. Vbi ait, peccare mortaliter, & ad reſtitutionem teneri. [Qui ſcripturam in alterius præiudicium falſauit. Nam eo ceſſante (inquit Additionator) falſum non committitur, l. nec exemplum, & ibi Gloſſ. & Doctores ad legem Corneliam de ficcar.] Et ante illum Caietanus in ſum. verb. Falſarius. Vbi ſic: Falſarius tam monetæ, menſurarum, & ponderum; quàm ſcripturarum, ſeu litterarum, ſeu ſigillorum; peccat proculdubiò mortaliter, quia interuenit ibi factum perniciosum, ex ſuo genere: poſſet tamen propter imperfectionem actus, veniale tantum interuenire peccatum (attende) vel ratione minimi nocumenti; vt cùm loci gratia alieno nomine, quis fingit litteras. Ex quibus, titulo quæſtionis reſpondit P. Sa, verb. Falſarius, num. 2. Negans cum Nauarro, in hoc caſu interuenire crimen falſarij, & concedens cum Caietano, non eſſe peccatum mortale: Falſare (inquit Sa) non eſt, nec peccatum mortale; amiſſæ ſcripturæ de hereditate aut nobilitate, aliam ſimilē efficere; nulli enim fit iniuria. Quem ſequitur Carolus de Baucio in ſingulari caſuum conſcientiæ, caſu 53. & tenuit doctiſſimus Fr. Baſilius Pontius de Leon Primarius Salmantinus, vt refert Doctor D. Franciſcus Verde in Opuſculo pro Caramuele quæſt. 8 concluſ. 20. num. 368 fol. mihi 96. dicens: Hanc ſententiam in foro Poli, non carere probabilitate.

2 Cui fauent Doctores aſſerentes, non eſſe falſarium, qui ſcripturam mutat in aliqua re, dummodo veritati innitatur; quia ex l. cum Filius, §. Heres meus, ff. de legat. 2. [Illud non poteſt dici falſum, quod innatur primordio veritatis.] Ita docent Iulius Clarus lib. 4. §. Falſum, num. 34. Grammat. in voto 26. num. 12. Crauet. conſ. 46. num. 8. Corneus conſ. 26. num. 15. Alciat. conſ. 461. num. 6. Menoch. de præſumpt. lib. 5. præſump. 20. num. 53. Quos ſequitur Giptius tract. de caſibus reſeruatis, cap. 13. caſu 7. num. 7. dicens: Quod ſi teſtis ſcripſit in Apoc. & ea deperdita, alia conficiatur, in qua, illius teſtis nomine,

mine, ſimilis deperditæ ſubſcriptio fiat: in hoc caſu, & ſi re vera, in hac ſecunda, illè non ſubſcripſerit, nihilominus ſubſcribens non dicitur falſarius; quia iuuatur primordio veritatis, eo quod re vera teſtis in Apoca eiuſdem tenoris ſubſcripſerat. Hæc ex illo (quem præ manibus habere non licuit) refert Diana cum alijs *5. part. tract. 14. reſ. 40.*

3 Quibus conſonat M. Bartholomæus Fumus in Armilla *verb. Falſarius, num. 1.* dicens: [Ad hoc quod quiſque poſsit puniri de crimine falſi, oportet, quod ſint hæc tria: Mutatio veritatis; dolus, & iactura; ſecũdum Hoſtienſem. Nec in ſcriptura, quæ fidem non facit committitur crimen falſi.] Sic Fumus. Quem plures ſequuntur, Manuel Rodriguez *tom. 1. ſum. cap. 118. verb. Falſarios, num. 7.* [Para vno ſer condenado por falſario, es neceſſario que concurran tres coſas. La primera, que mude la verdad. La ſegunda, que lo haga con dolo. La tercera, que cauſe daño.] Petrus de Nauarra *in ſumm.* lib. 3. cap. 1. num. 314. [Falſitas dicitur mutatio veritatis cum dolo, & iactura, vt tradunt Doctores, & ex ipſis Syluester *verb. Falſarius in principio.* Vnde ad falſitatis eſſe (vt more Logicorum loquar) tria requiruntur prædicta; veritatis mutatio, dolus, & iactura. Vno enim deficiente, nec falſitas erit, nec punibilis, vt idem Syluester expreſſe tenet, ex Hoſtienſi, & Azor.] Sic Nauarra. Quæ videntur euincere, idem prorſus dici debere, ſiue inſtrumentum in aliqua ſui parte, abſque iactura alterius, mutetur, ſiue totum de nouo, eo quod antiquum deperditum fuerit; conficiatur.

4 Contraria ſententia eſt communis Doctorum, quam tenet Couarr *variar. reſol. lib. 1. cap. 2.* Tannerus *22. diſp. 4. q. 6. dub. 12. num. 332.* Layman *lib. 3. ſect. 5. tract. 3. part. 1. cap. 4. num. 4.* Diana *3. part. tract. 6. Miſc. reſ. 56. part. 5. tract. 14. reſ. 40. & part. 9. tr. 8. reſ. 61.* Quos citatos ſequitur Card. de Lugo *tom. 2. de iuſt. diſp. 40. ſect. 2. nu 27. verſ. Obijci poteſt 3.* Probant: Quia eiuſmodi ſcripturarum falſificationes ſunt reipublicæ valde pernicioſæ; Ideoque à legibus ſeuerè prohibentur; quæ prohibitio, cum iuſta ſit, & in materia graui, nequit non grauiter obligare. Quamuis enim verum ſit, per tales falſificationes, non violari particularem iuſtitiam commutatiuam, quia nemini fit iniuria, violatur tamen iuſtitia legalis; & peccatur contra rem publicam cuius maximè intereſt, ne falſificētur ſcripturæ, vel ſigilla publica; alioquin periret magna ex parte fides actuum publicorum, ſi ea licentia ſubditis concederetur.

5 Nihilominus ſententia Patris Sa (licet in ſecunda editione expurgatus fuerit per Magiſtrum Sacri Palatij) improbabilis non eſt; quia nullum apparet caput, nec ratio efficaciter probans eiuſmodi factum, de peccato mortali, in omnibus, damnari debere. Quamuis enim certiſsimum ſit tabellionem, aut Notarium eiuſmodi inſtrumenta, abſque authoritate publica, conficientem peccare mortaliter, contra præſtitum fidelitatis iuramentum (in quo non eſt controuerſia, nec de his loquutus eſt P. Sa) certum tamen non eſt, ſed opinabile, & non leui ratione innititur opinio Patris Sa, pro alijs, qui publici officiales non ſunt, ſed priuatim ea inſtrumenta conficiunt; cum falſarij non ſint; nec crimen falſi committant. Nullam enim iniuriam perſonis particularibus irrogari, in conficiendo priuatim eo inſtrumento, ex terminis patet, nec authores contrariæ ſententiæ negant: ſiquidem aliud omnino ſimile abſque alicuius præiudicio antecedenter extabat, ex quo idemmet ius habebatur, quod modo ex ſecundò.

6 Nec præiudicium contra iuſtitiam legalem adeò graue apparet, vt à lethali eximi non poſsit: fateor eſſe contra veritatem, ac proinde venialem culpam mendacij. Alia autem deformitas non eſt, in conſtructione inſtrumenti publici amiſsi, quàm in efficiendo de nouo priuatum aliquod caſu deperditum. In quo conficiendo, non eſſe mortale, docent Macuchellus *tract. de caſibus reſeruatis, diſp. 2. c. 28. q. 2. n. 23.* Doctor Garſi *cent. 1. cap. 58.* Giptius, apud Dianam *part 5. tract. 14. reſ. 40.* Quod licet cum formidine, tenet ipſe Diana *part. 9. tract. 8. reſ. 61.* Nec leges prohibentes inſtrumenta publica priuatim confici, aliud videntur intendere, quam prohibere inſtrumenta, in quibus dolus, & iactura reperiantur. Alia enim, quæ nec ad bonam Reipublicæ gobernationem, nec ad particularium iacturam impediendam faciunt, nec de nouo confecta magis lædant, quã ſi amiſſa non fuiſſent, non videntur leges attendiſſe, vtpote adhunc effectum non multum neceſſariæ. Ideò hanc ſententiam, poſt rem maturè conſideratam, & contrariæ fundamenta expenſa, nouiſsimè tuetur P. Merido *in ſatera diſſertat. 13. q. 16* Poſt Nauarrum, & Caietanum.

7 Non me latet Vincentium Baronium *diſp. 1. ſect. 2. art. 1. fol. 152. Ægre tuliſſe* Caietanum, pro hac ſentia, abſolute referri; & illum, *non de publicis ſcripturis, ſed de priuatis tantùm loquutum* interpretari; ſed re poſtea melius conſiderata, palinodiam decantauit: quiá vtriuſq; generis ſcripturas apertiſsimè cõprehẽdit; dum æquales facit falſificationes monetæ, menſurarum, & ponderum, & ſcripturarum: quæ verba ad publicas referuntur. Et ita concedit ipſemet Baronius *2. part. Ethices Chriſtianæ, diſp. 3. ſect. 3. fol. 344* dicens:

[Ver-

[Verba illa Caietani, quibus falſarium ſcripturarum, inquit, poſſe excuſari à mortali ob actum imperfectè deliberatum, vel ratione minimi nocumenti, *poſſe in priuatas, ac publicas ſcripturas cadere.* Poſtremam verò à loco exceptionem, vix alijs, quàm priuatis litteris conuenire poſſe.] Cùm his verò iunxit clauſulam mihi mirabilem, nempe, periculoſam eſſe opinionem Patris Sà aſſerentem, non eſſe mortale, amiſſa ſcriptura de hæreditate, vel nobilitate aliam ſimilem efficere. [Quæ, inquit, niſi per ſummam iniuriam in Caietanum referri non poteſt.] Sed quidem cùm, ipſomet Baronio teſtãte, Caietanus dicat excuſari poſſe à læthali falſarium ſcripturæ publicæ, ratione minimi nocumenti; imperceptibile eſt, non excuſandũ, ex eodem fundamẽto, amiſſæ publicæ ſcripturæ ſimilem efficere; quando de hæreditate, vel nobilitate agitur, in quo nulli fit iniuria. Hoc enim, vel nullum, vel minimum nocumentum eſt. Excuſari ergo poteſt à læthali, & abſque inconſequentia negari nequit.

8 Aliud Caietanus ibi ſuperaddit. [Cõtingit quoque, ſine omni fortè peccato, fingere alieno nomine, litteras officioſè; dum vtiliter agitur eius negotium, nec dubitatur, quod gratum illi erit; cuius nominè ſcribitur, & in huiuſmodi priuatis litteris alieno nomine fictis, ratihabitio à falſitate excuſat. His tamen verbis, vt patet, non excuſat ab omni peccato, priuatas litteras fingere, ſed in caſu hoc ſpeciali, cuius meminit: in alijs verò abſque veniali admitti non poteſt, v.g. quando aliquis (vt ait Maçuchellus *de caſibus reſeruatis, diſp. 2. cap. 28. q. 1. num. 33.*) Priuatam aliquam ſcripturam, aut ſingrapham, aut Apocam, qua cõſtaret, ſe certæ quantitatis pecuniæ mutuo acceptæ ſatisfeciſſe, conficeret: quia aliam legitimam à creditore confectam amiſiſſet, nec alio modo probare poſſet ſolutionem. Hoc enim à peccato veniali Caietanus, vbi ſuprà non excuſat, nec poteſt, vt ait P. Mendo *nu.* 252. Quia deceptio inſeparabilis eſt ab effectione talis inſtrumenti; quæ quidem per hãc intenditur primariò, & per ſe, nec enim aliter inſeruire poteſt fini, ad quem ordinatur, niſi alij credant à creditore fuiſſe confectum.

9 Aduertit, & benè P. Mendo, eum, qui publica inſtrumenta priuatim conficeret, puniri debere, quia forum externũ non præſumit, in locum aliorum ſubſtitui, ſed de nouo confici, & inſuper non leuis præſumptio eſſe poteſt, addictum eſſe ad alia conficienda, etiam diſſimilia. Qua propter, ait Doctor Vnde ſupra: in foro humano opinionem Caietani, Nauarri, & aliorum tolerandam non eſſe.

10 Verùm Doctor Garſi vbi ſuprà *cap.* 58 *num.* 10. Aſſerit cum Hoſtienſi, Azor, Tancredo, & alijs, quos ſequitur Silueſter, *verb. Falſarius.* Non eſſe illi falſarij pœnam imponendam, ſi probauerit primordio veritatis innixum id feciſſe. Quia ex requiſitis ad crimen falſarij, vnum re vera in foro etiam externo deficit. Vnde inquit. [Qui porrexit ſupplicationem Epiſcopo, qua petebat licentiam excipiendi confeſsiones ſimul, & abſoluendi à reſeruatis; & vtrumque conceſſit Epiſcopus, & tamen in licentia à Secretario expedita non exprimitur, poteſt abſque falſarij nota addere, *& abſoluendi à reſeruatis*, quia id verum eſt. Ita etiam tradunt Bellochius, & Chapeauilla, quos ibi refert. Vbi *num.* 2. *&* 10. Caſus alios exprimit ob eandem rationem excuſandos à crimine falſi.

11 Denique eſt aduertendum non eſſe licitum inſtrumentis falſis vti; ad defendendum honorem, vel diuitias. Quia ſicut falſare, de nouo conficiendo, quæ amiſſa nõ fuerunt, eſt peccatum mortale, ita & illis vti, vt benè ait Garſi ſuprà *num.* 11. [Aſſero ſextò: non eſſe licitum vti inſtrumentis falſificatis ad defendẽdũ ius ſuum; quamuis inſtrumenta illa falſificata ſint ab alio, neque ſciente, neque cooperante illo, cui vſui eſſe poſſent. Ita Maçuchellus citatus à Diana, vbi ſuprà. Et probatur: Quià malum, quod reſultat Reipublicæ ex falſificatæ ſcripturæ publicæ Inductione, præponderat illi malo, quod patitur priuata perſona iniuſtè, in rerum ſuarum iactura: & ſicut non poteſt quis vti nummis ab alio adulteratis, adſoluendum debitum, quod exigitur iniuſtè à creditore; Ita non poteſt vti inſtrumento, quod alius, ipſo inſciente, falſificauerit, ad reparationem veri; quamuis repellendus eſſet iniuſtus creditor, eo inſtrumento exhibito.] Sic ille.

§. Vnicus.

Corollarium.

EX Principijs ſuprà iactis ſuadentibus, ad incurrendum crimen falſi, tria requiri, nempè *veritatis* mutationem, dolum, & iacturam, ſeu præiudicium (vt ex M. Fumo, Sylueſtro, Rodriguez, & Nauarra retulimus) paucis ab hinc annis, contra nonnullos oblatrantes, à crimine falſi, & ab excommunicatione Bullæ Cœnæ, excuſaui Fr. Angelum à Lantuſca Franciſcanum, qui cum Prouintiam augendi Bullarium ſuſcepiſſet, ſuperaddendo Pontificum Bullas, quæ deſiderabantur; dum *in tom. 6. Bullarij, fol.* 229. ad Bullam, *cum ad aures* Summi Pontificis Alexandri VII. expeditam die 25. Iunij anno 1665.

1665. perueniſſet, adeò miſerè delapſus eſt, vt in alienum prorſus ſenſum detorſerit. Nã cum Pontifex in illa damnet, & prohibeat, vt *præſumptuoſas temerarias, & ſcandaloſas* duas cenſuras, ſeu libros ſacræ facultatis Theologiæ Pariſienſis: Alteram in librum Iacobi de Vernant: Alteram in Opuſculum Amadæi Guimenij: cui concordare debuiſſet Bullæ epigraphe. Aliter ipſe Lantuſca, tam mentis, quàm calami lapſum perpeſus compilauit. Et quaſi altera tantum ex cenſuris fuiſſet facultatis Pariſienſis, & altera Amadæi Guimenij in præfatum librum Iacobi de Vernant, ſic Bullam Alexandri ad ſummarium redegit: *Prohibet duos libros; nempè, cenſura ſacræ facultatis Theologiæ Pariſienſis, & Amadæi Guimenij.*

Dolui in Lantuſcæ operibus tàm enormeerratum irrepſiſſe. Hoc enim vno, omnium Bullarum ſummaria dubiæ fidei reddidit, & cum forte in vno defecerit, factus eſt omnium reus. Miror virum doctum, & Religioſum adeò præpropera lectione Bullas percurriſſe, vt Collectoris munus, ſolo nomine obierit. Nam cum aliud non ſit, quàm de legitimo Bullarum ſenſu fidem facere, hoc errore detecto, non bona in poſterum, ſed mala procedent, qui non perlecta ab Alfa ad Omega Pontificis Bulla, fidem ex ſummario præſtent: oleum ergo, & operam Lantuſca perdidit.

Senſus Bullæ Alexandri VII. apertiſsimus eſt: prohibet, & damnat duo libros, ſeu cenſuras ſacræ facultatis Theologiæ Pariſienſis, eo quod, *in illis notantur aliquæ propoſitiones*, quæ in libro Iacobi de Vernant, & in Opuſculo Amadæi Guimenij continentur: *Æque præſertim, quæ ad Romani Pontificis, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ authoritatem, Epiſcoporum iuriſdictionem, Parochorum munus, priuilegia à Sancta Sede conceſſa, diſpenſationes Apoſtolicas, actionumque moralium regulam pertinent, & alia, quæ, & grauiſsimorum ſcriptorum authoritate, & perpetuo Catholicorum vſu nituntur. Et cum fieri non poſsit, ſine publico catholicæ Religionis detrimento, vt prædictæ cenſuræ in commemoratis libris, ſine debita Eccleſiæ animaduerſione, & damnatione remaneant. Nos pro Apoſtolico munere, &c.* Sic ibi.

Ex præfata Alexandri VII. Bullæ clauſula, apertè conuincitur plures in libris Iacobi de Vernant, & Amadæi Guimenij propoſitiones cõtineri, quæ nec prohibitæ ſunt, nec cordatus aliquis eas fuiſſe prohibitas exiſtimare poteſt; Sunt enim veriſsimæ, & grauiſſimorum authorum authoritate, & perpetuo Catholicæ Eccleſiæ vſu innixæ; aliæ D. Thomæ, & Thomiſtarũ; aliæ Scoti, & Diſcipulorũ aliæ P. Sanchez, Suarez, Vazquez; & aliorum grauiſsimorum Doctorum, ex alijs Sacris Religionibus, apud Theologos communiter receptæ. Has autem dicere eſſe prohibitas, in Alexandri Bulla, ſub pœna excommunicationis, non ſolum falſum eſt; ſed graui etiam temeritatis, & ſcandali nota dignum.

Aduertendum tamen eſt quod; poſt Alexandri Bullam, in Sacra Congregatione, Sanctæ, & Generalis Inquiſitionis Romanæ, ab eodem Pontifice Maximo, anno 1665. & 1666. Prohibitæ fuerunt, & damnatæ, vt minimum, vt ſcandaloſæ 45. Propoſitiones diuerſorum authorum; quarum ſuprà Viginti in Opuſculo Amadæi referuntur. Eas tamen ipſe, nec approbans, nec reprobans, authoribus, qui eas tradiderant, in primis Editionibus, reſtituit, cõtentus præmiſiſſe in prologo, *non vt probabiles illas referre, ſed, vt non bonus inde Anonymi innoteſceret animus, qui non eas, vt debuiſſet, ſed quæ vnius, vel alterius erant Ieſuitæ, in cenſuram vocauit.* (Poſtea verò ipſemet, in quarta editione Matritenſi, vt ſe ab authoris impoſtura ab æmulis iniuſta, purgaret; illas expreſsè reprobauit.) Qua propter (vt credo) ſacra Indicis cõgregatio primum; & Sanctæ Inquiſitionis Romanæ poſt modum, librum ipſum prohibuerunt, nullam tamen prohibitionis exprimãdo cauſam: licet, quam ſuprà ego, de omiſſa ſingularum animaduerſione, a viris doctiſsimis exceperim. Ideòque omnes iure deſiderant, quod quadraginta, & quinque propoſitiones à Sancta, & Generali Inquiſitione Romana, vt ſcandaloſę prohibitę, vtriuſque Sancti Tribunalis Inquiſitionis, Romani ſcilicer, & Hiſpani iuſſu; in authoribus, qui eas defendunt, deleantur: ne lectores apud illos, abſque vlla nota, offendentes, ſcandalum patiantur. Quod, vt ego euitarem, quoties occaſio occurrit, adnotaui, & in poſterum aduertere non deſinam.

Cauſam aliam prohibitionis, duplicis Sacrę Congregationis memoratę, nonnulli finxerunt, nempè, quod Amadei Scopus, in ſuo opere, fuerit oſtẽdere propoſitiones, quas Ieſuitis ab Anonymo præobiectas proponit, ab omni cenſura immunes eſſe, & extrinſecę probabilitatis munimine tutas. Sed quidem, cum ex præobiectis, plures non Ieſuitarum ſint, ſed per calumniam illis imputari oſtenderit; harum patrocinium Amadæus minimè ſuſcepit, nec à cẽſura immunes, nec vlla ratione tutas haberi intendit, ſed ſuis authoribus fideliter reſtituere, vt à Tribunalibus fidei, illorum libri expurgentur. Alias verò propoſitiones, quas ab vno, vel ab altero ex Ieſuitis, traditas concedit; non mirum in ſui operis coronide, tunc temporis, conqueſtus fuerit, quod vt falſas, improbabiles, ſcandaloſas, temerarias, & erroneas Anonymus

Digitized by Google

mus notauerit: quando quidem poſtea Sacra Congregatio Sanctę, & Generalis Inquiſitionis Romanæ, ex propoſitionibus, quas in libro Amadęi fideliter relatas prohibuit, vix vnam damnauit, quę Ieſuitam agnoſcat authorem; Omnes recole.

Et ſane id apud omnes inconcuſſum eſt, Amadęum Laxarum opinionum, quæ in eius Opuſculo continentur, purum relatorem, non Doctorem egiſſe. Quarum notitiam ad finem iuſtę defenſionis, ab illo intentum, nō ſolum vtilem, ſed neceſſariam ea tempeſtate plures iudicarunt. Alius enim nō fuit, quàm apertis tabulis demonſtrare, opiniones morales plus iuſto laxas, quas vnus, vel alter ex Ieſuitis docuit, ab alijs authoribus præuiè traditas fuiſſe, immò & laxiones: vt vel ſic nouatorum, & laxonum notam iniuſtè iniuſtam apertiſsimè decliuaret. Hæc vna fuit totius lucubrationis concluſio. Hanc vnam demonſtrandam ſuſcepit. Hanc demonſtrauit; & illius tantū ſe authorem profeſſus eſt: non aliarum, diuerſorum authorum, quas in defenſionem Ieſuitarum traduxit. Et ideò in ſupplici libello ad Eminentiſsimos Cardinales, §.1. Sic exorauit. [Si doctrinam falſam, aut improbabilem, ſeu ſcandaloſam, aut temerariam, vel maiore cenſura dignam contineant, deleantur ab authoribus, qui illas docuerunt, notentur in alijs, qui eas referunt: Secus enim candidi lectores, iudicum fidei prohibitionem, & cenſuram ignorantes, dum apud graues Authores defenſatas reperiant, laxæ doctrinæ hamo facile capientur.] Sic ille. Et ſic ego.

DISPVTATIO SECVNDA de Ludo.

QVÆSTIO I.

Ad ludentes ludo prohibito teneantur ſoluere?

1 QVÆSTIO Hæc comprehendit omnes Ludos legibus prohibitos, ſiuè pecunia præſenti; ideſt, *de contado*, ſiuè credita; ideſt, *al fiado*. Ad cuius deciſionem præmittere oportet; qui ſint Ludi legibus prohibiti. Et quidem, iure cæſareo (vbi locum habeat) prohibitus eſt Ludus aleæ; ideſt, qui fortuna magis, quàm arte, & viribus regitur, vt teſſerarum, taxillorum, talorum, & omnes Ludi chartarum pictarum. Quod pluribus legibus, ex Nauarro, comprobat P. Salas *tom. de Contr. tr. de Ludo, dub. 3.* Benè adnotans cum Molina, eiuſmodi leges, cæſareas, non habere locum in noſtro Regno Caſtellæ, quia non eſt ſubditum legibus cæſareis, vt docent communiter Theologi, & Iuriſtæ.

2 In locis autem, in quibus leges Hiſpanię vigent, Ludi aliqui ſunt prohibiti, v.g. *1. leg. 1. tit. 7. lib. 8. nouæ Recopilationis*, prohibetur militibus Ludus alearum, & tabularum; ideſt, *dados, y tablas*. Et eo rigore, quādo Ludus fit in hoc Regno Caſtellæ, vt ſolutionis factę non transferri dominium, plures doceant, Thomas Sanchez, Sotus, Alcozer, Bañez, Ludouicus Lopez, & alij, quos citatos ſequitur *in conſil. lib. 1. cap. 8. dub. 1. num. 4.* Verba enim legis hunc videntur præferre ſenſum: *No juegen dados, ni tablas; y qual quiera que alguna coſa ganare, ſea tenido à la tornar luego à aquel aquien lo ganò.* Verum P. Salas *ſup. dub. 4.* cum Molina cenſet hæc verba non impedire translationem dominij, ſed tamen pecuniam Ludo comparatam debere ſtatim, lata ſententia per iudicem, colluſori reddi; quod tradit etiam Perez, apud Sanchez: Sic enim eſt vſu recepta, [hodie enim, ait Molina, nil in expeditionibus bellicis, & in præſidijs frequentius, quàm Ludus teſſerarum, & chartarum, & nemo ad reſtitutionem lucrantem obligat.] Sic doctores citati. Veram dominij translationem admittentes, licet cum facultate repetendi coram iudice pecuniā amiſſam. Quæ actio competit, tàm iurè ciuili, quàm huius noſtri Regni, perdenti Ludis prohibitis.

3 Inſuper, *leg. 2. eodem titulo* prohibiti ſunt Ludi teſſerarum, & chartarum, *& leg. 14.* inuenitur prohibitus à Philippo II. Ludus alius ſimilis Ludo taxillorum, qui dicitur: *A los bueltos*, vt notat P. Salas ſupra *dub. 4. num. 7.*

4 Quæ quidem leges licèt conſuetudine abrogatę ſint, & ideò ſub nulla culpa hodie obligent, non tamen ſunt conſuetudine abrogatæ, quo ad ius repetendi in iudicio pecuniam ſolutam, quia non ſolere repeti, non eſt actus contrarius iuri; ad hoc enim abrogandum, opus eſt, quod victore repetente, non ſolerent iudices lucrantem obligare ad reſtitutionem. Vt benè cūm Molina *diſp. 513. §. Illud admonuerim*, notat Salas *dub. 5. num. 5.*

5 Adde, quod repetitio pecuniæ perditæ in Ludo vetito locum etiam habet inter Clericos, *iuxta authent. aliorum vſus, cap. de Relig. & ſumptibus funeris*; quàm inter Clericos etiam procedere, ait Couarru. *regula peccatum, 2. part. §. 8. num. 3.* dicens eſſe communem: Idemque cum Bernardo Diaz, Salcedo, Gloſſa, & alijs, teſtatur Thomas Sanchez ſupra *lib. 1. cap. 8. dub. 1. num. 8.* His poſitis.

6 Difficultas primà eſt, an qui Ludo aliquo prohibito, perdit, teneatur ſoluere? Primà

Digitized by Google

ma ſententia negat, quam grauiſsimi Theologi tuentur. Ita P. Thomas Sanchez *de Matrim. lib. 6. diſput. 38. num. 34.* apud quem M. Sotus, Adrianus, Couarrubias, Angelus, Philiarcus, Aragon, Carbon. Ludouicus Lopez, item P. Molina *tom. 2. de iuſt. tractat. 2. diſput. 515. concluſ. 4.* Pater Leſsius *lib. 2. de iuſt. cap. 26. dub. 4.* Cardinalis de Lugo *tom. 2. de iuſt. diſput. 22. ſect. 10. numer. 300. & diſput. 31. numer. 70.* Gaſpar Hurtado, Malderus, Ledeſma, Toletus, & alij, quos citatos ſequitur Diana *part. 2. tract. 3. Miſcell. reſol. 8.* Probant pluribus legibus, quæ videri poſſunt apud Sanchez, Salas, & Lugo, vbi ſupra: in quibus lucranti negatur in iudicio poſſe petere, quod lucratus fuit ludo prohibito: & perdenti conceditur actio ad repetendum quod ſolverit. Cui autem datur actio ad repetendum, conceditur ad non ſolvendum. Cui enim datur actio, eidem competit exceptio, & retentio: *Regul. qui ad agendum 61. de regul. iur. in 6. & regul. inuitus 197. §. Cui damus, ff. de regul. iur. l. 1. §. qui ſupericiem, verſ. Nam cui damus, ff. de ſuperficiebus, l. creditori 5. cap. de pactis.* Præterquam quod fruſtrà ſoluitur; & eſſet circulus inutilis, quando aliquid ſtatim reſtituendum eſt; *l. dolo 8. ff. de doli mali exceptione, & regula dolo 59. de regul. iur. in 6.* Cùm ergo ſtatim, repetita ea pecunia, debeat authoritate iudicis reſtitui; fruſtranea eſſet eius ſolvendi obligatio. Sic expreſsè colligitur ex Bart. *extrauag. ad reprimenda n, num. 13.* & Antonio *cap. Nouit, num. 62. & 63. de iudicijs,* vbi dicunt: ſi pupillus non ſolvat id, quod obligatione naturali tenetur, non poſſe denunciari Euangelicè: quia ſi ſolvat, repetit, & conceditur ſibi reſtitutio. Si tamen peccaret, clarũ eſt poſſe denunciari Euangelicè. Sic Sanchez: qui addit verũ eſſe, nõ ſolũ quando actio ad repetendum eſt perpetua, ſed etiam quando pro tempore limitato cõceditur; (vt in legibus Caſtellæ intra duos menſes à tempore ſolutionis:) quia dum ſolutio facta non ſit, quinis tranſactum ſit tempus, quod ius concedit repetendi ſolutionem; dat ius excipiẽdi, & retinendi, *l. licèt 5. c. de exceptio, vbi & gloſſ. fine.* & ibi, Scribentes, Speculator. *tit. de exceptionibus, §. viſo, quando exceptiones, nu. 49* Bertachinus *in repertor. verb. Exceptio, ſub num. 190.* & alij.

7 Secunda ſententia è regione oppoſita tenet perdentem ludo prohibito teneri ſolvere, & ſolum ei cõcedi actionem repetẽdi ſolutum. Quã eſſe valdè probabilem, ait Sanchez ſup. & tenẽt apud illũ Alcozer, Medin. Caſtro, Salon, Franciſc. Garc. Acebed. Bañez, Valent. Aragon, & alij apud Salas, *dub. 26.*

8 Probatur: quia inter non eſſe obligationem ſolvendi, & poſſe repeti ſolutum; datur aliquid mediũ, nempè, eſſe ſolvendi obligationem, & ſolutum repeti poſſe; quod longè minor fauor eſt, vt ex terminis patet. Pauci enim præ pudore, coram iudice repetent; & plurimi, occultè ſaltem, non ſolvere, nõ erubeſcent. Cùm ergo leges ſolùm concedant ius repetendi ſolutũ *actionibus cõpetentibus,* nẽpè coram iudice; quod longè minus eſt, quàm ius non ſolvendi: nulla eſt ratio ad illam, ex vno fauore, ad alterã, extendendam: maximè cũ in præiudicium lucrantis evidẽter cedat: nam ille poteſt ſolutum retinere, quouſque per iudicem condẽnetur; quo iure (ſeu iuris vſu) priuatur, ſi alter poſsit non ſolvere. Quamvis autem verum ſit par eſſe vtriuſque ius remotum, cùm vterque poſsit amittere, vel lucrari; & ſolutum repetere. Id tamẽ fallet, vbi Hiſpaniæ leges vigeant, quãdo alter pecunia præſenti, alter credita ludit. Nam qui præſenti; ſtatim ſolvit, & ideò peioris ſit conditionis: quia ſolùm poteſt ſolutum repetere, alter verò poteſt, iuxta Hiſpaniæ leges, non ſolvere: quæ eſt aperta inæqualitas. Qua propter ni credito ludens teneatur etiam ſolvere, iniuſtus erit contractus, & nullitatem implicabit; ni fortè pecunia præſenti ludens huius inæqualitatis conſcius alteri remittat, contentus facultate repetendi ſolutum coram iudice, licèt minoris ſit æſtimationis, quàm libertas non ſolvendi, quæ in altero colluſore manet. Verùm cùm id frequenter ludentes ignorent; dicendum neceſſariò eſt, per leges prohibentes ludum, cùm promiſsionem non irritent, ſed ſolum actionem repetendi ſolutum concedant, hoc tantum ius eſſe ludenti ludo prohibito, & ideò non poſſe in foro conſcientiæ excuſari à ſolutione.

9 Ad leges ab adverſarijs adductas reſpondetur, procedere in foro externo, concedunt enim actionem ad ſolvendum authoritate iudicis potentis caſſare promiſsionem, ſicut poteſt mandare ſolutum reſtituere, vt benè cum Rebello, & Valentia, ait P. Salas ſuprà, & his ambagibus beneficium conceditur à lege, quibus fauor perdentis minuitur.

10 Rogabis quid dicendum ſi vterque colluſor initio renunciauerit iuri petendi, vel promiſerit non petere, poterit ne coram iudice, hoc non obſtante petere? Negant aliqui apud Salas ſuprà *dub. 26. num. 7.* ſed contraria eſt communis apud illum, & Lugo *diſput. 31. ſect. 4. num. 65.* quam illi ſequuntur & meritò: quia lex vniuerſaliter concedens repetitionem ſoluti, facta eſt in fauorem boni communis, ideòque iuri per illam adquiſito nemo cedere poteſt, ſicut

ne Clericus fauori legis Eccleſiaſticæ ratione ſtatus Eccleſiaſtici ob bonum commune conceſſo. Ergo licèt victus prior renunciauerit facultati petendæ reſtitutionis, vel promiſſerit non petere, non tenebitur ſtare promiſsis, ſed eam in iudicio poterit poſtea petere, vtpotè qui non eſt priuatus iure per legem illi conceſſo: alioquin leges facillimè inanes redderentur. Addit tamen, & benè, Cardinalis de Lugo, quod ſi promiſsio fieret, poſt factam ſolutionem, eſſet valida, & irreuocabilis; quia tunc iam videretur eſſe noua donatio gratuita. Quod intelligendum eſt, dummodò promittens intendat ex iuſtitia ſe obligare ad non repetendum; ſi enim ex ſola fidelitate, ſtare poterit opinioni neganti obligationem grauem in conſcientia oriri ex promiſsione externa legitimè ab alio acceptata; quam tenent Fumus, Henriquez, Petrus de Ledeſma, Fernandez, & alij, & putat probabile Diana eos citans *2. part. tract. 3. Miſcell. reſolut. 9. & 3. part. tract. 5. Miſcell. reſol. 116. & 4. part. tract. 4. reſol. 122.* quia, vt ait P. Sa, *verbo Promiſsio, num. 1.* [Vix quis promittentium obligari intendit, niſi iuret aut faciat inſtrumentum. Itaque cum dicunt; *faciam*, intelligunt ſe facturos, niſi mutentur, volunt etenim liberi eſſe.] Et quidem ſi promittens non habuerit animum ſe obligandi ad non repetendum, ſed ſolùm propoſitum, nulla eſt obligatio illi imponenda.

QVÆSTIO II.

An ludentes pecunia credita teneantur ſolvere?

1 NON eſt quæſtio de ludis prohibitis, de his enim dictum eſt ſuprà, ſed de quocumque ludo aliàs licito, & nulla lege prohibito. Si de iure communi & cæſareo ſermo ſit, aiunt plures, non teneri ſolvere; ita tenent apud Salas *dub. 26. numer. 2.* Adrianus, Sotus, Aragon, Couarrub. Nauar. Leſsius, Alcozer, Gutierrez, Molina, Conitolus, Toletus, Angles, Morla, Martinus Ledeſma, Petrus Ledeſma, Lopez, Medina, Rebellus, & alij.

2 Sed contraria ſententia, iuxta doctrinam præcedenti quæſtione iactam, tenenda eſt, eadem enim militat ratio. Quia minus eſt concedere actionem repetendi ſolutum, quàm actionem non ſolvendi, leges autem primum tantùm concedunt, & quod perdens non condemnetur à iudice ad ſolutionem; quod autem in foro conſcientiæ liber maneat, lex alearum non dicit, ibi: *Nulla ſequatur condemnatio; ſolutum reddatur, & competentibus actionibus repetatur.* Quæ verba non irritant mutuam promiſsionem ex ſe obligantem in conſcientia. Ergo cùm nullo iure cæſareo reperiatur irrita, ſuam ſemper vim retinebit. Confirmatur, nam qui ludit pecunia præſenti, tenetur, ſi perdiderit, ſolvere. Ergo ſimiliter, qui pecunia credita: quia iure cæſareo nullum inter hæc diſcrimen conſtituitur. Antecedens autem videtur certum: nec oppoſitum dici poteſt, quin rixæ & ſcandala ineuitabiliter ſequantur.

3 Si autem de iure Caſtellæ ſit ſermo, conveniunt omnes, ludentem pecunia credita, ſeu date fide, non teneri ſolvere, ſed propria authoritate poſſe illam retinere, etiam ſi ludus ſit licitus, & ſub pignore, aut fideiuſsione ludatur, quia hunc contractum irritauit Carolus V. in Comitijs Matriti *anno* 1518. vt habetur in Repertorio *tit. 8. lib. 8. l. 2.* & eſt lex octaua *tit. 7. lib. 8. nouæ collect.* vbi Carolus V. vetuit creditò ludere, etiam pila, & alijs ludis, hoc in Regno permiſsis, aut toleratis; & negatur actio lucrantibus contra colluſores, vel eorum fideiuſſores, & irritantur omnes obligationes, ſcripturæ & promiſsiones, quas tales perſonæ ſuper hac refecerint. Quæ lex vt benè ait Salas, æquiſsima eſt, quia ludentes creditò, poſtquam ludo incaluerunt, in maiore quantitate ludere ſolent, quàm ſi pecunia præſente: vnde dici ſolet, *quod non ponitur, non ſolvitur,* propter magnam pauperiem, in quam ſic ludentes rediguntur.

4 Sed quid, ſi vterque ludentium iuri, & beneficio legis renunciauerit, cum iuramento ſolvendi, & non repetendi; tenebitur ne ad ſolutionem, & ad non repetendum ſolutum? Affirmant teneri propter iuramentum P. Leſsius *lib. 2. de iuſtitia, cap. 26. dub. 4.* Molina *diſput. 515.* P. Salas vbi ſuprà, apud quem Magiſter Sotus, Cordoba, Bañez, Petrus de Ledeſma, Vega, Valentia, Nauarro, Toletus, Sà, Aragon, Gutierrez, & alij, quos ſequitur Cardinalis de Lugo, *tom. 2. de iuſtitia, diſp. 31. ſect. 4. numer. 66.* Quorum ratio eſt, quia iuramentum eſt de re licita, ideòque ex neceſsitate ſeruandum: quod apud omnes indubitatum eſt, *ex capite Quamvis pactum, de pactis in ſexto, & capite Debitores, de iure iurando.*

5 Imò addunt plures, nec poſſe petere relaxationem talis iuramenti; nam cùm ſit de re licita, & quam abſque peccato poteſt victus adimplere, (ſicut & victor ſimiliter pecuniam accipere, & retinere) iuramentum confirmat contractum aliàs irritum; & dat ius ad rem promiſſam: In quo ca-

ſu

ſu Prælatus nequit relaxationem concedere: eſſet enim in præiudicium proximi. Sic Molina, Leſſius, Rebellus, & Sorus apud Salas, quos ſequitur Lugo ſuprà. Cæterum eiuſmodi iuramentum non confirmare contractum; & ideò ius nullum aduerſario conferre; ſed ſolum ex Religione obligare; & conſequenter relaxari poſſe; affirmant Nauarrus, Couarrub. Toletus, Henriquez, Valentia, & alij, quos ſequitur Salas ſuprà, ſubnectens, virtute etiam Bullæ, & priuilegiorum mendicantium, poſſe commutari; quia nulla parti fit iniuria, ſi amiſſum non ſolvatur, vel ſolutum in iudicio repetatur. Sic ille cum Vega, & Henriquez alios referente *lib. 7. de indulgentijs, cap. 35. n. 6.*

6 Sed plus addit Vazquez *opuſcul. de teſtamentis, cap. 3. numer.* 40. concedit enim cum citatis, verum eſſe, hoc iuramentum non confirmare contractum; & nullum ius alteri ad ſolutionem conferre; eo principio ductus, quod legibus irritantibus contractum, ob fauorem publicum, nullus poteſt cedere: ſecùs ſi ob priuatum, ac proinde contractus iure nullus, ob fauorem publicum, qualis eſt ludus oppignorata fide, non confirmari iuramento: & ob hanc cauſam relaxabile eſſe. Addit verò, contra omnes, non indigere relaxatione. Verba eius ſunt. [Quinimo videtur, quod nec iuramenti ratione Religionis ſit obſeruandū: verb. gr. cùm quis luſit in pecuniam creditā, & illam iurauit ſe daturum; non tantum contractus manet nullus; vt vidimus in materia de ludo; quia eſt irritus per legem noſtri Regni, in fauorem publicum; ſed etiam iuramenti religio non obligat: quia, vt vidimus, debet eſſe materia alicuius virtutis, vt obliget: hic autem non eſt iuſtitiæ materia: quia contractus eſt nullus, nec fidelitatis: quia alius capax non eſt, nec redemptionis vexationis, nec Religionis, nec alterius, vt conſtat ſecluſo iuramento; ergo accedente iuramento nulla eſt, nec Religionis obligatio. Hactenus Pater Vazquez: quem ſequitur, eo non citato, Rebellus *part. 2. libr. 12. quæſt. 2.* citans Couarrub. Quos impugnat Pater Salas ſuprà *numer. 8. in fine*, ſed principium Patris Vazquez non eneruat, imò nec tangit, & ideò illius ſententia valde probabilis eſt.]

7 Cæterum Vazquez ſuprà *numer.* 43. ſuam ſententiam limitat, dicens. [Addo tamen, quodſi aliquis promitteret ſolutionem pecuniæ, quam ludo amiſit creditò, & iuraſſet illud ob finem bonum, ne in ſua fama ſequeretur damnum, quia alias ipſum infamat, vel ob alium finem, iuramentum eſſet obſeruandum; ſed contractus eſſet nullus. Nos tantum diximus iuramentum non obligare, quando non habet adiunctum honeſtum finem, quàm ipſam promiſsionem irritam ipſo iure: Nec opus eſt, quod tempore, quo iuramentum impletur, ſit finis honeſtus, ſed tempore, quo iuramentum fuit factum, materia aliàs indifferens habuiſſet honeſtum finem; & ideò quia promittere vſuras, vel pecuniam latroni inuadenti, factum fuit ex fine redimendi vexationem propriam, ideò ſemper eſt obſeruandum, licèt actu non perſeueret redemptio ipſa, vt optimè Caietanus loco citato ſuprà.] Hæc ille, & benè quidem adnotare hic oportet, Ioannem Sanchez *in Selectis, diſput. 43. numer.* 56. docere eum qui per ludum ad creditum fuerit lucratus poſſe clam illud recuperare, licèt iudex nequeat illud ſibi applicare. Quod falſum me iudice, eſt: quia præfato, ludo non adquiritur ius ad rem lucratam.

8 An verò qui accepit ſolutum ex ludo pecunia credita, teneatur reſtituere? conſtabit ex dicendis quæſtione ſequente.

QVÆSTIO III.

An qui, cum ludente pecunia præſenti ludit, oppignorata fide, animo non ſolvendi, poſſit lucrari?

1 NEgat Victoria, quem refert, & ſequitur Ludovicus Lopez apud Sanchez, quorum ſententiam amplectitur P. Leſſius. Probant: quia contractus debet eſſe æqualis, ſic autem ludens non poteſt perdere; ergo nec poterit lucrari. Debet ergo paratus eſſe ad ſolvendum, ſi victus evadat, licèt poſsit poſtea animum mutare, & beneficio legis vtens non ſolvere, aut ſolutum coram iudice repetere, iuxta ſuperiùs dicta. Confirmatur: quia ludens creditò eo ipſo ſignificat ſe habere animum ſolvendi, nec enim adverſarius luderet, ſi aliud ſciret. Ergo grauis deceptio interuenit, ſi abſque animo ſolvendi ludat. Ideò hanc partem ſuſtinent P. Leſſius *de iuſtitia, lib. 2. cap. 26. numer.* 31. Ludouicus Lopez, Victoria, & alij apud Sanchez, vbi ſuprà *dub. 5. num. 1.* qui ait, eſſe ſatis probabilem: & quidem quando alter ludit pecunia præſenti, quam ſi perdiderit, nequit non ſoluere, & alter pecunia credita abſque animo ſolvendi, apertior, inquiunt, eſt inæqualitas, quàm ponderatione egeat: in ludo autem æqualitatem ſeruari debere, eſt communis Doctorum ſententia.

2 Nihilominus, quod ſic ludens lucrari poſsit, & validus ſit contractus, docet P. Sanchez vbi ſuprà *lib. 1. conſ. cap. 8. dub. 5.* cum doctis Recentioribus à ſe cōſultis, quorum ſententiam ſequitur Cardinalis de Lugo *diſp. 31. citata ſect. 3. numer. 53.* Probat Sanchez, [quia vtitur beneficio legis ſibi concedentis, ne teneatur ſolvere: & alter ſibi imputet, cum velit pecunia credita ludere; hæc enim eſt lex talis ludi, vt perdens non teneatur ſolvere; nec eſt aliqua inæqualitas in hoc contractu, quia etiam alter poteſt vti eodem legis beneficio, & non ſolvere. Item, etiam ſi perdidiſſet pecunia præſenti, & haberet propoſitum ſtatim illam repetendi in iudicio, poſſet lucrari cum illo propoſito: nulli enim facit iniuriam, ſed vtitur iure ſuo. Sic docti Recentiores.] Hæc Sanchez.

3 Cardinalis de Lugo *probat numer. 55.* [Quia contractus perficitur voluntate ſe obligandi ea obligatione, cuius contractus eſt capax. Quando ergo ludus non eſt prohibitus, nec lege conceditur facultas non ſolvendi, vel repetendi ſolutum, intervenit voluntas abſoluta ſe obligandi ad ſolutionem, & non ad repetendum. Quando verò lex dat facultatem repetendi coram iudice, adeſt adhuc voluntas obligationis ad ſolvendum, niſi repetat coram iudice. Quādo lex concedit facultatem etiam non ſolvendi, non adeſt voluntas obligandi ſe ex iuſtitia ad ſolvendum, cùm ſemper maneat facultas, & ius non ſolvendi, & ideò tunc in rigore non fit contractus ciuilis, ex quo oriatur obligatio vlla ex iuſtitia; ſed datur contractus politicus fundatus in fidelitate, & fide humana, quam aliquis dat alteri, quæ licèt non afferat obligationem ex iuſtitia, affert obligationem ex decentia, & fidelitate humana, qua homines curant de obſeruantia fidei datæ, & hoc ſolum modo vult ſe obligare, qui tunc vult ludere, & hac obligatione contentus eſt adverſarius, quando aliam petere non poteſt. Hanc autem obligationem, quæcumque illa ſit, imponere vult ſibi, & de facto imponit, qui ludit ſine animo ſolvendi, vel cum animo repetendi: cùm autem hac ſola obligatione perficiatur ille contractus improprius ludi, qui tunc fit, conſequens eſt, vt etiam ſine animo ſolvendi perfici poſſit contractus ita validus, ac ſi animus ſolvendi habitus fuiſſet.] Hactenus Cardinalis de Lugo.

4 Cæterùm contra vtrumque Doctorem ſic inſurgo. Ludentes frequenter ignorant beneficium legis irritantis contractum ludi pecunia credita, in locis, qui legibus Caſtellæ reguntur, ergo ſaltem, qui alios invitat ad ludum, in quo cæteri pecunia præſenti, ipſe verò credita ludit, verè celebrat cum illis contractum irritum, vtpotè ex errore dante cauſam ludo. Nec enim alij rei conſcij pecunia præſenti luderent, quia hæc inæqualitas præviſa eos a ludo retraheret.

5 Reſpondet Lugo *num. 56.* deceptionem iſtam non dare cauſam contractui. Quia ſi non dicat ludens creditò ſe ſoluturum, non decepit propriè loquendo; quia ſolùm ſignificat ſuſcipere illam obligationem ad ſolvendum, quæ in hoc contractu eſſe poteſt; & hanc verè ſibi imponit: imò licèt mentiretur dicens, ſe habere animum ſolvendi, hoc mendacium non daret cauſam contractui: quia eodem modo moueretur adverſarius ad ludum, ac ſi diceret, *me obligo ad ſolvendum*, in quo verum diceret, licèt animum non ſolvendi haberet: quia de illa ſola obligatione loquitur, cuius contractus capax eſt; contractus autem validus eſt, licèt quis habeat animum non ſtandi promiſsis, vt videre licèt in contractu emptionis facto cum animo non ſolvendi; & in contractu matrimonij celebrato cum animo non ſeruandi fidem, & in voto cum animo non ſtandi promiſſis.

6 Verùm his non quieſcit animus, quia in his contractibus, error non eſt circa ſubſtantiam contractus, cum neque in mercibus, nec in perſona, nec in re Deo promiſſa verſetur error, ſed in alio ſubſequente ſubſtantiam contractus; nempè circa adimpletionem obligationis contractæ. Secùs verò contingit in ludo, quando alter pecunia præſente, alter credita ludit: quia ille pro vera iuſtitiæ obligatione exiſtimata, exponit pecuniam præſentem periculo iacturæ; emit enim ſpem, & facultatem ſe lucrandi cum tali periculo; eſt ergo error circa rem emptam, nam cùm eam, iuſtitiæ obligationem ſub conditione ſortis, emere intendat, quàm ex errore eſſe credit, & talis obligatio nec detur, nec dari poſsit in Regno Caſtellæ, verè datur error circa ſubſtantiam contractus, non minus quàm ſi intendenti emere adamantem daretur vitrum. Ergo quoties ludens pecunia præſenti prorſus ignorat colludentem pecunia credita non eſſe capacem obligationis ex iuſtitia, nullus, & irritus eſt ludi contractus: eſt enim error circa ſubſtantiam contractus, nec magis ſibi illum imputare debet, quam ſi erranti circa adamantem in communi ſtimatione talem, lapidarius vitrum traderet. Ergo cùm ludentes legem eximentem ab omni obligatione ſolvendi amiſſum, pecunia credita, fre-

Digitized by Google

frequenter ignorant; quidquid victor in hoc ludo lucretur à ludente pecunia præſente, tenebitur in conſcientia reſtituere; quia contractus eſt irritus propter errorem; quamvis animus ſolvendi non deficeret, nedum cum animo non ſolvendi, cuius contractus erat capax. Quod certius erit, ſi hac fraude alterum ad ludum invitauerit.

7 Secundò reſpondet Lugo, ſolùm debere eſſe parem conditionem vtriuſque ludentis quoad obligationem, quàm ipſi ſibi imponunt: quoad impletionem verò illius, vnuſquiſque relinquitur ſuo arbitrio, ſeu fidelitati. Quare, ſicut non eſt contra æqualitatem, quod alter poſtea nolit ſolvere, etiam ſi alter abſque vlla repetitione ſoluturus eſſet; ita non eſt contra eandem æqualitatem, quod vnus habeat animum non ſoluendi, ſecus alter.

8 Sed contrà: quia quidquid ſit de animo ludentis credito, ludens pecunia præſenti, vt ponimus, ex errore ludit exiſtimans ſe teneri ad ſtatim ſolvendum ſi vincatur; adverſarium verò ad poſtea ſolvendum adſtrictum manere. Ludens autem pecunia credita bene nouit, nec modo, nec poſtea ſe teneri. Ergo hic error cauſat inæqualitatem: Ergo dum vterque veritatis conſcius non fuerit, inæqualitas auferri nequibit; ac proinde ludens credito lucrari non poterit. Poterit verò retinere ſolutum, ſi pecunia credito amiſſa illi ſolvatur: quia ipſi confertur ab ſciente nulla iuſtitiæ obligatione teneri, ac proinde liberaliter: & in hoc ſenſu lex Caſtellæ eſt vſu recepta (ait Pater Salas *tract. de ludo, dub. 26. num.* 6.) vnde cum frequenter nobiles ſic ludant, & ſoluant, inauditum eſt (inquit) confeſſarios lucrantibus reſtitutionem iniunxiſſe. Pecunia autem præſenti ludens, cum ſoluat ex errore, non confert pecuniæ dominium, atque adeò adverſarius non poteſt lucrari, ſed tenetur reſtituere ſolutum, vel remiſſionem ab illo exorare.

§. Vnicus.

Authoris iudicium.

9 NIhilominus dico 1. ſi qui pecunia præſenti ludit, præuiè nouerit, per leges ludi, alterum, qui ludit pecunia credita, non poſſe in conſcientia obligari: vel ſi id ignoret, contentus eſſet ſola promiſſione; quod hoc ſit Hiſpanorum, maximè nobilium, genium; vt ignominiam reputent, non ſolvere pecuniam oppignorata fide perditam; ſic ludens credito poterit lucrari. Ratio eſt: quia periculo iacturæ ſuam famam exponit, ſi non ſolvat; ſicut colluſſor exponit iacturæ pecuniam præſentem, quæ longè minoris æſtimationis eſt; vnde infertur tantum abeſſe, vt iniuriam inferat, quod potiùs ipſe ludens credito, aliquid ludentibus pecunia præſenti remittat, vt in contractu ludi præſtati æqualitas ſeruetur. Huic concluſioni nõ diſſentit Leſsius ſup. & expreſsè conſentit Lugo illum citans *num.* 57.

10 Dico 2. quando vterque ludit credito, alter verò illorum ignorat Hiſpaniæ leges irritantes contractum, & promiſsiones ſolvendi; error iſte non dat cauſam contractui; nam qui ludit credens ſe obligatum eſſe ad ſolvendum, non deſiſteret à ludo, ſi ſciret nullam contrahere obligationem ſolvendi; potiùs inde excitaretur: deinde non eſt dubium, in contractu ludi, ſeruari æqualitatem. Quia re ipſa neuter manet in conſcientia ligatus. Si verò alter ex errore ſoluat credens ſe teneri; cum nil intendat liberaliter conferre, probabilius eſt, non transferre pecuniæ dominium. Quapropter ipſi reſtitui debebit, ſi conſtet ex errore ſolviſſe: ſecùs verò, præſumi poterit, non ex errore, ſed vt ſuæ famæ, & bonæ apud homines æſtimationi conſuleret, vt communiter, viris nobilibus, & alijs, qui honori pecunias poſtponunt, contingere ſolet. Verùm abſolute non teneri reſtituere, quod fuerit ei ſolutum, docet contra Comitolum, Sotum, Caſtrum, Couarrubium, & alios, Pater Salas ſuprà *numer.* 6. cum Bañez, Aragon, Vega, Conrado, Bartholomæo de Medina, Petro de Ledeſma, & Eman. Rodriguez. Quia vel lex Caroli V. ad hoc non intendit obligare, vel ſaltem non fuit in eo ſenſu recepta, vel conſuetudine eſt abrogata. Ac proinde licet ſolvens ignorauerit legem, dominium transfert: quod eſt valdè probabile; & ad praxim multum deſerviens. Ratio autem à priori eſt, quia (vt ait Lugo *numer.* 67.) leges, licèt irritauerint promiſsiones, & liberauerint victum ad obligatione ſolvendi, nunquam tamen irritarunt translationem dominij, licèt ex errore pecunia traderetur; nec fortaſſe expediebat; quia nobiles, vt fidem datam, & honorem ſuum liberarent ab omni nota, adhuc ſolverent, & lucrantes acciperent; nec lex talis deſeruiret, niſi ad illaqueãdas ſubditorum conſcientias.

11 Rogabis, quid ſi ſoluerit ex motiuo vitandi ſingulare certamen, ad quod à lucrante, ſi ei non ſoluat, pronocandum probabiliùs, aut certò timet? Ratio dubitandi eſt: quia hic timor in virum conſtantem ca-

dit, ac proinde; quod ex illo ſoluitur non magis tranſit in dominium lucrantis, quam quod latroni iugulum aliter minanti conſertur. Ergo ſicut latro illicitè recipit, nec dominium acquirit, ſed ad reſtitutionem tenetur: Ita qui pecuniam credito amiſſam violenter rapit, & receptam non reſtituit.

12 Hoc argumentum mihi ſuadet, grauiter peccare, & ad reſtitutionem teneri in hoc noſtro Regno, omnes, qui pecunia credita in ludo etiam prohibito amiſſum, violenter, vel comminationibus extorquent. Nec P. Salas, & Authores, à reſtitutione excuſantes, de hoc caſu loquuntur; ſed quando ſponte ſoluta fuit. Confirmatur, quia vſurarius etiamſi acquiſierit dominium ex voluntate domini tráſferentis, nihilominus propter iniuriam præcedentem, qua iniuſtè extorſit à mutuante promiſsionem ſoluendi vſuras, tenetur acceptum ſupra ſortem reſtituere, vt omnes Doctores docent: Ergo potiori iure in noſtro caſu, in quo nō ſolum iniuria violentiæ præceſsit, ſed nulla fuit translatio dominij.

13 Ex quo infertur, colluſores, vt tuta conſcientia procedant, teneri arbitrio perdentis credito relinquere, velit nec ne magis famæ, quàm pecuniæ iacturam facere. Quod de nullo viro nobili præſumi poteſt, ac proinde, nec credere illum abſque animo ſoluendi ludere. Quod ſi quis ita procedat, nullam colluſori iniuriam faciet, tùm quia hic error non eſt circa ſubſtantiam ludi, quando vterquè credito ludit, quia ſiuè adſit, ſiuè non adſit animus ſoluendi, ſemper celebratur contractus in fide humana exteriùs expreſſa fundatus, ex quo non minor oritur obligatio, quando defuit animus, ac quando re ipſa datur. Et in hoc caſu verum continet ſententia P. Sanchez, & Cardinalis de Lugo; ſecus quando alter pecunia præſenti ex errore, alter verò credita ludit, cū iſte lucrari poſsit; in eorum ſententia, non autem perdere, ſiuè animo non ſoluendi, ſiuè ſoluendi ludat; in quo parum eſt diſcriminis, cum poſsit animum mutare.

14 Ex dictis infertur inter ludentes pecunia præſenti, ludo prohibito, cum vtrique ſemper ius maneat repetendi, æqualitatem ſeruari, ſiuè cum animo repetendi ſolutum, vterque accedat, ſiuè alter tantùm; ſiuè alter, ſiuè vterquè ignoret fauorem legis repetitionem concedentis. Nàm qui lucratur verè adquirit dominium pecuniæ ſolutæ, quæ, abſque ſententia iudicis, ſpoliari non poteſt: & qui perdit, vt ſuprà probaui, tenetur in conſcientia ſoluere, cum iurè repetendi ſolutum. Præter quàm quod, licèt ex vi contractus (vt alij volunt) poſſet non ſoluere, ex vi tamen præcepti naturalis vitandi rixas, & ſcandala, ſi ſtatim non ſoluat, grauiter teneretur: Si verò quis ex ignorantia fauoris legis, ſolutum poſtea non repetat, ſibi imputare debet nocumentum, quia aduerſarius non tenetur reſtituere ſolutum, non repetenti coram iudice, ſiuè amiſſum fuerit pecunia præſenti, ſiuè credita ſponte tamen ſoluta, iuxtà probabilem Doctorum ſententiam ſuprà expoſitam.

15 Dices: Eo ipſo quod ludus fuerit prohibitus, fuit contractus irritus, ergo qui eſt lucratus, tenetur in conſcientia, ante iudicis ſententiam, reſtituere ſolutum. Antecedens probant, *ex l. non dubium. cap. de legibus*. Vbi ſupponitur, contractum lege prohibitum eo ipſo eſſe nullum. Cæterum legem: *Non dubium* locum fortè non habere, niſi in foro externo, & lata ſententia, ait P. Molina *tom. 1. tract. 2. diſp. 88*. Ex vſu totiùs orbis; aut fuiſſe abrogatam contrario vſu, vel vt explicat Suarez *lib. 5. de legibus, cap. 27*. Talis lex ſolum vult contractum eſſe irritandum retrotracta irritatione, ad diem initi contractus. Vtràmque expoſitionem approbat Lugo *num. 61*. Vazquez ver. 1. 2. *tom. 2 diſp. 164*. Reſpondet, illam legem, vtpotè imperialem, non habere locum in hoc Regno.

QVÆSTIO IV.

An qui ſoluit amiſſum, quod beneficio legis ſoluere non debebat, poſsit occulta compenſatione recuperare?

1 NEGANT Communiter Doctores, quos citatos ſequitur P. Salas *dub. 28*. Molina, Angles, Ledeſma, Barthol. Med. Soto, Arag. Bañez, Lopez, Eman. Valentia, Ioanne Med. Caſtro, Azor, Rebellus, S1. Probant: quia verè, & propriè loquēdo, hoc non eſt compenſationem facere, ſed propria authoritate capere alienum, ſibi indebitum: lex enim ſolum concedit, *vt competentibus actionibus* ſolutum repetatur: ergo nemo poteſt authoritate propria compēſationem facere, niſi victus iniuſtè impediuiſſet iuſtam ſententiam, qua id victori fuiſſet adiudicandum, vt aduertit Molina *diſp. 514*. Hæc ratio ſolum probat intentum, quo ad ludos prohibitos, ſecundum leges Cæſareas, quarum vigore (vt quæſtione prima de ludo probaui contra plures) ludentes tenentur ſoluere, & verum pecuniæ dominium transferunt, & ſolum eis competit ius repetendi coram iudice. Si enim ſoluere non teneretur, vt grauiſsimi Doctores traduunt, fundamentum Patris Salas, & aliorum nil probaberit.

Qua

2 Qua propter, iuxta principia ſuprà iacta, dico 1. ſi ſolvens nolit transferre dominium pecuniæ credito amiſſæ, ſed ſolum externè illam tradere ad ſatisfaciendum propriæ æſtimationi, & famæ; poterit compeſatione vti. Ratio eſt: quia rem ſuam, quaſi depoſitam apud alterum, recuperare, propria authoritate cuique licet; quando aliter nequit, aut ſaltem difficilè: atqui in caſu præſenti, ſic res ſe habet. Ergo: & in hoc ſenſu, hanc opinionem, amplecti debet Cardinal. de Lugo *ſuprà num. 66. in fine*, & probabilem dixit Angles *in floribus* apud illum *num.* 71. Quia abſque translatione dominij, nil non ſuum recuperat. Verum tamen, cùm pecuniā accipiens hoc præſumere non debeat, ſed quod ſoluta ſit transferendo dominium, ipſe non tenebitur in conſcientia reſtituere, dum authoritate iudicis non conſtringatur. Idque à fortiori dicendum, ſi ludo prohibito, pecunia præſenti, amiſſum fuerit: quia licèt ſolvens poſsit coram iudice repetere, & nolit transferre dominium (vt ſecundum plures ei permittitur) ex fine vtendi poſtea compenſatione: tamen cum probabilius ſit teneri ad ſolutionem, & proinde ad dominij translationem; non ſolum alter non tenebitur abſque iudicis ſententia reſtituere; ſed nec ipſe poterit compenſatione totali vti. Quia vt poſtea dicā, cùm vtrique ſit ius probabile, res pro rata diuidenda eſt, vel ſortibus integrè vni applicanda, vt ſeruetur æqualitas iuſtitiæ. Et licèt alij abſolutè aſſerant, eum, qui ſolvit, quod ſecundum opinionem probabilem in materia ludi, ſolvere non debebat, nullo modo poſſe vti occulta compenſatione, (vt videre licèt apud Salas) hi tamen authores non loquuntur in caſu, quo ſolvens dominium non tradiderit, vt conſtat ex ratione, qua probat Salas ſuprà. Nam qui authoritate propria capit alienum ſibi indebitum, fur eſt. Vnde cùm probabile tantum ſit, victum teneri ad dominij translationem, ſolum erit probabile, victorem non teneri in conſcientia ad reſtitutionem ſoluti, cum animo non transferendi dominium.

3 Vnde fit contra Salas, & Molinam apud ipſum, quod ſi perdens ludo prohibito, nolit transferre dominium pecuniæ, quā ſolvit, poſsit occulta compenſatione vti in ludo ipſo, fraude aliqua, & dolo occulto: in quo idem eſt, vtrique colludenti ius, & contra ſolam fidem humanam ſic facientes deficerent, ſicut qui non ſoluunt pecunia credita amiſſum.

4 Aduertendum hic eſt, eum, qui poteſt coram iudice amiſſum repetere, poſſe pro ceſsione iuris, aliquid à victore petere, & in conſcientia retinere: dummodo nulla fictio, nec deceptio interuenerit. Si verò animum repetendi fingens aliquid extorſit, non poterit retinere, quia fraus & dolus nemini patrocinari debet. Ita cum Azor, & Molina, Salas vbi ſuprà. Quorum ſententiam ego limitarem, quando pecunia fuiſſet tradita animo non transferendi dominium, in hoc enim euentu, cum probabile ſit debitum; ſolum interueniret mendatium in fictione animi repetendi, nulla verò iniuſtitia, ſi pro medietate lucri, iuri repetendi cederet.

5 Inſuper eſt advertendum, quod ſi victor iniuſtè impediret iudicem à ſententia de reſtitutione pecuniæ: vel fraude, & dolo eſſet cauſa iniuſtæ ſententiæ; teneretur non coactus ſententia, in foro conſcientiæ, reſtituere, ratione iniuſtæ damnificationis: ſi verò iudex ex ſua malitia, abſque cooperatione victoris, eum ad ſolutionem non condemnaſſet, poſſet victor licitè retinere, quia nemo tenetur ad pœnam ante ſententiam iudicis: imò nec ad illam, qua condemnaretur, ſi delictum coram iudice ſub iuramento rogatus non negaſſet. Nam cum non teneatur ex iuſtitia abſque ſemiplena probatione veritatem fateri, non teneretur ad cōfeſsionem, nec reſtitutionem (inquit Salas *dub. 27. in fine*) niſi ludus, & lucrum ſemiplenè probatum fuerit, quod tenet apud ipſum P. Molina *diſp.* 514. & probabile putat Leſſius *lib. 2. cap. 26. dub. 3.*

6 An verò ſit peccatum, domum habere ludo expoſitam? Machado *tom. 1. lib. 3. part. 5. tract. 7. docum. 5. num.* 6. ait: [Probable opinion es que no, fundada en la doctrina de Sancto Thomas, y otros muchos que afirman ſer licito miniſtrar, y vender las coſas indiferentes, etiam cum cognitione praui abuſus.] Quem, contra Sanchez, ſequitur M. Prado *tom. 2. Theolog. Moral. cap. 29. quæſt. 3. §. 3.* tametſi ſubnectat forè iuſtiſſimum, vt eiuſmodi domus ſæpe exterminarentur, propter peccata, quæ ibi frequenter eveniunt. Vide ſuprà *tractat. 5. Miſcel. quæſt. 5. in fine.*

DIS.

DISPVTATIO TERTIA de homicidio. Appendix.

QVÆSTIO I.

Vtrùm liceat marito vxorem in adulterio deprehenſam occidere?

1 PARTEM Affirmatiuam tutati ſunt Caſtillo *in l. Tauri, num. 6. in fine.* Antonius Gomez, ibidē *num. 42.* Acebedo *lib. 8. tit. 20. leg. 1. in fin.* Menchaca, & alij apud Dianam *3. p. tract. 4. reſol. 223.* & apud Sanchez *lib. 10. de Matr. diſp. 8 num. 37.* illique ſuſcripſerūt non pauci Doctores Salmanticenſes, vt refert Baſilius de Leon *lib. 9. de matrim. cap. 15. num. 4. in fine.* Et eam expreſsè tenent Albericus de Roſate *4. part. ſtat. q. 19.* Vbi ait, non ſolum non peccare, verùm mereri. Et non diſplicet Iaſoni *in l. vbi peccatum, num. 16.* Et tradit Barboſa *in l. ſi ab hoſtibus, §. Finali, num. 56. fol. 129 col. 2.* Vbi ait. Leges in ea re maritos, & patres facere executores delicti, quāuis nulla præcedat ſententia, & iuſtiſsimas eſſe ob bonum commune, pacemque publicam Reipublicæ. Et citat pro hac parte Felinum *in cap. quæ in Eccleſ. num. 13. de conſtit.* Et nouiſsimè hanc ſententiam defendit Thomas Hurtado, ex Clericorum Minorum familia *tom. 2. reſ. moral. tract. vltim. reſ. 5. §. 7. num. 204.* Vbi ſic ait. [Licitum eſt patri occidere propriam filiam coniugatam, & adulterum ei commixtum; ſi eos, vel in ſua domo, vel in domo generi, reperiat actualiter adulterātes, nam ciuiles leges non ſolùm impunitū relinquūt patrē ita occidētem, ſed etiā ei conferunt ad talē occiſionem poteſtatem, & pœnæ executorem conſtituunt. Ita expreſsè *l. 21. 22. & 23. ff. de Adulteris, leg. Gracus 4. Cod. de Adulterijs.* Et leges Hiſpaniæ, *l. 5. tit. 20 lib. 8.* Et aliæ plures.] Et paulò infrà. [Authores, quos citat Sanchez, & Sà expurgatus, intelliguntur, quod non liceat marito auferre vitam vxori adulteræ propria authoritate, benè tamen authoritate publica, & regia, & ita omnia argumenta, quæ affert Baſilius *Legionenſis, num. 5.* poſſunt ſolui faciliimè.] Hactenus Hurtado, quem ſequitur Illuſtriſsimus Caramuel in Theolog. fundam. num. milleſimo trecenteſimo nonageſimo ſeptimo, *fol. mihi 737.* Vbi ſic. [Neſcio ab alio, quàm à Baſilio Pontio improbabilem dici opinionem aſſerentem patrem poſſe occidere filiam in adulterio deprehenſam, & maritum ſimiliter vxorem. Me enim iudice, ſtando authoritati, eſt probabilis, & ſtando rationi, quàm debuiſſet percallere Baſilius, certa, & euidens.] Hæc Caramuel.

2 Eidem ſententiæ fauent M. Fumus in Armilla, verb. Homicidium, *num. 8.* Vbi ait. [Si autem lex concedat, vt occidantur, tunc non peccat occidens, quia factus eſt legis miniſter, vt communiter contra bannitos.] Leges autem id concedere tradunt Doctores citati. Qua propter hanc ſententiam probabilem putat Fr. Ludouicus à Cōceptione in examine veritatis, *tom. 2. tract. 2. § 1. caſu 2. fol. 478.* Et non diſſentit Maiolus *tract. de irregularitate, lib. 5. cap. 48.* Vbi ait, adulterum iuſtè inuadi à marito. [Cùm iuſtè, inquit, inuadatur, iniuſta eſt defenſio.] Quibus verbis æquiparat maritum miniſtro iuſtitiæ. Adduci etiam ſolet pro hac ſententia P. Sà *in prima editione*, vbi caſu propoſito ait. [Licere, aiunt quidam, alij melius negant.] Quia ly *melius* innuit contrariam eſſe probabilem. Quo fundamento ducti, eam etiam adſcribunt D. Auguſtino *lib. 2. de adulterinis coniugijs, cap. 15.* Quod refertur in decreto, *cap. ſi quod verius 33. quæſt 2.* Vbi ait. [Si quod verius dicitur, non licet homini Chriſtiano adulteram coniugem occidere, ſed tantum dimittere.]

3 Eam limitarunt aliqui dicentes, quod iure naturæ, & ciuili licet marito vxorem in adulterio deprehenſam occidere; ſic Doctor Garſi *centur. 1. cap. 51. fol. 257.* Qui admonet iure canonico hoc eſſe prohibitum. Eamdem tenuerat Chriſtophorus à S. Ioſepho *tom. 1. receptarum opinionum, verb. Adulterium, dub. 5. num. 5.* ſubnectens, in aliquo caſu, neque ex iure Canonico eſſe prohibitum, nempe: [Si conſtiterit marito clarè, & euidenter per ſigna amoris, pro libito in adulterium conſenſiſſe.] Hæc ſunt DD. placita.

4 Verùm contraria omnino ſententia tenenda eſt, neque maritum, neque patrem poſſe interficere, abſque peccato lethali, vxorem, vel filiam in adulterio deprehenſam. Sic communiter Doctores, cum D. Thoma *in 4. diſt. 38. q. 2. art. 1. in corpore.* Quos ad ſacietatem congerunt Thomas Sanchez *lib. 10. de matr. diſp. 9. num. 39.* vbi ſeptuaginta refert. Et Barboſa *in collectan. tom. 4. part. 2. cauſa 33. q. 2. cap. inter hæc,* vbi 48. citatos inuenies. Probatur, quia pro contraria nullum adducitur fundamentum; nam ſi alicuius ponderis, maximè, quod deſumitur ex legibus relatis, quas in illius præſidium aduerſarij aduocant: Leges verò illis non fauent, quia ſolùm concedunt impunitatem in foro externo, & ad ſummum de declarant, occiſionem adulteri in flagranti

de-

Digitized by Google

deprehenſi, non comprehendi ſub prohibitione legum iuris ciuilis, vel Hiſpani. Prohibitionem autem naturalem, diuinam, vel Eccleſiaſticam leges iſtæ non excludunt, nec poſſunt, vt ex apprehenſione terminorum patet. Iure autem Canonico prohibitam eſſe occiſionem adulteræ inflagranti delicto deprehenſæ, probat Sanchez *lib. 7. de matr. diſp. 16. ex cap. Quicumque 33. q. 2.*

5 Confirmatur: nam eiuſmodi leges eamdem impunitatem occidenti cōcedunt, licèt adulter ſit ordinibus ſacris initiatus, vel Religioſus; nullius enim perſonæ gradum, aut dignitatem excipiunt; & tamen non conſtituunt; neque poſſunt maritum executorem pœnæ mortis contra Eccleſiaſticos: Ergo non conſtituunt contra Sæculares. Confirmatur ſecundò: quia leges Eccleſiaſticæ ob eandem rationem, qua ciuiles, reddunt immunem à pœna excommunicationis Canonis maritum occidentem adulterum inflagranti deprehenſum, quando eum inuenit cum vxore, matre, aut filia ſua, vt conſtat *ex cap. ſi verò 1. de ſentent. excommunicationis.* Et tamen non eximunt á culpa lethali huiuſmodi homicidium; licèt propter iuſtum dolorem occiſoris, voluerit Eccleſia, quo ad illam pœnam, non reputari homicidam. Quod etiam conſtat *ex cap. interfectores 33. q. 1.* Vbi Nicolaus Papa interfectores ſuarum coniugum adulterarum ab impedimento vxoricidij (quod aliam ducere impediens eſt) vel exemit, vel ſaltem cum eo facilè diſpenſari poſſe, reſpondit; ſecus cum aliis non adulteras occidētibus. In quo etiam ſenſu intelligendus eſt Stephanus Papa V. verbis relatis *in cap. admonere 33. q. 2.* dum Haſtalphum ob vxorem interfectam reprehendens, dixit: *Non inueniſti eam cum alio viro, rem nefariam facientem.* Nullus tamen inde inferre poteſt à culpa liberos declaraſſe homicidas, de ſola enim pœna Pontifices loquuntur. Adde Pium V. declaraſſe irregularem eſſe maritum interfectorem vxoris adulteræ, vt refert Nauarrus, *cap. 27. num. 238.*

6 Obijcies, leges non ſolum impunitatem concedere occidenti adulterum, & vxorem in adulterio deprehenſam; ſed ius occidendi tribuere, vt conſtat ex legibus ciuilibus, *l. Patri, ff. ad l. Iuliam, de adulter. ibi Patri datur ius occidendi adulterum cum filia, quam in poteſtate habet; & in l. Neque in ea, §. Ius occidendi eodem tit. ius occidendi patri conceditur domi ſuæ, licèt ibi filia non habiter. Et in l. marito, in fine. Et rectius dicetur, eos ius occidendi habere, qui iure patris, mariti ve, accuſare poſſunt.* Et expreſsius in legibus Hiſpanis *l. 82. Tauri, quæ eſt lex 5. tit. 20. lib. 8. Recopilat. El marido que matare por ſu propria autoridad al adultero, y la adultera; aunque los tome en flagrante delito, y ſea juſtamente hecha la muerte, no gana la dote.* Quibus legibus, vt ex earum verbis conſtat, ius marito, & patri occidendi adulterum conceditur, quod eſt illos conſtituere, authoritate publica, miniſtros, & executores ſententiæ mortis per leges ſancitæ. [Si autem, inquit M. Funius, *verb. Homicidium, num. 8.* Lex concedat, vt occidantur, tunc non peccat occidens, quia factus eſt legis miniſter, vt communiter facit contra bannitos.] Neque lege Tauri diceretur, mortem *iuſtè fuiſſe illatam*, ſi peccatum graue interueniſſet.

7 Reſpondeo, præfatas leges, & alias, quæ ad hoc argumentum adduci poſſunt, procedere de iure permittente, ſeu non prohibente, nec puniente, vt ex communi Theologorum, & Iuriſtarum optimè exponit Cardinal. de Lugo *tom. 1. de iuſt. diſp. 10. ſect. 3. num. 94.* Dicitur enim legibus dari ius, & poteſtatem, quatenus ius ſignificat titulum aliquem, quo maritus occidens adulterum non comprehendatur ſub lege ciuili, nec ſub pœna contra homicidas ſtatuta. Et in hoc ſenſu procedit lex Hiſpana, quando lucrationem dotis denegat marito, quamuis occidendo vxorem non contrauenerit legi, vtpotè in adulterio deprehēſam, quam proinde iuſtè occiſam appellat, & ſi in eadem lege ſimul dicatur occiſos fuiſſe adulteros à marito *propria authoritate*.

8 Dices: Leges ciuiles poſſunt conſtituere maritum executorem pœnæ mortis vxoris, & ſæcularis adulteri. Deinde vtuntur verbis vniuerſalibus, quæ eiuſmodi intelligentiam admittere poſſunt, cur negabimus de facto conſtituiſſe? Reſpondeo oppoſitum nobis conſtare, primò ex communi Iuriſtarum, & Theologorum interpretatione (ſi vnum, vel alterum demas) & ex l. Hiſpana nuper adducta; in qua non publica authoritate, ſed priuata fieri dicitur. Secundò: quia leges æquè comprehenderunt occidentes adulterum Eccleſiaſticum, & Sæcularem. Tertiò: quia adulterij crimen non eſt cauſa ſufficiens, ad maritum, vel patrem, ante latam ſententiam, conſtituendos executores vltimi ſupplicij. Tum: quia ex lege Charitatis, æternam proximi damnationem vitare tenemur, ac proinde tempus pœnitentiæ illi concedere, quod maritus offenſus vindictæ ardore ſucceſſus rariſsimè concederet; tum: quia manifeſtam ſæuitiam, & crudelitatem præſefert (vt benè notat Baronius *diſ. 1. ſect. 2. fol. 146.*) quod vxor in adulterio, quod fortè primum ex infirmitate, contra coniugij fidem, peccatum admiſit, impunè, & innoxiè confodiatur à viro, qui concubinas aluit, qui fortè, adulteri, quem interficit, pri-

nius

mus vxorem corrupit. Tum denique: quia Reſpublica, à qua Principes poteſtatem acceperunt, non eam conceſsit ad pœnam mortis, ordine iuris non ſeruato, niſi rariſſimo in caſu, quando valde Reipublicæ expedit ſceleratiſsimum aliquem hominem ei perniciofiſsimum interimere, quem capere non poteſt, vt ſolito modo occidatur: crimen autem adulterij tale non eſt, vt ad eius punitionem ea facultas conceſſa fuerit, nec concedi potuerit, vt benè ait Lugo ſuprà.

§. Vnicus.

Grauis obiectio.

9 OBIICIES, Licitum eſt colapho percuſſo, ad euitandam infamiam, aduerſarium inſequi, & occidere; ſed non minor eſt infamia mariti ex vxoris adulterio, quàm quæ ex percuſione illa contrahitur: Ergo ſi iure naturæ, indefenſionem honoris, vnum licet, & alterum licebit: quia periculum damnationis æternæ perſonæ offendentis; quod deterrere poterat offenſum; æquè vtrobique militat. Fateor conſequentiam vrgere, quod agnouit, Ioannes de la Cruz *in directorio, 1. part. 5. precep. vbi de homicidio, dub.* 6. ibi: [Sed ſi hoc ita eſſet, liceret etiam marito vxorem in adulterio captam occidere.] Et ineuitabiliter hoc inferri, ex antecedenti ſupra poſito, cenſuit Cardin. de Lugo *tom.* 1. *de iuſt. diſp.* 10. *ſect.* 10. *num.* 192. Vbi ex hoc abſurdo impetit authores illius ſententiæ. [Si enim, inquit, licitè occidis eum, qui te colapho, vel fuſtibus cædit, quando id neceſſe eſt, ad retinendum tuum honorem, ſaltem in continenti, poſt iniuriam acceptam; quæſo, cur non licebit incontinenti occidere eum, qui maiori iniuria, & contumelia, actu lædit tuum honorem, per adulterium; ſi aliter honorem retinere, vel recuperare non potes prout reverà non potes, &c. Ego certè non video differentiam, nec rationem apparentem.] Sic Lugo.

10 Verum antecedens plures habet authores, quos dedi in opuſculo pro Ieſuitis, *tract. de iuſtitia propoſit.* 2. En illos, Nauarrus *in Manuali, cap.* 15. *num.* 3. *in fine*, Petrus de Nauarra *de reſtitutione, lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 378. & 383. Marchantius *in ſum. reſ. Paſtoral ad Decalogum, cap.* 5. *q.* 3. *caſ.* 3. Et viri alij doctiſsimi, ex Illuſtriſsima Familia Dominicana, M. Mantius, M. Peña, M. Fumus, & D. Antoninus, apud Henriquez *ſuprà lit. T.* M. Mercatus, & alij apud Petrum de Nauarra *ſuprà num.* 379. & M. Ludouicus Lopez *in inſtruct.* 1. *part. cap.* 62. Vbi ita inquit; [Si velit Nauarrus dicere, quod illa repercuſſio honoris defenſio ſit: quia quaſi incontinenti percuſſorem ſtatim in ſequendo ſit. Benè quidem, ſed ante factum non approbo, ſicut nec poſt factum damnabo: quia & pro Nauarro facit dictum Soti.]

11 Expreſsiùs id tradit M. Victoria *in relect. de iure belli, num.* 5. *ibi:* [Credo, inquit, quod per iniuriam percuſſus poſsit ſtatim repercutere, etiamſi inuaſor non deberet vltra progredi, ſed ad vitandam ignominiam, & dedecus, poſſet, qui colaphum, exempli gratia, accepit, gladio ſtatim repercutere, non ad ſumendam vindictam, ſed, vt dictum eſt, ad vitandam infamiam.] Hæc Victoria, quem ſequitur M. Serra 2. 2. q. 64. *art.* 7. *§. Poſtquam in fine.* Vbi ſic ait. [Hæc ſententia videtur mihi probabilis, quamuis non ſit publicè prædicanda.] Et tenent plures alij quos ſequutus eſt P. Enriquez *ſuprà in Gloſſa, litt. T.* Vbi ſic. [Addunt Nauarrus cum Iaſone, & Gloſſa, & Victoria, Corduba, Mantius, Peña, quod vir nobilis & honeſtatus, aut percuſſus poteſt incontinenti læſorem inſequi, vt impreſſo vulnere honorem recuperet. Idem D. Antoninus, Armilla, Antonius Gomez, Plaça, Gabriel ex Claro, Couarr. Abulenſis, & multò licentiosiùs Victoria, & Caietanus. Propendet Soto; ſed negat prædicandum, ne abutantur licentia.] Hæc Henriquez.

12 Pro eadem opinione militat Philippus Faber *de reſtit. in* 4. *ſent. diſt.* 15. *q.* 3. *diſp.* 52. *cap.* 1. *num.* 29. Vbi citato Nauarro, ſic ait. [Et hæc opinio videtur mihi probabilior, intelligẽdo hoc de incontinenti percuſione, vt ſiquis inſigat vulnus, vel alapam; aut fuſte, quem percutiat, & ſtatim fugiat: nã in hoc caſu, ſi offenſus inſequatur, & occidat, cẽſetur occidere in actu ipſius congreſſus.] Hanc ſententiam dicit eſſe probabilem Villalobos *in ſum. tom.* 2. *tract.* 12. *diſ.* 12. *num.* 3. Et defendunt plures, quibus adhæret Diana 2. *part. tract.* 1. *Miſc. reſ.* 15. & 5. *p. tract.* 4. *reſ.* 11. & *part.* 8 *tract.* 7. *reſol.* 48. & *part.* 9. *tract.* 4. *reſ.* 25. Apud quem Rodriguez, Bonacina, Trullench, Fraciſcus Cuenca, Peguera, & alij, quos ſequitur R. P. Leander à Sacramento *tom.* 5 *de irregularit. tract.* 2. *diſ.* 14. *q.* 3. Et nouiſsimè probabilem eſſe dicit Illuſtriſsimus, ac Reuerendiſsimus M. Acatius de Velaſco *tom.* 2. *reſ. mor. verb. Homicidio, reſ.* 42. *num.* 3. Vbi ſic: [Algunos Doctores graues ſienten con probabilidad, que para recuperar la honra, que a vno le han quitado, es licito inmediatamente deſpues de auer recibido el boſeton, ò otro agrauio, ſeguir à quien le diò, y darle vn golpe, ò hazerle otra injuria, la que baſtare para recuperar la honra.] Sic ille. Quibus nouiſsimè (citato Diana *part.* 8. *tract.* 7. *reſ.* 48.) Con-

ſentit Caramuel *lib.2.Theol.Fundam.fund. 55.num.2601.fol.*815.

13 Reſpondeo; hoc argumentum, conceſſo antecedenti, tot Doctorum authoritate inixo, conuincere intentum. Cæterum antecedens eſt omninò improbabile, ac proinde, & conſequens, ex illo deductum de antecedente. Sic loquuntur Doctores grauiſsimi P. Vazquez *Opuſculo, de Reſtitutione, cap. 2.dub.9.num.*37. dixit: Illam ſententiam. [Sibi non Chriſtianam, ſed gentilitatem ſapere videri.] Cardinal de Lugo *de iuſt. tom. 1.diſp.10.ſect.10.num.*190. Ait. [A Chriſtiana lege alienam eſſe.] M. Bañez 2.2.q.64. *art.*7. dicit: [Contrariam eſſe certiſsimam, & Catholicam doctrinam] ſubnectens. [Et ſiquis aliter ſentit, iudicio noſtro, contradicit ſacræ ſcripturæ.] Vincentius Baronius in Manuduct. *part.2.diſ.1. ſect.2. fol.*146. [Quis credat repertos eſſe, aut vnquam potuiſſe reperiri nominis Chriſtiani, & Religioſæ profeſsionis Theologos, qui iſta docerent.] Sic ille, & merito. Quia fide ſanctum eſt, vindictam eſſe peccatum mortale, ex ſuo genere, vt patet ex Eccleſiaſtico, *cap* 28. *& Epiſtola* 1.*Petri, cap.*3. Repercuſio autem honorem amiſſum non recuperat, ſed nouum alium per vindictam, apud ſceleratos homines, adquirit, per quem, ipſi iam deperditum ignoranter, & falſo iactant recuperari, vnum pro alio ſubrogantes. Honorem autem adquirere per media iurè naturæ illicita, omnibus prohibitum eſt; quia non ſunt facienda mala, vt eueniant bona. Nec ſententia illa de repercuſione poſt acceptam alapam, probabilitatem habere poteſt, niſi ab iniquo percuſſore ſuſtentetur, ſufficienti tempore ad inducendum dedecus, quia cum iniuſtè continuetur iniuria, & honoris iactura ſit veluti in fieri, & ſecundum duelliſtas, ſeu cenſores honoris, non dum acciderit; licitum reputatur percuſſo, diſtricto gladio, ad fugam compellere, vel occidere, ſi in eodem loco perſiſtat, ad auertendam iniuriam, & conſeruandum honorem, ſecus amittendum. Et in hoc ſenſu explicandi Doctores, quos refert Diana *2.part.tract.15.reſ.15.& 5.part.tract.4. reſ.* 11. Quos ad 29. protraxi *in Opuſculo pro Ieſuitis Prop.*2. Honor enim ſemel amiſſus non recuperatur repercuſione. Quidquid errore vulgi dicatur. Vide, quæ infrà, quæſt.3. (vt omittam periculum odij, vindictę, & exceſſus, item pugnarum, & cędium in Reipublicę pernitiem abeſſe non ſolere ab eiuſmodi repercuſione, ob idque in praxi improbandam.)

14 Hæc ratio maiorem vim habet in noſtro caſu: quia honor adulterio amiſus non magis recuperatur occidendo in flagranti adulteros, quàm poſtea tempore interiecto (vt vulgò communiter fertur) ſed poſtea non licèt occidere, vt omnes Authores vnanimiter fatentur: Ergo nec in flagranti. Secundò, quia occiſio adulteri, vel vxoris non eſt medium aptum ad honorem lęſum reparandum, ſed potius ad infamiam publicatione delicti contrahendam; quod enim vni, vel alteri tãtum notum erat, & in leuiſsimum proinde mariti dedecus cedebat; & quod vitari poſſet (vt prudentes faciunt) ignorantiam affectando, in omnium iam notitiam deuenire neceſſe eſt, cùm delictum, ſequuta morte, occultari non poſsit; imò, & maritus ipſe ad impunitatem obtinendam divulget.

15 Ex quibus fit, per homicidium non recuperari honorem, per vxoris adulterium, amiſſum, ſed nouum alium ex vindicta apud ſceleratos homines comparari, quo deperditum compenſari falsò cenſent. Hoc autem nequit licitum conſtituere homicidiũ, alias ſi vulgus conſpiraret adulterium adulterio compenſari, & honorem lęſum reparari, ſi primò offenſus vxorem adulteri poſtea corrumperet, poſſet ſimiliter dici adulterium ſecundum reddi licitum: quod hęreticum eſt. Sicut ergo iſtud honeſtari non poteſt: quia non ſunt facienda mala, vt eueniant bona; ita nec illud.

16 Qua propter D. Auguſtinus *lib.2. de adulterinis coniugijs*, *cap.*15. Occiſionem adulteri, *rem nefariam* appellauit. Vnde euidenter deducitur in verbis illis ſuprà adductis ex eodem Auguſtino, loco ſuprà citato: *Verius dici, non licere homini Chriſtiano adulteram coniugem occidere. Ly verius* non comparatiuè, ſed aduerſatiuè accepiſſe. Quo ſenſu vſurpauit ly *melius* P. Sà ſupra citatus, dum dixit. [Licere aiunt quidam, alij melius negant.] Quibus nullam contrariæ ſententiæ probabilitatem ad ſcripſiſſe cenſendus. Etenim prorſus falſa, & omnino explodenda. Quare Summus Pontifex Alexander VII. in Sacra Congregatione, Sanctæ, & Generalis Inquiſitionis Romanę, hanc propoſitionem: *Non peccat maritus propria authoritate occidens vxorem in adulterio deprehenſam.* Damnauit, vt minimum, vt ſcandaloſam & illam docere, defendere, aut edere prohibuit, niſi forſan impugnando, ſub pœna excommunicationis latæ ſententię. Et inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus Chriſti fidelibus, cuiuſcumque conditionis dignitatis, ac ſtatus prohibet, ne prædictam opinionem ad praxim deducant.

17 An verò iure naturali ſpectato poſsit maritus authoritate publica conſtitui miniſter occiſionis vxoris in adulterio deprehenſæ? Quæſtio valde diuerſa eſt, & nil cõtra partem affirmantem decreuit Alex. VII. Imò, nec contra defendentes de facto nullo iure ciui-

ciuili id eſſe prohibitum: Cæterum iure Canonico prohiberi, conſtat ex ſuprà dictis: ac proinde à peccato lethali excuſari non poteſt.

QVÆSTIO II.

Vtrùm ad vitandum adulterium imminens poſsit maritus in aliquo caſu vxorem, vel adulterum occidere?

1 EX dictis in præcedenti quæſtione apertiſsimè conſtat pro preterito adulterio neutrum occidi poſſe; quia nõ eſt defenſio, ſed vindicta. Reſtat verò difficultas, vtrùm id liceat, quando adulterium imminet, idque marito certiſsimum eſt; nec poteſt aliter auertere iniuriam inferendam, quàm vnum, vel alterum occidendo? Cardin. de Lugo *tom. 1. de iuſt. diſp. 10. ſect. 11. num.* 204. Reſpondet communiter non eſſe neceſſe, vxorem occidere, ad impediendum adulterium ſubſequens; quia plura alia media ad id ſuppetunt. [Si tamen, inquit, aliter impediri non poſſet adulterium preparatum, poſſet etiam vxor à marito occidi, ad tuendum honorem proprium, quem vxor vult iniuſtè lędere. Non tamen poſſet vtrumque occidere, quando non eſt neceſſaria vtriuſque occiſio, ad adulterium impediendum.] Huius ſententię fundamẽtum ſumitur ex communi Doctorum aſſerentiam, pro defenſione honoris, licitum eſſe inuaſorem occidere. Quod omnes docere, teſtantur Vazquez, Leſſius, & alij paſsim, vt ait ipſe Cardin. de Lugo *ſect. 10. num.* 187. Si enim pro defenſione facultatum id licet, magis licebit pro defenſione honoris, qui multò pluris ęſtimatur ab hominibus, quàm pecunia; & vt ait Caietanus 2. 2. *q.* 64. *art. 7. §. Ad hoc dubiũ.* [Eſt ſententia D. Thomæ, & Auguſtini, quia Auguſtini authoritas loquitur non ſolum de via corporali, ſed de alijs, quę inuiti perdere poſſumus, ſub quo ordine ponit honores, & diuitias.] Imò ipſe Caietanus 2. 2. *q.* 73. *art.* 2. (Vt refert Sotus *de Secreto Memb.* 1. *q.* 3.) [Exiſtimat, quod honor, & fama ſunt omninò ſicut vita.] Cui conſentit P. Thomas Sãchez *lib. 4. de Matrim. diſp. 5. num. 11. ex l. 7. tit. 33. part.* 7. Quia viro bono grauior eſt honoris iactura, morte ipſa. Quapropter in ordine ad iuſtam eorum defenſionem, id ipſum licere, quod ad vitæ defenſionem, cenſent. Quos ſequitur Doctor Garſi *cent. 1. cap. 47. 48 & 49. vbi num.* 4. Probat: Quia periculum famæ æquiparatur periculo vitæ: Et eſt commune pronuntiatum iuris peritorum, vt inquit Iulius Clarius *§. Homicidium, num.* 26.

2 Hæc ſententia eſt communis inter Thomiſtas, vt aſſerit M. Prado *tom. 2. Theolog. Moral. cap. 20. q. 4. num. 14. & 24.* Ibi: [Dico licitum eſſe occidere iniuſtum aggreſſorem honoris, qui in praxi vult lædere. Ita Sotus, & communiter Thomiſtæ, & duodecim Doctores relati à Diana 2. *part. tract. 15. reſ.* 15.] Et vt ait Bañez 2. 2. *q. 64. art. 7. dub.* 2. Eſt conſenſus Philoſophorum, & ferè omnium Theologorum.] Quos ſequitur Zanardus 1. 2. *director de homicidio, cap. 2. §. Octauo.* dico: Vbi ſic ait. [Licet proprium honorem defendere, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Vnde ſi non poteſt defendi (attende) niſi cum morte tentãtis inferre infamiam, talis poteſt occidi. Hoc autem primò verum eſt in nobilibus. Secundò, hoc etiam eſt verum in ignobilibus, & Clericis, quia quilibet, in ſuo ſtatu, curam habere debet de proprio honore: & quamuis hi poſſint dedecus patienter ferre, quando non eſt tale, vt illis notabile damnum inferat; tamen, cùm nõ ſint domini ſuæ famæ, & honoris neceſſarij ad benè, rectèque viuendum, ad hoc, vt aperta facie poſsint ſuggeſtus, & cathedras aſcendere, & in altaribus miniſtrare, & coram honeſtis perſonis comparere; ſi vellent, ſe defendendo, inuadentem occidere; immunes eſſent à peccato.] Hactenus M. Zanardus. Ergo, cùm honor per adulterium vxoris grauiſsimè lædatur, licitum erit ad illum conſeruandum, & infamiam auertendam, vxorem, vel adulterum occidere, ſi aliter à tanto ſcelere patrando dimoueri nequeant. Confirmatur, quia, & ſi poſt impactã alapam, non liceat invaſorem occidere; licet tamen ante iniuriam acceptam, ſi aliter propulſari nequeat; vt aſſerunt Sotus, Syluester, Ludouicus Lopez, & Nauarrus, apud Leſsium *de iuſt. lib. 2. cap. 9. dub. 12. num.* 77. Villalobos, Marchantius, Faber, Molfeſsius, & alij, quos citatos ſequitur Diana *part. 5. tract. 4. reſ.* 4. Ergo licèt adulterum inflagranti repertum nõ liceat occidere, quia eſſet vindicta; licebit tamen ad adulterium impediendum, quod aliter impediri non poſsit. Quod diſcrimen nobis expreſſit M. Bañez 2. 2. *q. 64. art. 7. dub.* 3. Verbis, quæ ſequuntur. [Sit nobis certiſsima concluſio, & Catholica Doctrina. Non eſt licitum repercutere eum, qui percuſsit: niſi forte (attẽde) adhuc perſeueret impugnare, tunc enim repercuſio habet rationem defenſionis, reſpectu imminentis periculi, non vindictæ, reſpectu præteritæ iniuriæ.]

3 Propter hæc P. Leſsius *lib. 2. de iuſt. cap. 4. dub. 13. num.* 89. Aſſerit, maritum poſſe vi, aut morte expellere adulterum. Quem citatum ſequitur Bonacina *diſp. 2. de reſtit. q. vlt. punct. 11. num.* 9 Negat verò, quoad vxorem. [Nam qui vxorem, inquit, occidit non tuetur rem ſuam, ſed potiùs illam deſtruit.]

Sed

Sed quidem, ſi adulterium imminens aliter vitari non poſsit, non eſt maior ratio adulteri, quam vxoris.

4 Fundamenta hæc probabilem reddunt horum Doctorum ſententiam ſpeculatiuè loquendo, practicè verò difficilè eſt, occurrar caſus, quo aliter adulterium imminens, quam occiſione, vitari non poſsit, cùm huic periculo via iuridica, quoad adulterum poſſit occurri. Ideòque caſus non poteſt ad praxim deſeruire, niſi Reſpublica nolit, aut nequeat adulterium imminens euitare, quod de Chriſtiana non credam.

QVÆSTIO III.

An liceat viro nobili occidere invaſorem, qui contumelioſum verbum Mentiris *regerit, ſi aliter coercere nequeat?*

§. I.

Quid ſentiant Doctores.

1 PArtem affirmatiuam ex principijs ſuprà iactis: *quæſt. 1. & 2.* nonnulli tuentur: quia licitum eſt ad contumeliam, & iniuriam propulſandam, iniuſtum invaſorem honoris occidere: honor autem non ſolùm factis, ſed verbis læditur. Vt cùm alijs ait Caramuel. *in Theologiæ fundam. in editione Lugdun. anno 1675. fundam. 55. fol. 805. Te*, inquit, *invadat quiſpiam ferro, aut lingua perinde eſt.* Subnectens, [& non vidi aliquem, qui hanc Theſim improbabilem crederet.] Ergo quando contumelioſus non ſperatur ſe cohibiturus, ſed perſtiturus in contumelia ſemel dicta, & aliter coerceri non poteſt, licitum erit illum interficere: ſic Antonius de Eſcobar *in Theologiæ Morali, tract. 1. exam. 7 cap. 3. numer. 4.* vbi propoſitæ quæſtioni ſic reſpondet: [Negat Azorius *tom. 3. lib. 2. cap. 1. quæſt. 17.* quia verbales iniuriæ verbis poſſunt repelli. At Baldellus *lib. 3. diſput. 24.* putat licitum eſſe occidere contumelioſum, ſed in caſu (attende) quo aliter arceri non poteſt, ne detur licentia improbitati ad optimos viros contumelijs afficiendos.] Hæc ille. Itaque in eo tantùm caſu hoc licitum defendit, quo contumelioſus perſiſtit in contumelioſis verbis proferendis, nec aliter coerceri poteſt, vt taceat, & deſiſtat: quia vim vi repellere licet. Quod magis explicat Baldellus vbi ſuprà: [vt addit (inquit) Molina *numer. 3. citato*, (nimirum *tractat. 4 de iuſtit. diſput. 20.*) dum adhuc fit, & continuatur contumelia, non modo eſt licitum ea obijcere, vt iam diximus, quæ poſſunt facere ad honorem tuendum, & fidem contumeliantis abrogandam, ſed ſi contumelia magna ſit, & per illam magna fiat honoris iactura, (attende) neque poſsit aliter impediri, poteſt etiam eſſe licitum interficere calumniantem: quia in tali caſu, id ſolum eſt vim vi repellere, & honorem tueri, contra iniuſtum, & violentum dehonorantem.] Sic ille, quem in eodem ſenſu ſequutus eſt Eſcobar, & videtur ſequi Reginaldus *libr. 2. cap. 5. numer. 60.* dum ait; licere iniuſtum honoris aggreſſorem occidere. [Nec refert, inquit, an quis honorem auferre moliatur armis; an lingua.

2 Hanc ſententiam eſſe communem teſtatur Petrus de Nauarra *lib. 2. de reſt cap. 3. à numer. 371.* & præcipuè *numer. 376.* vbi ſic ait, [ex omnium ſententia, licet contumelioſum occidere, cum tamen armis non invadat.] Et ſequitur Henriquus Stroverdo *ff. 2 2. quæſt. 64. art. 7. concluſ. 5.* ibi: [Poteſt interfici, qui virum aliquem honoratum convicijs, & maledictis afficit; nec poteſt aliter cogi, vt taceat, talis enim eſt invaſor honoris.] Idem ſuſtinent Layman, & alij apud Dianam *p. 8. tr. 7. reſol. 51.*

3 Eandem tuentur alij, quos citatos ſequitur Leander a Sacramento *tom. 5. de irregularitate, tract. 2. diſput. 12. quæſt. 30.* ibi: [Reſpondeo, eſſe cuippiam licitum prædictum iniuriantem, & detrahentem notabiliter famā alteriùs, clam occidere, ſi nulla alia via talis famæ læſionem vitare queat. Sic Bañez, Petr. de Nauar. &c.] Et expreſsiùs *diſp. 14. q. 7.* vbi ſic: [An maneat irregularis vir honoratus, qui aliquē dicentem ſibi *mentiris* occidit? Reſpondeo, manere quidem irregularem, ſi occidat dicentē ſibi *mentiris*; dūmodò hoc verbum cōtumelioſum alio verbo ſimili, ſeu actione, veluti alapa, vel fuſte repelli poſsit: ſecùs aliàs, ſi aliter, quàm occiſione ab illa iniuria inferenda cōtumelioſus arceri à læſo non poſsit.] Et iterum *q. 8.* [Dicendum poſſe quē abſque culpæ labe, & irregularitatis pœna occidere, aut mutilare afficientem iniurijs verbalibus atrocibus, caſu, quo iniuriatus aliter non poſsit cogere illum, vt taceat, & deſiſtat, & reſipiſcat ab iniurijs prolatis.] Hæc Leander.

4 Idem ſentit Bonacin. *de reſt. diſp. 2. q. vlt. ſect. 1. punct. 10. n. 7.* vbi ſic: [Secūdò colligitur, eum poſſe occidi, qui afficit cōtumelijs atrocibus, ſiue per verba, ſiue per ſigna, quando honor alia ratione defendi nō poteſt. Ita Gomez, Rodrig. Lopez, Petr. de Nauarr. Iulius Clarus.] Sic ille; quem cum alijs citatum ſequitur Gaſpar Hurtad. *de iuſt. diſp. 11.* Quibus conſentit Doctor Ioann. Ioſeph. Gaſſi *cent. 1. cap. 49.* ibi [Aſſero 1. viro honorato in eiſdē circumſtantijs, quibus ob realē iniuriā, poteſt mortē inferre; licere occidere inferentē cōtumeliā verbalē atrocē, quæ aliter repelli nequit; ob defenſionē honoris. Noſtrā ſententiā tenent Nauar. & Bonacina citati à Trullēch. Baldell. & Eſcobar, citati à Diana *5. part. tract. 4. reſol. 12.* Layman, & alij apud

Digitized by Google

eundem *part.8.tract. 7. reſol. 51.*] Quorum fundamentum eſt,quia damnum honoris, & famæ, eſt maius, quam damnum pecuniarum,vt dicitur *l.ſi de duobus, ff.de regul.iur.* ſed ad hoc minus damnum auertendum, licitum eſt inuaſorem occidere, vt conſtat ex communi Doctorum,quos adduxi 1.*part. Select.tract. 6. quæſt.2.* Ergo ob defenſionem honoris,& ite ſentit Fr. Philippus a Sanctiſſima Trinitate Carmelita ex Calceatus in editione Lugdunenſi, anno 1653. *in 2.2.tr. de iuſtit.& iure, diſp.7.dub. 8.* vbi quærens vtrùm liceat occidere aliquem ob defenſionem pudititiæ,aut honoris? ſic inquit: [Reſpondeo dicendum,quod, cum moderamine inculpatæ tutelæ, licet occidere inuaſorem pro defenſione pudicitiæ,& etiam pro defenſione honoris, quando quis actu in ſe ipſo inuaditur, modo aliquo iniurioſo, ita quod attenta conditione perſonæ, ſequatur neceſſario iactura honoris, niſi reſiſtat inuadenti, quamvis per accidens ſequatur mors illius; per ſe enim nunquam poteſt intendi occiſio hominis.]Sic ille.

5 Addunt alij,licitum eſſe contumelioſum percutere, ad recuperandum honorem, poſtquam iam accepta eſt iniuria, licet vlterius non propendeat.Sic grauiſsimi PP.Magiſtri, quos citatos ſequitur Petrus de Nauarra *lib.2.de reſtit.cap.3.num.378. & ſeqq.* ibi: [Maior eſt doctorum decertatio, quando iam accepta eſt iniuria, & contumelia,& non vlterius propendet,num liceat repercutere aggreſſorem? Sotus dicit, non eſſe licitum,&c Nauarrus verò fatetur,eſſe licitum percutere,& læſorem inſequi, & tantum ei vulneris, & iniuriæ inferre, quantum neceſſarium ſibi eſſe putabit, vt amiſſum honorem recuperet. Id ipſum docuit Mercatus vbi ſuprà, & Victoria *in Relect. de iure belli, numer.5.*& videtur eiuſdem Armilla *verbo Defenſio, ſ.3.* Sanctus Antoninus *3.part.tit.4. cap.3. ſ. 1.* Ratio Nauarri eſt, quia faceret ſui honoris iacturam, non perſequendo & vulnerando: & addi poteſt, quod latronem fugientem cum rebus meis licet inſequi, & occidere: ergo,& honorem auferentem,& fugientem.] Et inferius *numer.383.* [Si contumelia illata, fugiat relicto iniuriato, non videtur omnino à ratione aliena ſecunda ſententia,](nempè nuper poſita:) quia contraria[occaſionem,inquit,præberet cuique,nobiles, atque illuſtres homines contumelijs onerandi, aliiſque iniurijs turpiter dehoneſtandi, &c. Præterea, quia antequam ſit accepta iniuria, poteſt quis obturandum honorem,ex omnium ſententia,percutere repulſando, ac præueniendo, & eadem eſt ratio, poſtquam accepta eſt. Si enim ille non repercutit, parui habetur à populo, non minus, quàm ſi à principio non impediret, & veluti puſillanimis, & inhabilis iudicaretur ad officia, aliaque ſimilia, [& infrà: [Sicut ergo genus eſt defenſionis rerum, eas non ſolùm præſeruare, ne pereant, vel auferantur, ſed etiam ablatas recuperare, ſi poſsis: Ita genus eſt honorem defendendi, non modo curare, ne recipias iniuriam, ſed etiam cùm percuſſus es, ac laceſsitus, eam à te repellere, honoremque recuperare, etiam percutiendo,ſi poſsis, cùm aliud non ſupereſt remedium,aut eſt tibi ignominioſè viuēdum.] Hactenus Petrus de Nauarra.

6 Huius rationem, iuxta principia Theologica, tradit Gaſpar Hurtado ex præiactis fundamentis vbi ſuprà diffic. 11. dicens: [Quod iuxta prædicta verùm eſt,non ſolum, quando dicta ignominia imminet, ſed etiam quando acta infertur: immò, & poſtquam verba contumeliæ phiſicè prolata ſunt, ſi ſtatim moraliter occiſio fiat in congreſsione ipſa, antequam inuaſor ad alia diuertatur, aut iam alibi quietus exiſtat: quia quandiu durat ſaltem moraliter congreſsio, etiam durat inuaſio; & illatio ignominiæ, non dum eſt moraliter in facto eſſe, ſed tantum in fieri.] Hæc Hurtado cum citatis. Quem ſequitur Ioſeph. Garſi, *in 97.centur. 1. capit. 48. numer. 4.* indeque probat: [Quia quando læſo honoris, veluti pendet, & in ſuſpenſo eſt, ſuſpenſaque ſunt hominum iudicia de perculsi fortitudine,ſtrenuitate, & generoſitate, & quandiu damnum eſt, veluti infieri, ſemper eſt locus defenſioni honoris, quia cùm damnificante non cenſetur nouum congreſſum efficere, ſed eundem ab altero ſuſceptum iuſtè continuare, & ſi tunc occidat, honorem recuperat.]Sic ille.Vide plures *quæſt.1. num.10.& ſeq.*

7 Quibus faciunt ſuprà viginti Doctores apud Leandrum à Sacramento ſuprà *tom. 5. diſput. 14. quæſt.3.* aſſerentes: [Poſſe licitè iniuriatum perſequi fugientem inuaſorem ſui honoris, illumque repercutere, aut occidere, quando aliàs magnam honoris iacturam faceret.]Quod ipſe probabile putat, & probat: [Nam vt habitum eſt ſuprà, probabile, & ſatis eſt, quod poſſit quis occidere furem fugientem, vt rapta ab ipſo recuperet. Ergo a fortiori poterit inuaſorem ſui honoris, vt ab eo raptum honorem recuperet. Patet conſequentia:quia vtrumque eſt verè recuperabile, nēpè tam res ablata,quàm honor ablatus.] Sic Leander.

8 Quod autem non ſolum verbis, ſed etiam armis,liceat honorem verbis auferēdum, defendere. Tradit Nauarra vbi ſuprà

num.

num. 376. [Nil, inquit, videtur referre, an aliquem gladio linguæ, vel ferro inuadas, cum non minor iniuria, & damnum, hoc, quàm illo modo, inferatur. Ius autem defenſionis non tàm ob modum inferendi, quàm ob illatum damnum conſurgere, putādum eſt. Accedit, quod honor, non tàm gladio, ſicut corporalis vita aufertur, quàm lingua, &c. Si ergo honor magis ex verbis, actibuſque minātibus amittitur, quàm armis, & gladiis, non benè dicitur, non licere honorē tueri armis, niſi armis inferatur invaſio.] Et *n.* 356 idem prædixerat his verbis: [Adde quod ex omniū ſententia, licet contumelioſum occidere pro honore tuendo. At dedecus, & contumelia, non gladio ferreo, ſed lingua inuritur. Non ergo eſt illa doctrina vera, quod armata defenſio non licet, niſi contra invadentem armis.] Sic Nauarr.

9 Propter hæc forſan, non pauci Doctores, dum quæſtionem de inſulto honoris invalore pertractant, verbis vniuerſalibus vtūtur, quæ vtrumque iniuria modi modū, gladio, & lingua comprehēdant, & tam in vno, quam in alio, prætatam defenſionem licitam eſſe, defendunt, vt videre licet apud Henriquez *lib.* 4. *cap.* 10. *in gloſſ. litt. T.* cuius verba dedi, *quæſt.* 1. *num.* 11. Quæ probabilia cenſet Illuſtriſsim. M. Acatius de Velaſco *tom.* 2. *reſol. Moral. verb. Homicidio, reſol* 42. *num.* 3. vbi ait: [Algunos Doctores graues ſienten con probabilidad, que para recuperar la hōra que à vno le han quitado, es licito inmediatamente, deſpues de recebido el bofeton, (atiende) ò otro agrauio, ſeguir à quien le diò, y darle vn golpe, ò hazerle otra injuria, la que baſtare para recuperar la honra que le han quitado.] Quam ſententiam vltra citatos defendunt Marchantius, Ludovicus Lopez, M. Serra, Philippus Faber, Diana, Rodriguez, Bonacina, Trullench, Franciſcus Cuenca, Peguera, Leander a Sacramento, & alij, quos adduxi *in opuſc. pro Ieſuitis, tract. de iuſt prop.* 2. Ergo, ſi iniuria, vel contumelia illata per verbum *mentiris* honorem taliter lædat, vt abſque occiſione contumelioſi recuperari non poſsit, licitum erit in continēti armis illum impetere, & etiam fugientem inſequi, & ſagitta, vel gladio internecare. Nequibunt Doctores citati conſequenter negare. Dedi Authores. Quid verò tenendum? conſtabit ex dicendis.

§. II.

Vera ſententia aliquibus concluſionibus exponitur.

10 PRima concluſio ſit; poſt prolatam verbalem iniuriam, non licet, vt in plurimum, (etiam ſoli iuri naturæ ſtando) iniuriantem occidere, ſic P. Leſsius *lib.* 2. *de iuſt. cap.* 9. *dub.* 12. Vbi propoſita aliquorum ſententia id tuente; quando contumeliæ ſunt atroces, & alia via nequeunt vitari, ſubnectit, [verùm hæc ſententia non eſt ſequenda: ſatis enim eſſe debet in Republica, vt iniuriæ verbales verbis repelli, & legitima vindicta comprimi, & caſtigari poſsint.] Idem ſentiuat Azor *tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 1. *quæſt.* 17. Suarez, Sylveſter, Caietanus, Bañez, Valentia, Abulenſis, & alij; quos citatos ſequitur Petrus Hurtado de Mendoza 2. 2. *diſput.* 170. *ſect.* 15. *§.* 124. Quibus adde Fillucium, Binsfeldium. Molfeſsium, & alios, quos refert, & ſequitur Diana 5. *part. tract.* 4. *reſol* 12. *&* 13. Ratio omnium eſt: quia verbales iniuriæ, vt in plurimum, verbis poſſunt ſufficienter repelli: Ergo occiſio iniuriantis, & verbum *mentiris* regerentis, nequit non, vt in plurimum, excedere moderamen inculpatæ tutelæ. Verùm licèt aliæ contumeliæ verbo hoc *mentiris* ſatis propullentur, vt lex ipſa duelli, in Hiſpania, fert; verbum autem aliud determinare, quo contumelia per ly *mentiris* illata repellatur, difficile eſt: ideòque ratio genuina aliunde petenda.

11 Secunda concluſio: numquam eſt licita occiſio convitia proferentis, ſi ſtatim fugiat. Ratio eſt, quia in hoc caſu, non eſt honoris defenſio, ſed vindicta. Vt conſtat ex dictis *quæſt.* 1. *&* 2. Præterquam quod fuga ipſe dehoneſtatus, & infamis habetur, & ille, quem fugit victor, & integro honore, vt obſeruat Doctor Garſi *centur.* 1. *capit.* 48. *numer.* 5. Non ergo licet iniuriantem fugientem inſequi, & occidere, cum occiſio neceſſaria non ſit ad honoris defenſionem. Ita, & benè tradit Thomas Hurtado *tom.* 1. *reſolut. Moral. tractat. vltim.* dicens: ſic intelligendo Leſsium, Petrum de Nauarra, Lopez, Bonacinam, & alios vbi ſuprà citatos *numer.* 1. *& ſequent.*

12 Tertia concluſio: non licet occidere contumelioſum, quamvis non fugiat, dummodò non perſiſtat in contumelia ſemel dicta, nec ad illatam iniuriam, enſe diſtricto, ſuſtinendam, ſe accingat; nec prudenter timeatur alias aggreſſurus. Ratio eſt: quia tunc occiſio non deſervit ad maiorem

iorem honoris læſionem auertendam, nec ad honorem amiſſum recuperandum. Quia contemptus, & vili penſio perſonæ per contumelioſum verbum manifeſta, non euaneſcunt, nec auferuntur, niſi per ſigna contraria æſtimationis, & honoris; nec infamia apud audientes, ex defectu publicatio ſuborta, ceſſare poteſt, niſi per media, quibus authoritas conuitiantis prorſus eleuetur, & eius verba, veluti ab ebrio, ſeu amente prolata, ab audientibus accipiantur. Ad quæ obtinenda verba alia ſufficiunt, & Ineptum omnino medium eſt iniuriantis occiſio. Per hanc enim, licèt apud ſceleratos honor adquiratur, non eſt honor, qui deperditus fuit, ſed longè diuerſus, nimirum validi vindicatoris. Honorem autem ex vindicta quærere, vtpotè per medium intrinſecè malum, grauiſſimum peccatum eſt. Hoc argumentum vrgent communiter Doctores Societatis loquentes de repercuſſione illius, qui poſt impactam alapam fugit, ex quibus P. Ludouicus de Molina *tom.4. de iuſtit. tr.3. diſp.17. num.8.* ſic ſcribit. [Repercuſſio, aut occiſio poſt honorem amiſſum, non eſt aliud, quam vindicta, qua tamen apud homines conſequitur tantundem honoris, quantum ob iniuriam ſibi illatam amiſerat. Eſſe autem id vindictam, ex eo liquet, quod eodem modo honorem recuperaret, ſiue repercutiat, vel occidat in continenti, ſiue poſtea ex interuallo. Quare, cùm iure naturali ſit prohibitum ſumere vindictam. Conſequens profectò eſt, vt pars, quæ negat, ſit proculdubio affirmanda, & amplectenda.] Hactenus Molina. Quem ſequitur Pater Vazquez *opuſcul. de reſtit. cap 2. dub. 9. num. 37. & 38.* ibi: [Vnde ipſum repercutere non eſt defenſio, ſed vindicta, & vltio, quæ non licèt propria, & priuata authoritate (dicit enim Dominus *mihi vindictam,*) illud enim non eſt meum recuperare, quod iniuſtè poſsidetur ab alio; ſed in opinione vulgi, recuperare honorem, id eſt honoratum manere percutiendo, ſicut percuſſus ſum; quia tantundem mali confero, quantum accepi.] Sic Vazquez, & ſic etiam Doctor Garſi *cent. 3. cap. 31.* & alij, quibus adde Cardinal. de Lugo *de iuſtit. tom.1. diſput. 10. ſect. 10. numer. 190.* & Turrianum *2. 2. diſput. 27. dub. 3.* Ergo poſt iniuriam completè illatam, & honoris iacturam factam, cum occiſio non eſt defenſio, ſed vindicta, improbabile prorſus eſt, licere contumelioſum occidere. Ita & benè Hurtado de Mendoza *2.2. diſp. 170. ſect. 15.* Lege quæ ſupra *q.1. n.13.*

13 Quarta concluſio: Non licèt occidere iuſtè regerentem verbum contumelioſum *mentiris*, quando offenſus non per modum conuitij, ſed in ſui defenſionem, vim vi repellendo, ad obterendam offendentis authoritatem protulit, vt fides in eo, quod iniuſtè, & per iniuriam illi impingitur, infringatur: ſic & benè tradunt M. Sotus *lib. 5. de iuſtit. q.9. art 3.* & illo citato M. Paulus de Blanchis *in diſcep caſu. conſ. diſput. 7. in litt. C. dub. 2. fol. 314.* Aragòn, Sayrus, Felinus, Pirigianus, Peregrinus, Franciſc. Corona, & alij, quos citatos ſequitur Paſqualigus *deciſ. 473.* Diana *5. part. tract. 13. reſol. 26. & 6. part. tr. 6. reſol. 16.* cum Bartiolo, & alijs, & *part. 9. tract. 9. reſol. 43.* cum Bañez, & Salonio. Thomas Hurtado *tom. 2. reſol. Moral. tract. vltim. reſol. 5. numer. 151.* cum Bonacina, & Trullench. Et Zanardus *part. 2. cap. 3. de contumelia in fine.* Ratio eſt aperta, quia ſi tibi liceret illum occidere, daretur bellum iuſtum ex vtraque parte, quod repugnat. Licitè autem, vt dixi, verbum *mentiris* ad eleuandam authoritatem conuitiantis regeſtum fuit.

14 Quinta concluſio, eum, qui iniuſtè verbo *Mentiris* valdè tibi contumelioſo honorem tuum grauiter læſit, ſi illico non fugiat, ſed in eodem loco, diſtricto gladio, permaneat, vt vulgo dicitur, *para mantener lo q̃ ha dicho*; quo facto noua irrogatur iniuria, &; dum ſic perſiſtit; cõtinuatur, & augetur; (iuri naturæ ſtando, & ab omni humano præſcindendo) licitum eſt ad eam propulſandã, quando aliter non poteſt perſiſtentem percutere, & ſi opus ſit, occidere. Idemque dicendum ſi in contumelioſis verbis iterandis perſiſtat, nec alijs poſsit verbis cohiberi; quia id non eſt vindicta iniuriæ illatæ, ſed inferendam repellere. Sic expreſsè Doctores *citati, num. 1. & ſeq.* quos ſequitur Garſi *cent. 1. cap. 49.* Huic concluſioni diſſentire nequibunt, qui aliud medium ad dedecus vitandum viro nobili ſæculari non ſuppetere conſtanter aſſerunt. Secus dicendum de Religioſis, & Clericis, quibus maxillam etiam tunc præbere, laudi verteretur. A laico enim ad Religioſum conſequentia non valet; vt benè obſeruat Caramuel *lib. 2. Theolog. fundamentalis in editione Lugdunenſi, anno 1675. fundamento 55. pag. 812.* Quia pro laico cõtumelijs affecto, pugnat ratio, & natura, vt cum tueantur, etſi enim patienter toleret iniurias, manet depreſſus: Religioſus verò ſi patienter toleret, gloria, & honore coronatur. Ideòque nec iure naturæ licèt illi armata defenſio: Idem dicito de ignobilibus, quibus verbum illud minus contumelioſum eſt. Sic Leander à Murcia *tom. 2. diſq. lib. 4 diſput. 9. reſol. 7. in fine*, putat tamen frequenter ſufficienter defendere honorem, illo ver-

verbo conuitiatum, ſi reſpondeat. *Loquutus eſt, vt homo infamis, & vt vilis nebulo.*

§. III.

Animadverſio in Baronium.

15 Principium, cui noſtra ſententia innititur ſatis commune apud Doctores, de licita occiſione iniuſti inuaſoris honoris, ad propulſandam iniuriam certò aliter ſequuturam, adeò ægrè tulit Vincentius Baronius 2. p. *Manuductionis, diſp.* 1. *ſect.* 2. *fol.* 146. 148. & 149. vt Doctorum nemini parens (licet tot ex ſuo inſtituto pro illa militauerint) in omnes exarſerit proclamans, *in ſolius vitæ defenſionem licitum eſſe inuaſſorem occidere.* Et inquirenti, cur non etiam in defenſionem honoris? in hæc prorumpens exprobrat, (quæ licèt alibi ſcripta hic iterum dare cogor.) [Dum ita quæris, videris ignorare omninò, quod latere poſsit neminem: ſicut vitæ & honoris, ita vtriuſque defenſionis diuerſam eſſe omninò rationem, &c. Ergo ineptè quæritur, cur ex priori pugna pro vita conſequatur mors, & ex poſteriori fieri nequeat: Dignior eſſet Carnifice, quàm Theologo obiectio.] Hæc Baronius; quæ dum primùm legi, vehementer dolui. Quid ergo dicet de aliis ſui inſtituti authoribus, Sylveſtro, Soto, Balthaſar, Ludouico Lopez, Conrado, Zanardo, Paulo de Blanchis, (quorum verba dedi 1. *part. Selectarum, tractat.* 6. *diſput.* 3. *de homicidio, quæſt.* 2.) expreſsè aſſerentibus, ob defenſionem diuitiarum, licitum eſſe inuaſorem occidere, quando aliter defendi non poſſunt. Quam eſſe Diu. Thomæ ſententiam ait Caietanus 2. 2. *quæſt.* 64. *artic.* 7. his verbis: [quando quis non poteſt res ſuas aliter defendere, quin ſequatur ex defenſione occiſio inuaſoris, licitè poteſt defendendo, occidere illum.] Sic Caietanus, quem viginti authoribus pro hac parte allegatis ſequitur Doctor Garſi *in quæſtionibus Moralibus, cent.* 2. *cap.* 2. Quid ergo de his authoribus Baronius dicet? Quid inquam de ſemetipſo; qui 2. *part. Ethices Chriſtianæ, diſput.* 3. *ſect.* 3. *fol.* 350. (credens fortè vnius tantum vel alterius Thomiſtæ, infimæ notæ, hanc ſententiam fuiſſe,) inquit, [hoc pateret dici à Thomiſta, cùm Dominus bonorum temporalium penes ſe domi habet; & tutatur contra latronem,] ſit eſto? Subſidium hoc miſericorditer nobis oblatum admittamus: ergo & pro defenſione honoris, quem poſsides, & pluris æſtimatur quàm diuitiæ, licitum erit inuaſorem occidere. Quid ad hæc?

16 Hæc conſequutio eſt neceſſaria; *melius enim eſt bonum nomen diuitijs multis,* vt habetur *Proverb.* 22. Et omni temporali commodo honor præferendus eſt. *l. ulianus, ff. ſiquis omiſſa cauſa teſtam.* Et tradit Auendaño *in tract. de iniuria, numer.* 20. immò honor, & vita æquiparantur, *l. iuſta cauſa de manumiſſ. vendit. l.* 2 *tit.* 24 *part.* 4. Cui facit illud poetæ. *Omnia ſi perdas, famam ſeruare memento, ua ſemel amiſſa, poſtea nullus eris.* Et vt ait ipſe Baronius *in* 2. *part. Manuductiona. diſput.* 3. *ſect.* 2. *fol.* 309. [Nec dubium eſt, quod inter bona externa ſit præcipuum, quod ſi deſit, inepti ſumus ad vitæ humanæ, & Chriſtianæ officia obeunda.] Si ergo ob defenſionem diuitiarum, cùm Dominus penes ſe habet, (vt ipſe Baronius concedit) licitum, iure naturæ, eſt inuaſorem occidere, potiori iure id licebit in defenſionem honoris, ne à poſsidente auferatur. Ita ne verò?

17 Hæc conſequutio, vt dixi, iuri naturæ ſtando, neceſſaria eſt; & ex doctrina D. Thomæ legitimè deducta, vt teſtatur Thomas Hurtado iuratus Thomiſta *tom.* 1. *reſol. Moral. tract. vltim. numer.* 188. *fol.* 507. vbi ſic. [Sanctus Thomas 2. 2. *quæſt.* 64. *art. c.* 7. *ad* 2. *dicit licitum eſſe occidere illum, qui facultates meas vult auferre:* & *per conſequens, qui famam pluris æſtimabilem.*] Et in terminis eam tuetur Magiſter Sotus *lib.* 5. *de iuſtit. quæſt.* 1. *art.* 8. vbi ſic: [Quod cuicumque volenti me iniquiſsimè occidere, id permittere cogar; intolerabilis res eſſet, immò non ſolum vitam nou cogor illi dare, verum, neque honorem, neque famam, neque bona mea.] Vnde infrà, duas ſtatuit concluſiones, 1. eſt, *licere furem etiam diurnum in defenſionem bonorum temporalium interficere, ſi aliter illa eripi ab ipſo nequeunt.* 2. & *ob defenſionem honoris id licere.* Et (quod Baronium iugulat) licitum eſſe alterum occidere, in defenſionem honoris; ſententiam eſſe communem Thomiſtarum, defendit doctiſsimus P. M. Ioannes Martinez de Prado olim Primarus Complutenſis, & poſtea Hiſpaniæ Prouinciæ ſui Ordinis Prædicatorum meritiſsimus Prouincialis *tom.* 2. *Theologiæ Moral. cap.* 20. *quæſt.* 4. *numer.* 24. verbis ſuprà datis, quæſtione præcedenti, quæ ad maiorem rei euidentiam iterum ſubijcio. [Dico licitum eſſe, occidere iniuſtum aggreſſorem honoris, qui in praxi vult lædere. Ita Sotus, & communiter Thomiſtæ, & duodecim authores citati à Diana 2. *part. tractat.* 15. *reſolut.* 15. & *numer.* 14 prædixerat hanc ſententiam eſſe communem pro illa referens Ludouicum Lopez, Serram, Bañez, Ioan-

Ioannem à S. Thoma, & alios apud Dianam *part.5. tract.4. reſ.9. & part.8. tract.7. reſ. 45.* Quibus adde M. Zanardum 1.2. *directory, cap.2. de homicidio, §.8. dico:* Et Doctorẽ Garſi *cent.1. cap.49. num.3.* Et alios apud ipſum dicentem eſſe communem Doctorum. Quam ſequitur Caietanus 2.2. q.64. *art.7. §. Ad hoc dubium* inquiens eſſe ſententiam D. Thomæ, & Auguſtini [quia Auguſtini authoritas loquitur non ſolum de vita corporali, ſed de alijs, ſub quo ordine ponit honorem, & diuitias.] Qua propter Cardin. de Lugo *tom.1. de iuſt. diſp.10. ſect.10. num.* 187. iurè dixii: *Omnes teſtari* licitum eſſe pro defenſione honoris inuaſorem occidere. His ſimilia leges, apud Bañez 2.2. *q.64. art.7. dub.2.* Vnde neſcio, cur in tot, tantoſque Doctores ſibi non ſuſpectos, Baronius ſic furat, vt illorum ſententiam, *digniorem carnifice, quàm Theologo* appellet.

18 Vnùm M. Banez, alios non curans, ſno fulmine percuti Baronius noluit: Ideoque à præfata ſententia illum eximere tentauit, 2.*part. Manuductionis* (ab Alexandro VII. prohibita) *fol.*146. Dicens hunc authorem, in ſolius vitæ defenſionem, conceſsiſſe, licere alterum occidere, non verò honoris. Sic refert Baronius; ſed falsò. Quæſtio facti eſt. Recolas quæſo locum M. Bañez ſuprà citatum 2.2.q.64.*art* 7.*dub.*2. Vbi ſic ſcribit: [Dubitatur ſecundò, an pro defenſione, *rerum temporalium, vel honoris,* licitum ſit inuaſorem occidere? Ad hoc breuiter reſpondetur concluſione affirmatiua: dummodò talis defenſio fiat cum moderamine, ſecundum proportionem ad finem intentum, &c. Hæc concluſio eſt conſcnſus Philoſophorum, & ferè omnium Theologorum.] Sic Bañez. Ex hac concluſione ſingularem aliam contra communem Theologorum defendit ipſe Bañez infra, *dub.*4. Nimirum, non ſolum ob defenſionem vitæ, ſed vel famæ, vel rerum temporalium, licitum eſſe *iniquum accuſatorem, vel teſtem occidere.* Verba eius ſunt. [An ad defenſionem ſui, licitum ſit preuenire eum, qui paratus eſt iniquè aggredi, v.g. An habeat rationem defenſionis, ſi quis occidit eum, qui vadit ad iudicem, vt imponat falſum teſtimonium, propter quod erit occidendus (attende) *vel infamandus*, vel amiſſurus bona temporalia.] Cui dubitatoni reſpondet, §. *Secunda concluſio*, dicens: [Similiter dico, quod ſi ille, qui vadit ad iudicem, fuerit admonitus, & noluerit retrocedere, poterit is, qui iniuriam patitur, occidere illum, defendendo ſe, vel ſua, ſi aliter non poteſt.] Et infrà: [Sed rogat quis, quid agam ego, ſi quis vadit ad me accuſandum de crimine vero, ſed occulto; ex eius accuſatione mihi certum periculum creatur (attende) *mortis, vel infamiæ?* Reſpondetur, quod ille nõ habet ius ad me accuſandum, neque procedit ſecundum iuſtitiam legalem, & ita me poſſum defendere ab illo, ſicut ab imponente falſum crimen.] Nequit ergo dubitari de mente M. Bañez, quo ad licitam occiſionem illius, a quo certum periculum infamiæ imminet. Et quod has concluſiones deducat ex principio iacto in dub.2. fatetur in quarto, ad ſecundum argumentum. His verbis [diximus enim iam, (nempè dub.2.) quod licitũ eſt pro defenſione rerum temporalium inuaſorem occidere, cum igitur ille accuſator per ſe, vel per tertiam perſonam iniquè cõtẽdat accipere mea bona, licitum mihi erit illa defendere, neque illud inconueniens (nempè, quod daretur occaſio litigantibus, vt occiderent homines, quos falſos teſtes iudicauerint) ſequitur ex iſta doctrina, niſi ex malitia hominum litigantium, qui non prudenter examinabunt circumſtantias, in quibus licitum eſt falſum accuſatorem, & falſum teſtem occidere.] Hactenus M. Bañez.

19 In præcitato igitur, *dub* 4. tàm concluſio M. Bañez de occiſione, *accuſatoris iniqui, & falſi teſtis*, quàm principium, cui innititur, continetur. Qua propter ego, 1.*p. Selectarum, tract.3. diſ.3. q.3. cap.6. num.55.* Ad conuincendum Baronium de ſententia expreſſa M. Bañez, circa veritatem principij de licita occiſione iniuſti inuaſoris honoris; duplici loco illum citaui. Alio ex dubio ſecundo. Alio ex quarto omiſſa omnino concluſione ex illo deducta, circa iniuſtum accuſatorem; quia ad rem ibi controuerſam comprobandam, ea non indigui; ideòque illa tantùm verba ſelegi, quæ ad rem faciebant, parum curans ordinem dubiorum: quia ad rei veritatem, nil referebat. Sententiam verò M. Bañez fideliter his verbis expreſsi. Quæ iuſtæ defenſionis cauſa ſubijcere cogor, M. Bañez 2.2.q.64. *art.7. §. Dubitatur 4. Ei, qui certò nouit quod ab alio erit iniuſtè occidendus, vel infamandus, vel amiſſurus bona temporalia, concedit,* [§. *Secunda concluſio*] *poſſe licitè occidere illum defendendo ſe, vel ſua, ſi aliter non poteſt:* Quod pro *concluſione ſtatuerat, dub.2. dicens: Licitum eſſe iniuſtum inuaſorem occidere pro defenſione rerum temporalium, & honoris, ſubnectens,* [*quæ ſententia eſt conſenſus philoſophorum, & ferè omnium Theologorum.*] Illius verba recole.

20 His, vt prædixi, ſententiam expreſſam M. Bañez lectoribus propoſui, quibus fideliter excerpiam, luce meridiana clarius eſt. Nihilominus in ea cæcutire voluit Baronius *tom.2. Ethices Chriſtianæ, ſect.3. de homicidio. num.34. fol.*347. His me carpens verbis [concluſionem ſecundam addit Moya poni

à

Digitized by Google

à Bañez, (nempè dubio illo quartò) *poſſe licitè occidere illum defendendo ſe, vel ſua, ſi aliter non poteſt* omitto Moyam ad placitum cōcluſionem Bañez fingere, mutato, ne dum tenore verborum, ſed etiam ſenſu; quo ſit accuſationi opportunior. Bañez eo dubio, duas, vt dixi, ſtatuit concluſiones, quarum prima ſic habet, *nō eſt licitum ſimpliciter præuenire eum, quem timeo futurum eſſe aggreſſorem*. Secunda autem concluſione aſſerit, *ſi conſtet aggreſſorem, paraſſe mihi inſidias, quas effugere nequeā, niſi ipſius morte, tunc*, inquit, *licitum eſt mihi, medio tempore; antequam inſtet meum damnum, occidere inſidiantem; etiā ſi pro tunc quietus ſit. Ecce* (ait Baronius) *ad verbum* concluſio ſecunda Bañez, quam placuit Moyæ à capite ad calcem immutatam ſic referre; *poſſe licitè occidere illum defendendo ſe, vel ſua, ſi aliter non poteſt.* Mirabitur ſanè lector Moyæ libertatem, ne dicam audaciam, in immutandis aliorum ſententijs; & aſſertionibus: quaſi videatur ſibi arrogare jus omne in authorum libros.] Hactenus Baronius.

21 Cæterum huius lapſus excuſationem non habet; nam cum ſecunda concluſio prædicti dubij quarti, duas propoſitiones contineat, primam ipſe tantum refert; reticens conſultò ſecundam: quam ego, omiſſa prima, (quæ ad rem, non erat) fideliter excerpſi; verbis ſuprà datis, quæ iterum ſubijcio, [*ſimiliter* (ait Bañez) *dico de ſecundo caſu, quod ſi ille, qui vadit ad iudicem fuerit admonitus, & noluerit retrocedere, poterit is, qui iniuriam patitur, occidere illum defendendo ſe vel ſua, ſi aliter non poteſt.*] Sic M. Bañez. Ecce Baroni, non *ad verbum* adduxiſti concluſionem ſecundam Bañez, neque ego *immutatam* retuli, ſed tu ad calumniam truncaſti.

§. IV.

Altera in Baronium animaduerſio.

22 SED mirabiliora reſtant. Exprobrat mihi Baronius, verbis, quæ ſequūtur. [Suo, inquit arbitrio, ſuiſque verbis ſecundæ concluſioni ex quarto dubio, quaſi à Bañez dictum ſubiungit, pro concluſione vnica dubij ſecundi, nimirum, *licere iniuſtum inuaſorem occidere pro defenſione rerum temporalium, & honoris.*] Fateor: ita enim eſt. Sic iterum, atque iterum pronuncio. Recolas quæſo verba pro concluſione dubij ſecūdi, *num.* 18. fideliter excripta; quæ ſi Baronio legere vacaſſet, adeò miſerè lapſus nō eſſet. Sed quod magis lectoribus ponderandum: quaſi de triunpho ſibi plaudens concludit. [Poſt hanc dubiorum Banneſij, & concluſionum adeò apertam immutationem contra me indignabundus exclamat Moya. *Hiis tamen nil obſtantibus Vincentius Baronius, pag.* 146. (nempè ſecundæ partis Manuductionis) *falſæ citationis Amadæum incuſat, & verba M. Bañez præteriens, audet dicere, hunc authorem in ſolius vitæ defenſionem concedere alterum occidere; ſi adſit certa ſequuturæ mortis notitia.* Hic omnium hominum fidem appello (inquit Baronius) & Eminentiſsimorū Sacræ Congregationis indicis iudicum authoritatem.] O Baroni! à te relata ſcripſi, & iterum ſcribo; ſed ad veritatem comprobandum, non ego aliorum hominum fidem appello, ſed tuam: Non Eminentiſsimorum Sacræ Congregationis iudicum authoritatem, ſed te, quia inter cœlites, iudicem conſtituo.

23 Sed quidem, vt ſæpè notaui, ex præpropera authorum lectione lapſus iſti proueniunt. Et ne longius abeas, in hac ipſa quæſtione, aliqua ſpecimina dabo: Baronius 2. *p. Manuductionis, diſp.* 1. *ſect.* 2. *fol.* 146. non ſolùm eximere tentauit Magiſtrum Bañez à ſententia aſſerente licitum eſſe occidere iniuſtum inuaſorem honoris, ſed in eam defendentes exardeſcens, digniorem Carnifice; quàm Theologo appellauit: & tamen poſtea meliora ſapiens *tom.* 2. *Ethices Chriſtianæ, diſp.* 3 *de homicidio*, cùm negare non poſſet hanc fuiſſe M. Bañez ſententiam, illi conſentit. Sed tamen, vt confeſsionem dimidiaret, in vno tantùm caſu admittendam addidit; nēpè [cùm vir, inquit, nobilis; & militaris, ita vrgetur ab adverſario, vt illi, vel fugiēdū ſit, vel de vita dimicandū, &c. Et hoc tātū caſu, honoris defendēdi cauſa credimus carere culpa mortem aggreſſoris, ſi alia ratione; qui oppugnatur, nequeat vitæ, bonorum, & honoris iacturam evitare.] Sic *num.* 37. Quo ſenſu *num.* 36. prædixerat, mentem Magiſtri Bañez interpretandam. Cæterum M. Bañez ex concluſione vniuerſali *dub.* 2. iacta, circa licitam occiſionem iniuſti invaſoris honoris, hunc caſum de viro nobili ad fugā coacto reſoluit, dicēs: [Ex dictis ſequitur, vnum corollarium, quod non tenetur homo fugere aggreſſorem; quando ipſa fuga eſt ignominioſa: ſicuti eſt militi, & viro nobili,] non ergo ad hunc tantum caſum vniuerſalis doctrina M. Bañez limitanda eſt. Et ne vllum quidem effugium Baronio maneat: ipſemet dicit ibidem *num.* 31. *fol.* 346. Magiſtrum Bañez, [docere in præcitato dubio quarto; reſponſione ad ſecundam obiectionem; licere teſtem per inſidias occidere, ſi imponat tibi falſum crimen, *vnde mors; vel infamia; vel iactura bonorum ſit ſequutura.* Quod, (ait ipſe Baronius) ſe nequire omnino probare] Non ergo pro ſolo illo caſu de viro nobili

ad

Digitized by Google

ad fugam coacto, concluſio M. Bañez interpretari poteſt.

24 Inſuper ipſe Baronius *num. 35. verſ. Quidquid*, poſt relatam cenſuram Alexandri VII. die 27. Septembris 1665. qua, vt ſcandaloſa, vt minimum, damnatur hæc propoſitio: *Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam iudicem, à quo iniqua certo imminet ſententia; ſi alia via non poteſt innocens damnum evitare.* Addit, inquam, ipſe [ex ea Pontificis cenſura, primam tantum partem docuit Bañez de falſo teſte.] Quod falſiſſimum quidem eſt, quia M. Bañez non tantùm primam, ſed, & ſecundam; alteram de falſo accuſatore, alteram de falſo teſte, docuit, vt conſtat ex eius verbis fideliter, ſuprà excerptis, *num.* 18. Prætereà alia mihi, *num.* 33. Falſo imponit; quia poſt relatam concluſionem M. Bañez, dubio illo ſecundo, quam ad verbum ſuprà adduxi; honeſtantem homicidium ad honoris defenſionem; addit ex ſuo cerebro Baronius [quare perperam trahit Moya, (nempe in Selectis, *tract. 3. diſp. & quæſt. 3 cap. 6.*) Aſſertionem Bañez eo dubio poſitam ad homicidium falſi teſtis, vitandæ infamiæ cauſa, patratū.] Cùm tamen ego falſi teſtis mentionem non fecerim. Ipſe tamen M. Banez, verbis ſuprà ex illo datis, ex doctrina in eo dubio ſecundo iacta, hanc concluſionem deduxit. Recole eius verba. Addit in ſuper Baronius [neque ſinceriùs agit Moya, cùm ex eodem Authore advocat dubium tertium, quo certum eſt aliud docere.] Cum tamen ego neque dubium tertium advocauerim, neque vllum ex illo verbum retulerim. Recole præcitatum locum ex Selectis, quem ad verbum excriptum dedi, ſuprà num. 19.

25 Vna tamē laude, in excuſſione huius quæſtionis, Baronium defraudare nolo; nempè, quod ſtrenuè dimicauerit pro excludendo Magiſtro Bañez à ſententia aſſerente, licitum eſſe Religioſo occidere calumniatorem, grauia crimina de ſe, vel de ſua Religione ſpargere minantem, quando alius defendendi modus non ſuppetit, vti ſuppetere non videtur, ſi calumniator ſit paratus, vel ipſi Religioſo, vel eius Religioni publicè, & coram grauiſſimis viris prædicta impingere, niſi occidatur. Quam propoſitionem inferebant nonnulli ex ſententia M. Bañez, & aliorum de licita occiſione iniuſti accuſatoris, & falſi teſtis; ob quorum accuſationē & teſtimonium, infamandus eſſet. Quamuis autem mirum non eſſet, quod ex principio improbabili concluſio improbabilis ſequeretur. (Vtraque enim propoſitio damnata, & prohibita eſt ab Alexandro VII.) Nihilominus contra concluſionem ſpecialis ratio militat. Nam quando iniuria certò imminet, non factis, ſed verbis tantum, & de tractionibus inferenda, non ſunt arma per ſe neceſſaria ad illam auertendam, ſed abſque calumniatoris occiſione, opportuno remedio potest occurri; authoritate ſcilicet publica cōpeſcendo, & interim priuatam calumniatoris, verbis infringendo, aut occulta eius delicta, ad fidem eleuandam conducentia, propalando; quibus auditores prudenter iudicent, fidem illi nullam deberi: Ergo ad infamiam ex detractionibus, & verbalibus iniurijs imminentem amouendam, non eſt medium neceſſarium occiſio calumniatoris. Ex quo deducitur falsò ſupponi, quod aliud medium non ſuppetat. 2. Probatur, quia ex profeſsione humilitatis, & manſuetudinis Chriſti, quam Clerici, & Religioſi Deo ſpecialiter dicati, ratione ſtatus profitētur, nullum babent ius defenſionis honoris per tam crudele, & aſperum medium: Laudi enim, & virtuti ſemper ipſis vertetur, quod aliorum cædes euitent, Reipublicæ paci proſpiciant, & quod iniurias patienter tolerantes, percutienti alteram maxillam præbeant; Imò oppoſitum ſcandalum generat, & ſtatuit, & Religioni contemptum parit, vt benè tradit Dicaſtillo *de iuſtitia, tom. 1. lib. 2. diſp. 10. dub. 7. num.* 80.

26 Qua propter longè certius eſt Clericis, & Religioſis, quàm ſæcularibus minimè licere calumniatorem, qui ſe, vel Religionem infamare tentat, morte præuenire. Sicùt enim euentus ſcandaloſus eſſet (vtpotè atrociſsimum delictum, quod à Chriſti manſuetudinem profitentibus longè eſſe deberet, maximè cùm medijs alijs ſuprà inſinuatis, ſuæ Religionis famæ conſulere potuiſſent) ita ſcandaloſum eſſet, ſimilem doctrinam ſeminare. Vrgetur, quia nequit eſſe medium advitandam infamiam, quo adhibito, fama deperditur; ſed Clerici, & Religioſi calumniantibus, & detrahentibus necem inferentes, apud omnes verè Chriſtianos famam deperdunt, infamiamque contrahunt. Ergo Clericis, & Relioſis occiſio calumniatoris medium prorſus ineptum eſt ad tutandum honorem; Imò euidentiſsimū eſt, infamiam inde potiùs augeri, quàm minui. An verò laicis liceat, quod Clericis, & Religioſis illicitum diximus? Reſpondet Doctor Garſi vbi ſuprà *cap. 49. num. 4.* his verbis. [Aſſero ſecūdò: detractori, qui falſis, vel veris, occultis tamen criminibus atrocibus infamat, necem, iure naturali ſpectato, licitè inferre poſſe, ſi aliter grauis infamia vitari non poteſt. In hanc ſententiam inclinat Petrus de Nauarra, & probabilem eſſe tenet Bañez, & ferè idem ſentiunt Lugus, Dicaſtillo, Hurtadus, quos citat Diana *part. 8. tract. 7. reſ.* 52. Contrarium tenent Sotus, & plures, quos

citat

citat Lugus *de iuſt. tom. 1. diſp. 10. ſect. 7.* Quorum ſententiam, ſi iure humano prohibitam occiſionem detractoris aſſerant, admittendam puto. Poteſt enim lex humana prohibere, quod eſt alias licitum de iure naturali. Ita expreſsè Coninch, Eſcobar, Diana *3. part. tract. 5. reſ. 97. & 3. part. tract. 4. reſ. 7.* Hactenus ille. Cæterum nec iure naturali id licitum eſſe, mihi ſua deo, quia ius defenſionis, quod vergit in perniciem Reipublicæ, natura nemini concedit, quia bonum publicum priuato preferendum, ratio naturalis nos edocet. Inſuper poſt infamiam, ex atrocibus criminibus propalatis illatam, ad nil deſeruit (niſi ad vindictam) occiſio detractoris: nam ſi infamia illata eſt, (vt bene ait ipſe Doctor Garſi *cent. 1. cap. 49. citato, num. 5.* Non extinguitur morte detrahentis: Si verò imminet, non ſatis conſtat, non poſſe alio modo auerti, quia aut non credetur, aut ſi creditur, manifeſtata veritate, poſt propulſati, vel per Rempublicam cohiberi detractor. Ergo occiſio detractoris non eſt medium neceſſarium advitandam infamiam. Eſt ergo iure naturæ illicitum. Hoc tamen aduertere non amittam, contrariam ſententiam non fuiſſe ab Alexandro VII. damnatam, quia ipſe non loquitur de Laicis, ſed de Religioſis, & Clericis contra calumniatorem graui crimina ſpergere *minantem*, & ad illa impingenda *paratum*.

QVÆSTIO IV.

Vtrùm D. Thomæ inconcuſſum principium ſit, quod ad honeſtandam occiſionem iniuſti inuaſoris honoris, aut bonorum, opus ſit, quod vitæ etiam defenſio cum illorum tutela neceſſario coniuncta ſit?

1 VINCENTIVS Baronius *tom. 2. Ethices Chriſtianæ, diſ. 3. ſect. 3. num. 40.* Mordius defendit, tanquàm inconcuſſum D. Thomæ. Et diſcipulorum eius principium, nunquàm eſſe licitum iniuſtum aggreſſorem honoris, aut bonorum occidere, ſi neceſſarium non ſit ad propriæ vitæ defenſionem, ait enim [veros D. Thomæ diſcipulos non receſſiſſe ab illo immoto ſui magiſtri principio, occiſionem hominis à priuato factam nunquàm carere culpa, niſi habeat vitæ defenſionem neceſſario coniunctam, cum bonorum, & honoris inculpata tutela: quæ tunc tantum accidit, cum violentia adhibetur, & dum *res eſt in ipſo raptu.* Vltra hunc neceſsitatis articulum, exerte (inquit) pronuntio, homicidium priuati manu factum culpa non carere.] Sic ille.

2 Hanc concluſionem probat Baronius authoritate M. Bañez locis ſupra citatis ex *quæſtione 64. art. 7. dub. 2.* Sed quidem, iam ſuprà probaui euidenter, Baronium falli, & ſibi non conſtare: quia *diſp. 3. citata* ipſemet paſsim fatetur, quod M. Bañez docuerit, *licere teſtem per inſidias occidere*, ſi ad iudicem vadat, vt imponat tibi falſum crimen ob quod *infamandus es, aut bona temporalia amiſſurus.* In hoc autem caſu, vt patet, nulla violentia perſonæ infertur, neque honoris, aut bonorum defenſio neceſſario coniuncta eſt cum propriæ vitæ defenſione. Ergo vel principium illud non eſt D. Thomæ, aut verus iſte illius Diſcipulus ab illo immoto, ſui Magiſtri principio receſsit.

3 Inſuper M. Sotus (de quo nefas eſſet dicere, non eſſe ex veris Diſcipulis D. Thomæ) *lib. 5. de iuſt. q. 1. art. 3. verſ. De bonis temporalibus.* Planè concedit, licitum eſſe in illorum defenſionem aggreſſorem occidere, etiamſi vitæ propriæ defenſio cum inculpata illorum tutela neceſſario coniuncta nõ ſit. Loco enim citato, poſt quàm ſtatuit, in vitæ defenſionem licitum eſſe aggreſſorem occidere, ſic ſcribit. [De bonis autem temporalibus dubium eſt, vtrùm in eorum defenſam, liceat etiam latronem occidere? &c. Reſpondetur citrà dubium licere furem etiam diurnum, in defenſionem bonorum temporalium, interficere, ſi aliter illa eripi ab ipſo nequeant, &c.] Sub nectens, iuris conſultos docere aliquibus legibus ductos, [quod dum ſpes eſt, via iuridica recuperandi furtum, non licet furem occidere.] Quorum opinioni ipſe conſentit cum limitatione dicens: [Et certè ſi ſpes eſſet certiſsima, quod facilimo negotio recuperari poſſet, verùm apparet: Vbi autem res eſſet dubia, poſſet liberum eſſe Domino, iure vti ſuo.] Quod autem M. Sotus hanc ſententiam teneat, non ſolum quando res eſt *in ipſo rapi*, (vt alebat Baronius,) ſed etiam poſtea, tradit expreſsè verbis ſequentibus M. Sotus. [De tempore autem defenſæ, quandiu duret, præterea fortè dubitas. Nempe vtrùm tunc tãtum liceat reſiſtere, quandiu fur rem non arripuit. An verò etiam tunc dum tuis rebus onuſtus fugit, liceat tibi cum armis inſequi, & ſi aliter deprehendi nequit, etiam iacto telo ſternere? Reſpondetur, toto illo tempore flagrantis delicti, licere vim vi repellere, etiam dum fugit. Poſt quàm verò aliquo ſe iam recepit, non licet eum vi aggredi, ſed tenere, quo vſque iudex eum capiat.] Limitat verò Sotus ſuam ſententiam, ſi res erepta exigui ſit valoris, [nam pro re vili, inquit, nẽpe pro valore duorom, triũ ve ducatorum, vt vitam periculo exponere, delictum eſſet: ſic & alium interficere.] Non aliter de honoris defenſione loquitur M. Sotus vbi ſuprà. [Super eſt autem, inquit de ho-

honore videre, vtrùm ob eius defenſam liceat aggreſſorem occidere?] Cui reſpondet affirmatiuè; non ſolum pro caſu, quo honoris defenſio, vitæ etiam defenſionem cõiunctam habet; ſed etiamſi non habeat, verba eius ſunt. [Ex his ſuprà dictis fit; quod ſi quis quempiam aggrederetur, vt eum fuſte leuiſsimè percuteret, poſſet id alter, etiam hoſtem interimendo, repellere. Præſertim in Hiſpania, vbi tam atrox illa iniuria reputatur. Vtrùm autem eadem ſit ratio de Clericis, quæ eſt de laicis? Reſpondetur, quantum ad ius naturæ idem eſſe prorſus, niſi quod de defenſione honoris, non eſt par ratio, vtpotè qui illum non habent in armis.] En amice lector, M. Sotus, verus Thomiſta cùm ſit; licitum putat aggreſſorem honoris occidere, etiam quando, cum eius tutela, vitæ propriæ defenſio coniuncta non eſt.

4 Eandem ſententiam defendit Syluester *verb. Excommunicatio ſexto, verſ. 9.* Prope medium, vbi poſt relatam Panormitani ſententiam, *in capite ſuſcepimus, de homicidio,* dicentis: Quod laicis non licet occidere, pro rerum defenſione. Ait Syluester, [ſi raptor, vt rapiat, inſurgit indefenſorem, licitè occidetur; quia licet ſit defenſio rerum, quæ rapiuntur, tamen reſpectu Domini, eſt vera inuaſio, & aggreſsio: Si autem, non me inuadit (inquit) & tamen rem meam, tenere nequeo, niſi occidam: puta, quia fugit, in equo meo, quem aliter habere nequeo, niſi illum ſagitta occidendo, fortè non licet mihi in conſcientia occidere, niſi vt dicam limitando dicta Panormitani. Quamuis etiam dici poſsit, hoc caſu, non eſſe contra legem Dei, aut naturæ occidere: quia quotidiè de licentia Principis mouentur arma pro temporalibus, quod fieri non poſſet, ſi eſſet contra legem Dei, vel naturæ. Ad motiuum in contrarium dici poſſet, quod rebus noſtris vita proximi eſt preferenda, quãtum in nobis eſt: vnde talia pro vita proximi deberemus exponere in neceſsitate: Si tamen ipſi ſint in cauſa ſuæ vitæ perdendæ iniuſtè inuadendo, imputetur eis. Vnde dico, quod eo caſu, pro rebus licet occidere, (nempè fugientem in equo meo, quem aliter habere nequeo) & quod occidens, aut mutilans Clericum, hac ratione, non incidit in excommunicationẽ, & ſi in irregularitatem.] Hactenus ibi. Quod autem idem ſentiat Syluester licere, in defenſionem honoris, quod in bonorum defenſionem, patet ex his, quæ in fine, *verſ. 9.* Scribit, dicẽs: [Vnde ſi licet percutere pro iactura rerum, à fortiori pro iniuria, vel iactura honoris.] Ergo ſecundum Syluestrum euidens eſt, licitum eſſe tàm bona temporalia, quàm honorem, occiſionè aggreſſoris defendere, etiamſi vitæ defenſio, cum inculpata illorum tutela, coniuncta non ſit, vt contingit, quando fugientem equo tuo ſagitta cõfodis, ad illum recuperandum. Ergo, vel apertè fallitur Baronius, dum aſſerit, veros Diui Thomæ diſcipulos non receſiſſe ab immoto ſui Magiſtri principio, aut Angelico præceptori falſam imponit, dum ait, ſecundum D. Thomam, occiſionem hominis à priuato factam nunquam licere, niſi habeat vitæ defenſionem neceſſario coniunctam cum bonorum, & honoris, inculpata tutela.

5 Obijcies Vincentium Baronium *diſp. 13. ſect. 3. num. 38.* Iactare Syluestrum ab hac ſententia alienum eſſe. Reſpondeo, hanc eſſe Baronij fidem: Ego enim formalia omnia Syluestri verba adduxi. Expendat lector, quid Syluester ſentiat. Mihi ſufficiat adnotare Baronium fere nullum ex verbis Syluestri fideliter referre; & cum perveniſſet ad verba illa *fortè hoc mihi in conſcientia non licet.* Omiſit callidè reliqua, quibus, formidine expulſa, concedit eſſe licitum occidere fugientem tuo inſidentem equo, quem alia ratione recuperare nequeas. Inſuper limitationes, quas Syluester adhibuit ſententiæ Panormitani caſu, quo ab aliquo amplecteretur, finxit Baronius ſuæ ſententiæ Syluestrum adhibuiſſe: En Syluestri verba. [Eſto autem, quod verum diceret Panormitanus; & ſic velis indiſtinctè tenere: Limita tamen prædicta dupliciter.] Ergo non cenſuit Syluester ſententiam ſuam eſſe limitandam, niſi ab eo, qui ſentiret verum eſſe dictum Panormitani, & ſic vellet ipſe indiſtinctè tenere. Imponit inſuper Syluestro, aliam appoſuiſſe conditionem rerum defenſioni, nimirum, [fieri non debere ex interuallo, ſed dum res ipſa actu aufertur.] Cùm tamen ipſe, non tantum dum actu aufertur, defendi poſſe, aſſerat; ſed etiam poſtea: *Dum res, inquit, ſubripitur, aut etiam dum ſubrepta aſportatur.* Ex quibus conſtat Baronium verba Syluestri truncaſſe, & infideliter retuliſſe, vt inde alienũ ab eius mente, & noſtra ſenſum eliceret. Eandem ſentẽtiam, vltra M. Bañez, M. Sotum. M. Syluestrum, & alios; defendunt M. Ludouicus Lopez, M. Corradus, M. Zanardus, M. Paulus de Blachis, M. Ioannes de la Cruz, qui teſtatur eſſe communem Thomiſtarum, dicens: *Ita, Syluester, Soto, Bañez, & Caietanus, & communiter cum D. Thoma 2. 2. q. 64. art. 7.* Recole horum authorum verba, quæ fideliter excerpta dedi, *1. part. Selectarum, tract. 6. diſp. 3. quæſt. 2.*

6 Denique, hanc ſententiam, abſque limitatione adhibita à Baronio, traditã fuiſſe, à D. Thoma ex Auguſt. in primo de libero arbitrio, inquit Caietanus *q. 64. citata, art. 7* His verbis. [Dicendum, quod quando quis non po-

poteſt aliter res ſuas (nempe honorem, & diuitias) defendere quin ſequatur ex defenſione occiſio invaſoris, licitè poteſt defendendo occidere illum. Et eſt ratio illa eadem, quæ aſſignatur in littera, quia ſcilicèt plus tenetur aliquis curam habere rerum ſuarum, quæ ſunt adminicula vitæ ſuæ, & virtutis, atque fœlicitatis, quàm alienæ vitæ.] Sic ille, & ſic plures ſuprà citati; & ita communiter Doctores, apud Sayrum *in Claui Regiam, lib. 7. cap. 10. num. 27.*

QVÆSTIO I.

An ſit licita compenſatio, quando debitum non eſt certum, ſed probabilem tantum?

1 QVANDO Debitum eſt certum, & creditor nequit aliter recuperare, quàm occultè retinendo, vel accipiendo rem debitoris eiuſdem æſtimationis, licitum eſſe occulta compenſatione vti, cum aliquibus conditionibus, eſt communis Doctorum ſententia. Conditiones autem ſunt, quæ ſequuntur. 1. Quod debitori nullum inde damnum ſpitituale, nec temporale immineat. Quod quidem vitabitur, ſi debitum de quo illi conſtet, ſimuletur remiſſum à creditore; ſic enim in poſterum non erit iniuſta retentio: & iterata ſolutio non ſequetur. 2 Vt vitetur damnum alterius proximi; cui furto forſan tribuetur id ipſum, quod creditor incompenſationem accepit. Quod quidem damnum ex charitate tenetur creditor vitare, ſi abſque graui ſui incommodo, debitum poſsit aliter recuperare. 3. Quod nec petendo à debitore, nec coram iudice, niſi magnis expēſis, litibus, & moleſtijs, ſolutionem debiti obtinere poſsit. Hæc tamen conditio non eſt adeò neceſſaria, vt ea deficiente ſit læthalis recompenſatio, dummodo abſque vllo ſcandalo, & rixa non plus accipias ex bonis alterius, quàm tibi debetur; quia nec iudici grauis iniuria infertur, nec debitori: Vt docet Villalobos *in Sum. tract. 11. dub. 23. num. 7.* & cum Maldero, & Ioanne Valero, tenet Diana *part. 2. tract. 2. Miſc. reſ. 48.* & cum Machado, & Trullench. eam retinet, *part. 7. tract. 10. reſ. 17.* Quibus conſentit Cardinali de Lugo *tom. 1. de iuſt. diſp. 16. ſect. 5. num. 91. & 92.* Dummodo debitor non grauatur ex compenſatione, ſed fiat in re aliqua, ſiue eiuſdem ſit ſpeciei, ſiue diuerſæ ab ea, quàm debet; quàm tamen ipſe facile poſsit pecunia debita emere: alias illum cogeret ad vendēdum invite rem, quam forte pluris æſtimat, quàm alij communiter; vel quam ſimilem nequit, niſi augmēto pretij, ab alijs emere; in quo caſu peccaret, contra iuſtitiam commutatiuam, ſi per iudicem facilè poſſet debitum ſuum recuperare. Si cum Vazquez *de reſtit. cap 5. §. 1. dub 9. num. 53.* Lugo, & alijs, Doctor Garſi *cent. 2. cap. 62.* His poſitis.

2 Grauis difficultas reſtat; An quando debitum eſt probabile, idem liceat, ac quando certum? Ratio dubitandi eſt: Nam quãdo opiniones verſantur circa ius; ſequi iudex poteſt opinionem probabilem, relicta probabiliori, & iuxta illam, cui maluerit rem adiudicare: Iudex autem non eſt Dominus rei, nec vlli partium pro ſuo arbitratu ius ad illam confert, ſed declarat huic competere; quia ius probabile ei fauet. Si ergo id poteſt Iudex; ideò eſt, quia res ab altero poſſeſſa iſti debetur, aliàs non poſſet illam ei adiudicare: ſententia enim ſupponit rem deberi ſaltem probabiliter. Ergo ſiquis ex eodem fundamento rem ſibi competere, ex opinione probabili, iudicaret; nullum parti contrariæ præiudicium in compenſatione faceret: maximè ſi non proprio iudicio fiſus, ſed Doctorum authoritate ductus id ſentiret. Ergo in re adiudicanda, ſeu in occulta compenſatione, ſolum interuenire[t] inverſio ordinis iudicialis; in qua culpa mortalis, contra iuſtitiā ſaltem, non interuenit; vt ſuprà diximus. Ergo, qui hac opinione ſuppoſita, quoad iudices, ex illa per legitimam conſequentiam deduceret, ſecluſo ſcandalo, ſibi licere propria authoritate, quod iudex poſſet ex publica, poterit iudicio vltimo moraliter certo iudicare, licitam ſibi eſſe occultam compenſationem, nec teneri, licet facilè poſsit, coram iudice litigare, nec ſe exponere periculo, quod ratione poſſeſsionis, (quàm in dubijs tantum, non in probabilibus attendi debere obſeruat Thomas Sanchez *libr. 2. de Matr. diſp. 41. num. 30.*) parti contrariæ, non maiori, ſed minori forſan probabilitate litiganti, rem per ſententiam iudex applicet; ſe ipſum applicans opinioni, quæ in cauſis ciuilibus, iudici concedit vſum opinionis probabilis circa ius, relicta probabiliori. Et ſaltem ſi non poſsidenti probabilior opinio circa ius faueat, communis Doctorum ſententia eſt, poſſe iudicem, alterum ſpoliare, & illi adiudicare. Ergo in hoc ſaltem euentu, ex opinione probabiliori, abſque certitudine, & euidentia, licita erit occulta compenſatio.

3 Quæſtio ergo præſens eſt. An quando ex concurſo duplicis opinionis probabilis, alter licitè retinet, alter verò licitè poteſt coram iudice petere: & rē ſibi adiudicari poſſe à iudice, ex opinione probabili, vel probabiliori ipſi fauenti, probabile ſit; poſsit ipſe occultè ſibi compenſare, eandem rem, vel illius pretium accipiendo? Partem negatiuã tenent communiter Doctores, quia vnam

ex

ex conditionibus requiſitis ad iuſtam compenſationem dicunt eſſe, quod debitum ſit liquidum; ideſt, quod de illo conſtet certò, & euidenter; aut ſaltem, quod per ſententiam Iudicis, ſit declaratum ad illum pertinere. Sic P. Vazquez *opuſc. de reſt. cap.6. §.3. dub. 5. num.83.* P. Molina *tom.3. diſp.169. num.1.* Suarez *lib.5. de legibus; cap.18. num.20.* Thomas Sanchez *lib.6. in decal. cap.3. num. 7.* Leſsius *lib.2. de iuſt. cap.12. num.58.* Dicaſtillo, Petrus à Sancto Ioſeph, Caſpenſis, Trullench, Machado, Hurtado, Palaus, Laymā, & alij, quos refert Diana *part.7. tract.10. reſ.16. & part.9. tract.9. reſ.44.* Et vſque ad hæc tempora id ſupponebant potius, quàm diſputabant Authores.

4 Verùm pro parte contraria grauis vrget difficultas. Primo: quia ſecundum opinionem grauiſsimorum Theologorum, quos citaui 1. *part. Select. tract.1. q.7.* Quando eſt vtrique probabile ius, vni non ſatisfaciendi pecunia, alteri, vt in ea illi ſatisfiat (vt in compenſatione famæ contingit) infamatum poſſe probabili ſua opinione ductum occulta compenſatione recuperare pecuniam, quæ iuſtè à iudice illi adiudicari poſſet, docent P. Leſsius *lib.2. cap.11. num 25. in fine,* P. Molina *tom.5. diſp.49 num.5.* Item Ledeſma, Ioannes de la Cruz, Tannerus, Aragon, & alij, quos refert, & ſequitur Diana *3. part. tract.5. Miſc. reſ.30.*

5 Secundò: quando teſtamentum eſt nullum ex defectu alicuius ſolemnitatis à iure requiſitæ, docent aliqui deberi in foro conſcientiæ legata in eo relicta; eſtque probabilis tantùm Doctorum opinio, contra plures. Vnde ſit non eſſe certum, & euidens hoc debitum, ſed probabile tantùm, & tamen legatarium poſſe ratione opinionis probabilis contrariæ ſibi fauentis, occulta compenſatione debitum hoc recuperare; tradunt P. Granado 12. *controu.7. de legibus, part.2. diſp.15. ſect.2 num.17* P. Molina *tom.1. diſp. 81 § Quod ſi hæc fuit,* P. Leſsius 2. *de iuſt. cap 19 dub.3. num.22* Quos refert, & ſequitur, Lugo, vbi ſuprà, & Doctor Garſi *cent.2. cap.65* Ergo ad occultam compenſationem debiti, ſufficit ius eſſe probabile, ſeu quod ſit opinio probabilis circa ius; ac proinde quoties fuerit opinio probabilis, rem ab alio poſſeſſam ad me pertinere, aut in his circunſtantijs mihi deberi, & poſſe licitè per iudicem applicari, licita erit mihi occulta compenſatio. Non facilè vitabis conſequentiam, ſi doctrinæ conſequentiam ſerues. Imò, nec facilè vitari poſſe, etiam conceſſo, iudicem teneri iudicare iuxta probabiliorem opinionem, ait Lugo *tom.1. de iuſt. diſp.16. ſect.5. num. 106.* [Imò non deerit, inquit, qui dicat, etiā tenenta ſententia, quod iudex debeat probabiliorem ſequi opinionem in iudicando, creditorem tamen ad id non obligari, ſed poſſe cum probabilitate proxima, quàm diximus, & concurrentibus alijs conditionibus, compenſatione occulta vti; quia id videntur probare exempla adducta, in quibus Doctores admittunt, licitam compenſationem: & quia ratio, ob quàm potiſsimè iudex id non poteſt, ea eſt, quia ex officio, & pacto implicito erga Rempublicam, videtur teneri ad inquirendam veritatem, quantum poſsit; quæ ratio in creditore non militat, qui nullo tali pacto erga Rempublicam tenetur. De hoc tamen nihil volo aſſerere, imò libenter abſtineo ab vltimo iudicio circa hoc totū punctū de cōpenſatione licitè faciēda, cū opinio ne ſolum probabili; quia licèt in caſibus particularibus Authores videantur id admittere, vt vidimus, in communi tamen, & dum quæſtionem in proprijs terminis tractant, videntur id communiter negare: à quibus non eſt in re practica facilè diſcedendum; quia fortaſſè aliquid illis occurrebat, quo argumenta noſtra ſuprà poſita poſſent diſſoluere.] Sic ille.

6 Tertiò: pupilli, & minores abſque authoritate tutoris contrahentes, ſi ex contractu ludi, vel alterius, abſque licentia tutoris, aliquid ſoluerint, poſſunt per occultā compenſationem illud recuperare, non obſtante opinione cōtraria aſſerente creditorem poſſe iuſtè retinere. Docet Laymam, & ſequitur Diana *part.3. tract.5. reſ. 44.* vbi ſic. [Dico tertiò, ſi pupillus, minores, & eorum nomine tutor, & curator rem aliquam indebitè ſolutam repetere velint, ſed propter conditionem aliquorum, qui cum ipſis contraxerunt, vel iudicis negligentiam, recuperare non poſsint, compenſationem aliquam, ſeu palam, ſiue occultè facere non prohibētur.] Ergo iuxta hos Doctores opinio probabilis ſufficit ad iuſtam compenſationem: Vnde ſi minor, (inquit Diana) non velit ſoluere; & ſi ſoluerit, creditor non velit reſtituere; poteſt confeſſarius ſecurè, nec minorem ad ſolutionem, nec creditorem ad reſtitutionem obligare.

7 Confirmatur: quia cauſa illa, quæ excuſſat à ſolutione debiti, excuſſare poteſt ab occulta compenſatione, ſi ex ignorantia ſolutum fuerit. Sed ſola probabilitas indebiti excuſat à ſolutione, ſecundum plures, quos citaui 1. *part. Select. tract.1. q.8.* Ergo huius opinionis certior factus, poterit, ſi ſoluerit, recuperare. Ergo ſola probabilitas, quod res ab altero poſſeſſa ad me pertineat, eſt mihi ſufficiens ad illam occultè recuperandam.

8 Denique huic ſententiæ facit authoritas grauiſsimorum Doctorum aſſerentium Re-

Regem ex opinione probabili circa ius, quod Regnum ab alio poſſeſſum ad ſe pertineat, poſſe bello, & armis recuperare. Quam tenet cum pluribus, quos refert Ioannes Sanchez *in Selectis, diſp.44.num.58.* apud quem Malderus, Victoria, Couarr. Filliucius, Peſſantius, & alij. Quibus adhærent Diana *2.p. tract.13. reſol.2.* Villalobos *tom.1. tract.1. diffic.17.* quam ſententiam, cum referant, non reprobant Palao *de conſc. diſp.2. punct.7.* Neque M.Candidus *diſq.27.num.6.* & ſaltem, ſi pro illo ſtet opinio probabilior circa ius ad Regnum, id poſſe Regem; docent Suarez, Valentia, & alij, quos ſequitur Granado *2.2 contr.3. de char. tract. 12. diſp.4. ſect.3. n.29.* Ergo, qui habuerit opinionem probabilem, (aut ſaltem, qui probabiliorem) circa ius ad aliquam rem, poterit occulta compẽſatione illam recuperare: Et potiori iure quam Rex, quia ille occultè compenſando, omne ſcandalum vitat, & nulli infert præiudicium; bellum autem eſt notorium, & pluribus valdè noxium. Ergo potior eſt ratio ad excuſandam occultam compenſationem, ex opinione probabili circa ius ad rem, quam ad excuſandum bellum; etſi in vtroque euentu neceſſario concedi debeat dari bellum iuſtum formaliter ex vtraque parte, materialiter verò iuſtum ex vna tantum. Quia vnus verus Dominus eſt, etſi nobis, quis ille, ignoretur, & de vtroque probabiliter affirmetur iudicio modali, v. g. *probabile eſt ius eſſe Petro ad hanc rem: probabile eſt, Ioanni ad eandem eſſe ius.*

9 Propter hæc Cardinalis de Lugo vbi ſuprà *tom.1. de iuſtit. diſput. 16. ſect. 5. num. 99.* in hanc ſententiam valdè inclinat, dicens: [Quando opiuio probabilis æquè, vel probabilior fauet creditori volenti facere compenſationem, quæ verſatur non circa factum, ſed circa ius, videtur probabile, quod poſsit creditor, antequam res ad iudicium deducatur; poſitis alijs conditionibus, ad licitam compenſationem ſuprà requiſitis, compenſare ſibi occultè ſuum debitum. Hanc concluſionem probare videntur argumenta, & exempla ſuprà adducta, in quibus exemplis authores ipſi compenſationem admittunt, cùm tamen in ijs præcedat ſolùm opinio probabilis, vt in compenſatione pecuniæ pro fama ablata, & in legatario, vel hærede ex teſtamento minus ſolemni, & ſimilibus.] Sic Lugo. Tametſi formidinem manifeſtet *num.106.* verbis ex illo ſupra datis. Sed abſolutè hanc ſententiam, viſis fundamentis ſuprà iactis, tenent P. D. Stephanus Spinula Congregationis Somaſchæ *opuſcul. de electione opinionis, diſp. vltim. ſect.7.* Doctor D. Garſi *cent.2. cap.65.* & putat probabilem P. Franciſcus de Lugo *in principijs Theologiæ Moralis, part. 1. cap.3. quæſt.13. num.100* & ſequitur Ioannes Sanchez *in Selectis, diſput.33. num. 42. & diſp: 43. num. 54.* quando probabilitas verſatur circa ius, vt contingit in caſu infamationis, & teſtamenti minus ſolemnis, de quibus ſupra.

10 Licèt autem ſuppoſitis teſtimonijs, & probationibus, formetur à viris doctis iudicium probabile, quod res tua ſit, contrariam ſententiam ſequitur Ioannes Sanchez *diſput.33. num.42. & diſput. 43. numer. 54. & diſput.44. numer. 53.* Quia hoc, inquit, eſt dubium opinionum facti, ſeu opinio probabilis circa factum, quod nomen opinionis non meretur. Addit verò *numer. 56.* aliquos viros doctos à ſe conſultos voluiſſe, probabilem etiam opinionem circa factum, ex probabilibus teſtimonijs ortam, ſufficere, vt poſsis authoritate priuata, ceſſante prorſus ſcandalo, non dum que re deducta ad forum contentioſum, accipere rem, quam probabiliter opinaris eſſe tuam, & illa poſidentem ſpoliare. Quibus ipſe non conſentit: Illorum verò ſententiam eſſe probabilem putat Franciſcus de Lugo vbi ſupra dicens: [Quod etiam mihi probabile videtur: quia poſſeſsio nititur proprietate, quæ ſolum eſt probabilis. Ergo non impedit vſum opinionis contrariæ probabilis. In praxi tamen non crederem, rem eſſe priuatim accipiendam, ſi iuridice peti poſsit, & expectari iudicis ſententia.] Ita ille, & conſentit Spinula vbi ſupra, ſuppoſito, quod ex opinione probabili facti, nempè quod res ſit tua, poſsis habere opinionem probabilem, quod tibi ſit ad iudicanda; adeò, vt verè tibi deberi, probabiliter opineris.

11 Cæterum hoc non eſt concedere compenſationem ex opinione probabili circa factũ, ſed ex alia, quæ verſatur circa ius. Ideòque in hoc ſenſu, idem dicedum eſſe, ac quãdo eſt opinio probabilis circa ius, benè docet Cardin. de Lugo ſupr. *n. 102.* Quia licet obiectum remotum opinionis ſit factum; obiectum verò proximum non eſt factum, ſed ius. Quia opinio Doctorum, inquit, in tali caſu & ſtante probatione allata, ſententiam iuxta iura, & leges, eſſe pro te ferẽdam, ſeu probationem tuam eſſe ſufficientem ad probandum plenè, non obſtante probatione ab aduerſario allata. Quod eſt idem, ac dicere in his circunſtantijs Doctores ſentire, ius parti reſultare ex probationibus facti; Ergo verè datur opinio probabilis circa ius, quando virtute probationis facti, Doctores aſſerunt rem tibi debere adiudicari, idque legibus eſſe conforme. Quia, vt docent Thomas Sanchez *lib.1. in decolog. cap. 9. num. 44.* Pater Salas *tom.1. in 1.2. tract.8. diſput. vnic. ſect. 12. num.15.* & alij, opinio verſatur circa ius,

quando ſunt Doctores probabiliter docentes in hoc caſu, iuxta legem, ſiue naturalem, ſiue poſitiuam pro me eſſe iudicandum. Doctores verò, quos Ioannes Sanchez *num.* 56. refert, ſola opinione probabili circa factum innixi compēſationem licere aſſerunt. Quorum opinioni vt probabili ſubſcripſit Franciſcus de Lugo, vt vidimus.

12 Cui à fortiori conſentient M. Serra 2.2. *quæſt.* 67. *artic.* 3. *dub.* 2. §. *Dicendum eſt ſeptimo.* Cuius verba dedi 1. *part. tom.* 1. *q.* 7. *num.* 12. dicens non eſſe improbabile poſſe iudicem, tam in cauſis ciuilibus, quàm criminalibus ſequi opinionem probabilem *ex parte iuris, aut facti, quàm maluerit, non ſolum ſi æquè probabilis ſit, ſed etiam ſi minus probabilis*, cui conſentit Fr. Leander à Murcia ibi citatus. Ergo ſimiliter poteris opinionem probabilem, ex argumentis probatiuis facti amplectens, occulta compenſatione vti, & recurſum ad iudicem relinquere.

13 Confirmatur, nam vt ait Thomas Sanchez *lib.* 2. *de Matrim. diſput.* 41. *numer.* 4. qui habet rationes probabiles, quod hora duodecima noctis non ſonuerit, (quæ eſt opinio probabilis circa factum) poteſt die craſtino communicare, licet comederit, vel biberit: ergo ex opinione circa factum reſultat opinio circa ius, cui ſe conformare licebit ad compenſationem, licet iudex, vt notat ipſe Sanctius vbi ſuprà, nequeat rem applicare, niſi probanti melius ſe ius ad illam habere. [Nam quantum ad hoc (inquit) non datur opinio, quæ oppoſitum doceat, vt benè docet Sayrus, & Salas.]

14 Roboratur deinde diſcurſus in fauorem compenſationis: quia nequit negari eſſe probabilem opinionem, quæ in prædictis caſibus illam licitam admittit: ergo licebit hanc opinionem ad praxim deducere. Hæc conſequentia conceditur à Patre Suarez de legibus *lib.* 5. *cap.* 18. *numer.* 20. & à Patre Sanchez *lib.* 6. *in decalog. cap.* 3. *num.* 7. & ab alijs, qui dicunt nullum poſſe priuata authoritate accipere ſibi rem, quam alter poſſidet, quamvis probabilius iudicet eſſe ſuam; poſſe tamen illam accipere, ſi habeat pro ſe opinionem dicentem fas eſſe poſſidentem ſpoliare. Atqui quando quis habet iudicium probabile circa factum, nempè quod res illa ſua ſit: & probationes, quas viris doctis exponit, tales ſunt, quod ipſi probabiliter eidem iudicent, datur opinio probabilis dicens fas eſſe propria authoritate poſſidentem ſpoliare, vt vidimus, poterit ergo illam accipere. Et ita expreſsè concedit Cardinalis de Lugo *diſput.* 16. *citata, ſect.* 5. *numer.* 97. vbi ſic [Quotieſcumque ergo probabilitas verſatur circa ipſam compenſationem, poſſum licitè compenſare occultè debitum ſequendo opinionem aliquam probabilem, quæ dicat non ſolum rem eſſe meam, ſed me poſſe licitè vti compenſatione: & quoad hoc omnes debemus conuenire.]

§. Vnicus.

Iudicium authoris.

15 Qvando ex vtraque parte militat opinio probabilis, alia debitori, alia creditori fauēs: circa ius, vel circa factum ex cuius probationibus reſultat opinio probabilis docens iudicem poſſe rem actori applicare; non obſtātibus probationibus pro reo factis. Opinio media inter relatas, cum Iulio Mercoro 3. *p. Baſis art.* 12. mihi placet. Nimirum: quoties opinio vtrique parti fuerit probabilis, vel ſua cuique probabilior, vt frequenter evenit, licitam eſſe compenſationem, non in toto, ſed in medietate. Ratio eſt: quia quādo ius duorum ad eamdem rem eſt æquale; æquale debet eſſe vtriuſque emolumentum: in hoc enim nulli fit iniuria, nulluſque rationabiliter inuitus eſſe poteſt, cùm eadem ſit vtriuſque ſors, & vnuſquiſque exponatur eidem periculo amittendi partem ſibi re vera competentem, vel fortunæ lucrandi, quæ ad alium etiā pertinebat. Ergo iuſtitia, quæ æqualitatem amat, rem inter vtrumque diuidendam dictat.

16 Confirmatur: quia plus concedi debet, quando eſt opinio probabilis circa ius, ac quando eſt dubium; & minus quando eſt opinio probabilis, ac quando eſt certitudo. Sed in caſu dubij debiti, nihil poteſt creditor à poſſeſſore per compenſationem accipere: & in caſu certitudinis, poteſt totum: ergo in caſu opinionis probabilis, quæ inter dubiū, & certitudinem mediat, poterit medietatem accipere.

17 Vrgetur: quia nemo poteſt, per occultam compenſationem plus adquirere, quàm quod à iudice ei poteſt, poſt allegata, & probata, adiudicari; ſed iudicem, in caſu æqualitatis opinionis circa ius partium, non poſſe rem integram adiudicare, eſt opinio communis Theolog. quos citaui 1. *p. Select. q.* 7. *num.* 11. Quibus adde Patrem Suarez, Granado, Salas, Filliucium, Bordon, Oviedo, Amicum, Pallavicinum, Maſcareñas, Tannerum, Coninch, Fragoſum, Valdellum, Martinum Perez, quos citatos ſequitur P. Honoratus Fabri *dialog.* 2. *de probab.* & contrariam opinionem eſſe improbabilem dicit, & meritò P. Bardi *de conſc. cap.* 17. *num.* 10. idque Antonius Cella Dei apertè conuincit, *in opere de*

de recta doctrimorum part. 1. *libr.* 1. *quæſt.* 15. *à fol.* 142. *ad* 146. Quibus conſentit Pater Martinus Eſparça in Appendice ad quæſtionem de vſu licito opinionis probabilis, *artic.* 124. *in fine.* Ergo ſicut in caſu opinionis probabilis circa ius pro vtraque parte, nequit iudex, neque minus, neque æquè probabilem amplectens, cui voluerit rem integram adiudicare; ita nemo per occultam compenſationem poterit; ſed partem illam, quæ illi adiudicari poterat. Et in dubio facti, quãdo probationes ſunt æquales, debere rem, de qua eſt controverſia, inter partes diuidi, ſi ſit diuiſibilis: Tradunt Sayrus, & Salon, quos citatos ſequitur Pater Salas *tom.* 1. *in* 1. 2. *tract.* 8. *ſect.* 12. *num.* 118. addens: ita leges diſponere. Nempè *l.* & *hoc Tiberius, ff de hered. inſtitu. l. ſed,* & *ſi lege, §. Adeò in fine, ff. de peti. hæred. l. Titius, ff. ad Trebell. cum ſimilibus vt ait Burg. in dicto proœmio legum Tauri, n.* 401.

18 Huic opinioni diſſentiunt Doctores aſſerentes opiniones æquè probabiles circa ius, conſtituere dubium iuris: quia in dubio æquali; ad nil teneri bona fide poſſidentem, eſt communis Doctorum: imò nec in dubio inæquali, licèt magis inclinet, quod res ſit aliena; idem putant Vazquez, Bonacina, Salas, & Sanchez, Merolla, Caſtro Palao, Layman. Filliucius contra alios apud Dianam 2. *part. tract.* 1. *Miſcell. reſol.* 10. & 4. *part. tract.* 13. *reſolut.* 26. Cæterùm hoc tantùm eſt verum, in dubio negatiuo, & quando neutri parti poteſt intellectus aſſentire, ſecùs in dubio poſitiuo, quando vtramque partem probabilem eſſe cenſet. Regula enim illa, *in dubio melior eſt conditio poſſidentis*, in opinionibus locum non habet, vt docent Thomas Sanchez, Vazquez, Azor, Villalobos, & alij, quos citatos ſequitur Ioannes Sanchez *diſput.* 44. *numer.* 54. Et licet iudex cum æqualitate probationum nequeat poſſidentem ſpoliare, (vt ſuprà cum Ioanne Sanchez diximus) ad hoc ipſe cogitur ratione officij, quæ non cogit facientem compenſationem ratione opinionis probabilis de proprietate rei, & de licita compenſatione in his circunſtantijs: In hoc enim caſu nõ poteſt dici manere dubium circa licitum.

19 Ex dictis patet quàm vera ſit ſententia, quæ tamdiu, quoad iudices mihi arriſit, nempe in caſu opinionum contrariarum æque probabilium circa ius, teneri rem inter litigantes diuidere, ſi diuiſibilis ſit, vel ſi pretio æſtimabilis, dimidium valoris alteri; & alteri rem integram applicare: vel ſortibus litem dirimere, vel aliter partes componere: ſi verò ius vniuſpartis probabilius iudex cenſeret, communis Theologorum ſententia eſt, quod poſſit, & teneatur rem illi adiudicare, hac enim lege Princeps, & Reſpublica iuriſdictionem, iudicandi munus iudicibus commiſerunt. Et in dubio, ſeu opinione facti pro eo ferendam ſententiam, qui meliores probationes habuerit, ait cum Salon, & Sayro, Pater Salas vbi ſuprà, dicens iura ità diſponere. Quia ſicut bonorum diuiſio iure gentium ab initio fuit facta, ita & iudicibus facultas conceſſa, vt iuxta probabiliorẽ ipſis opinionem ſecundum ius, aut maiores probationes in dubio facti, in caſu litigij rem applicent. Quæ ſemel per ſententiam adiudicata, iure gentium, ſicut in prima diuiſione collata, verè manet ſub certò dominio partis, cui adiudicatur, nec adverſario ius vllum remanet ad compenſationem. Quia iudex certam iuriſdictionem habet ad rem applicandam, & certum illius dominium concedendum, iuxta maiorem ſuo iudicio probabilitatem circa ius. In quo omnes convenire debent. Si enim ſola certitudo opinionis circa ius, vel evidentes probationes circa factum pro altera parte illos ad ſententiam cogeret, omnes cauſæ eſſent amicorum, & aut pro libito poſſent, cui vellent, rem adiudicare; aut ſemper ad compoſitionem partium reneerentur. Et quidem cùm iudices ſint ſuperiores, & eorum ſententia vim præcepti involuat, ſi ſolùm poſſent præcipere rem certò iuſtam, & non ſufficeret; quod probabiliorem ſibi præcipiant, rarò ſubditi obedire tenentur; & tàm Reipublicæ, quàm Religionum recta gubernatio periret. Nulla verò partium priuata authoritate poteſt id efficere ad compenſationem; etſi probabiliorem ſibi opinionem fauere cenſeat. Hoc enim iudicium certum reddens dominium, quod probabilius antea erat, ſoli authoritati publicæ iure gentium reſeruatum eſt. Quia vnaquæque partium facilè ſibi ſuadet opinionem probabiliorem ſibi fauere.

20 Vnde fit quod ſi, re ad iudicem non delata, compenſatione occultà vtendum ſit, nequibit ad totum debitum extendi, ſed tantùm ad partem. Quia cùm nemo iudicis officium propria authoritate obire poſſit, nequit prudenter cenſere plus ſibi competere, quàm ius naturæ concedit, pro caſu quo pars contraria rem integram poteſt licitè virtute opinionis probabilis retinere. Applicatio enim rei integræ, virtute opinionis probabilioris, exigit ſententiam iudicis, qui exceſſum probabilitatis attendens, illam adiudicet. Cuius exceſſus iudicium iure gentium,

priuatæ perſonæ non committitur, alias omnes in propria cauſa forent iudices conſtituti. Sed ſicut ſolus iudex poteſt authoritate publica debitorem vi compelere ad ſolutionem debiti liquidi, ita ſolus poteſt opinione probabiliori innixus rem integram in caſu litis vni partium applicare, & dominium certum penes ipſam relinquere, niſi per iudicem ſuperiorem aliud diſponatur. Adnotat Ioannes Sanchez *in Selectis, diſput. 43. numer. 56.* poſſe contingere, quod iudex nequeat rem applicare, & tamen quis poſſit clam eam recuperare, v. gr. inquit, *ſi per ludum ad creditum fuerit lucratus.* Cæterum cùm ius ad illam non adquirat, vt dixi *diſp. 2. de Iuſto,* non aſſentior.

21 Hoc tamen non tollit, quod ſi debitum ſit liquidum, poſsis integrè compenſare ex bonis debitoris; conditionibus vt ſupra poſitis, obſeruatis: verb. grat. Poteris retinere pecuniam debitoris, quam ipſe alteri dono mittit, dum ab illo non fuerit acceptata, quia adhuc manet ſub dominio debitoris, & cum ius tibi ſit ad ſolutionem, iure tuo vteris, nec iniuſte quidquam facis; vt cum Vazquez, bene ait Lugo *diſput. 16. ſect. 6. num. 110.* verum peccabis, me iudice, contra charitatem, ſi commode, & abſque tui graui detrimento poſsis, rem dono Miſſam alteri tradere, & poſtea debitum recuperare. Quia ad vitandum graue damnum proximi cum commode poſſumus, lex charitatis omnes obligat. Itaque potiori iure dicendum, ſi res tibi traderetur ad ſoluendum alteri creditori, & in compenſationem retineres, cum gravi illius præiudicio: quod abſque tui incommodo vitares, ſi ille primò ſolveretur: ſecùs verò ſi prudenter timetes non recuperaturum aliter tuum debitum, vel non ſine dilatione tibi noxia, & magnis expenſis; quod eſt regulandum ſecundum leges charitatis.

QVÆSTIO II.

An fieri poſſit compenſatio cum præiudicio aliorum creditorum?

1 INter creditores, ſunt aliqui, quibus ratione hypothecæ, aut ex privilegio competit ius ad rem, licet tempore poſteriores ſint. Quærimus igitur, an creditor, cui nil debetur in actu proximo, quia bona debitoris omnibus debitis in ſufficientia debentur ex iure, & legibus Hiſpaniæ creditoribus alijs Hypothecarijs, & priuilegiatis, an inquam, talis debitor poſsit occultè ſibi compenſare; rem debitoris, quàm apud ſe habet retinendo?

2 Negant communiter Doctores, quos ſequitur Cardinalis de Lugo vbi infrà: affirmant verò Nauarrus, Homobonus, Fernandez, & alij, quos citatos ſequitur Diana *3. part. tractat. 5. Miſcell. reſol. 10. & 5. part. tract. 13. reſol. 79. & 7. part. tract. 10. reſol. 18.* Trulleneh *in decalog. tom. 2. lib. 7. cap. 4. num. 5.* Machado *tom. 1. lib. 2. part. 3. tract. 23. docum. 5. num. 9.* Comitolus *in reſponſionibus Moral. lib. 3. quæſt. 39.* vbi ſic. [Quando creditor rem debitoris apud ſe habet, tunc occulta compenſatione poteſt vti, licet ſint alij creditores anteriores.] Quem ſequitur Theophilus Raynadus, *cap. 2. part. 1. quæſt. 6.* vbi inquit. [Creditorem non ligari excommunicatione monitorij circa reſtitutionem: quia iudex Eccleſiaſticus intendit tantum obligare ad reſtituendum id, quod non poteſt retineri abſque peccato. At ſententia, quæ tradit talem poſſeſſorem in eo eventu non teneri in diſpendium ſuum gratificari anterioribus debitoris ſui creditoribus, ſed poſſe iuſtè retinere, quod è debitoris ſui rebus habet, eſt valdè probabilis, ac tuta.] Sic ille. Idem tenet M. Samuel Lublinus, *in ſumma caſuum, verb. Pecunia, numer. 17.* vt videre licet apud Dianam *in Additionibus, poſt tertiam partem.* Et non eſſe improbabile ſenſit M. Serra *2. 2. quæſt. 62. artic. 8. dub. 4. concluſ. 4.* vbi relata Gabrielis, ſententia *in 4. diſtinct. 15. q. 2. artic. 3. dub. 6.* dicentis, quod leges præfigentes ordinem reſtitutionis non obligant ante iudicis ſententiam. *Quia magis*, inquir Gabriel, *reſpiciunt forum iudiciale, quàm conſcientiæ.* Subnectit: *quæ ſententia mihi non videtur improbabilis. Sicut nec viſa eſt M. Ioanni Martinez de Prado, tom. 2. Theologiæ Moral. cap. 17. quæſt. 9. §. 2. numer. 16.* vbi invehitur contra Thomam Hurtado, eo quod rigidiùs contra illàm inſurgat. Quibus adde Iacobum Marchantium *in reſol. Paſtoral. ad decalog. cap. 7. quæſt. 9* vbi vt refert Diana *5. part. tractat. 13. reſol. 79.* Sic ait. [Ea, quæ Canoniſtæ diſputant, quinam iure priores ſint in reſtitutione, potiùs ad iudicis, quàm ad conſcientiæ forum ſpectare. Et licet hoc alij refellant; tamen quando non ex fraude, ſed bona fide debitor ſolvit aliquibus, etiam in iure poſterioribus, illi retinere poſſunt, & hic ſolvendo poteſt excuſari, quia non tenetur ſcire omnes iſtas leges, & ordinem, quem ſtatuunt: imò multi paſsim putant ſe in conſcientia ad talem ordinem non obligari conformiter opinioni Gabrielis ni ſi iudice decernente.] Ita Manchantius.

3 Con-

3 Confirmatur: quia leges iſtæ non magis obligant, quàm leges circa depoſitum: in quibus diſponitur, creditorem, etſi debitum ſit liquidiſsimum, non poſſe compenſationem ſibi facere, ſi res debitoris, quam apud ſe habet, ſit ei data in depoſitum: vt videre licet apud Lugo *de iuſtit.tom.1.diſp.16 ſect.5.num.89.* & apud Dianam *in Addit. ad 3.p. reſol.1.* & tamen has leges ſolùm procedere in foro externo, docent plures ibi: quos citaui *in opuſc.pro Ieſuitis, prop.9. num.3.* vbi id tenent Comitolus, Tannerus, Nauarrus, Leſſius, Petrus de Nauarra, Fauſtus, Naldus, Villalobos, Sylveſter, Salon, Trullench, Corradus, & alij Ergo idem dici poterit de legibus alijs Inſuper lege ſtatutum eſt; quod non fiat compenſatio ante tempus, in quo aliquid debetur, vt videre licet apud Lugo *diſput.16. ſect.5.num.93.verſ.Septima.* Et tamen hanc legem ſolùm procedere in foro externo, ait Lugo; ideòque in foro conſcientiæ poſſe creditorem compenſare ſibi ante tempus, pro debito futuro; duplici conditione poſsita; tenet ipſe cum Tannero, & Diana. Ergo idē dici poterit de alijs legibus, cùm omnes ad excuſandas lites, & ad rectam iuſtitiæ adminiſtrationem ordinantur.

4 Vrgetur: quia ſecundum Ioannem de la Cruz, Molinam, & alios, quos refert, & ſequitur Diana *p.3.tr.5.reſol.10. & p.5.tract.13.reſol 69.* creditor, cui contra ordinem iuris ſolutum eſt, poteſt retinere pecuniam ſibi ſolutam cū damno aliorum creditorum: Ergo qui illam apud ſe habebat, quando debitor mortuus eſt, poterit etiam retinere: quia non magis ad Hypotecarios pertinet in vno caſu, quàm in alio, cùm æquè ipſis maneat hypothecata.

5 Imò re benè inſpecta idem dici debet, licet res debitoris non ſit penes creditorem, ipſe verò poſsit occultè cōpenſationem ſibi facere. Idque ſuadet ratio nuper attacta, quia idē ius eſt creditoribus anterioribus, in vtraque eventu. Ergo ſi, illo non obſtante, poteſt vltimus creditor retinere cum damno aliorum, poterit ſimiliter accipere. Quia vt in tractatu de furto, docent communiter Doctores; retentio eſt acceptio continuata iniuſta. Ergo nec occulta, & voluntaria acceptio. Ergo in vtroque caſu idem eſt dicendum. Idque evincere videtur ratio: qua in primo caſu vtitur M.Samuel Lublinus apud Dianā *in Addit.reſ.8.* [Neque enim, inquit, æquum eſſe videtur, te rem tuā amittere, cum illam poſsis recuperare.] Sic ille, cui facit Machado *tom.1.lib.2.p.3.tr.28.doc.5.n.9.* vbi ſic. [Es, pues, grauemente dudoſo, ſi eſta compēſacion ſe pueda hazer en el foro de la conciencia liciramente, aunque ſea cō perjuizio de otros acreedores anteriores. Muchos hōbres doctos han ſentido q̄ no; porque el deudor en tal caſo tenia obligacion de pagar primero à los otros; con q̄ viene a ſer, que el acreedor, q̄ haze la compenſacion, ſe viene à quedar por eſte modo cō la coſa obligada à otro. Pero es probable lo contrario; porq̄ no ay ley que tal diſponga en la compenſacion, ni el acreedor eſta obligado a mirar por el bien de los demàs acreedores; de manera, q̄ aya de ſoltar de las manos, teniendo en ellas con q̄ hazerſe pagado.] Et conſequentiam eſſe legitimam ex vno caſu ad alterū ait Lugo ſup.*n.*127. [Quod tamen, inquit, prædicti authores nō admittunt.] Sed quidem ego apud eos non invenio negatum, licet dum de hac re diſputant, addant in exemplum, non (vt reor) taxatiuè, ſed demonſtratiuè, primum caſum, propter maiorem illam difficultatem non recuperandi debitum; cū debitoris rem præ manibus habet. Hæc autē maior difficultas excuſare nequit ab illius retentione, ſi rē vera alteri eſt res debita ex iuſtitia, vt ex terminis patet. Ergo in vtroque evētu ſiue apud ſe habeat rem debitoris, ſiue occultè abſque vllo ſcandalo poſsit eam, ex eius bonis accipere, idem prorſus dicendum eſt.

6 Nota Dianam in tertia tantùm parte *tr.5.reſol.*10. limitaſſe ſuam ſententiam, dicens. [Non eſſe intelligendum, quando anteriores creditores habent hypothecam.] In reliquis verò locis; vbi poſtea rem tetigit, hac limitatione non habita, illam tenet. Nec Doctores, quos refert, adhibent. Quod adnotat de alijs authoribus Comitolus apud Lugo *to.1.diſp.16.ſect.6.n.*127. vbi ſic. [Obijcit Comitolus pro ſua ſententia, nec leges, quæ de cōpēſatione agunt, nec authores, vel Summiſtas, quādo compenſationem permittunt diſtinguere vnquā inter debita anteriora, & poſteriora, ſed generaliter dicere, quod circa omne debitum liceat creditori compenſatione vti.]

7 Propter hæc; ſententiam præfatam nō omninò improbabilem eſſe cenſeo, contrariam tamen teneo; tùm, quia communis eſt Doctorum; tùm, quia leges humanæ, quæ non fundantur in præſumptione, ſed quæ ad rectam Reipublicæ adminiſtrationem ordinantur, verè obligant in conſcientia, vt cum alijs docet Vazquez *de reſtit. cap.11.dub.2. num.* 51. vbi ſic. [Quod ordo legibus ſtatutus ſit in conſcientia obſeruandus, docent & meritò Caietanus, Armilla, Sylveſter, Angelus, Medina, & cæteri Theologi citati.] Et paulò antea *num.*50. [ità enim expedit bono communi, vt quædam præferantur debita alijs, & hac lege omnes contrahunt, vt ſtatuta, & leges obſeruentur, & iuſta conditio eſt omnium contrahentium; & ſicut leges potuerunt auferre dominia

propter pacem,& bonum regimen Reipublicæ in præſcriptionibus, ita etiam poſſunt in reſtitutione facienda,cùm omnibus non poteſt ſatisfieri integrè,ordinē ſtatuere,vt priùs integrè vni,quam alijs ſatisfaciat. His enim quibus priùs ſolvendum eſt;ſecundum regulas prædictas,totum debitum, etiam cum detrimento aliorum,ſolvendum eſt.] Sic Vazquez,quin.47.dicit eſſe. [Secundum omniū ſententiam.] Leges autem aliàs, quibus vim obligandi in toto conſcientiæ negant authores;& ſolum pro foro externo procedere notant,vt quæ ſunt allegatæ circa depoſitum,& circa anticipationem compenſationis, fatentur tenētur in ſola præſumptione fundari. Dicere enim Principum ſecularium leges obligare non poſſe ad culpam, iam probaui eſſe errorem *in Selectis 1.p.tract.6. Miſc.diſp.4. q.3.num.31.*

8 Ex dictis infertur non incurrere excōmunicationem creditorem,qui iuxta opinionem probabilem, ſui debiti compenſationē fecerit: licet enim excommunicatio feratur in eos,qui de bonis talis perſonæ aliquid vſurpauerint. Solum fertur contra iniuſtè vſurpantes, ſeu iniuſtè retinentes, vt ſuprà ex Theophilo notauimus.Nec plus obligat præceptum poſitiuum Eccleſiaſticum,quàm naturale decalogi.Ergo cum ex hoc non tenearis reſtituere, nec ex illo eris adſtrictus. Sic Vazquez,Molina,& Leſsius,quos citatos ſequitur Lugo ſuprà *num.107.& 108.* Similiter ſi iudex ſub iuramento interrogaret retinentem,vel ſcientes,an retineret,vel ſcirent; poſſent æquiuocatione vtentes negare: quia de retentione illicita,& de huius noticia,intelligenda ſemper venit interrogatio iudicis,vt demonſtraui *1.p.Select.tr.2. diſp.1.q. 6.præcipuè §.4.* vbi ex communi Theologorum vſum æquiuocationis, & reſtrictionis mentalis,quando conveniens iudicetur, licitum eſſe demonſtraui. Vide ibi dicta.

9 Idem dicendum cenſeo de ſcientibus compenſationem iuſtè factam, nam ſicur excommunicatio ſolum legat iuſtè retinentes, ita ſolum comprehendit ſcientes iniuſtè retineri.Nec dici poteſt iudicem præcipere ſub excommunicatione ad pœnam vſurpanti per compenſationem imponendam, quia pœna nequit imponi innocenti, ſeu iuſtè accipienti,& retinenti. Adde quod ſi fortè creditor coudemnaretur ad pœnam, propter compēſationem occultè factam, non teneretur ſoluere,quia ſententia iudicis fundatur in præſumptione iniuſtitiæ,& indebitæ compenſationis. Qualis,vt ponimus, non eſt,

QVÆSTIO III.

Quando poſſint famuli occulta compenſatione vti.

1 Res iſta nec adeò laxanda, vt bonorum iacturam domini patiantur,nec adeò reſtringenda,vt famuli ex conſcientia erronea miſere viuentes, miſere etiam pereant.

2 Certiſsimum eſt occulta compenſatione famulos vti non poſſe, niſi caſu quo iuſtū ſtipendiū,ad quod illis ius eſt, à dominis non ſolvatur. Quod autem ſit iuſtum,& quod infra iuſtum:hoc opus, hic labor eſt. Corduba *in ſum.q.111.& in Quæſtionario lib. 1.q.35.* ait,iuſtum pretium debitum pro ſeruitio famulatus ſumendum arbitrio prudentis, cōſiderata conſuetudine terræ, genere ſervitij, & tempore.Cui conſentiunt cōmuniter Doctores,quos ſequitur Nauarrus *in ſum. Latin. cap.108.* Addunt verò duo iſti authores, iuſtum pretium videri taxandum,ſecundū qualitatem officij:vnde,inquiunt,ſequitur;quod viri nobiles,qui accipiunt Æconomos,emptores,& alios eiuſmodi miniſtros, teneri eis date victum,& veſtitum honeſtum, vel pretium,quo illa ſibi comparent. Ex quo infertur famulos poſſe in compenſationem famulatus accipere defectum pretij,ſi domini non ita continuo ſervitio heri aſsiſterent, quin poſsint aliunde ſua induſtria ad victum moderatum,& veſtitum decentem, iuxta qualitatem officij comparare. Hæc, iure naturæ attento,videtur eſſe debere regula ad iuſtum famulatus pretium taxandum, & compenſandum.

3 Cæterùm eum frequenter ex alijs circunſtantijs taxetur; operæ pretium erit, diuerſorum famulatuum genera proponere,vt inde tàm heri, quàm famuli ſuæ obligationis conſcij,neque illi deficiant a iuſtitia,minus iuſto ſolventes, nec iſti,ſuo arbitrio, in compenſationem debiti occultè accipientes: nec enim facilè credendum famulis de minùs iuſto ſtipendio illis collato quæritantibus, vt notant communiter Doctores.

4 Sunt enim plures famuli exiguo ſtipendio contenti,eo quod aliunde habeant ex patrimonio, quo decenter degant; volunt tamen per famularum dominorum gratiam obtinere ad officia,aut beneficia, ab ipſis,vel eorum intereeſsione comparanda. Ad quæ Dominus nullam ex iuſtitia obligationem contrahit, idque famulis notum eſt: ſolum enim ex æquitate, & gratitudine, obligati manent.Cui ſi non ſatiſfaciant, nullum eſt huiuſmodi famulis compēſationis ius: quia, vt in confeſſo eſt apud omnes,locum hæc nō habet

habet niſi indebitis ex iuſtitia. Sic ſe habere ſolent, qui Eminentiſ. Cardinalibus, Illuſtriſ. Epiſcopis, & magnatibus inſeruiunt. Sunt quem innumeri ad hæc ſe offerentes, & ſolicitè quærentes: Ideòque, præ copia ſaltem eorum, ſicut merces vltroneæ pluris non æſtimantur, nec ipſi tàm pretio, quam ſpei; de commodis poſtea adquirendis attendunt.

5 Ideò mihi non placet ſententia Doctoris Garſi *cent.* 2. *fol.* 587. *num.* 19. & 20. Vbi ſecus cum alijs diſcurrit. [Quando famulus (inquit) nihil petit ſtipendij; imò expreſsè reſpuit in ſuo corde omnem intentionem petendi; & ſeruit ſperans à Domino in quod officium, vel beneficium ſibi procurandum; quando Dominus id procurauerit, vt ſi nihil obtinuerit, non poteſt quidquam, vel petere, vel compenſare; ſi verò Dominus nihil procurauerit, quia vitandæ labis ſimoniacæ cauſa, procurare noluit, aut ob aliàs cauſas, poteſt petere ſtipendium more patriæ conſuetum, & ſi non det, licitè ſibi conſulet honeſta compenſatione: Ita Leſsius *cap. illo* 24. *dub.* 4. *num.* 26. *propè finem.* Prima pars probatur. Quia Dominus iam adhibuit ſolicitationem, vel procurationem officij, vel beneficij, intuitu cuius, ipſe famulabatur, &c. Secundà pars probatur. Quia, & ſi habuerit intentionem non petendi quidquam; tamen cum ea intentio non ſit votum, per eam non ademit ſibi poteſtatem acquirendi id, ad quod ius habet: vt patet in beneficiato, qui quamuis habeat animum alendi ſe ex ſuo patrimonio, & expreſsè renuerit alimenta ſumere ex bonis Eccleſiæ; in corde ſuo; tamen poteſt compenſare, quæ inſumpſit in ſe alendo, ex redditibus Eccleſiaſticis. Vt docent Leſsius *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 6. *num.* 38. Et Lugo de iuſtitia, *diſp.* 4. *ſect.* 3. *num.* 45. [Hactenus Doctor Garſi. Cuius ſententia mihi non placet, quia ſpes, quàm famuli concipiunt de officio, vel beneficio procurando, non inducit in Domino obligationem vllam procurandi ex iuſtitia, vt patet. Nec ipſe vult habere famulos inſeruientes propter ſtipendium, ſed eos tantum, (quorum magna eſt copia) qui ſpetantum obtinendi officium, vel beneficium in gratitudinem conferendū famulantur. Aliàs Prælati ex contractu iuſtitiæ tenerentur, vel ad collationem beneficij Eccleſiaſtici, vel ad ſtipendium, quod à labe ſimoniæ ego non eluerem, & cum iuſtitiæ ius extingui nequeat collatione beneficij, (haberet enim rationem pretij, & ſolutionis,) poſſet famulus beneficio obtento, ſtipendium petere coram iudice, vel occultè ſibi compenſare. Quod nemo dicere audebit.

6 Alij autem ſunt famuli, qui non ſpe obtinendi officium, vel beneficium, ſuam operam locant, ſed propter ſtipendium: Sed quidem diminuto pretio, attentis labore, aſſiſtētia, & qualitate negotij, inſeruiunt; quod licet ad victum, & decentem veſtitum ſufficiat, maius tamen pretium eorum opera meretur; ad illudque comparandum, ex communi tàm ipſorum, quàm dominorum tacito conſenſu; & quaſi implicito pacto inſeruiunt. In hoc igitur caſu, Dominus ex iuſtitia manet adſtrictus ad defectum iuſti pretij, alia via ſupplendum; Illud autem iuſtum eſt reputandum, quod in communi æſtimatione tale reputatur. Sic (vt audio) ſe habent, qui mercatoribus inſeruiunt, quibus licet nil pacto explicito conuentum ſit, ſupplendus tamen erit defectus pretij, quod vltra victum, & veſtitum illis debetur; aliter ius ipſis erit ad occultam compenſationem ſalarij debiti; vt fuerit in more apud alios timoratæ conſcientiæ mercatores; qui ex pacto explicitò eiuſmodi famulatui pretium debitum taxent.

7 Maior eſt difficultas, quando aliquis famulus neceſsitate coactus, non inueniens cui inſeruire poſsit, diminuto ſtipendio conſentit; quia licet Dominus famulatu indigeat, tamen quia videt eum ſe offerentem, & præ neceſsitate non diſſenſurum, non vult pretio, quod in vſu eſt, illum conducere, ſed viliori: In hoc igitur caſu, Nauarrus *vbi ſuprà, num.* 118. Inquit, & benè, Dominum teneri defectum pretij iuſti famulo reſtituere; & ita etiam docent P. Vazquez *opuſc. de reſtit. cap.* 5. §. 1. *dub.* 10. *num.* 61. Et idem ſentiunt P. Tamburinus *de Sacrif. Miſſæ, lib.* 3. *cap.* 1. §. 3. *num.* 59. Molina *de iuſt. diſp.* 505. *num.* 2. & 3. & Ioſeph, Garſi *cent.* 2. *cap.* 74. *num.* 11. Licet enim iſti Auth res ſolum videantur loquuti, quando non inueniatur alius famulus, qui illo pretio inſeruiret; tamen cum res practica ſit, & ex communiter contingentibus decidenda, iudicandum eſt alium non inueniendum, niſi pretio, quod in loco illo eſt in vſu. Imò, & ſi fortè vnus, vel alter ſimili neceſsitate oppreſſus pro vili pretio famulatum ſuum vendat; tamen, cum apud omnes, pluris æſtimatur, cenſeri debet infimum prætium non attingere; ac proinde Dominus tenebitur defectū ſupplere. Quod ſi omiſerit, poterit famulus in compēſationem debiti accipere, quantum ad iuſtum cōplendum defecerit. Dominus enim volens conducere famulum, non poteſt ob eius neceſsitatem minuere de pretio iuſto, quia huius neceſsitas non facit iuſtum, quod aliàs iniuſtum eſſet, ſicut neceſsitas petentis mutuum, non efficit iuſtas vſuras, ſeu pretium, quod mutuans ſuprà ſortem exigit: quia licet poſsit iſtè non mutuare, non tamen poteſt, pro redemptione neceſsitatis alterius, ali-

aliquid lucri reportare, ſed pretij iuſtitiam ſeruare tenetur, iuxta naturam contractus; non aliter ac ſi ipſe ad mutuandum alteri ſe inuitaret. Ergo licet famulus neceſsitate oppreſſus roget, nequit herus pretium minus iuſto pro famulatu offerre: ni forſan famulo non indigeret; quia in tali euentu, quod ei elargiretur, eleemoſina potiùs quàm famulatus ſalarium reputaretur; ideòque, non ad pretium, quo alij inſeruiunt attendi debet, vt per ſe notum eſt.

8 Si verò tot eſſent famulatum offerentes, quod apud omnes præ illorum copia, vt merces vltroneæ vileſceret; iuſtum illius pretium lõgè minus eſſet, quàm ſi Domini quærerent, aut rogarent. Ideòque iuxta morem patriæ ſalarium tribuendum eſt, & illud iuſtum reputabitur, quo frequenter conduci ſolent. Vnde qui illo vitam degere non poſſunt, & aliunde non habent quo ſuæ familiæ, vxori, & filiis neceſſaria ad victum, & veſtitum ſuppeditet; nequeunt hoc prætextu ſuum famulatum maiori pretio dignum cenſere; & conſequenter, nec occulta compenſatione vti; ſed debent Domino id notum efficere, vt vel ſtipendium miſericorditer augeat, vel ſi nolit, alium herum quærere, aut alteri officio incumbere, quod ad ſuſtendandam ſuam familiam ſufficiat. Nec enim Dominus tenetur illum maiori, quam aliorum pretio conducere.

9 Eſt tamen aduertendum, quod ſi famulo ad vnum munus obeundum, eõdicto pretio ex pacto admiſſo, aliud ſuperadderetur, quod alius famulus ſubire ſolebat, vel cui alium conducere opus eſſet, maius ipſi ſtipendium correſpondere debeat. Quod iudicio prudentis, iuxta officij qualitatem, & laborem, penſandum erit; ſic cum Dicaſtillo Garſi *cent. 2. cap 74. num. 17.* Et ſaltem dimidium ſalarij, quod alteri famulo conferri debuiſſet, illi augendum cenſerem; imò, & integrum ferè, ſi in illa tantum occupatione alius inſeruiret; Sed quia multitudo famulorum, ad honorem etiam domus, deſeruit, & ex hoc motiuo magis, quàm ex neceſsitate muneris, conduci ſoleant, ideò prudentis confeſſarij, vel Theologi iudicio, ſtipendij augendi quantitas remittenda eſt.

10 Pulcrum hic dubium annectere placuit, ex Card. de Lugo *tom. de iuſtit. diſp. 16. ſect. 4. num. 82.* An ſcilicèt famulus Principis, cui vltra ſtipendium datur ordeum neceſſarium pro equo, poſsit ordeum accipere, non habendo equum, & conſequenter occultam, etiam ordei compenſationem facere, vt ſibi ex iuſtitia debiti? Cui dubio ipſe ſic ſatiſfacit [Reſponſum fuit à multis Magiſtris Salmanticenſibus affirmatiuè, quia non videtur dari ordeum cum obligatione habendi equum; ſed, vt poſsit habere. Quod mihi arridet, & ſatis probat exemplum, quo id ipſum confirmatur. Cui enim datur portio panis, & vini pro ſe, & pro vno famulo, poteſt illam accipere, licet famulum non habeat. Hoc eſt illius ſalarium à Principe honorificè oblatum, & ex obligatione conferendum, libera illius diſpoſitio famulis relicta, vt vbique gentium eſt in vſu.] Probabilis quidem ſententia, dũ ex defectu equi muneri ſuo non deficiat.

11 Denique eſt in hoc loco aduertendum, frequentes eſſe compenſationes, apud ſartores de fragmentis veſtium; imò, & quãdoque plures exigentes ſericas vlnas, quàm ſint ad veſtes neceſſariæ. Vnde cum ad confeſsiones accedunt, docti etiam confeſſarij ſcrupulis ad abſolutionem vexantur, quia nec emendæ ſpem poſſunt concipere, nec abſolutionem, ne in deſperationem inducant, negare audent, P. Thomas Sanchez *lib. 1. conſil. cap. 7. dub. 2. num. 4.* Quem citatum ſequitur Cardinalis de Lugo *ſup. num. 84.* Cenſent in his fidem dari poſſe ſartoribus timoratæ conſcientiæ, qui teſtantur communiter minus iuſto pretiũ illis ſolvi pro factura veſtiũ; Ideòque, ex his fragmentis, quãuis alicuius valoris, ſibi compenſant; illorum enim retentione completur iuſtum pretium, quod illis conferri debuiſſet. Imò, vt benè ait Lugo *ſuprà* contra Sanchez, non ſolum ſartores Magiſtri licitè ſibi hac ratione cõpenſant, ſed officiales ipſorum; nam ſicut Domini veſtium ſoluunt pretium minus iuſto, eo quod ſciant ſartores Magiſtros retinere fragmenta, ita etiam Magiſtri officialibus minus iuſto pretium ſoluunt, ſcientes ipſos fragmenta aliqua, quæ Magiſtro eſſent reddenda, ſibi retinere. Imò, vt non ſemel audiui, ſi cum officialibus non raro paciſcuntur, quod, dum in nullum Dominorum veſtium damnum, cedat, damnari non debet; nec poteſt, iuſtificato Magiſtri iure ad retentionem: ſi enim iſte iniuriam Domino non facit in his, quæ ſuperſunt, quia in compenſationem debiti accipit; nec officiales ipſi iniuriam facient, cùm idem ipſis contra Magiſtrum ius aſsiſtat: qui ſi velit, vt nihil retineant, poterit ſtipendium, prout opus mereatur, augere. Nec enim facilè officiales illum decipient. Vti nec Magiſtr veſtium Dominos.

12 In vno tamen omnes fere peccare credo, quod à concionatoribus, & Theologis reprehendi, & damnari oporteret; nimirum quod pretium iuſtum facturæ veſtium taxatur, non prout ad victum, & veſtitum ſartorum, & huius artis profeſſores oporteret, ſed prout ad equites, & viros nobiles Ciuitatis, qui ex reditibus maioratuum aluntur. Ideò-

Digitized by Google

Ideòque peritus confeſſarius, vt ſartoribus timoratæ conſcientiæ fidem adhibeat, inquirere, tenetur, quantum ſtipendium ſingulis diebus labore ſuo comparet, vt ex hoc colligere poſſit, an pretium ſit iuſtum, an non. Fortè enim minus iuſto ipſi reputant, quia non ſufficit advictum, & veſtitum reprehenſibiles, & qui legibus Principis ſub rigurosa pœna prohiberi debuiſſent, vt viri prudentes eſt timorati deſiderant.

QVÆSTIO IV.

Vtrum meretrix, quæ obturpem ſui corporis vſum, accepit à Religioſo quantitatem notabilem, teneatur reſtituere?

1 IN hac quæſtione diuiſi ſunt Authores. Partem affirmatiuam tuentur qui Religioſum contra iuſtitiam, & paupertatem peccare cenſent. Ita cum D. Antonino, Syluestro, Molina, Manuel Rodriguez, Nauarra, Sayro, & alijs P. Thomas Sanchez *in ſumm. lib. 7. cap. 19. num. 30.* Dicaſtillo *de iuſtit. & iure, lib. 2. tract. 2. diſp. 6.* Rocafful *in praxi, lib. 1. de ſeptimo præcepto, cap. 2. n. 76.* & alij, apud Salas, *tract. de ludo, dub. 21.*

2 Verùm contraria ſententia eſt probabilior, quam tuentur M. Banez 2. 2. *quæſt. 62. art. 5. dub. 5. verſ. Advertendum eſt. M. Ludouicus Lopez, lib. 2. de contract. cap. 40. verſ. An autem Religioſus.* D. Antonius, Sylveſter Turrecremata, Azor, & Leſsius, apud Sanchez, *ſup. num. 20.* Quotum ſententiam probabilem cenſet Card. de Lugo, *tomo de iuſtit. diſp. 3. ſect. 7. num. 145.* & ſequuntur P. Salas, *ſup. num. 4.* & apud illum Angles, Medina, Alcozer, & Rebellus, Machado *de perfecto confeſſ. tom. 2. lib. 5. part. 2. docum. 11. num. 3.* Ioannes Franciſcus Suarez *in Enchiridio, lib. 3. de voto paupertatis.* P. Pellizarius, *tract. de Mon. cap. 4. ſect. 1. num. 74.* Marcus Vidal. *in Arca, Theolog. Mor. titulo de paupert. Religioſ. Inquiſ. vnica, num. 22. & 23.* Doctor Garſi *cent. 1. cap. 77.* & probabilem putat Diana 3. *part. tract. 2. verſ. Nota tertio reſ. 65. & 98.* & Leander à Murcia, *tom. 2. diſquiſit. lib. 4. diſp 11. num. 13.*

3 Ad huius ſententiæ probationem ſupponendum eſt. Superiorem dupliciter poſſe, licentiam expendendi Religioſo concedere, vel in genere, vel in ſpecie, & non aliter. In genere concedit, quando, nulla determinata ſpecie, concedit facultatem ad vſum pecuniæ, quæ quidem conceſsio hoc vnum operatur, quod vſus non ſit contra iuſtitiam, & vt communis ait opinio, nec contra votum paupertatis, licet ex alio capite poſsit intervenire malitia contra alias virtutes, quam ſuperior abeſſe deſiderat, concedit tamen licentiam ad vſum in genere; ne duplex interveniat peccatum, ſi ſubditus ex malitia, illicitè contra virtutem expendere eligat, iudicans prudenter minus eſſe malum vnum, quàm duo peccata committere, & ex negata licentia in genere, id probabilius timeri poſſe, quàm oppoſitum. Qui enim ſextum præceptum tranſgreſſurus eſt, non ideo à pretio cum meretrice in pactum deducto ſoluendo abſtinebit, licet votum etiam paupertatis, & peccatum cōtra iuſtitiam ſemel patrandum cognoſcat. Vnde fit, prudenter ſuperiores licentiam ad expendendum in genere cōcedere; licèt abuſum aliquando futurum præuideant, quia minus malum ex duobus eligendum eſt.

4 Hic modus concedendi licentiam in alijs materijs frequens eſt; vt bene notat Card. de Lugo, *ſup. n. 133.* diſpenſatus enim ad lacticinia in ieiunijs Quadrageſimæ, non peccat contra præceptum abſtinendi ab illis, ſi extra tempus prandij comedat; ſed ſolùm contra præceptum ieiunij: idque operatur diſpenſatio. Similiter conſanguineus diſpēſatus ad contrahendum cum conſanguinea, non committit inceſtum, licèt eam antè contractum cognoſcat, & diſpenſatus ad celebrandum in loco interdicto, licet in peccato mortali celebret; non peccat contra prohibitionem Eccleſiæ interdicentis; ſed contra alia præcepta; & ſic in alijs, quia per diſpenſationem ceſſat obligatio legis, in qua diſpenſatur, quamvis ex alio capite, vel ex alijs, actio illa malitiam vnam, vel plures contrahere poſsit: vt ſi quis emeret cibos noxios ſaluti peccaret quidem, contra temperantiam; non contra iuſtitiam, nec contra votum paupertatis, vt omnes affirmant. Itaque licentia ad expendendam pecuniam in magna quantitate, id ſolum operatur, vt in eius vſu, & tranſlatione dominij, peccatum contra iuſtitiam, & contra votum paupertatis non interveniat. Secùs contra alias virtutes.

5 Idque verum continet in Religioſis etiam Ordinis Minorum: quia licet, nec Cōuentus, nec particulares dominium habeāt, habent tamen ſuperiores bonorum adminiſtrationem, & ſubditi ex licentia ſuperiorum poſſunt expendere, ex facultate in genere obtenta; ſicut & alij regulares, vt bene docet Salas, *ſup. num. 6.* contra Alcozer, & Angles, quos ſequutus eſt Leander à Murcia, *tom. 2. diſquiſit. moral. diſp 11. num. 14.* Quamvis enim, vt ipſe exponit, dominium pecuniæ ſemper maneat apud deponentem in ſubſtituto, eius intentio non eſt tollere a ſuperiore poteſtatem concedendi ſubdito facultatem expendendi in genere aliquam quantitatem, nullam determinando ſpeciem, vnde idem

Digitized by Google

Nam operabitur licentia à Superiore Minorum conceſſa; quod quæ à Superioribus aliorum Ordinum;quia per accidens omnino eſt,quod dominium ſit penes communitates,vel penes alium:quando quidem, tàm in vno,quàm in altero caſu,ſuperior eſt adminiſtrator.

6 Tunc in ſpecie concedit ſuperior licentiam,quando cum limitatione, & reſtrictione ad vſum determinatum,& non aliter. Et in hoc eventu licentia ſolum operatur, quod non interveniat peccatum contra iuſtitiam,vel paupertatem in ſpecie ad quam conceditur,ſecus in alijs. Nam cùm ſuperior ſolùm intendat,quod nec iuſtitia, nec votū, huiuſmodi vſum determinatum impediant, ſecus alios, non eſt aliter philoſophandum, quàm ſi diſpenſante Pontifice cum Petro,vt cum Maria conſanguinea matrimonium contrahat, rem ipſe haberet cum Antonia affini:certiſſimum enim eſt,quod peccatum inceſtus committeret: quod ſecus eſſet ſi in genere,vt cum qualibet illarum contraheret,fuiſſet diſpenſatus,nam poſt electionem cuiuſvis ad matrimonium;inceſtus in copula illicita, cum illa non intervenieſſet. Hoc poſito.

7 Dico primò,ſi ſuperior,vt poteſt,concedat licentiam diſponendi de certa quantitate in genere, ſubditus expendens in rem turpem,vel in ludum prohibitum, non peccat contra iuſtitiam,nec contra votum paupertatis;nec meretrix,aut ludens,qui lucratus eſt,tenentur reſtituere;ratio eſt:quia Religioſus verè habet licentiam expendendi in genere,quam ſuperior validè,& licitè concedere poteſt; ideoque in expendendo nulla involuitur malitia,&ad rem de ſe indifferentem ad licitum, & illicitum vſum licentia terminatur; & in bonum ſubditis ſic conceditur ad vitandum maius malum,ne multiplex peccatum,ſi ad illicitum ſe determiner, contrahat; & in hoc ſenſu vera eſt ſecunda ſententia,iuxta quā meretrix excuſata prorſus eſt à reſtitutione pecuniæ,quæ ante, vel poſt copulam à Religioſo fuerit illi donata, ſicut & Religioſus expendens,à peccato cōtra iuſtitiam,& votum paupertatis, immunis,licèt contra caſtitatem, & caſtitatis votum delinquat.

8 Dico ſecundò, ſi ſuperior licentiam expendendi in genere negauerit, & expreſsè limitatam ad hanc,vel illam ſpeciem concedat,ſi in alios vſus ſubditus expendat,peccabit grauiter contra iuſtitiam,& votū paupertatis:quia abſque vlla ſuperioris licentia operatur,&quando in rem illicitam expendit,à nullo ſuperiore licentiam adhuc tacitam habere poteſt;ſic accepta prima ſententia mihi etiam omnino videtur: & ſic conciliantur Doctores vtriuſque ſententiæ,vtraque enim in hoc ſenſu verum continet,quia nec Doctores primæ negare poſſunt ſuperiori poteſtatem concedendi facultatem expendendi in genere, nec Doctores ſecundæ intendunt facultatem conceſſam ad expendendum in vna ſpecie determinata, & non aliter,excuſare à peccato contra iuſtitiam, & paupertatem,ſi expendat in alios vſus illicitos,imò neque in vſus licitos;ni aliundè licentia tacita Superioris maioris probabiliter adſit. Qua propter meretrix certior facta de iniuſtitia ſubditi non potentis transferre dominium,tenebitur pecuniam acceptam à Religioſo reſtituere?

9 Cæterum,vt benè ex Lugo tenet Garſia ſuprà,vt in plurimum de obligabitur reſtituere: tum quia,licèt prima donatio fuerit invalida in caſu limitatæ licentiæ, poterit tamen Subditus petere licentiam expreſſam ad vſus licitos, & mutato animo donare, quia pauper eſt,aut ob alium titulum honeſtum;tum quia ad hunc effectum tacita licentia àSuperioribus maioribus probabiliter præſumi poteſt,vt conſulatur honori, & famæ Religioſi, & Religionis, quæ periclitarentur,dum ageretur de reſtitutione,vt benè cum Rebelio ait Salas,ſup.num. 5. [maximè ſi perſonæ cum quibus Religioſus illicitè expēdit,publicè cōquererentur ſe eſſe deluſas, & deceptas a Religioſo.] Denique quia,cum pecunia illa non eſſet expendenda in commodum Religionis,ſed ipſius Religioſi; & meretrix ſuæ conſcientiæ ſatisfaceret, ſi ipſi Religioſo rem ab illo iniuſtè acceptam reſtitueret, cùm non teneatur ad meliorem ſtatum reducere,meritò cenſeri poteſt Prælatus condenare,ne iterum, pecunia reſtituta,noui cum alia meretrice peccati,occaſio illi poſsit eſſe.

10 Inquires,quid dicendum, quando ſubditus dubitabat de modo licentiæ ,an in genere,an in ſpecie,& non aliter fuerit conceſſa? Reſpondeo, partem ſibi fauorabiliorem poſſe ſibi eligere; tum quia in genere ſolet concedi,& ex communiter contingentibus iudicium ſumi debet;tum quia modus concedendi in ſpecie,& non aliter, ſic exprimi debet à Superiore,vt nullam ſubdito dubitationem relinquat. Omitto,quod ſi variatio licentiæ,in vſum alium licitum fieret, non eſſet læthale pecuniam in illum convertere abſque noua licentia:quia Superior non eſſet invitus quo ad ſubſtantiam ,ſed præciſsè quo ad modum parvi ponderis.

11 Rogabis an Prælati Religionis poſſint validè concedere ſubditis licentiam ad ſumptus ſuperfluos,qui paupertati,prout in tali Religione eſt in vſu, opponantur. Validam eſſe licentiam , reſpondet Lugo dicens

ita

Digitized by Google

ita ſupponere D. Antoninum, Sylveſtrum, Turrecrematam, Leſsium, Tabienam, Azor, & alios Theologos, & Iuriſtas, quos refert Sanchez ſup. *cap. 19. citato, num.* 20. Quia ſi Religioſus cum licentia ſuperioris faciat ſumptus, qui pauperes non decent, v.g. amat imagines, ſcrinia, & paramenta pretioſa, & ſimilia; nemo vnquam dixit eiuſmodi contractus eſſe invalidos: ergo licentia fuit valida, licèt illicitè conceſſa, & illicitè ſubditus illa vtatur, quia votum paupertatis non ſolùm obligat ad non expendendum, aut retinendum abſque licentia ſuperioris; in quo conſiſtit proprietas; ſed ad excludendos vſus ſuperfluos; & qui pauperes iuxta ſtilum Religionis non decent. Non eſt animus aliorum Ordinum Religioſos ſugillare, quia vnuſquiſque paupertatem vouet prout in ſua Religione obſervatur. Vt videre licèt in Militibus Ordinum Militarium, quorum votum paupertatis, plures ſumptus permittit, qui mendicantibus non licent.

12 Obijcit Thomas Sanchez contra noſtram ſententiam. In conceſsione generali non veniunt ea, quæ in ſpecie, & in particulari negarentur: vt conſtat *ex regula in generali 8. de regul. iur. in 6.* Ergo ex licentia in genere conceſſa excuſari non poteſt Religioſus à peccato contra iuſtitiam, & votum paupertatis, ſi illicitè illa vtatur. Reſpondeo hanc regulam non habere locum, quando id, quod conceditur, eſt indifferens ad bonum, & malum vſum, & ſuperior totam curam relinquere intendit, penes ſubditum intendens ne malè vtatur, & ſi ſecus fecerit, minus malum committat. Nec poteſt dici, ſic cooperari peccato illius, alias quoties licentia generalis in alijs materijs conceditur (vt communiter fit, & exemplis ſuprà datis oſtendi) peccaret concedens. Sicut ergo Chriſtus Dominus Sacerdotibus donans poteſtatem generalem conſecrandi Euchariſtiam, & non limitans ad conſecrationem licitam, (vt benè ait Garſi ſuprà num. 6) non dicitur cooperari conſecrationi ſacrilegæ, quia non intendit malum vſum, nec conſtituit hominem in neceſsitate morali praui vſus; ita nec Prælatus concedens licentiam generalem expendendi; bonum illius vſum intendens, licet illum non determinet, vt bono ſubditi conſulat.

13 Obijcit 2. Prælatus non eſt Dominus, ſed adminiſtrator; ergo licentia & ſi in genere tradita nequit eſſe in deſtructionem bonorum Monaſterij, at qui omnia, quæ Religioſus adquirit Monaſterio adquirit. Ergo licentia expendendi, licèt in genere conceſſa, nullius eſt valoris in ordine ad vſus turpes. Reſpondeo ex bonis Monaſterij, quorum adquiſitio ex voluntate ſubditi non depēdet, non poſſe Prælatum quantitatem grauem expendere, neque licitè, neque validè, dilapidando, vel donando: hoc enim excedit limitationem poteſtatis adminiſtratoris: ex alijs verò bonis, quæ ſubditus non adquireret, niſi in eius vtilitatem eſſent ceſſura, nullum ex eorum diſpoſitione conuentus detrimentum patitur, ideòque non eſt reſtricta poteſtas adminiſtratoris, ita vt non poſsit licentiam ad expendendum concedere.

14 Obijcit 3. ſi Epiſcopo concedat Pontifex facultatem teſtandi: ſi aliud non exprimat, nequit niſi in opera pia teſtari. Ergo ſimiliter, ſi ſuperior concedat licentiam expendendi; nequit deſeruire niſi ad vſus honeſtos. Reſpondeo Epiſcopo duplex eſſe impedimentum ad diſponendum in opera non pia, aliud quo prohibetur diſponere de bonis Eccleſiaſticis, niſi ad opera pia; aliud quo prohibetur teſtari; & ſi in opera pia; in hoc præcepto vltimo diſpenſat Pontifex, quando concedit illi facultatem teſtandi, non verò in primo, quod ſemper viguit. Ideòque licèt facultatem teſtandi obtinuerit, primo, illo præcepto manet limitata, & reſtricta ad opera pia. Sicut ſi in aliqua Religione eſſet præceptum prohibens recipere ſtipendium, ſeu eleemoſynam ob miniſteria ſpiritualia, non poſſet Religioſus obtenta licentia accipiendi, ſeu expendendi in genere pecuniam, eam accipere quæ in ſtipendium, aut eleemoſynā propter miniſteria ſpiritualia, v.g. miſſas, vel ſermones ei daretur; quia in hac prohibitione non diſpenſat ſuperior in conceſsione illa ſeu licentia generali: ſicut nec in ſeptimo præcepto, quando concedit licentiam accipiendi, ac proinde, ſicut quando furto vſurpatur, non peccant contra votum paupertatis, ſed contra iuſtitiam peccato furti, vt docent Suarez *tom. 3. de Relig. lib 8. cap. 11. num. 15.* & Thomas Sanchez *ſup. num. 55.* ita habens licentiam generalem accipiendi, & diſponendi de certa quantitate, non peccaret contra votum, ſi ob miniſteria ſpiritualia acciperet, peccaret verò contra præceptum. Dixi non peccaturum contra votum, ſupponendo ſub illo hęc non caderet, quia ſi ſecus res ſe haberet, aliter dicendum eſſet.

(***)

§.I.

§. I.

Corollarium circa ſtipendia pro miniſterijs in Societate Ieſu.

15 AN Verò ſub voto paupertatis, ab alumnis Societatis emiſſo, id cadat? Diuiſi ſunt noſtri Doctores. Prima opinio negat, quam tenere plures Doctores Societatis teſtatur Thomas Sanchez, *lib. 7. ſum. cap. 28. num. 5.* Quam ipſe probabilem cenſet, ſicut & Caſtro Palao *tom. 3. diſp. 3. de voto paupertatis punct. 11* Henriquez *libr. 9. de Euchariſtia, cap. 22. num. 3. in commentar. litt. P.* Licèt contrariam ſequatur, & Manuel Rodriguez *tom. 2. ſum. cap. 31. numer. 8.* & in hanc partem magis inclinat P. Suarez *tom. 4. de Religione, lib. 4 cap. 8. num. 11.* vbi re vndique exagitata, ſic ait. [Hæc igitur cõtrouerſia mihi dubia eſt, & diſputationis gratia facilè poteſt pro vtraque parte defendi: Ego verò (attende) non auderem damnare peccati mortalis eum, qui præciſsè in hoc delinqueret, abſque conſcientia erronea, niſi aliunde ageret contra votum.] Nempè ſi abſque vlla licentia etiam in generali conceſſa reciperet, vel niſi aliunde contra præceptum ſpeciale id prohibens. Huius ſententiæ probabilitatem multũ corroborat quinta Congregatio generalis, in qua hoc punctum diligenter fuit diſcuſſum, & PP. in ſenſus contrarios abierunt. Et cum tractatum fuiſſet, quod totius Congregationis decreto authenticè ſtatueretur, & declararetur pertinere ad votum paupertatis noſtræ Societatis, iuſtis de cauſis prætermiſſum eſt. [Quod eſt ſignum (inquit Suarez) non ſatis conſtitiſſe apud ipſos ſenſum conſtitutionum Societatis, fuiſſe conſtituere actionem illam ſpeciali ratione ſub materia voti paupertatis] Et tandem canone primò, ſolum fuit ſtabilitum *ad puritatem noſtræ paupertatis*, neceſſarium eſſe obſeruare grauiſsimã Conſtitutionem de non accipiendo ſtipendio, [Vndè quando dicitur in examine: *Ac paupertatem intelligendo, vt neque etiam pro Miſſarum ſacrificijs, &c.* dicere poſſumus (ſubnectit Suarez) id fuiſſe expreſſum ad exagerandum, quanta diligentia, ſit hoc in Societate obſeruandum, non quia per ſe, & directè hæc obſeruantia per votum paupertatis promittatur.]

16 Hæc ſententia contra Sanchez, & alios videtur mihi probabilior, 1. quia, vt ait D. Thomas *quodlibeto 9. art. 15.* [Omnis quæſtio, in qua de peccato mortali quæritur, niſi expreſsè veritas habeatur, periculosè determinatur.] 2. Quia, vbi agitur de obligatione inducenda, ſtricta interpretatio fieri non debet, vt habetur *cap. 1. de iure iurando, lib. 6. & in l. quidquid ad ſtringendæ, ff. de verb. obligat.* 3. Quia in dubio de qualitate voti, liberum eſt vouenti partem ſibi fauorabiliorẽ eligere, vt pluribus exemplis probant Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 8. num. 5.* & Sanchez *in ſumm. tom. 1. lib. 4. cap. 13. numer. 16.* Vnde qui dubitat, an tritici menſuras, quas vouit Eccleſiæ, de maioribus, an de minoribus intellexerit, poteſt minores eligere: vt docent Valentia *tom. 2. diſp. 6. quæſt. 8. punct. 4.* Molina *tom. 1. diſp. 198. verſ. Verùm verò*, & Rebellus *part. 1. lib. 2. q. 14. ſect. 2. num. 10.* Quia de minoribus, inquit, eſt certitudo, de maioribus verò dubium.] Ergo cum de voto paupertatis Religioſi Societatis ſint certi, & dubij maneant de qualitate, quoad ſtipẽdia pro miniſterijs, partem ſibi fauorabiliorem eligere poterunt.

17 Tertiò: quia poſt quintam Congregationem generalem, dubia debet reputari qualitas illa voti: Ergo ſicut in dubio voti nemo illo obligatur, ita nec in dubio de qualitate voti, ad illam tenebitur. 4. denique, quia votum paupertatis in Societate emittentes ſolum intendunt ſe ex voto obligare ad ea, quæ certum eſt ſub voto, iuxta Societatis conſtitutiones, cadere. Atqui non eſt certum cadere ſub voto obligationem non accipiendi ſtipendium pro miniſterijs ſpiritualibus Miſſarum, confeſsionum, & concionum. Ergo ad illud non accipiendum non obligamur ex voto. Ergo ni ſuperiores ſpeciali præcepto id prohibeant, contra regulam tantum (quæ in Societate ad nullam culpam, obligat) deficient, dum licentiam recipiendi in genere habeant.

18 Obijcit P. Sanchez *dicto lib. 7. cap. 19.* cum Hẽriquez vbi ſuprà; etiam ſecluſis obligatione voti ad qualitatem, & præcepto de nouo ſuper addito, ſemper forè peccatum mortale Religioſis noſtræ Societatis accipere ſtipendium pro miniſterijs, ex defectu licẽtiæ ſuperioris. Quia in canone 1. Quintæ Cõgregationis Generalis, aufertur ſuperioribus poteſtas eam concedendi verbis illis. *Ne pro miniſterijs Societatis ſtipendium, vel eleemoſyna vlla admitti poſsit.* Ac omnino prohibet, ne vllus ſuperior, ac ne ipſe quidem Præpoſitus Generalis, diſpenſet in ea. Vnde (inquit Sanchez) [ſiquis petat licentiam ad rem accipiendam, non autem ad ſtipendium accipiendũ, & poſtea ſtipendium accipiat, grauiter peccabit ex defectu licentiæ.] Quod probabiliſsimum eſſe, ait Suarez *capit. 8. citato.*

19 Sed, vt benè adnotat Cardin. de Lugo *tom. 1. de iuſt. diſp. 3. ſect. 7. num. 130.* hæc doctrina non cohæret cum illa, quam Suarez vbi ſuprà, & ipſe Sanchez alibi tradit aſſerens

quod

Digitized by Google

quod[ſi ſuperior facultatem ſubdito concederet ad accipiendum aliquid, & ipſe acciperet à latrone, peccatum ad ſolum furtum pertineret.] Ita Sanchez *lib. 7. cap. 19. num.* 17. cuius rationem ipſe reddit, & obiectioni, ex defectu licentiæ ſuperioris, ſic ſatisfacit. [Reſpondeo, ſuperiorem abſolutè dare licentiam, & auferre impedimentum, quod ſe tenet ex parte accipientis.] Ergo licèt ſuperior nequeat concedere facultatem recipiendi pro miniſterijs, ſicut nec accipiendi ex furto: Tamen licentia in generali conceſſa auferret impedimentum voti, quod ſe habet ex parte accipientis, & ſolùm contra regulam deficiet: non ergo mortaliter peccabit. Hanc partem probabilem vocat Suarez *tom 4. de Relig. lib. 4 cap. 8. citatis, numero ſeptimo.* Et videtur per neceſſariam illationem deducta ex noſtris, & aliorum principijs, de Religioſo expendente pecuniam in vſus illicitos, ad quos nulla, nec præſumpta, ſuperioris licentia eſſe poteſt. Qua propter, vt huic opinioni aditus præcludatur, non in genere, ſed in ſpecie licentia accipiendi pecuniam Religioſis Societatis cōcedenda eſt, nempè accipiendi ab illis, qui neque in eleemoſynam, neque in ſtipendium pro aliquo ex miniſterijs Societatis conferant.

§. II.

Corollarium ſecundum circa ludum Religioſorum.

20 EX dictis decidenda eſt quæſtio alia ad ludum pertinens. An licet Religioſus poſsit ludo exponere pecuniam, ad quam in generali licentiam habet accipiendi, & expendendi: & an maiorem quantitatem lucrari poſsit, quam perdere?

21 Ad 1. Reſpondeo ex dictis, Religioſum exponentem ludo illicito quantitatem, quam ad vſus in generali conceſſam habet, non peccaturum contra paupertatem; & colluſorem non teneri reſtituere. Imò nec contra aliam virtutem, ſi ludus ex alio præcepto non ſit prohibitus. 1. pars deducitur per neceſſariam conſequentiam ex concluſione de expendente cum meretrice. Et in terminis de ludo tradit pluribus citatis P. Salas, id probans paritate deſumpta à Religioſo expulſo, qui licèt voto paupertatis teneatur, ſi tamen in ludos illicitos pecuniam cōvertat, factum tenet, vt conſuetudo habet. De qua teſtantur P. Molina *tom. 2. diſp. 276.* & P. Leſsius *lib. 2. cap. 41 dub 15. num. 113.* Nec colluſori vlla manet obligatio reſtituēdi: quia verè acquiſiuit dominium à potente conferre, ex vi licentiæ generalis expēdē-di, vt ſuprà probauimus. Sic apud illum Alcozer, Medina, Angles, & alij, quam ſententiam valdè probabilem eſſe, inquit Thomas Hurtad. *to. 2. reſ. Mor. tr. 8. cap. 8. reſ.* 87.

22 Cui expreſsè conſentiunt Rebellus *p. 2. de obligation. iuſt. lib. 12. q. 4. ſect. 2. num. 6. conc. 1. pag.* 730. Lopez *lib. 2. de contractibus, cap. 40. §. An autem, & 2. tom. inſtruct. cap. 33. prioris impreſsionis.* Medina *in ſum. cap. 14. §. 29.* Diana *vbi ſupr. n* 65. vbi ſic fatur: [Nota tertiò, quod eſt opinio probabilis illa, quæ docet Religioſum habentem licentiam expendendi pecuniam in vſus, qui ſibi placuerint, aut in ſuas honeſtas recreationes, ſi in vſus turpes expendat, non peccare contra votum paupertatis; & accipiens in tali caſu non tenetur reſtituere.] Sic ille, cui cōſentit Ioannes Franciſcus Suarez, *in Enchirid. caſuum conſcient. lib. 3. de voto paupert. fol. 256 §. accipiens pecuniam,* & ſequitur ſapientiſsimus Magiſter Bañez 2. 2. *quæſt. 62. art. 5. dub. 5. §. Advertendum eſt.* Sic loquens. [De Religioſis, qui omnino ſunt pauperes, aliter arbitrandum eſt, quantum ad huiuſmodi expenſas, ſecundum facultatem, quam vnuſquiſque habere præſumitur ad expendendas pecunias in ſibi placitis. Nec in hoc peccabit peccato iniuſtitiæ, nec tenebitur ad reſtitutionem ipſe, nec meretrix, quæ accepit tale pretium iuſtè proportionatum, cū facultate interpretatiua Prælati ad expendendum in rebus ſibi placitis, in animi ſui gratia.] Ita ille: & Magiſter Petrus de Ledeſma *in ſumm. tract. del eſtado de los Religioſos, cap. 4. differ. 4. pag.* 51. vbi ſic: [El P. Maeſtro Fr. Iuan Gallo, hombre doctiſsimo, y por eſtremo Religioſo, enſeña, que en eſte caſo no peca el ſubdito, gaſtando mal el dinero contra la pobreza, ni es proprietario, y que peca por otro camino, deſperdiciando el dinero, y ſiendo prodigo, ò aprouechandoſe mal dél, ò para coſas malas, ò fuera de la Religion.] Et infrà: [Eſſo miſmo enſeñan otros Maeſtros, diſcipulos de Sancto Thomas.] Et iterum: [Digo lo ſegundo, que es probable la ſentencia del P. Maeſtro Fr. Iuan Gallo en lo que toca, que las licencias ſon validas, y que no peca contra pobreza el ſubdito, vſando mal dellas, y gaſtando el dinero en coſas malas, y profanas.]

23 Secunda pars probatur: quia ludus ex natura rei non eſt illicitus: eſt enim, vt definiunt Doctores certamen quoddam iucundum ad animi delectationem pertinens, ex mutua conventione aliquid vincenti obventurum. Qua propter ait Caietanus 2. 2 *quæſt. 178 artic 4 §. ad dubium tertium, verſ. De qualitate demum ludi.* [Si non auaritiæ cauſa, ſed verè recreationis cauſa ludatur ad aleā, & ſine ſcandalo, legis ratio ceſſat communiter,

niter, & ideò vbi tempore peſtis, aut conſuetudinis, Clerici ſoliti ſunt, ſine ſcandalo, ludere, recreationis gratia, ad chartas, vel tabellas cum alijs, nullum ex hoc crimen incurrunt. Videatur Barboſa *in collect. ad caput Clerici ſecundò de vita, & honeſtate Clericorum, numer.* 8. Poteſt tamen vitiari ex abuſu. 1. ſi tempus rebus alijs ex obligatione incumbentibus deficiat. 2 ſi Clericus, aut Religioſus ludo ſibi indecenti ludat. 3. ratione ſcandali. 4. ſi occaſio periuriorum, vel blasfemiarum, vel rixarum ſit. 5. ſi cum detrimento propriæ ſalutis. 6. ſi proprium patrimonium, aut vxoris, vel filiorum bona diſſipando. 7. ab ijs lucrando, qui alienare non poſſunt, vt à Religioſis non habentibus facultatem expendēdi, vel à minori, aut muliere coniugata, abſque facultate tutoris, vel mariti, & ſic in alijs.

24 Igitur certum eſt, ludo licito exponere poſſe Religioſum, eam quantitatem, quam ex licentia tacita, vel expreſſa ſuperioris poteſt expendere in honeſtam ſui recreationem. Conſulenda tamen conſuetudo, quæ in Religionibus viget: In noſtra enim Societate, nil ludo exponete permittitur, niſi fortè imagines exigui valoris, idque his tantum ludis, qui in Religione ſunt in vſu, alearum verò ludus inter nos non toleratur, ideòque nec tacita ad illum licentia poteſt, niſi temerè, præſumi. Adde aleæ ludum (ſub quo comprehenduntur omnes ludi, qui fortuna magis & caſu, quàm arte, aut viribus reguntur, vt teſſerarum, & taxillorum; & chartarum pictarum, qui plus fortunæ, quàm induſtriæ habet) prohibitum eſſe *lege 2. 3. & 4 ff. alea vſu, & pluribus Caſtellæ legibus, & in authentica interdicimus, cap. de Epiſcopis, & Clericis, & §. Interdicimus authentica de Epiſcop. collar.* 9. vt videre licèt apud Nauarrum *cap. 2. numer.* 6.

25 Án verò ſub mortali obligent, leges Municipales in Regno Caſtellæ, quas referunt Pater Thomas Sanchez *dub.* 26. & Pater Salas *dub.* 4. non conueniunt Doctores. Affirmant alij apud Salas, ſed alij communiter negant, quos refert, & ſequitur Cardinalis de Lugo *tom. 2. de iuſtit. diſput. 31. ſection. 1. numer.* 9. Quibus fauent Magiſter Sotus *lib. 4. de iuſtit. quæſt. 5. artic.* 2. Nauarro *in Manuali, capit. 19. numer.* 10. Quia licet ſufficiēs adfuerit motiuū ad prohibitionem ſub læthali (quidquid contra dixerint Sotus, & Nauarrus exiſtimantes earum tranſgreſsionem non eſſe contra iuſtitiam, ſeu charitatem, ſed contra liberalitatem, ſeu modeſtiam, in quo dicipiuntur) hodie tamen contraria conſuetudine ſunt abrogatæ, vt ait Doctor Garſi *centur. 2. capit.* 96. vbi plures refert, vel vt ait Lugo *ſuprà* cum Molina, Salas, Leſsio, Azor, Filliucio, & alijs, de legibus iuris ciuilis communis, & legibus Caſtellæ; non fuerunt aliter receptæ, quàm vt leges pęnales, ad ſolam pœnam non verò ad culpam obligantes, vnde ratione ludi præciſse, nullus laicus dicendus eſt culpa læthali maculari, niſi ex alijs circumſtantijs ſuprà notatis, quæ ludum illicitum reddant, inficiantur.

26 Verùm hæc concluſio quoad Clericos, & Religioſos non adeò recepta eſt: quia licèt conſuetudo quoad omnes leges humanas abrogandas, eamdem vim habeat; non tamen eſt certum quoad Clericos eſſe abrogatas, vt videre licèt apud Garſi *ſuprà numer. 6. & ſequentibus*, & apud Hurtado, *tom. 2. reſolut. Moral. tractat. 8. capit. 7. reſolut.* 78. vbi plures refert aſſerentes peccare mortaliter, ſi ludis prohibitis deſeruiant: quos ſequuntur Thomas Sanchez *dub. 28. numer.* 2. Molina *tractat. 2. diſput.* 512. Barboſa, Villalobos & alij. Cæterùm hoc mihi certum eſt, iure Canonico prohibitam eſſe perſonis Eccleſiaſticis aſsiduitatem, & conſuetudinem ludendi: quia his vocibus prohibetur. *Vacās, deſeruiēs, aleator*, quæ vt patet, conſuetudinem deſignant. Vnde qui rarò luſerint, non peccabunt mortaliter, vt docent communiter Doctores: quod à fortiori dicēdum de Clericis Religioſis.

27 An verò præfatæ leges pro Clericis ſub læthali obligent: Affirmant plures quos ſequitur Diana *part. 4. tract. 4. reſol.* 183. Doctor Garſi *cent. 2. cap.* 96. Hurtado, & alij ſuprà citati: negat Caietanus, *verb. Clericorum peccata*, niſi contumatia, vel contemptus adſit: video etiam ex cōſuetudine recepta Clericos ob recreationem non rarò ludo inſeruire, & aſsiduè ſic ludentes à mortali excuſant P. Sà, *verb. Ludus, num.* 1. Sylveſter *q.* 4. Armilla *n.* 4. Toletus *lib. 5. ſum. cap.* 27. Valentia 2. 2. *diſp. 5. q 6. p. 5.* §. 2. Quibus lubēs acquieſco: quamvis enim *cap. Inter dilectos* Pontifex dixerit, conſuetudinem *non ſuffragari Clerico aleatori*, hoc ideò dixit: quia tūc temporis cum ſcandalo ludebant; ob recreationem verò, non eſt ita indecens ſtatui, vt iure diuino cenſeri illis debeat prohibitus. Qua propter, prædictos Canones non eſſe hoc tempore receptos, niſi quatenus prohibent, id fieri cum periculo ſcandali, docent Leſſius *lib. 2. cap. 26. dub. 1. num.* 5. Valentia 2. 2. *diſp. 5. q. 6. p.* 5 Filliucius *tract. 33. cap. 4. nu.* 59. Layman *lib. 3. n. 4. cap. 2. num.* 1. Denique huiuſmodi Canones non obligare ſub mortali, etiam ſi perſona Eccleſiaſtica crebrò, & frequenter ludat: exiſtimant Sylveſter, D. Antoninus, & Gutierrez apud Dianam *p. 4. tr. 4. reſol.* 183. Megala *tom. 1. l. 5. cap. 14. num.* 8.

&.

Digitized by Google

& Marchantius, in reſolutionibus Paſtoralibus *cap.8.præcept.10.q.3.*

28 Notandum hìc eſt, prohibitiones iuris Canonici, factas perſonis Eccleſiaſticis circa ludum, quamvis Alcozer *cap.11.* velit intelligi de omnibus Clericis: quia Canones, & Doctores generaliter, & indiſtinctè loquuntur: tamen, alij reſtringunt ad Clericos exiſtentes in Sacris, vel habentes beneficium Eccleſiaſticum, Nauarrus, Lopez, Sanchez, Leſsius, Salas, & Thomas Hurtado: & ſolùm de ordinatis in ſacris, intelligi volunt Hugolinus, & Azor, quos citat, & ſequitur Machadus, *document. 9. num.2.*

29 Ad ſecundam difficultatem deveniendo; non eodem modo ſentiunt Doctores: aliqui enim cenſent Religioſum non poſſe maiorem quantitatem lucrari, quam poteſt perdere. Quia de natura ludi eſt, vt æqualis ſit vtriuſque conditio ludentis. Et ſic tradunt Aragon 2. 2. *quæſt.12.artic.7.* Comitolus *in Reſp. Moral.lib.3.quæſt.9 nu.5.* & alij. Qui proinde conſequenter docent Religioſum, aut filium familias, qui quatuor tantùm aureos poteſt perdere, eo quod ad hanc quātitatem, & non ad maiorem expendendam, facultatem habeat, ſi maiorem lucretur, teneri colluſori reſtituere.

30 Sed quidem contrariam ſententiam tenent alij apud Dianam *part.1. tract. 8. reſ. 67.* & mihi placet: tum quia à diuerſis colludentibus, à ſingulis quatuor ſimul poteſt lucrari, ſeruata omnimoda æqualitate cum ſingulis, vt ex terminis patet; tum quia æqualitas in ludo requiſita, vt tradit Bañez 2.2.*q. 32.art.7.* non eſt alia, niſi quod vterque colluſor ſit Dominus pecuniæ, quam exponit; ſeu quod idem eſt, habeat facultatem diſponendi ad libitum de illa quantitate, licèt minor ſit. Cuius ratio eſt: quia ludētes cum Religioſo, vel cum filio familias, quos ſciunt paruam illam quantitatem poſſe perdere, cedunt iuri ſuo; Nam cum ipſi poſſent æqualem ſolùm exponere, maiorem exponunt, & cùm æqualē perdiderint, ſpontè continuant, ſciente autem, & volenti nulla fit iniuria.

31 Omitto Religioſos, & filios familias ex voluntate præſumpta ſuperioris & Patris propter vrbanitatem, & rixas vitandas, poſſe perdere quantitatem lucro acquiſitam, ſiue in eodem ludo, vt concedit Thomas Sāchez *lib.7.ſum.cap.19.n.84.* ſiue in alio, cum illo, à quo lucratus eſt, vt de filio familias loquutus tradit ipſe Sanchez cum Sylveſtro, Nauarro, Angelo, & alijs: Et ad Religioſum iurè extendit Cardinalis de Lugo *tom.1.de iuſtit.diſp.3.par.7.n.145.* quia eadem eſt vtriuſque ratio. Addo exponere etiam illam poſſe in ludo cum alijs: quia licentia, quæ ſufficit

ad licitè exponendam aliquam ſummam pecuniæ ludo, implicitè extenditur ad exponendum omne lucrum per ludum adquiſitū: quia nec ſuperiores, nec parentes alienationem eiuſmodi lucri nullitatem continere, vnquam obtruderunt; nec obligatione reſtituendi colluſores grauare, in foro interno, aut externo tentarunt; vt conſuetudo declarat. Ergo dicendum eſt ratum habere, quod ſubditus, & filius familias ex licentia ad paruam quantitatem ludo exponēdam conceſſa, ad maiorem per ludum adquiſitam poſſint procedere.

32 Vnum valdè notandum, contra Sanchez *lib.1.conſil.cap. 8.* tradit Thomas Hurtado *tom.2.tr.8.cap.7. reſ.63.* lucrantem ab vxorata, vel minore, (adde vel Religioſo) vna vice *y de vna mano*, vltra quantitatem, quam licitè poſſunt perdere, teneri totum reſtituere: quia contractus totus eſt irritus, & non ex parte validus; & ſic non eſt translatum dominium, ſic Hurtado. Sed non placet: quia licèt totus illicitè fiat: quia malum ex quocumque defectu, & voluntas indiuiſibiliter ad totam quantitatem præſentem, vna vice perdendam, extendatur; tamen nil impedit contractum ex parte eſſe validum: quia res diuiſibilis eſt; ſicut qui habens titulum ad accipiendum per viam compenſationis mille, duo millia ſimul acciperet; poſſet mille retinere, & mille tantum reſtituere teneretur. Ergo ſimiliter in noſtro caſu.

33 An verò Religioſus, qui nullam habens licentiam diſponendi de pecunia, ludo illam exponeret; poſsit lucrum retinere? Maior eſt difficultas; nam cum colluſor, vt conſtat ex dictis de meretricè, ex natura rei teneatur Religioni reſtituere, quod a tali Religioſo lucratus fuerit, & ſolum excuſetur ex donatione, quæ poſtea à ſuperiore, ob iuſtas cauſas ſupra expoſitas, illi fiat; illæ verò non concurrant, vt ſubditus retineat quantitatem lucratam, pecunia Religionis; de qua diſponere nullo modo poterat, non videtur poſſe excuſari à reſtituendo colluſori: & ita docent communiter Doctores, quos citat, & ſequitur Thomas Sanchez *ſup. n. 86.* & Cardinalis de Lugo *ſup.n.146.verſ.Ego hanc cōmuniter ſententiam.*

34 Contrariam tamen tenent apud Sanchez *ſuprà num.85.* Gabriel *in 4. diſtinct.15. quæſt.13.art.6.dub.6.* Armilla *verb. Ludus, num.8.* Nauarro *in ſum. lat. cap. 20.num.12. & in Hiſp.cap.19.num.9.* Sarmiento, Graſſius, Veja, Philiarlus, & Toledo *lib.5.ſum.m. cap.27.num.8.* & probabilem eſſe dicunt M. Ludouicus Lopez *1. part. inſtr. cap.133.col. 4.concluſ.3.* & P. Sanchez *num. 86.* Probant citati authores: quia contractus poteſt claudicare, & non eſſe validus reſpectu vnius, &

eſſe validus reſpectu alterius: vt contractus cum pupillo, vel Eccleſia, abſque debita ſolemnitate: & contractus initus cum vxore abſque viri licentia, ſi in illius, vel mariti vtilitatem cadat; vt patet *ex lege 2. tit. 3. lib. 5. Recopil.* & ex alijs in hoc Caſtellæ Regno. Ergo ſimiliter contractus celebratus à Religioſo abſque licentia Superioris, licèt ſit irritus reſpectu lucrantis à Religioſo, validus erit reſpectu Religioſi, aut conventus, in cuius vtilitatem lucrum acquiſitum cadit: Religioſus enim ſe habet vt pupillus, & minor, vt conſtans eſt Doctorum ſententia.

35 Obijcit Sanchez hanc regulam locũ habere in emptione, & venditione; non verò in alijs contractibus prohibitis. Reſpondeo 1. non omnem ludum eſſe Religioſis prohibitum, imò nec alearum, ſi ob recreationem, vel vt vult Caietanus, ſecluſo contemptu: ac proinde in illo etiam locum habet præfata regula. Reſpondeo 2. ad excuſandum Religioſum, & conventum à reſtitutione lucri, ſufficere voluntatem præſumptam, ſeu tacitam ſuperioris donantis prævie colluſori pecuniam à ſubdito ludo expoſitam; nempè donantis conditionatè, ſi fortè perdiderit. Quæ etiam voluntas ſub conditione operatur, quod ſubditus poſſit retinere, ſi fortè lucretur, ſic enim æqua eſt vtriuſque ratio, & ſic nulla difficultate defenditur noſtra opinio, ex principijs Theologicis, independẽter omnino à deciſionibus iuris, in caſibus ſuprà notatis.

36 Vnum hic adnotandum, diverſam eſſe rationem de profeſſis, ac de Religioſis Societatis poſt vota biennij, nam cum iſti verum ſuorum bonorum dominium retineant, & abſque licentia ſuperioris validè, (etſi illicitè contra votum,) de illis diſponere queat; vt docent P. Suarez *tom. 4. de Relig. lib. 4. cap. 6. n. 73.* & Thomas Sanchez *lib. 7. ſumm. cap. 39. nu. 25* ſi de ſuis bonis ludo exponant, vel illicitè expendant, non comittent peccatum iniuſtitiæ; nec donationes erunt irritæ: quia verè ſunt domini rei, & ideò eius dominium validè transferre poſſunt; etſi contra votum delinquãt. Addit verò Suarez ſuprà, irritari poſſe à Superiori: quia per votum obedientiæ abdicant à ſe proprium velle, & propriũ nolle, & ideò nil firmum, & ſtabile poſſunt efficere abſque Superioris conſenſu. Verùm quouſque irritentur, non tenebuntur accipientes, aut lucrantes reſtituere. Quidquid contrà dicatur, quando à profeſſis.

QVÆSTIO V.

An debitor, qui non eſt ſolvendo, poſſit tuta conſcientia repudiare hæreditatem, vel legatum, aut liberalem donationem?

1 Difficultas hæc in foro tantùm conſcientiæ procedit: quia in foro externo, nemo cogitur acceptare hæreditatem, vel legatum, nec liberalem donationem: nec creditores poſſunt per iudicem compellere ad acceptandum, vt inde habeat, quibus debita ſolvat; vt latè probat Thomas Sanchez *lib. 6. de Matrim. diſp. 4. numer. 89. & 100.* Quia in iure, qui non acquirit, licèt poſſit, non cenſetur defraudare creditores. Vt conſtat *ex leg. qui autem 6. ff. quæ in fraudem creditoris, & regula non fraudetur 177. ff. de regulis iuris.*

2 In foro autem conſcientiæ longè diverſa eſt ratio: quia in eo diverſimodè iudicatur, quando leges non approbant, ſed vel permittunt, vel ſolùm denegant actionem contra debitorem: de quibus diſcurrunt Doctores, ſicut de legibus, quæ de occiſione adulteri in fragranti cum propria vxore reperti, loquuntur; quæ à peccato maritum non excuſant. Ideò debitorem teneri in cõſcientia, ſi aliàs non ſit ſolvendo, acceptare hæreditatem, legatum, vel donationem, firmiter teneo, contra Antonium Gomez, *tom. 2. variar. cap. 4. num. 22.* & Thomam del Bene *tract. de Parlamento, dub. 6. ſect. 4. num. 9.* Quorum ſententiam non improbabilem putat Ioannes de Eſcobar *de vtroque foro in præmiſſis, ad art. 5. num. 33.* Sed fundamentum leviſſimum eſt. Probant ſiquidem: quia nequit non eſſe tutus in conſcientia, qui ſecundum leges operatur; non conſiderantes nequire leges ad excuſandum à culpa deſervire, quum conſtet approbare actionem. Quod in caſu præſenti non contingit: imò nec in illo poſſunt.

3 Noſtra igitur ſententia, & communis Doctorum eſt, debitorem, qui non eſt ſolvendo, teneri ex iuſtitia acceptare hæreditatem, vel legatum, vnde debita ipſius ſolvantur. Ita tenent Vazquez, Sanchez, Filliucius, Bonacina, & alij, quos citans ſequitur idem Eſcobar, *de puritate, quæſt. 7. num. 25.* Medina, & Navarro, apud Sanchez *lib. 6. de Matrim. diſp. 4. n. 9.* Baucius, *in Miſc. q. 92.* Trullench, *lib. 7. cap. 14. dub. 2. n. 24.* Balæus *in floribus Theologicis, verb. Fiſcus, nu. 4.* Probatur primò. Quia qui tenetur ad finem, tenetur ad media neceſſaria ad talem finem comparandum, quando media ſunt facilia;

ſi-

Digitized by Google

tenetur enim quis carens pallio, acceptare ſibi mutuatum ad audiendam Miſſam in die colendo : & obligatus ad recitandum officium diuinum carens breviario, tenetur illud ſibi oblatum acceptare, ad ſolvendum penſum Officij Diuini: ergo cùm debitor teneatur ſolvere debita, tenebitur acceptare, ſecluſo graui incommodo, relictam ſibi hæreditatem, vel legatum : quando quidem ea acceptatio eſt medium facilè ad ſolvenda debita.

4 Secundò. Quia quando quis haberet parentes egentes, & poſſet illis ſubvenire, aut acceptando hæreditatem, vel legatum, quæ non nimis eſſent extricatu difficilia, aut exercendo aliquam artem, qua poſſet lucrari illis alimenta, abſque vlla indecentia ſuæ cõditionis, teneretur id facere : quia eadem lege, qua tenetur ſubvenire parentibus, tenetur adhibere media facilia, & ordinaria ad procuranda illis alimenta : & idem eſt iudicium de parentibus, erga filios alendos : ergo debitor tenebitur propter debita ſolvenda, ſecluſa graui difficultate, relictam ſibi hæreditatem, vel legatum acceptare; quia ſtrictiore iure tenetur debitor ſolvere debita, quam filius alere parentes; cum iſtud ſit virtutis pietatis, illud verò iuſtitiæ; iſtud non eſt abſolutum, ſed in ſubſidium, quando illis aliunde non ſubvenitur : illud verò eſt abſolutum, & prorſus exequendum, quamvis creditor habeat alia bona ad vitam ſuſtentandam, & ſtatum ſuum conſeruandum.

5 Tertiò. Quia ſiquis viderit proximum fame perire, vel grauiter indigere; & aliquis offerret illi bona, quibus poſſet indigentiam illius ſubleuare, peccaret non acceptando, cum tam facilè poſſet ſubvenire proximo extremè, vel grauiter indigenti : & tamen hæc obligatio ſolum eſt ex charitate ; ergo debitor tenebitur acceptare relictam, ſibi hæreditatem ; vel legatum, quando nulla difficultas grauis in his extrincandis ſe ſe offert, vt poſſit ſolvere creditoribus, quibus ex iuſtitia ſatisfacere eſt obligatus.

6 Quartò. Debitor, qui nouit artem decoroſam, cuius exercitio poteſt lucrari aliquid ſufficiens ad ſolvenda debita, tenetur illam artem exercere, vt docent Molina, Gerſon, Nauarrus, Angles, citati à Sanchez, *num. illo* 9. Ergo tenebitur acceptare hæreditatem, vel legatum, vt inde fiat ſolutio debitorum; cùm facilius hoc ſit, quam artis exercitio acquirere bona, quibus ſatisfaciat ſuis debitis.

7 Ex dictis colligitur, quod licèt debitor, ante repudiationem hæreditatis, non teneatur compenſare creditoribus lucrum ceſſans, & damnum emergens ob impotentiam inculpabilem: tamē poſt repudiationem hæreditatis, vel legati, cum iam ſit impotens culpabiliter, tenebitur de lucro ceſſante, & damno: ſicut iniuſtus poſſeſſor tenetur ad illa, etiamſi impotens ſit reſtituere; quia in culpa fuit, vt cum Salon docet Sanchez.

8 An verò non ſolùm, qui hæreditatem repudiat, delinquat grauiter, ſed etiam ille, qui acceptat? Reſpondeo cum diſtinctione ex Cardinali de Lugo *tom. 1. de iuſtit. diſput. 20. ſect. 6. numer.* 138. Quod ſi ille ſucceſſor induxit debitorem ad repudiandum conſilio, precibus, vel alio modo: tunc cum debitor iniuſtè repudiet, vt dictum eſt, ille, qui ad iniuſtam actionem cooperatur particeps erit iniuſtæ actionis, & tenebitur ad reſtitutionem, ſicut alij cooperantes. Quare idem dicendum erit, etiamſi non ipſe, qui loco debitoris ſuccedere debet, ſed quilibet alius, vt advocatus, vel amicus, tale conſilium dedit; peccant enim contra iuſtitiam, niſi ignorantia inculpabili excuſentur. Si autem ſucceſſor non cooperatur; ad nihil tenetur: quia poſtquam debitor repudiauit, vtitur iure ſuo, & invenit, ſiue iuſtè, ſiue iniuſtè, impedimentum ablatum; ad cuius oblationem ipſe non concurrit. Ita Sanchez dicto num. 9. in principio, & in fine.

9 Petes an ſaltem ex charitate teneatur ſucceſſor procurare, quod debitor non repudiet, ſed acceptet? Reſpondeo affirmatiue. Quia licèt correctio fraterna non obliget cum magno detrimento proprio, quando proximus ipſe facilè poteſt peccatum vitare, vt in præſenti poteſt: hoc tamen intelligendum putò de damno extrinſeco, quod ex correctione proveniet corrigēti in ijs bonis, quæ aliunde habet, vel haberet, & non ex peccato ipſo a proximo committendo. Non tamen excuſaris à correctione, ne perdas lucrum, quod ex ipſo proveniet: verb. grat. ſi ſcias Petrum velle occidere Paulum, ex cuius morte tibi hæreditas, vel aliud lucrum proveniet, adhuc debes impedire, ſi potes, homicidium : alioquin videris velle peccatum ipſum, cum ex affectu lucri, quod niſi medio peccato haberi non poteſt, omittas correctionem. Similiter ergo, ſi ſolùm vt ſuccedas in legato, vel hæreditate, omittis correctionem debitoris, cuius peccatum facilè poſſes impedire, videris iam deſiderare peccatum ipſum, cum deſideres lucrum, quod non niſi medio peccato habere potes, & ex deſiderio illius, omittis correctionem; ſi tamen credas, debitorem non attendere ad obligationem acceptandi, quàm habet, atque adeò, ignorantia inculpabili, excuſari a peccato; non teneris ex charitate erga ipſum, eum admonere: quia tunc non eſt in periculo peccandi, excuſante ignorantia invincibili; &

aliunde non videris teneri cum tanto damno tuo ad impediendam violationem illam materialem legis iuſtitiæ, ad quam, vt ſupponitur, tu nullo modo concurris. Hactenus ex Cardin. de Lugo.

10 Ex dictis à fortiori deducitur debitorem impotentem ſolvere debita, quin deficiat in neceſſarijs ad vitam, vel ad decentiam ſtatus, licèt modo retinendo non peccet, defeciſſe tamen grauiter contra iuſtitiam, cùm ad eum ſtatum inſolvētiæ voluntariæ, nulla graui vrgente cauſa, ſe reduxit; id enim probant omnes rationes ſuperiùs allatæ: vnum enim & præcipuum medium ad ſolvendum eſt, bona non prodigere, & oppoſitum eſt creditores defraudare; quibus, vel ex iuſtitia ſunt debita, vel ſaltem ipſe adſtrictus eſt. Ita Gaſpar Hurtado *de iuſtit. diſp. 9. diff. c. 7.* cum Laymam, Bonacina, Molina, & alijs.

11 An verò debitor, qui non eſt ſolvendo, poſsit donationes aliquas liberales facere? Reſpondeo non aliter de his diſcurrendum, ac de alijs, quæ ad eius ſtatus decentiam requiruntur. Vide Patrē Vazquez *opuſcul. de reſtit. cap. 11. dub. 3. numer. 82. fol. 307.* Vbi de famulis ſic loquitur, [licet debitor fiat pauperior ad reſtituendum, famuli, qui inſerviunt huiuſmodi debitori, poſſunt recipere mercedem debitam labori contra omnes alios creditores; non tantùm, quando tantùm commodi, aut plus adquirunt domino ſuo, hoc enim omnes fatentur, quos citabimus infrà; verùm etiam quando ita neceſſarij ſunt, vel propter debitum honorem, vel ad neceſſaria vitæ, vt illos dimittere non teneatur debitor ad ſolvenda alia debita; quia ad illa non tenetur cum tanto diſpendio, iuxta ea, quæ dicemus alibi.] Cuius ſententiam (ait Lugo *diſp. 20. de iuſt. ſect. 6. numer. 129.*) veram eſſe, quoad ea, quæ Dominus neceſsitate coactus famulis ſolvit: quia ſi non ſolvat carebit in poſterum famulis ſibi neceſſarijs. Quod infrà magis explicat *nu. 133.* nempè quando eius famulatus neceſſarius eſt ſaltem ad hoc, vt Dominus cum dedecore ſui ſtatus non viuat: cuius rationem tradit Vazquez *ſuprà num. 78.* quia recta ratio dictat, & omnibus in eadem neceſsitate conſtitutis æquè favet, quod alij creditores teneantur expectare in aliud tempus debita ſua potiùs, quàm cum illo detrimento, debitorem ſuum adſtringere, vt ſibi reſtituat. Ergo quoties contingat, quod Princeps, vniuerſitas, vel vir aliquis valdè nobilis nequeat iuxta ſuum ſtatum, abſque magno dedecore, ab aliquibus donationibus, vel eleemoſynis gratuitis abſtinere, cùm hæ non minus, ac famuli, ad decentiam ſui ſtatus, ne viles habeantur, pertineant, poterit cum præiudicio aliorum creditorum eas elargiri.

12 Ex hoc principio excuſantur donationes, quas Principes efficere ſolent ex his bonis, quæ per impoſita tributa, & gabellas, á vaſſallis extorſere, quibus licèt ignorantibus motiuum diuertendi ad alios vſus, iniuſta videantur, verè iuſta ſunt, & iuſtè pro conſeruatione boni publici, ad quod reducitur Regis ſtatus, expenduntur. Ita ſentit Cardinalis de Lugo *diſput. 20. ſect. 6. num. 133.* vbi ſic. [Poteſt contingere, quod debitor nobilis, & Princeps non poſsit iuxta ſuum ſtatum, abſque magno dedecore, abſtinere ab aliquibus etiam donationibus, & largitionibus gratuitis, quæ intra certos terminos pertinent etiam magnopere ad decentiam ſtatus, & ſine illis, ſordidus & vilis haberetur, & viueret cum dedecore: & in his caſibus, ſicut debitor ipſe poſſet iuſtè expendere, & alius poſſet iuſtè accipere.] Huc faciunt Doctores aſſerentes donationem remuneratoriam cenſeri debiti ſolutionem, ac proinde extrahendam de toto hæreditatis acerbo, more æris alieni. Ioannes Lupus, Caſtillo, Gomez, Arias, Nauarrus, Azebedo, Antonius Gomez, & alij, quos refert Sanchez *de Matrim. lib. 6. diſp. 36. numer. 2.* dicens: [Hanc ſententiam eſſe probabilem.] Quibus adde Molinam *de iuſtit. tom. 2. tract. 2. diſp. 413. verſ. Ex dictis, diſput. 292.* aſſerentem, quod, quando obſequia accepta ita ad æqualitatem compenſantur, vt niſi id fieret, non ſolùm ingens ingratitudo committeretur, ſed & actio negotiorum geſtorum; vel alia ſimilis intentari poſsit; quia non merè gratis cenſentur exhibita, debitum illud cum debitis ex contractu oneroſo debet computari. Qua propter optimè P. Vazquez *opuſc. de reſtitut. cap. 6. §. 1. dub. 1. numer. 18.* dixit, propter bonum commune, oportere aliquando regem non ſolum tributa vendere, ſed & donare in remunerationem laboris in bello, vel alia iuſta de cauſa.

13 Ex dictis non incongruè deducitur, excuſandas eſſe à peccato moderatas eleemoſynas, quas ciuitates, etſi ære alieno grauatæ, in ſuis congreſsibus diſtribuendas concedunt, hoc enim ad decentiam ſui ſtatus pertinet, ac proinde creditores irrationabiliter inuiti erunt, ſi ægrè ferant.

QVÆS.

Digitized by Google

QVÆSTIO VI.

Sit ne peccatum reſtituere Domino rem ſuam, quando illa abuſurus prævidetur?

1 CAſus eſt. Poſſeſſor rei alienæ prævidet, aut certò ſcit enſem, quem apud ſe habet alterius, aut pecuniam, quam illi debet ex contractu, depoſito, vel delicto, futuram illi occaſionem proximam peccati, quod dilata ſolutione, ſeu reſtitutione, vitabitur; poterit ne enſem, quem ad occiſionem petit, aut pecuniam, quam ad meretricium exoptat; ei tunc reſtituere?

2 Dico 1. ſi abſque graui ſui damno poteſt ſolutionem, ſeu reſtitutionem rei alienæ differre, ad id tenetur. Ratio eſt. quia ex charitate tenemur graue peccatum proximi vitare, quando, abſque graui noſtro incommodo poſſumus. Si enim præceptum correctionis fraternæ illum correctione prævenire nos obligat vt non labatur; à fortiori obligabit inſtrumenta, quibus vitabitur peccatum, non conferre: ac proinde ad ea, etſi ſua, non reſtituenda: In his enim circunſtantijs, ius illi non eſt ad reſtitutionem, aut ſolutionem: quia præceptum charitatis fortius eſt, & magis obligat, & ideò iuſtitia in illis non adſtringit. Ita communiter Doctores. Leſsius, Molina, Reginald. Sayrus, Filliucis, apud Bonacinam, *diſp. 1. de reſtit. quæſt. vltima punct. 1. num. 4.* Quos ſequitur Lugo *de iuſtit. diſp. 21. ſect. 2. num. 26.* Et reddentes gladium proprio domino volenti ad nocendum alteri; quando abſque proprio graui damno vitari poteſt, ad damnum reſtituendum obligant Sotus, *lib. 4. de iuſt. q. 7. art. 1. ad 1.* Ledeſma *2. part. 4. quæſt. 18. art. 5. columna 8. verſic. Sed hæſitare quis poterit.* Aragon, *2. 2. quæſt. 62. art. 5. fol. 247.* & ibi Salon *controuerſia 2.* Bannes *ibi dub. 2.* Carbon. *de reſt. quæſt. 75. concluſ. 4.* Manuel, *1 tom. ſummæ in 2. editione cap. 15. ad finem.*

3 Dices: vxor tenetur reddere debitum coniugale marito, etiam ſi iſte illicitè petat contra votum caſtitatis: ergo & debitor tenebitur reſtituere ſuo creditori, quod illi debet; licèt ſciat illum re ſua abvſurum. Reſpondeo primò, cum alijs, vxorem, ſi poſſet abſque graui ſuo incommodo, & abſque periculo rixarum, negare debitum, ne maritus contra votum delinquat, ad id teneri: dum tamen peccata, etiam alia hoc medio vitanda ſibi ſuadeat; ſi verò ſecus res ſe habeat, nequaquam tenebitur: quia negatio debiti tunc non eſt medium, quo vitatur peccatum contra votum, ſed potius occaſio, vt contra naturam, vel in alia ſpecie contra votum delinquat. Sic P. Leſsius *de iuſtit. lib. 2. cap. 16. dub. 4. num. 59.* & plures, quos refert Sanchez *de Matrimonio, lib. 9. diſp. 6. num. 5.*

4 Reſpondeo ſecundò, votum caſtitatis mariti ſolum obligare illum ad non petendum debitum, non verò ad non reddendum. Atque adeò, ſi vxor virum copulam appetere cognoſcat, tenetur ipſa præuiè ex charitate petere, vt ſic vitet peccatum illius, quod abſque graui ſuo incommodo vitare poteſt.

5 Dices ſecundò, ſiquis velit vti re ſua ad peccandum, nemo poſſet ei auferre, ſed ſatisfaceret corrigens. Ergo nec tenebitur enſem, aut pecuniam ſuam non reſtituere, ſed fraterna correctione à peccato retrahere. Reſpondeo vnumquemque ex charitate ad hæc peccati inſtrumenta removenda teneri, ſi commodè, & abſque vi proximo illata poſsit: ni aliunde ſimilia ei ſuppeditanda prævideat; & cum rarò hæc omnia ſimul concurrant, ad correctionem ſolum fraternam (ſi ſpes ſit emendæ) Doctores communiter obligant Quos ſequuntur Nauarra, Azor, Thomas Sanchez, & alij apud Lugo, *ſup ſect. 2. num. 25.* imò addunt alij (quibus aſſentior) & ad rem ſuam illi reſtituendam teneri, quando ſi ei non reſtituatur, aliunde eſt illam, aut ſimilem accepturus. Sic P. Leſsius, & Card. de Lugo vbi ſupra. Quia tunc ſolum eſt licitum non reſtituere alteri petenti rem ſuam, vel non ſolvere debitum, quando non reſtitutio, ſeu dilatio debiti eſt profutura ad vitandum illius peccatum. Quando autem ad hoc nil deſeruit, charitatis præceptum differre ſolutionem non obligat, ſed rem ſuam iuſtitia Domino reſtituendam iubet, Imò & Charitas, cum ex oppoſito facilè oriantur rixæ, inimicitiæ, & ſcandala.

6 Quapropter ait Leſsius, *ſup. num. 58.* quem alij ſequuntur, rarò peccare mortaliter reſtituentes Domino rem ſuam, qua malè vſurum prævidet: quia ſi ei non reſtituatur, poterit coram iudice petere, & compellere debitorem; & cum is non poſsit ſe à ſententia reſtitutionis eximere, probando prauam intentionem creditoris, obligabitur reſtituere, & forſan ex dilatione ſequetur, toto litis tempore, continuati peccatum alterius: qui proinde minus graviter peccaſſet, ſi cùm primùm rem ſuam petiuit, fuiſſet ei reſtituta. Quæ conſiderare oportet, cùm caſus euenerit, ne fortè dum peccatum proximi vitare intendimus, aggrauemus.

7 Et quod magis: licitum eſſe abſolutè, non ſolùm rem ſuam illa abvſuro reſtituere, ſed aliam illi vendere, dum abſque intentione praui vſus prævifi fiat, docet Caietanus *2. 2. quæſt. 10. art. 4* loquens de vendente infidelibus indifferentia, quibus malè vſuros, v. g. ad idolorum cultum, agnoſcit, quod pro-

bat,

bat, [quia vendendo iſta indifferentia, cum ſcientia, & ſine intentione vſus mali futuri, non dat directè occaſionem peccandi.] Et infra [malus (inquit) vſus, qui ſequitur, non eſt reſpectu ſic vendentis voluntarius, ita vt ſibi imputetur, ac per hoc non eſt peccatum.] Et ſaltem non eſſe mortale docent Petrus de Ledeſma *in ſumma tom. 2. tract. 27. cap. 2. dub. 4.* & alij.

8 Non me latet Caietanum diſcrimen conſtituere inter vendētem agnum iudæis, & vendentem venenum conſcio de malo vſu futuro, aut balliſtas tempore belli iniuſti, [quia tenetur (inquit) ad impedienda damna præviſa.] Sed diſparitatem ſufficientem non reddit: Qua propter in vtroque caſu id licitum eſſe, tradit M. Texeda, *t. 1. lib. 2. tract. 3. cont. 12. n. 1.* vbi ait [licitū eſt vendere iudæis agnū, quamvis ſciatur eo vſurus eſſe ad ſuos ritus. Similiter, qui vendit enſem facinoroſo non peccat, quamvis homicidium ab eo perpetrandum ſit præviſum: quia vtitur re ſua in ordine ad bonum effectum, quem enſis habere poteſt.] Cui partim conſentire videtur M. Araujo *in diciſsionibus moralibus de ſtatu ciuili diſp. 5 ſect. 2. num. 8.* vbi ait: [Reſpondetur quod neque lege charitatis nos compelli avertere à peccato eum, qui ſuo pravo affectu ad peccandum eſt paratus, ſeu determinatus] & infra, poſtquam ex hoc principio docuit, in numero ſeptimo, non peccare chriſtianum vendentem iudæo agnum, quem ſcit emere ad ritus iudaicos, dummodo ad eum finem non vendat, neque eodem prava intentione maculetur, eo quod tunc, neque conſentit, neque cooperatur peccato alterius. Addit infrà num. 8. [De tertiò denique caſu, dicendum eſt ſub diſtinctione: nam aut petens gladium, & venenum eſt amens, aut eſt compos, & libertate gaudens. Et quidem amenti darè aut vendere gladium ſive venenum non licèt: quia tunc vendens ſive dans ponit eum in occaſione ſibi, aut alteri nocumentum inferendi; neque etiam licèt dare, ſeu vendere ei gladium, ſeu venenum: quia etiam lege charitatis id facere prohibetur: eo quod lege charitatis tenetur vnuſquiſque vitare in quantum poteſt corporale damnum proximi, & eius occaſionem removere. Hæc autem non removetur in caſu poſito, niſi denegando ei gladium, aut venenum, quæ de ſe ſunt inſtrumenta illatiua damni corporalis, videlicèt homicidij, mutilationis, aut percuſsionis. Igitur qua lege tenemur ex charitate domus vicini incendium extinguere, ſi poſsimus commode; eadem, & ei gladium, & venenum denegare, qui pronus, vel paratus eſt ſibi, vel alteri inferre nocumentum; vt benè notat Azorius quæſt. citata propè finem.] Hec M. Araujo, ſi autem petens gladium ſit compos, & libertate gaudens, non negat iſte author quod liceat enſem illi abvſuro vēdere. Sentit ergo M. Araujo nullum eſſe diſcrimen conſtitundum inter vendentem agnū iudæis, quo malè vſuros ex malitia, præcognovit, & vendentem venenum, ſeu enſem, rationis compoti, & libertate gaudenti.

9 Nihilominus diſparitatem eſſe inter vtrumque caſum, contendit Baronius, *in opere contra Amadæum f. l. 276.* dicens [diſparem eſſe vtriuſque cum rebus, quæ venduntur, connexionem. Quia mors corporis per ſe coniuncta eſt cum veneno, & cum armis ad homicidium tantum quæſitis, ac proinde cōſcius eiuſmodi mala certo ſequutura, non poteſt licite arma, & venenum hæc maleficia patraturo vendere. Mors verò (inquit) animi accidentario, & ex malitia ementis adiungitur rei per ſe indifferenti ad bonum, & malum vſum: quare licèt ea vendere, ſi tantum accidentario iuncta ſint cum morte animi; numquam verò, ſi ex illa per ſequatur mors corporis.] Egregia ſanè ſolutio; quaſi venenum, & arma mortem corporis alterius afferrent abſque libera voluntate ementis ex malitia ad abuſum, ſicut, & mors animi ſequitur, quando indifferentia quælibet ad bonum, & malum vſum, ad malum tantum quærantur, & comparantur. Ergo vel in vtroque caſu miniſtrans indifferentia, eſt a culpa eximendus, vel in neutro.

10 Ideò conſequentur ad ſuperiùs dicta, dicendum eſt peccare mortaliter vendentē, aut acommodantē in differentia illis abvſuro, quoties abſque graui ſui incommodò negare poſsit. Ad hoc enim lex charitatis obligat, ex qua graue damnum proximi, ſiue ſpirituale, quod ex eius malitia ſequitur, ſiue temporale, quod invitus patitur, euitare tenemur: vt apud omnes ſancitum eſt. Et benè docèt Thomas Sanchez ſupra *num. 18.* Qui Caietanum, Bannez, Salon, Aragon, & alios, diſcrimen conſtituentes inter indifferentium miniſtrationem volentibus illis contra iuſtitiam abvti, vt in damnum tertij, vel contra aliàs virtutes; hos excuſantes à peccato, & non illos, inquit, exponendos, vt tantum velint, rationem communem vendendi res proprias, (nempè iacturam, quàm patietur, ſi res ſuas, quas venales habet, minimè vendat, ſi ei neget quem illis abvſurum ſcit,) non eſſe ſufficientem ad excuſandū à culpa, quando abuſus futurus eſt contra iuſtitiam, ſeu in damnum tertij. Quia in his, innocens invitus damnum patitur, in illis verò ſolum peccans propria voluntate: & in vtroque caſu eſt damnum ſpirituale abvtentis, in altero verò ſuperadditur corporale innocentis: vrgentior ergo cauſa requiritur ad excuſandum

...um à peccato miniſtrantem indifferentia illis abvſuro contra Iuſtitiam, ac quando contra alias virtutes. Et ita cum Sanchez, adductis verbis, tradit Thomas Hurtado, *tom. 1. tract. 1. cap. 5. reſ. 14. num. 114. & 115.* Aliam reddit rationem M. Araujo ſup. nempè: quia damni ſpiritualis ipſe ſolùm peccans ſua libera voluntate eſt cauſa, ac proinde poſſumus agnum iudæo illo abvſuro ad ſuos ritus vendere, nocumenti verò temporalis non ipſe ſolus, ſed gladius etiam, ſeu venenum: ac proinde, qui illa vendit, cooperatur effectivè moraliter nocumento, tradendo inſtrumenta de ſe effectiva illius. Sed non placet: quia vendens agnum Iudæo, etiam concurrit effectivè moraliter ad falſum ritum, miniſtrando agnum, ex quibus infertur audiendum non eſſe M. Texeda; nec M. Araujo in his, in quibus cum illo convenit.

11 An verò teneatur ad reſtitutionem damni temporalis prævisi, qui indifferentia, de quibus ſuprà, Domino reddidit, vel miniſtravit? Affirmant, vt dixi, graves Authores. Quibus adde Leſsium, *lib. 2. cap. 16. dub. 4. num. 59.* Salom *2. 2. quæſt. 62. art. 5. contr. 2.* Saytum *in claui, lib. 20. tract. 5. cap. 1. n. 12.* Trullench citarum, *dubio illo 3. num. 5.* Et probabiliùs cenſet Tamburinus, *lib. 8. decal. tract. 4. cap. 1. § 2 num. 6.* Ducuntur hi Doctores primò, *l. ſi pignori, ff. de furtis*, vbi commodans ferramenta, vel ſcalam ad furtum, & ſi nullum conſilium principaliter intervenerit, furti tamen actione teneri deciditur. Secundò: Quia valdè proximè cooperatur ad iniuſtam actionem reddens gladium, vel clavem, quam negare poſſet: cooperando autem valdè propinquè ad actionem iniuſtam, ſe conſtituit cooperatorem iniuſtum, & quaſi ſocium, & complicem eiuſdem delicti contra iuſtitiam.

12 Nihilominus probabile eſt reſtituentem rem nocituram in materia iuſtitiæ proximo, non teneri ad reſtitutionem talis nocumenti. Ita Molina, *tom. 3. diſp. 755.* Toletus, *cap. 25.* & Bartholomæus à Sancto Fauſto *in ſpeculo, diſp. 4. quæſt. 63. num. 6.* Et probatur primò. Quia ex iuſtitia prohibentur actiones illativæ mali: atqui traditio gladij, vel clavis, Domino illis abvſuro ad homicidium, vel furtum ex ſe non eſt illativa mali: & ſi quod malum ſequitur, non eſt proximè, ſed remotè, & mediante actione creditoris abutentis re tradita. Hæc verò traditio tam remotè concurrens non obligat ad reſtitutionem, vt patet in dante pecunias vſurario daturo illas ad vſuram; licèt enim ille dans pecuniam peccet, non tamen reſtituere tenetur, vt docent Molina, Caſtrus Palaus, Hurtadus de Mendoza, quos citant Diana, *part. 5. tract. 7. reſ. 11.* & Leander, *diſp. 5. reſ. 10.* ſuffragium ferentes. Vel ex hoc capite: quia præter traditionem pecuniæ factam vſurario: vt ſequatur iniuſtitia vſuræ, requiritur actio vſurarij mutuantis ſub vſuris: Ergo pariter cùm præter reſtitutionem gladij, vel clavis adulterinæ, vt ſequatur homicidium, vel furtum, requiratur actio Domini abutentis, & gladio occidentis, & adhibita clave furantis, reſtituens gladiū, vel clavem Domino, nō erit obnoxius reſtitutioni. Paritas vrgere videtur: quia ſicut alter meo gladio occidit, alter meis pecunijs feneratur, & illis dãnū infert: ergo ſi deponens pecuniam apud vſurarium, quem benè novit contra iuſtitiam illa abvſurum, non tenetur ad reſtitutionem damni illati, ſic nec qui enſem, cum prævisione abvſus contra Iuſtitiam, ei accommodat. Sic omnes, qui peccatum ſolùm contra charitatem in reſtitutione enſis agnoſcunt.

13 Quorum ſententia locum, etiam habet in noſtra opinione, quam defendimus, *1. part. ſelect. tract. 3. de Sacramento Pœnitentiæ diſp. 3. quæſt. 2. cap. 3.* aſſerente, eiuſmodi peccatum non ſolùm eſſe contra Charitatem, ſed contra iuſtitiam, nempè ex illo vniuerſali principio, quod præbens materiam peccati, aut eliciens actionem, ex qua prævidet alium ſumpturum occaſionem peccandi, non ſolùm peccare contra Charitatem, vt docuerūt, Lugo, Nauarrus, Suarez, Coninch, & alij, quos, vbi ſuprà, citaui, quibus adde Leandrum, *tom. 1 tract. 5. diſp. 8. §. 5.* & cum alijs Dianam, *part. 10. tract. 12. reſ. 29.* ſed etiam contra virtutem ab alio violandam; quod, cum pluribus, ibidem defendi: quia licèt peccatum exhibitionis materiæ indifferentis ad bonum, & malum vſum, quando abuſus in damnum proximi futurus prævidetur, ſit contra iuſtitiam, non tamen eſt contra iuſtitiam directè, ſed indirectè, vt ait, latiſsimè, & erudictiſsimè probans, P. Valentia, *2 2, diſp. 5. quæſt. 21. punct. 4.* quem ſequitur P. Thomas Sanchez *in ſumm. lib. 1. cap. 7. num. 8.* eo quod nemo cauſa moralis directa cenſeatur eius, quod nec præcipit, nec conſulit, nec intendit, nec re ipſa efficit. Cuius indirecta violatio non obligat ad reſtitutionem, vt fatetur ipſe Sanchez, *vbi ſup. num. 35. in fine*, & expreſsè tradit P. Gaſpar Hurtado in terminis, (vt dicunt) terminantibus, *diſp. 2. de irregularitate dif. 8. num. 32.* Giſbalinus, & Leander infrà citandi.

Digitized by Google

§. I.

Conſectarium primùm.

14 AN verò irregularitatem incurrat, qui præbet arma ſciens, aut timens eſſe ad iniuſtè occidendum, non tamen præbet ex intentione homicidij? quæſtio eſt inter Doctores. Affirmant communiter, vt videre licèt apud Bonacinam *de cenſuris diſp.7.quæſt.4.punct.3.num.35.*& apud Leandrum, *tom.5 de irregularitate tract.2.diſp.10. quæſt.82.* Nihilominus contraria probabilis eſt, quam tenent Giballinus *de irregularitate cap.4. quæſt.1. conſect. 10.* Leander à Sacramento *vbi ſuprà*, & P.Gaſpar Hurtado, loco ſupracitato, per hæc verba; id tamen quod docent Sayrus, & Avila, nempè, eum eſſe irregularem, qui præbet arma, ſciens, aut timens eſſe ad iniuſtè occidendum, quamvis verum exiſtimemus, quando ea præbet ex intentione homicidij: quia tunc verè dicitur occidere iuuando ad illud, imò id pertinet ad homicidium ex propoſito: quia aſſumit medium vtile ad occiſionem ex intentione occiſionis. *Id tamen difficilè exiſtimamus*, quando ea præbet abſque intentione homicidij: quia tunc non dicitur occidere, nec ad id iuuare: quia tunc tantùm tribuit arma, quibus occidens poſſet benè, & malè vti, abſque intentione mali vſus; quod non pertinet ad homicidium, abſque dicta intentione: quia ita eſt vtile ad homicidium, vt etiam ſit vtile ad alia bona, & ad ſummum id tantum eſt peccatum ſcandali paſsiui, & contra iuſtitiam ſecundariè, & non obligans ad reſtitutionem damni]Hæc Hurtado.

15 Cuius verba, fideliter excerpta dedi *in opuſcul.pro Ieſuitis, tract.de cenſuris, prop.6.* Quæ tranſcribere placuit, vt inde mireris Vincentij Baronij fidem *2.p. Manud.diſp.2. ſect. vlt.art.2.fol. 275.* vbi paucis, duas impingit calumnias: alteram Michi: alteram Patri Hurtado, mihi, quod negem Patrē Hurtado dicere, quæ ex illo retuli; iſti, quod adeò certam ſuam opinionem exiſtimet, quod vix contraria defendi poſsit. [Hurtado, ait Baronius) ab irregularitate eximit illum, qui arma concedit Petro, certus, aut timens illa peti ad homicidium, ſi abſit animus occidendi. Amadæus negat id aſſerere Hurtado: cùm tamen *diſp. 2. de irregularitate*, hanc opinionem adeò validis, dicat, á ſe argumentis cōfirmatam, vt vix adverſa opinio defendi poſſit.]Hæc Baronius; quem excuſarem, ſi paſſim non impingeret. Vbinam Amadæus negat, *quod Hurtado eximat ab irregularitate illum, qui arma concedit, &c.* Cùm eius verba, quæ ſuprà, fideliter excerpat? Vbi dixit Hurtado *ſuam opinionem adeò validis à ſe argumentis confirmatam, vt vix adverſa opinio defendi poſsit.* Cùm nec verbum, vltra ſuperiùs à me aducta, ſcripſerit, nec quæ ſcripſi, apud illum legeris? ſed vt video Amadæi verba caligantibus oculis legiſti, ideòque vt ſenſum mutares, illa truncaſti; & vt Patri Hurtado calumnias inſtrueres, ei impoſuiſti contrariæ opinioni probabilitatem negare. Itane verò? Doleo ſanè, quod toties apprimè Baronio quadrent verba illa Auguſtini contra Iulianum lib 8 cap 4. *Tu vir honeſtus, & verax cùm ſis, abſtuliſti verba, quæ dixi; & dixiſti, quæ finxiſti; redde verba mea, & vaneſcet calumnia tua.* Sed his omiſsis.

16 Dicendum eſt probabile eſſe in prædicto caſu non incurri irregularitatem. Ita Doctores ſuprà citati, quos ſequitur Doctor Garſi *cent.1.cap.73.* Probatur 1. Quia præbens arma petenti ad homicidium, æquè ad illud concurrit, ſiue iniuſtum, ſiue iuſtum ſit, quia vel in vtroque euentu concurrit effectiuè moraliter, vel in nullo; ſed quando præbet arma ſciens, aut timens, petere ad homicidium iuſtum, (vt in bello iuſto) non incurrit irregularitatem ex defectu lenitatis: ergo nec incurret irregularitatem ex delicto, ſi ſciat, aut timeat ad iniuſtū homicidium peti. Cōſequētia eſt evidens: quia cōcurrētes effectiuè moraliter ad homicidium, ſiue iuſtum, ſiue iniuſtum, ſunt irregulares; alij ex defectu lenitatis, alij ex delicto. Ergo ſi quando homicidium eſt iuſtum non concurrit effectiuè moraliter: ita nec quādo iniuſtum. Iam quod in primo caſu non incurratur irregularitas ex defectu lenitatis, dicūt eſſe probabile Ludouicus de Torres *de cenſur. lib. 9. diſp.68. dub.1* & Diana illum citans *p.4.tr.2.reſ.28.* & abſolutè tradit Avila *de cenſur. p.7. diſp. 5.ſect.3.dub.2.concl.1.* vbi ſic: [Ex dictis ſequitur, quod vendentes, vel donantes arma militibus ad bellum iuſtum, non manent irregulares. Et hoc intelligo, quamvis præbeat arma offenſiua in ipſo conflictu belli, & quamvis ſit Clericus in ſacris.] Sic Avila.

17 Probatur ſecundò: quia præbens arma petenti, etſi cum præviſione, ſed abſque intentione abuſus, re ipſa illū non efficit, ſed ſolum materiam abuſus exhibet: In exhibitione autem, vtpotè rei, quæ ad bonum vſum, vt ad iuſtam defenſionem, deſervire poteſt, peccatum alterius non conſiſtit; ſed in actione alia iniqua, quæ neque directè, nec indirectè eſt ab illo volita. Ergo licèt ex charitate teneatur directè illam euitare, non verò ex iuſtitia directè, ſed indirectè. Atqui ad incurrendam irregularitatem requiritur violatio iuſtitiæ directè: ergo. Minor probatur: quia in pœnis ſtrictior interpretatio eſt adhibenda;

da;

Digitized by Google

da; Ergo ſicut ad obligationem reſtitutionis non ſufficit exhibitio materiæ indifferentis, qua proximus ab vſuris contra iuſtitiam præuidetur, (vt cum Molina, vt probabile docet Sanchez, vbi ſuprà *in ſumm. tom.1. cap.7.num.36. in fine.*) Ita neque ad incurrendam irregularitatem.

18 Vrgetur: quia probabile eſt, in prædicta exhibitione armorum, etiam cum præuiſione abuſus contra iuſtitiam; ſolùm interuenire peccatum contra charitatem; vt docet Doctor Garſi *cent.1.cap.73.num.5.* & ſupponit M. Lorca *2.2. q.10. art.9. num. 5.* Sed, vt actio aliqua inducat irregularitatem homicidij, requiritur, quod militet contra quintum decalogi præceptum, contra legem naturalem non occidendi (vt cum Soto, Auila, Sayro, Layman, & Lezana, tenet Garſi ſuprà, & eſt ſententia communis inter Doctores.) Ergo probabile ſaltem eſt exhibitionem armorum abſque intentione homicidij, licèt cum præuiſione poſtea futuri, (maximè quando aliunde haberentur) non incurri irregularitatem.

19 Dixi, *maximè, quando aliunde arma haberentur*, quia in hoc euentu non forè mortale, petenti concedere, docet cum Bonacina, & Sanchez, Trullench. *lib.5. in decalog. dub.5. num.26.* Ad incurrendam autem irregularitatem ex delicto, requiri culpam grauem, vtpotè ad pœnam grauem, eſt communis Doctorum ſententia. Ergo in hoc euentu probabilius erit irregularitatem non incurri. Videatur P. Thomas Sanchez *lib. 1. ſumm. cap.7. num.16.* vbi ſic ſcribit. [Si res illa ſit omnino indifferens, ac remotè ſe habens ad peccatum, vt vendere agnum infideli, quem ſcio velle ad immolandum idolo, fucos mulieri, quos ſcio velle ad alliciendum iuuenes ad turpem ſui amorem, tunc probabile cenſeo vendentem excuſari à culpa, ſi certo ſciat ipſo non vendenti alterum venditurum, quamuis nulla alia cauſa excuſans concurrat. Quod probant rationes pro parte affirmanti adductæ. Vel certè eſt ſatis probabile id non forè culpam mortalem: atque, re benè perpenſa, ita probabilius iudico, ſed forè culpam venialem. Non autem eſſe mortale ſuadent mihi rationes initio allatæ: & quia materia leuis videtur in hoc euentu illud cooperationis genus. Quare ſi aliqua cauſa; quamuis nec vrgens, nec grauis, prorſus à culpa excuſare t.] Sic Sanchez cui conſentit M. Lorca *2.2.q.10.art.9.num. 5.* dicens. [Quidam limitant hanc ſententiam, vt vendere non liceat, ſi eo quod non dederim, ſperetur impediri peccatum alterius, & ego non patior detrimentum aliquod magni momenti. Sed non oportet his ſcrupulis innodare conſcientiam; nam hic non agimus de obligatione impediendi peccatum alterius, quæ prouenit ex correctione fraterna, & charitate, & habet ſuas regulas, quas agentes de charitate tradenus: nunc verò ſolùm agimus de ea obligatione, quæ oritur ex cooperatione, & concurſu ad iniquam alterius actionem, & qui huiuſmodi inſtrumenta miniſtrat, rarò impediri poterit alterius peccatum, & rariùs tenetur diſcutere, an impedire valeat.] Sic ille.

20 Si ergo reſtituens, aut exhibens arma, quibus bene, & malè poteſt proximus vti, ex parte cooperationis ad abuſum à culpa ſaltem mortali excuſatur, quando eis non exhibitis non vitabitur peccatum; & rarò ex hoc capite vitandum, (maximè quando arma ſunt ex his, quibus frequenter homines vtuntur,) ferè certum ſit; negare non poſſumus eſſe valde probabile irregularitatem non incurrere, qui abſque intentione homicidij, etſi cum præuiſione illius, ea reſtituat, vel accomodet. Quia ſecundum communem Doctorum ſententiam, ſicut ex communicatio maior non incurritur abſque culpa læthali; ita neque irregularitas ex homicidio caſuali, abſque peccato mortali contra quintum decalogi præceptum. Quod vltra Doctores citatos à Garſi, vbi ſuprà tradunt Syluester, Villalobos, Nauarrus, Suarez, M. Ioannes de la Cruz, & alij, quos citaui *1. part. ſelect. tract.5. de cenſ. q.7. num. 10.* Quibus conſentiunt Coninch, Hurtado, Prepoſitus, Filliucius, Tannerus, Henriquez, Sà, & alij, quos ſequitur Diana *part.4. tract. 2. reſ.20.* aſſerentes actionem, & ſi aliàs illicitam, niſi ſit peccatum mortale preciſè ratione periculi occidendi, non inducere irregularitatem ex homicidio caſuali.

21 Secus verò dicendum de præbente arma petenti in ſubitanea rixa, quem aliunde benè nouit, aut prudenter timet, non ad ſui iuſtam defenſionem, ſed ad iniuſtam homicidium exigere: hunc enim ſentio, non poſſe excuſari ab irregularitate, ſicut nec à peccato homicidij, ſi abſque graui ſui damno illa negare poſſit. Ita Giualinus *vbi ſuprà, verſ. Crediderim*, quia præbens arma in his circunſtantiis peccat contra iuſtitiam, cooperatur enim homicidio, auxilium præſtans homicidæ. [Si enim (ait Giualinus) illi in eo præcinctu vocatus adſim, aut auxilium fero, vnde fiat, vt mea præſentia audatior factus, aut potentior meo ſubſidio occidat inimicum, re vera fio irregularis, vt diximus; quid ni, idem continget, ſi præſtando arma auxilio ſim? Niſi igitur aliqua cauſa legitima excuſet, vt fortaſsis continget in ſeruo, dicor huic cædi propriè cooperari, & ſum irregularis.] Huc vſque ille. Et benè.

Digitized by Google

§. II.

Conſectaria alia.

22 HINC Ad proprium notabile damnum vitandum, excuſari captiuos porrigentes turcis arma ab eis petita ad Chriſtianos interficiendos, docent Corduba *in ſumm. q.*137. *dub.*2. Molina *tom.*1. *de iuſtitia*, *diſp.*115. *concl.*1. Azor *tom.*1. *lib.*2. *cap.*17. *q.*6. P. Sà *in ſumm. verb. Peccatum, num.*9. Et ex eadem ratione, Molina, & Azor excuſant hos aſportantes ſarcinas, & neceſſaria ad bellum iniuſtum, admouentes ſcalas, & machinas ad muros, quod refert, & ſequitur P. Thomas Sanchez *vbi ſup. num* 18. Subnectens [pro eadem parte ſunt Doctores, quos numero ſequenti referam aſſerentes, licitum eſſe reddere furioſo gladium depoſitum, quo ſe, vel alium perimere vult, quando abſque graui detrimento vitari nequit] nempe, M. Sotus, M. Ledeſma, Aragon, Salon, Bañez, Carbon. & Manuel Rodriguez, quos ibi citat. Quorum ratio eſt: nam cum talis reſtitutio, ſeu miniſtratio armorum tibi neceſſaria ſit, cauſare non cenſeris peccatum alterius, ſed potiùs vti iure tuo, & peccatum alterius permittere. Ita cum Sanchez, & Suarez, tradit Palao *tom.*1. *tract.*6. *diſp.*6. *punct.*8. Qui benè ad notat, *num.*8. prudentis arbitrio relinquendum, quæ ſit cauſa ſufficiens excuſare à peccato cooperationis contra iuſtitiam, vel charitatem, cæterum, *part.*11. *num.*9. ſic loquitur [Si verò de miniſterijs iniurioſæ actioni deſeruientibus loquamur; & hæc indifferentia ſint; ſicuti ſunt comitari furem, vel occiſorem, ſuſtentare ſcalam, dare gladium occidere volenti, & ſimilia, etſi poſſint in aliquo caſu honeſtari; at hic debet eſſe grauiſsimus, & longe maior, quàm in ſuperioribus actionibus, quia tunc non ſolum agitur de vitando heri peccato, ſed præcipuè devitando periculo, & damno innocentis. Quo circa ſpectandum eſt damnum innocentis, & comparandum cum damno, quod tibi euenire poteſt ex ceſſatione talis miniſterij; nam ſi damnum innocentis eſt vitæ, & tuum in pecunijs, & non multum graue; cui dubium eſſe poteſt te obligatum eſſe abſtinere, & pati illud damnum, ne innocens pereat? & ita tenet Sanchez *lib.*1. *in decal. cap.*7. *num.*12. 18. 22. 27. Neque eſt, qui contra dicat.] Hæc Palao.

23 Eſt tamen aduertendum, aliquas eſſe actiones, quæ neceſſario inducunt proximi damnum inuita, vt emiſsio ſagittæ, vel bombardæ; & iſtæ non ſunt indifferentes in indiuiduo, ſed intrinſecè malæ, ſi authoritate propria fiant, quæ proinde nunquam honeſtari poſſunt, vt docent communiter Doctores, & conſequenter neque ab irregularitate excuſari.

24 An verò actiones aliæ directè, & per ſe proximo iniurioſæ, vt ſunt eius domum perfringere, deuaſtare, bona ſubripere; poſſint à peccato exculari, ſi timore mortis, aliter imminentis, fiant? Dubium eſt inter Doctores. Negant aliqui, ſed contrariam tenet P. Molina *tom.*1. *de iuſt. diſp.*115. *concluſ.*5. vbi ſic. [Mortis metu, aut amiſsionis membri, fas eſt eiuſmodi captiuis, nocumentum inferre Chriſtianis, in bonis externis, ea, ad infidelium imperium deſtruendo, capiendo, & ad triremes aſportando. Probatur, quoniam in eo euentu ſunt in extrema neceſsitate illorum bonorum ad vitam propriam conſeruandam: Ergo quantum fas eſt cuique in extrema neceſsitate ſumere de bonis aliorum ad conſeruandam propriam vitam; tantum damni fas erit eiuſmodi captiuis inferre bonis aliorum ad vitam propriam tuendam: præſertim cum, ſi ipſi non cooperētur ad illud damnum, de futuri non ſint, qui illud ſimiliter inferant.] Quem ſequitur Palao vbi ſuprà *tom.*1. *tract.*6. *diſp.*6. *punct.*11. vbi ſic probat. [Quia tibi licitum eſt externis bonis proximi vti, pro vt neceſſarium eſt ad vitandam extremam neceſsitatem: ſed illa deuaſtare, capere, & aſportare, tradereque minanti mortem, eſt tibi neceſſarium ad illam vitandam. Ergo id facere potes. Nec Dominus illarum rerum debet eſſe inuitus, ſed potiùs debet ex charitate conſentire, neque actionem pro vt à te fit, iniurioſam reputare.] Hæc Palaus, quem cum alijs ſequitur Diana 3. *part. tract.*6. *miſc. reſol* 48. *verſ.*6. vbi ſic. [Licitum erit captiuis Chriſtianis, metu mortis, aut amiſſionis membri, nocumentum inferre Chriſtianis, in bonis externis, & ad infideliū præceptum, deſtruendo, vel capiendo, & ad triremes aſportando. Ita contra Bonacinam *de contr. diſp.*1. *q.*2. *punct.*10. *num.*8 docent Pe Hurtado *de charitate, diſp.*10. *diffic* 7. Turrianus *in* 2.2 *diſp.*96. *dub.*3. Reginaldus *lib.*21. *num.*119. Molina *tom.*1. *diſp.*115. *concl.*5. & Sanchez *in ſumm. tom* 1. *lib.*1. *cap.*18. *num.*7.] Quibus adde Angelum Maria Vericelli *tom.*1. *q. Moralium, tract.*2. *q.*35. *ſect.*3. *num.*22.

25 Quorum ſententia duplici verisſimo principio nititur: alio, in extrema neceſſitate omnia eſſe communia: alio, extremam neceſsitatem eſſe non ſolum, quando mors ab intrinſeco imminet, vt à morbo, vel ex defectu alimenti, ſed etiam quando ab extrinſeco, & ex malitia alterius. Primum eſt commune Theologorum, cum D. Thoma

2.2.

2.2.q.66 *art.7.* vbi ait: [Cùm imminet perſonæ periculum, & aliter ſubveniri non poteſt, tunc licitè poſsit aliquis ex rebus alienis ſuæ neceſsitati ſubvenire, ſiue manifeſtè, ſiue occultè ſublatis.] Quod tradit pluribus in locis, quæ videre licèt *in opuſcul. pro Ieſuitis, tract. de iuſtit. propoſition.* 8. Secundum defendunt plures Doctores, ibi citati, inter quos M. Petrus de Ledeſma, M. Victoria, M Acatius de Velaſco, Valdellus, Villalob. Baſilius de Leon, Leander à Sacramento, Nauarra, Franciſcus Galleti, & alij. Quibus adde Dianam vbi ſuprà *reſol.* 48. *citata*, & Doctorem Garſi *cent.* 1. *cap.* 20. vbi ſic. [Quod procedit etiam, quando neceſsitas eſt ab extrinſeco: quia ex eo, quod ab extrinſeco ſit, non deſinit eſſe extrema.] Quibus conſentit Vazquez *in opuſc. de teſtam. cap.* 5. §. 1.

§. III.

Animadverſio in Baronium.

26 CVM Hæc duo principia, quibus ſententia Palai innititur, Vincentius Baronius eneruare non poſſet, imò nec illis diſentire 2. *p. Manuduct. diſp.* 1. *ſect.* 1. *fol.* 61. & aliunde videret cõcluſionem Palai legitimè ex illis deduci; maluit, per calũniam, longè aliam, valde diſonam ei impone re; quam veritati ſubſcribere, & vt omnes in Palaum concitaret, in hæc prorrupit: [Extrema neceſsitas, ex mente D. Thomæ, omniũque ſapientum; dat ius in bona externa proximi, & remouet metas, quibus iure gẽtium diuiſa ſunt bona, prius iure naturæ communia. Sed quis dicat ius conferre in vitam inſontium? in Rempublicam? in Eccleſiam? & omnia vitæ humanæ, ac Chriſtianæ officia convellere? Hoc enim vno cõſectario, Amadæus, & Palao euertunt regulam Apoſtoli, *non ſunt facienda mala, vt eueniant bona.*] O Baroni! vbi nam apud Palaum, & Amadæum hoc conſectarium inveniſti? ex tuo ſanè cerebello prodijt, in tuam ſolius mẽtem venit: quia authores alij ſolùm vſum bonorum externorum proximi quem extrema neceſsitas concedit, ac ſi iure gentium non eſſent antea diuiſa, licitum concedunt. Ex hoc autem principio tuum illud conſectarium de occiſione inſontis, deſtructione Reipublicæ, & de ſolatione Eccleſiæ ad conſeruandam propriã vitam, nullatenùs deducitur, vel tumet ipſe deuorare teneris, cùm illorum principia defendas? Omnes tamen tibi neganti conſentiunt, & expreſsè ipſemet Palao vbi ſuprà *n.* 11. de alijs actionibus, quæ directè, & per ſe proximo iniurioſæ non ſunt, ſic loquitur *nu.* 11. [Limitant tamen benè Salas, Sanchez, Molina, Leſsius, Rebellus, Vazquez, non excuſari captiuos Chriſtianos metu mortis remigantes (in Turcarum triremibus, vel apponentes ſcalas ad occupandam ciuitatem) ſi videant damnum graue Reipublicæ Chriſtianæ ipſis non remigantibus, evitari poſſe, quia tunc tenentur propriam vitam, ob cõmune bonum, exponere.] Hæc ſi legere Baronio vacaſſet, horribile conſectarium non deduxiſſet, & opprobrijs alijs ne modeſtiæ parceret pepercilset.

QVÆSTIO VII.

An Petrus iuſſus à Franciſco donare librum Ioanni, teneatur, mortuo Franciſco, illum donare?

1 CAſus hic frequens eſt, & vera illius reſolutio depẽdet ex his, quæ iure poſitiuo ſancita ſunt. Nam de iure naturali cõtroverti ſolùm poteſt duplex quæſtio: Prima, an ſecluſo iure poſitiuo, donatio facta abſenti ſit valida ante eius acceptationem? Secunda, an acceptatio ſubſequens mortem donatoris ſufficiat, an præuia requiratur? Circa primam quæſtionem pars negatiua eſt cõmunis Doctorum, quos ſequitur Sãchez, *lib.* 1. *de Matr. diſp.* 6. *nu.* 2. *&* 3. Quia obligatio non oritur, niſi ex mutuo duorum conſenſu, vt habetur *l.* 1. *ff de pactis.* Quia propter Doctores etiam communiter, & leges, quas allegant, exigunt, quod donator per nũtium, vel epiſtolam, donatario intimet donationẽ a ſe ipſo factam, & ille acceptet, vt duorum voluntates ſic coniunctæ obligationem tradendi in donatore pariant. Ergo donatio facta abſenti nõ eſt valida ante acceptationem. Et ſic habetur expreſsè *l.* 4. *tit.* 4. *p.* 5 *& l.* 3 *tit.* 11. *p.* 5. vbi ad obligationem dicitur requiri, *Menſagero cierto, que le embie à dezir lo que le dà, &c. ò por ſu carta firmada.* Vnde fit ante acceptationem donatarij factam ex vi intimationis volitæ & intentæ à donatore per nũtium vel epiſtolam ab illo miſſam, nullam de iure naturali obligationẽ in donante oriri, quàmvis demus quod aliũde in notitiam donatarij deueniret; & quod extra chorum ſaltans gratias donati referret quaſi donationẽ acceptans. Hæc enim acceptatio nõ habet qualitates iure naturæ requiſitas, cùm non fuerit à donatore procurata, provt ad vnionem voluntatum requiritur.

2 Quoad ſecundam quæſtionem: nempè, an mortuo donatore, ante acceptationem donatarij, poſsit iſte, cui per epiſtolam vel nuntium de donatione certiorem effici curauerat, rem donatam acceptare? negant aliqui. Fauſtus *in ſpecul. Confeſſ. diſp.* 20. *quæſt.* 41. Trullench *in decalogum, tom.* 2. *lib.* 7. *cap.* 17. *dub.* 4. *num.* 6. & alij, quos, dicens eſſe com-

communem, refert Layman, cum Gomez, & Molina. Contrariam verò ſententiam, pluribus citatis, tenet P. Thomas Sanchez vbi ſuprà. Et mihi arridet: quia donatio ex parte donatoris habuit, quidquid requiritur ad eius valorem, ad cuius complementum ſola acceptatio donatarij deſiderabatur. Ergo hac ſuperueniente, manet irreuocabilis: patet conſequentia: quia nec fuit reuocata ante acceptationem, nec mortuo donatore, datur alius, à quo poſsit reuocari: quia facultas reuocandi, quæ extitit in donatore, non tranſit ad eius hæredes, vt cum Couarrubias, Iulio Claro, & alijs, notant Layman, & Sanchez ſupra *num.* 5. Ergo eodem modo res ſe habet, ac ſi donator mortuus non feciſſet, & viuens non reuocaſſet. Confirmatur: quia non eſt reuocata voluntas donantis, ex eo quod phiſicè non exiſtat, ſufficit enim perſeueret moraliter, quod illi cōuenit ex eo quod phiſicè extiterit, & non fuerit retractata; præcipuè ſi in aliquo ſuo effectu continuetur, vt in præſenti contingit, in epiſtola, vel deſignato nuntio ad intimationem donationis abſenti faciendam. Alij opinionem mediam tenent, nempè hanc noſtram ſententiam veram eſſe, quando res donata mittitur per litteras authenticas, & publicas; ſecus aliter. Ita P. Amicus *tom.* 5. *diſp.* 18. *ſect.* 5. *num.* 50. & P. Molina *tom.* 2. *de iuſtitia, tract.* 2. *diſp.* 264. §. *iuxta hactenus dicta*: quia noſtram opinionem ſolùm amplectitur in caſu, quo Notarius nomine abſentis acceptauerit promiſsionem. Sed hanc conditionem neceſſariam non eſſe, probat Sanchez vbi ſupra, & conſtat ex ratione, qua noſtram opinionem probabimus.

3 Ex hac concluſione infertur Petrum, cui fuit iuſſum deferre librum Ioanni, teneri, etiam poſt donantis mortem, illum Ioanni tradere, vel eius hæredibus, ſi defunctus fuerit: quia hæres perſonam defuncti repræſentat; & ſicut ille poterat, poteſt, & ipſe acceptare. Ita cum pluribus, quos refert, tenet Sanchez *de Matrimon. lib.* 1. *diſp.* 6. *numer.* 6. contra nonnullos, quoad hæredem donatarij negantes, quibus nil debere mortuo donatario cenſent; ſed in tali euentu, donatoris hæredibus reſtituendum, ſicut, & ipſi, ſi viueret. Quorum ſententia probabilis eſt, & talem reputat Sanchez, quia contrariam probabiliorem vocat, & ratione graui nititur: quia hæredes donatoris cenſentur vna, & eadem perſona cum ipſo, vt ait idem Sanchez *num.* 5. At qui ſi donator viueret illi deberet liber reſtitui: quia mortuo donatario voluntas donatoris eo ipſo cenſetetur reuocata, vtpotè ad illum tantum, & non ad illius hæredes directa per epiſtolam, vel nuntium ad eum miſſum. Ergo mortuo donatario, ipſi donatori ſi viuat, vel eius hæredibus, & non alijs res tradita reſtituenda eſt. Hæc ſententia, vt dixi, eſt valde probabilis, quam tenent Gregorius Lopez, Antonius Gomez, & Burgos de Paz, apud Sanchez ſuprà. His poſitis.

4 Difficultas alia reſtat, ad praxim valde conducens. An quando non præceſsit donatio, neque promiſsio, ſed Petro iubetur, quod librum donet Ioanni; ſi iubens ante acceptationem Ioannis mortuus fuerit, poſsit Petrus donare Ioanni? P. Sà, *verb. Donatio, n.* 21. *& verb. Mandatum, n.* 2. cenſet idem in hoc caſu, ac in præcedente dicendum: quia hoc mandatum eſt res fauorabilis, & gratia quædam, atque adeò non expirat morte mādantis. Idem ſentit author caſuum conſcientiæ, Bononiæ diſcuſſorum, *anno* 1634 & probabilem putant Leſsius *lib.* 2. *cap.* 18. *dub.* 6. *n.* 46. Diana *p.* 6. *tract.* 7. *reſol.* 4. *& p.* 8. *tract.* 6. *reſol.* 94. & Caſtro Palao apud Garſi *cent.* 1. *cap.* 68. *n.* 2. & P. Layman vbi ſuprà ait, ad praxim id permittendum; donec ab hæredibus iubentis donare res exigatur. Quia licèt Ius ciuile aliter ſtatuerit, no videtur naturalem exequendi facultatem irritam facere, ſed ſolùm ciuiliter ceſſare, & hæredibus ius reſciſsionis concedere, ac proinde ſubnectit, *ad reſtitutionem nuntium non obligarem ante iudicis condemnationem.*

5 Cæterùm contraria ſententia tenenda eſt: quia expreſsè deciſum eſt in iure, nūtium, qui poſt mortem mandantis, rem donauerit, non transferre dominium rei traditæ. *ita leg.* 2. *ff. de donationibus*, vbi ſic habetur. *Sed ſi quis donaturus mihi: pecuniam dedit alicui, vt ad me perferret, & ante mortuus erit, quàm ad me perferatur; non fieri pecuniam domini j mei, conſtat.* Sic ibi. Qui quidem textus expreſsè procedit, de pecunia donanda ex mandato domini, cuius dominium ab accipiente nō adquiri, deciditur, ſi priuſquam tradatur, Dominus, qui mittebat deceſſerit. Nihil ergo probat ratio P. Sà, & aliorum. Quia ſi ex eo quod mandatum de re donanda ſit fauorabile donatario, mandatum non expiraret, caſſa omnino, & innanis fuiſſet deciſio iuris. Eſt ergo tenendum in dominium donatarij venire non poſſe; ac proinde illum nequire eam recipere, vt retineat, ſed ad reddendam hæredibus mittentis, ad quos, vtpotè in iura defuncti ſuccedentes, pertinet. Dicere autem legem ſuprà citatam non impedire veram tranſlationem dominij, & in foro conſcientiæ retineri poſſe, donec per ſententiam iudicis condemnetur, (vt dixit Laymam) non video, qua ratione ſuſtineri poſsit. Alias eodem fundamento dici poſſet leges negantes beneficiarijs nō recitantibus adquiſitionem dominij fructuum, eandem lati-

Digitized by Google

latitudinem admittere. Quod dici nequit: eſt enim vt ſcandaloſum damnatum ab Alexandro VII. *anno* 1665. vt ſuo loco diximus. Eſt ergo tenendum mãdatum expirare morte mandantis, vt habetur *leg. ſi verò, ff. mandati*, & conſtat per neceſſariam conſequentiam *ex leg. 2. ff. de donationibus* ſuprà citata, ac proinde hæredibus donàtoris, ante acceptationem donatarij, pecuniam reſtituendam.

6 Hæc verò ſententia limitationem patitur, quando mandatum eſt ad pias cauſas, vt ſi de eleemoſyna elargienda; vel fauore dotis, vel Scholaſticorum, vt cum Tiraquello, Couarrub. & Molina, ait Thomas Sanchez *ſuprà numer.* 9. & cum Leſsio, Molina, Fauſto, & alijs tradit Doctor Garſi *ſuprà numer.* 7. & probatur, *ex l. ſi pater, in principio, ff. de manumiſ. vindicta*; vbi mandatum fauore libertatis non expirat morte mandantis. Per quam legem limitanda venit aliarum deciſio. In tanto enim gradu, leges cauſæ piæ fauent, vt non pauci Doctores, quos refert Sanchez *num.* 16. & ſequitur P. Molina *tom. 2. de iuſtit. tract. 2 diſput.* 263. *ſ. incipienti*, exiſtimauerint donationem, vel promiſsionem factam cauſæ piæ, ante acceptationem fieri irreuocabilem, quamàvis leges acceptationem, ad hunc effectum, vniuerſaliter loquentes exigant, quas vide apud Sanchez *nu.* 19 In hoc ſenſu explicata ſententia P. Sà, verum continet; ſecùs aliter.

7 Quæ diximus procedunt, quando, mãdatum fit nuntio, vel famulo deferendi pecuniam alteri. Secùs verò dicendum, ſiquis conſtitus eſſet procurator cum poteſtate donandi. Si enim mandans deceſſerit, & tamen procurator eius mortem ignorans donauerit, factum tenet; & valida eſt donatio, ex diſpoſitione iuris *l. ſi mandaſſem, l. inter cauſas, ff. mandati*. Quia geſta per procuratorem, dum eius reuocatio, ſiue expreſſa, ſiue tacita ignoratur, ſuo valore non deſtitui, leges ſtabiliunt. Vt notant P. Molina, & Sanchez vbi ſuprà cum alijs *num.* 9.

8 Sed quid dicendum ſi dubium ſit, an donatio, & promiſsio præceſſerint, an verò ſolum interuenerit mãdatum de pecunia donanda? In 1. enim caſu quando dubiũ non eſt, diximus rem donatam debere conferri donatario, etiam ſi donator ante acceptationem iſtius obierit. In ſecundo autem reſtituẽdam hæredibus donatoris? Reſpondebit aliquis nuntium, vel famulum rem deferentem, parti ſibi fauorabiliori, ſtare poſſe: Nã cũ in vno, & altero caſu ſit opinio probabilis pro vtraque parte contradictionis poterit quam maluerit amplecti. In primo, quæ aſſerit, etiam ſi donatio præceſſerit, poſſe, & debere hæredibus donatoris defuncti ante acceptationem donatarij, reſtitui; vel contrariam, quam nos tenuimus; poſſe & debere donatario conferri. Et ſimiliter in ſecundo de pecunia ex mãdato donanda; ideòque poterit nuntius tuta conſcientia, cui maluerit partium, reſtituere, iuxta vnam, vel alteram opinionem. Et ſanè ſi donatario tradiderit, nemo eum obligabit, vt recuperet: cùm iuxta opinionem probabilem proceſſerit. Si verò donatoris hæredibus, quis factum omnino improbabit? cum plures Doctores grauiſsimi, ita fieri debuiſſe, in primo caſu doceant; & probabile fuiſſe in ſecundo, tueantur: Poterit ergo nuntius in dubio opinionum probabilium conſtitutus, cui maluerit partium ſe gratum exhibere. Cæterùm iuxta noſtra principia, cũ in caſu donationis, vel promiſsionis, debeat donatario conferri, & in caſu mandati, hæredibus donatoris, ſi dubius ſit caſus, an 1. an 2. modo res ſe habuerit, cenſeo rem pro qualitate dubij diuidendam, aut ſortes mittendas: vt in caſu dubij de iure partium, tenentur iudices iuxta probabiliorem ſententiam.

9 Pulchrum hic occurrit dubium, quod Doctores citati verſant. An ſi nuntius iniuſtè diſtuliſſet rem ipſi traditam donatario deferre, ſeu mandatum de illa donanda exequi, teneatur ratione damni illati donatario, tantundem illi reſtituere, etiamſi rem prius ipſi traditam donatoris hæredibus reſtituerit? Doctores, qui ſentiunt in vtroque caſu donatoris hæredibus debere reſtitui, apertiſsimè defendunt ad duplicem reſtitutionem nuntium teneri; donatoris hæredibus: quia ante acceptationem donatarij, ſub eorum dominio res manet: donatario: quia ratione damni iniuſtè ei illati, conſtitutus eſt nuntius debitor reparandi. Ita P. Molina *de iuſt. tom.* 2. & plures apud Dianam *p.6. tr.7. reſ.*4. Amicus, & Villalob. apud illum *par.* 8. *tr.6. reſol.*94. quos ſequitur Garſi *cent.* 1. *cap.* 68. *num.* 8.

10 Fateor graue damnum provenire donatario ex dilatione traditionis rei, quoties ex mora ſequatur, non poſſe illi tradi, poſt mortem donatoris: quod tantùm contingit, quando ex mandato Domini erat donanda, (iuxta ſuperiùs à nobis dicta) ſecùs quando ex vi donationis, vel promiſsionis prius abſenti facta, vt diximus. Qua propter deciſio huius quæſtionis dependet ab illa: an ex culpa impediens commodum alterius teneatur illi damnum reſtituere? verb. grat. qui dolo, aut fraude, fuiſſet in cauſa, vt teſtator, qui te hæredem voluit inſtituere, mutaret voluntatem, vel vt tibi non conferretur beneficium ab eo, qui iam conferre decreuerat. P. Sa, *verb. reſtit* 22. ſic reſpondet:

[Reſtituere non tenetur, qui teſtamentum curauit mutari, etiam dolo; non enim per illud, acquiſitum eſt ius, ſecundum quoſdam. At alij iſtum teneri dicunt: quia contra iuſtitiam faciens, læſit.] Ergo cùm ante acceptationem, donatarius ad rem ipſi traditam ius non adquiſierit, non tenetur Nũtius mandatarius aliquid ei reſtituere, licèt malitiosè deferre diſtulerit: quia hoc peccatum contra charitatem eſt, non contra iuſtitiam; ex cuius tantùm violatione, obligatio reſtituendi oritur, iuxta communem Doctorum ſententiam, quam defendi *p.1. ſelect. tr.3. diſ.7. q.4.*

11 Cæterùm communis, & vera ſententia eſt, detentionem malitioſam rei alteri tradendæ, quando ex dilatione graue illi damnum proventurum præiudicatur, eſſe contra iuſtitiam, ac proinde obligationem reſtituendi eſſe illi annexam. Ita communiter Doctores, apud Dianam vbi ſuprà. Et ita etiam communiter omnes circa impedientem malitiosè, vi, aut fraude, inſtitutionem hæredis, aut collationem beneficij, vel officij; ſecus ſibi conferendi. Ita tradit ipſe P. Sa, vbi ſuprà, cum S. Antonino, Soto, Nauarro, Roſella, Pedr za, & Cordoua: & tenent omnes apud Dianam *part. 3. tract. 6. Miſcell. reſol. 33.* Proximus enim habet ius, ne alius ipſi impediat, vi, fraude, vel dolo, commodum ex alterius voluntate proventurum. Ergo qui ex malitia differret executioni dare mandatum, ex qua dilatione, probabiliter timeretur damnum euenturum, iniuriam grauem donatario inferret; ideòque ad reſtitutionem damni illati ſub lethali teneretur. Vnde infertur in tali eventu ad duplicem reſtitutionem teneri, aliam hæredibus donatoris, ratione rei acceptæ, ex mãdato alteri donandæ; aliam donatario ratione damni iniuſtè illati.

12 Ad hanc verò obligationem contrahendam neceſſarium eſt, quod culpa grauis in dilatione exequendi mandatum interveneri t. Ratio eſt: quia ratione damni illati, abſque culpa graui, non oritur obligatio gravis: eſt enim veluti pœna, & pœna grauis culpæ leui non eſt imponenda. Ita docent P. Granado, Lorca, P. Sa, Nauarrus, & Benarducius, apud Dianam *p.1 tract. de paupertate Relig. reſol. 34* & cum Henriquez, Soto, Sylveſtro, Innocentio, & alijs tradit Leſsius *lib.2. de iuſt. cap.7. num.17.* Vnde qui ex inaduertentia vel ignorantia periculi mortis, iubentis donare, vel ex aliqua alia iuſta cauſa, vel etiam ex ignorantia omnimoda de dãno ſecuturo donatario, ex dilatione executionis mandati; bona fide credẽs, poſt mortẽ iubentis rem traditam non hæredibus illius reſtituendam, ſed donatario, non contrahere obligationem grauem reſtituendi ratione damni illati.

DISPVTATIO QVINTA, de Fide. Appendix.

QVÆSTIO I.

Vtrùm fides explicita de myſterijs Incarnationis, & Trinitatis ſit medium neceſſarium ad ſalutem?

§. I.

Doctorum ſententiæ.

1 AD Huius quæſtionis enodationem præmittendum eſt primò: diſtinctionem fidei explicitæ, & implicitæ (de qua ſub his terminis meminit D. Thomas *2. 2. q. 2. art. 5.*) in ipſis actibus fidei locum habere. Fides implicita dicitur, cùm intellectus in confusò, & indeterminatè cognoſcit, & credit: explicita verò, quando in particulari diſtincte, & ſigillatim obiectis cognitis adhæret. Sic explicat D. Thomas *quæſt. 14. de verit. art. 11.* [Vnde, inquit, explicitè dicimur aliqua credere, quando eis actu cogitatis adhæremus: implicitè verò, quãdo adhæremus quibuſdam, in quibus ſicut in principijs vniverſalibus iſta continentur, ſicut qui credit, fidem Eccleſiæ veram eſſe; in hac quaſi implicitè credit, quæ ſub fide Eccleſiæ cõtinentur.] Sic D. Thomas, & communiter Theologi, Gabriel, Toletus, Valentia, Azor, & alij, quos citatos ſequitur Thomas Sanchez *in ſum. lib.2. cap.2. num.1.*

2 Præmittendum ſecundò; dupliciter poſſe aliquid neceſſarium eſſe ad ſalutem: vel neceſsitate medij; vel neceſsitate ſolius præcepti. Illud dicitur neceſſarium neceſſitate medij, quod ita requiritur ad ſalutem, vt eo deficiente, in nullo eventu ex lege ordinaria ſalus obtineri valeat, à quo nulla excuſat ignorantia, nulla impotentia: Illud verò neceſsitate ſolius præcepti, quod neceſſario exequendum eſt, ſi facultas ſuppetat; non tamen ita quin abſque illo, gratia, & gloria comparari poſsit, excuſante ignorantia invincibili, vel occaſionis defectu. Sic explicatam invenio diſtinctionem neceſsitatis medij, & præcepti, apud Sanchez ſuprà, & apud Valentiam *tomo 3. diſp.1. quæſt.2. punct.2.* quem cum Coninch, & alijs, ſequuntur Caſtro Palao, *tom.1. tract.4. diſp.1. punct. 8.* P. Antonius Perez *in 2. part. diſp.3. cap.12. num.6.* Parra de

Digitized by Google

de pænit. diſp. 1. quæſt. 2. art. 1. fol. mihi 377. verſ. obſeruo 3. Lorca 2. 2. *quæſt. 2. art. 8. diſp.* 22. *mem.* 3. *num.* 11. Granado 2. 2. *controu.* 1. *tract.* 10. *in præmiſsis, ad diſputationem primam*, & Laymam *tom. 2. tract. 1. cap* 8. Quos ſequitur M. Acatius de Velaſco *tom. 1. verb. Fe, reſol.* 229. *num.* 6. ibi: [Neceſsidad de me dio ſe llama, quando no ſe puede alcançar el fin con otro medio: deſta manera es neceſſario la gracia, para alcançar la gloria. Neceſſidad de precepto ſe llamá, quando ay precepto, y ſino lo huviera, no era aquel medio preciſamente neceſſatio.] Sic M. Velaſco, cum citatis. Quibus adde illuſtriſsimum D. Ildephonſum de Monte-Negro, Epiſcopum de Quito *in doctiſsimo Itinerario, lib. 2 tractat. 1. ſect. 11. num.* 5. & Marcum Vidal *in Arca ſalutari, tract. de Sacrament. Pœnit. inquiſ.* 2. *num.* 7. *fol.* 242. ibi: [Notandum quartò, dupliciter aliquid dici poſſe neceſſarium, nempè neceſsitate medij, & neceſsitate præcepti; illud dicitur neceſſarium neceſsitate medij, ſine quo etiam inculpabiliter omiſſo, finis obtineri non poteſt: illud verò neceſsitate præcepti, ſine quo tantum culpabiliter omiſſo, finis nequit haberi. Vnde in primò, carentia etiam inculpata nocet, at in ſecundo ſolum voluntaria, & culpata tranſgreſsio] Sic ille, & alij communiter, quos ſequitur Cardinalis de Lugo *tom. de fide, diſput.* 12. *ſection.* 1. dicens: [Neceſsitate medij dicitur neceſſarium illud, ſine quo etiam inculpabiliter omiſſo, non poteſt haberi ſalus.] Sic ferè omnes Doctores. Quos ſequitur Doctor Ioſeph. Garſi *in qq. Moral centur.* 1. *cap.* 94. *num.* 3. Premittendum 3. fidem explicitam dupliciter dici poſſe neceſſariam ad ſalutem, vel in re determinatè, vt requiritur gratia ſanctificans ad ſalutem: vel in re, vel in voto, vt baptiſmus aquæ. Premitto 4. vorum poſſe eſſe explicitum; vel implicitum, quale includitur in actu charitatis, vel contritionis, qui eſt implicitè voluntas ad implendi omnia præcepta obligantia ſub læthali. His poſitis, & hoc rigore vſurpata neceſsitate medij, inquiritur, an fides explicita in re, de myſterijs Incarnationis, & Trinitatis, ſit neceſſaria ad ſalutem neceſsitate medij?

3 Prima ſententia tenet, poſt Evangelij promulgationem, fidem explicatam in re de myſterijs Incarnationis, & Trinitatis neceſſariam eſſe adultis neceſsitate medij ad gratiam, & gloriam obtinendam. Sic D. Thomas pluribus in locis, quem refert, & ſequitur M. Lorca 2. 2. *diſp.* 22. *num.* 2. Valenti 2. 2. *quæſt.* 2. *punct.* 4. Ioannes a S. Thoma, *diſp.* 4. *tit.* 1. *artic.* 1. Thomas Sanchez *lib.* 2. *ſumm. cap.* 2. *num.* 8. & probabilem putat Hurtado de Mendoza 2. 2. *diſp.* 44. *ſect.* 1. *concl.* 4. & alij, quorum fundamenta, tàm ab authoritate, quàm à ratione, infra ſubijciam. Quibus ponderatis concludit Suarez *diſput.* 12. *ſect.* 4. *num.* 8. eſſe probabilem hanc ſententiam; & tanquam manifeſtam ſequitur Doctor Garſi *vbi ſuprà n.* 6.

4 Secunda ſententia, è regione oppoſita, quæ mihi magis placet, defendit, fidem explicitam de Incarnationis, & Trinitatis myſterijs non eſſe in re neceſſariam ad ſalutem neceſsitate medij, ſed in re, vel in voto: ac proinde pluribus in caſibus, ſola implicita horum myſteriorum fide, gratiam, & gloriam de potentia ordinaria obtineri poſſe. Hanc opinionem tenet M. Sotus *in* 4. *diſt.* 5. *q. vnic. art.* 2. *dub. vltim. poſt.* 3. *concluſ.* §. *Ad hæc*, vbi ſic ait: [Fides explicita, quam prima concluſio (nimirum de myſterijs Incarnationis, & Trinitatis) aſſerit, eſſe neceſſariam, certè non aliter eſt neceſſaria, quàm ſicut Baptiſmus neceſsitate præcepti, & finis ad obtinendam indulgentiæ gratiam, quare qui per ignorantiam ab illo præcepto excuſantur, nullam habent eiuſdem fidei neceſsitatem.] Et infrà. [Concludimus, ſalva cenſura doctis iudicantium, quod qui ignorantia inuincibili Evangelij laborant, ſine fide explicita, per ſolam implicitam, quemadmodum gratiam, ita & gloriam obtinere poſſunt.] Hactenus Sotus. Quem ſequitur M. Serra 2. 2. *q.* 2. *art.* 7. vbi ſic: [Secunda ſententia eſt negans, fidem explicitam Chriſti ita eſſe de neceſsitate ſalutis, vt ſine illa nullus poſsit ſalutem primam, aut ſecundam, nempè gratiam, & gloriam conſequi. Hanc tenet M. Soto *diſt.* 5. *q. vnic. art.* 2. *dub. vltim.*] & infrà: [Dicendum eſt ſecúdò; nunc poſt Chriſti adventum, & publicationem Evangelij, poſſe aliquos ſaluari, & tàm primam, quàm ſecundam ſalutem conſequi, abſque fide Chriſti explicita.] Et in fine articuli: [circa articulú octauum, id ſolum advertendum; idem eſſe de fide explicita Trinitatis dicendum, ac de fide explicita Incarnationis Chriſti.] Sic ibi.

5 Quod autem hæc ſententia ſit M. Soti, & quod valdè probabilis ſit, tradit doctiſſimus M. Dominicus Bañez 2. 2. *quæſt.* 2. *artic.* 8. §. [*Quæretur denique*] *concluſ.* 4. [Non eſt, inquit, hæreſis, nec temerarium, aut ſcandaloſum aſſerere, quod poſsit aliquis modo aſſequi vitam æternam ſine fide explicita Chriſti, &c. Hanc ponimus contra Canum vbi ſuprà: quia oppoſitam ſententiam tenet Sotus *in* 4. *diſtinct.* 5. *quæſt. vnica, artic.* 2. *dub. vltim.* vbi conſtituit ſex argumenta ſatis probabilia, & certè hoc videtur valde probabile.] Et abſolutè amplectitur M. Bartholomæus de Medina *in inſtruct. Confeſſ. libr.* 1. *cap.* 14. §. 2. ibi: [Algunos dizen, que para que vno ſe juſtifique,

y ſe ſalve, es neceſſaria fè explicita de los miſterios de nueſtra redempcion, y que ſino la tiene, no ſe ſalvarà: mas eſte es vn rigor muy grande, porque el que ha eſtado en parte dōde no ha podido tenerla, no ſe podrà ſalvar. La verdadera opinion es, que ſea de precepto diuino, &c. Mas en algunos caſos ſe podrà el hombre ſalvar con la fe implicita ſola; como ſi vno eſtuvieſſe allà en las Montañas, donde no ay Predicadores, que enſeñen la Fè de Chriſto, eſte ſe podra ſalvar, ſi implicitamente cree aquello, que tiene la Santa Madre Igleſia.] Cui accedit Petrus de Ledeſma *in ſum. 2. p. tr. 1. concl. 4. cap. 2.* dicens: [En algun caſo eſtraordinario ſe puede vno ſalvar, ſin conocer expreſſamente el miſterio de la Santiſsima Trinidad.] Et M. Acatius de Velaſco vbi ſuprà *reſ. 329. num. 9. & 10.* [En algun caſo ſingular, baſtaria para la juſtificaciō la fè implicita de Chriſto nueſtro Señor, como ſiente Aragon en el lugar citado; y ſe colige de los actos de los Apoſtoles *Actor. 10.* &c. Confirmaſe eſto, porque la fè explicita de Chriſto, comunmente hablando, no ſe puede tener ſin Predicador, ſegun lo q̃ dixo San Pablo *ad Romanos 10.*] Eandem ſentētiam ex eodem inclyto Prædicatorum ſodalitio, tuetur M. Ioannes de la Cruz *in directi. 1. p. præcept. 1. art. 1. n. 4.* vbi ait: [Quartò ſequitur, quod licèt detur ignorantia invincibilis articulorum fidei in his, qui nec docentur in Eccleſia à Parochis, nec domi à Parentibus; ſi illi morerentur tunc, ſalvarentur cum fide myſteriorum primæ concluſionis.] Quæ autem ſint myſteria primæ cōcluſionis? accipe ex ipſo. [Prima concluſio: quæ ſint adultis in omni ſtatu credenda explicitè? Declaratur ſtatim, dum ſubditur: *accedentem ad Deum oportet credere: quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit.*] Hæc ille; ex quibus patet cum ſodalibus ſentire, fidem explicitam myſteriorum Trinitatis, & Incarnationis in re non eſſe neceſſariam ad ſalutem neceſsitate medij, ita vt ſine illa re ipſa habita nullus poſsit iuſtificari: in quo tātum ſenſu neceſsitas medij in præſenti vſurpatur.

6 Hanc opinionem amplectuntur Ricardus, Michael de Medina, Villalobos, & alij. Item Scotus, Gabriel, Corduba, & Vega, quos citat, & ſequitur Suarez *de fide, diſp. 12. ſect. 4. num. 10. & 11.* dicens: [Videri conſentaneam antiquis Theologis Hugoni, Victorino, Alenſi, & Alberto.] Quibus adde Turrianum *2. 2. diſp. 27. dub. 4.* Cardinalem de Lugo *diſp. 12. ſect. 4.* apud quem M. Iabellus, Zumel, & alijs. Item Coninch, Petrus Hurtado & plures quos refert, & ſequitur Ripalda *diſp. 17. ſect. 15.* Caſtro Palao *tract. 4. diſp. 1. punct. 9. num. 7.* Delgadillo *tom. de pœnitēt. cap. 8. dub. 7. num. 23.* & dicunt eſſe probabilem Diana *3. p. tr. 5. Miſc. reſ. 46.* & Layman *tom. 2. tr. 1. cap. 8. num. 5.* Tenentque duodecim ſapientiſsimi Magiſtri, quos citatos ſequitur Leander à Sacramento in decalogum *tom. 6. p. 1. tr. 2. de fide, diſp. 2. q. 13. fol. 9.* & illuſtr. Montenegro ſuprà, & P. Antonius Perez *2. 2. diſp. 3. cap. 12. n. 10.*

§. II.

Secundæ, & probabilioris ſententiæ fundamenta.

7 Hanc ſententiam, quam probabiliorem putò, probo primò. Quia neceſsitas fidei explicitæ de myſterijs Incarnationis, & Trinitatis in rigore ſuprà explicato, nullo ſcripturæ loco, nec Eccleſiæ definitione, nec efficaci ratione ſuadetur; ergo non eſt adſtruenda. Non me latet, quæſtionem hanc ad metaphiſicam potiùs, quam ad moralem Theologiam ſpectare: quia ſi re vera, & coram Deo, fides explicita poſt promulgationem Evangelij, ſit medium neceſſarium ad ſalutem, ita vt ea deficiente, ſiue ex ignorantia invincibili, ſiue ex alio capite, nemo de lege ordinaria ſalvus fieri poſsit, parum quidem ad ſalutem hæc opinio deſeruiet, vtpotè quæ quamvis probabilior, (immò & moraliter certa foret) media neceſſaria ad ſalutem ſupplere non poteſt. Cæterum ab hac quæſtione ſuperſcedere nequeo, quia licèt omnes conveniant, fidem explicitam de his myſterijs eſſe neceſſariam ad ſalutem de neceſsitate præcepti, omnibus, qui promulgationem Evangelij audierint, vt benè ait M. Sotus ſuprà *verſ. Qua propter*, nonnullis verò minus doctis ſuſpecta fuit doctrina, quæ neceſsitatem medij, in rigore ſuprà explicato, illi denegauit.

8 Ad rem igitur noſtram, ſic formo argumentum. Omnia ſcripturæ, & Sanctorum Patrum loca, quæ ad ſuadendam neceſsitatē medij, ab adverſarijs allegantur, ſolùm probant fidem Chriſti ſalvatoris, & Trinitatis, abſtrahendo à fide implicita, vel explicita eſſe medium neceſſarium ad ſalutem, non verò quod fides explicita in re determinatè: Ergo abſque vrgenti fundamento contrariū aſſeritur. Antecedens probatur efficaciter productis locis, quibus adverſarij nituntur.

9 Arguunt primò ex ſymbolo S. Athanaſij: [*Neceſſarium eſt ad æternam ſalutem, vt incarnationem Domini noſtri Ieſu Chriſti fideliter credat*, & ex illo Mathæi 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: qui crediderit, & Baptizatus fuerit, ſaluus erit, quia verò non crediderit, condemnabitur.* Et ex Paulo ad Galatas 2. *Scientes autem,*

autem, quod nõ iuſtificatur homo, niſi per fidem Ieſu Chriſti. Et ex illo D. Petri actor. 4 *Non eſt alius nomen ſub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.*

10 His autem, & alijs, quæ produci poſſunt, vno verbo reſpondetur, aut ſolius fidei (præſcindentis ab explicita, & implicita) neceſsitatem inuoluere; aut ſi fidei explicitæ, determinatæ; tantum procedere, quando Euangelium, & Myſteria in eo contenta credibilia ſufficienter proponuntur. In hoc autem euentu non ſolum Myſteria Trinitatis, & Incarnationis, ſed omnes fidei articulos ex neceſsitate præcepti tenentur omnes credere. Sic reſpondet M. Sotus *in 4. diſt. 5. quæſt. vnica, art. 3. verſ.* [Eodem modo ſoluitur illud Ioannis 8.] ibi: [Et vt ſummatim omnia comprehendamus: quicumque locus Scripturæ, qui de neceſsitate fidei explicitæ Chriſti loquitur, intelligendus eſt, ſecluſa ignorantia inuincibili.] Ergo ex locis adductis non magis ſuadetur neceſsitas fidei explicitæ Trinitatis, & Incarnationis, quàm aliorum articulorum fidei; cum autem horum ſola neceſsitas præcepti ex illis inferatur, non medij in rigore ſupra explicato, idem de aliorum Myſteriorum fide concludi debet. Cuius non leue fundamentum ſumitur, ex Symbolo S. Athanaſij, in quo poſt omnes fidei articulos, qui credendi proponuntur, ſic concluditur: *Hæc eſt fides Catholica, quàm niſi quiſque fideliter, firmiterque crediderit, ſaluus eſſe non poterit.* Et tamen euidentiſsimum eſt fidem explicitam omnium articulorum fidei non eſſe medium neceſſarium ad ſalutem.

11 Secundò probatur ex illo Ioannis 3. vbi Chriſtus Dominus ait: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt intrare in Regnum Dei.* Cuius verba non minorem Baptiſmi neceſsitatem exprimunt, quàm alia ſcripturæ loca neceſsitatem fidei explicitæ de Myſterijs Trinitatis, & Incarnationis; atqui ad ſalutem adultorum non eſt medium neceſſarium Baptiſmus in re ſuſceptus determinatè; ſed in re, vel in voto ſub diſiunctione; imò, neque in voto explicito determinatè; ſed in explicito, vel implicito, vt cum D. Thoma 3. *part. quæſt. 68 art.* 2. adiunctis his, quæ dicit 3. *part. q. 69. art.* 4. *ad* 2. docent communiter Theologi. Quos ſequitur M. Sotus, vbi ſuprà, verſ. [Qua propter, vt argumenta.] Ergo ex locis ſcripturæ, quibus, fidem eſſe neceſſariam ad ſalutem, nobis conſtat, non cogimur aſſtruere, fidem explicitam de præfatis Myſterijs in re, & determinatè, eſſe medium neceſſarium ad ſalutem, ſed ſub diſiunctione, in re, vel in voto, explicito, vel implicito.

12 Vrgetur: quia ex ſcriptura non minus habetur neceſsitas pœnitentiæ eis, qui poteſt Baptiſmum lapſi ſunt, quàm neceſsitas fidei ad ſalutem, vt conſtat ex illo Lucæ 13. *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis.* Et tamen certiſsimum eſt, pœnitentiam formalem, & expreſſam in re, & determinatè, non eſſe medium neceſſarium ad ſalutem, ſed ſufficere virtualem, & implicitam, quæ in actu amoris Dei ſuper omnia continetur. Ergo à ſimili in noſtro caſu dicendum erit. Alia congerunt aduerſarij loca ex concilijs, & PP. quibus eadem ſolutio apprimè quadrat.

13 Tertiò argumentor ratione. Adulti, qui nil audierunt de Chriſto Domino, nec de Trinitatis Myſterio, vt ſurdus, & mutus à Natiuitate, non poſſunt habere cognitionem expreſſam Trinitatis, & Incarnationis, nec aliam, quam ex ratione, gratiæ ſupernaturalis auxilio, eleuata, Dei notitiam habent, ergo nec fidem explicitam de his Myſterijs, nec votum explicitum illa credendi habere poſſunt: Et tamen ſaluari poſſunt, aliàs Deus illis deficeret in neceſſarijs ad ſalutem, ergo fides explicita de his Myſterijs, nec in re, nec in voto explicito, eſt neceſſaria neceſsitate medij. Iníuper probatur à priori. Quia hi, qui nil audierunt de Chriſto Domino, nec de Trinitatis Myſterio, &c. Poſſunt habere cognitionem ſupernaturalem Dei, vt remunatoris: qualis ex Dei illuminatione omnibus adultis, dum primum ad vſum rationis perueniunt, vt ad Deum ex toto corde diligendum conuertantur, ſecũdum Thomiſtas, de facto conceditur. Ergo vi illuminationis, adiuti auxilio gratiæ, poſſunt elicere actum amoris Dei ſuper omnia, etiamſi Myſteria Incarnationis, & Trinitatis inuincibiliter ignorent. Ergo abſque fide illorum explicita, ſola implicita, quæ illuminatione ſuper naturali, & in amore Dei ſuper omnia continetur, poſſunt iuſtificari, & ſalutem conſequi. Confirmatur, quia offenſa Dei poteſt proponi, vt contraria Deo ſummè bono, quin Trinitas, nec verbum Incarnatum explicitè proponantur: Ergo cum detur obiectum charitatis Dei, & odij peccati, & aliunde auxilium ſupernaturale gratiæ non deficiat, poterit quiſque actum contritionis elicere: Ergo, & abſque fide explicita Trinitatis, & Incarnationis iuſtificari. Non eſt ergo medium neceſſarium ad ſalutem, ab eo enim, quod neceſsitate medij, rigoroſa accepta, eſt neceſſarium, nulla excuſat ignorãtia, nulla impotentia; vt ex communi Doctorum diximus ſuprà. Nec audiendus Doctor Ioſeph Gaſſi vbi ſuprà, num. 8 Dum aſſerit, ſine fide explicita in re, de præfatis Myſterijs, *neque ipſam contritionem ſufficere.* Contritionem enim perfectam iuſtificare. Conſtat ex Tridentino *ſeſſ. 14 cap. 4.*

§. III.

§. III.

Quorumdam euaſiones diluuntur.

14 DICES Ex Lorca: poſt Euangelij promulgationem, ex Diuina inſtitutione prouenire, vt nullus actum perfectum amoris eliciat, quin habeat fidem explicitam Chriſti. Sed contra primò: quia eodem fundamento de pœnitentia formali, & expreſſa, & de voto explicito Baptiſmi, Diuinam inſtitutionem poſſet quiſque pro libito fingere, ac proinde adſtruere nullum peccatorem de facto actum amoris Dei ſuper omnia elicere, quin peccata illi memoriæ occurrant, & de illis expreſsè dolet; & ſimiliter neminem poſſe actum charitatis elicere, ignorato inuincibiliter Baptiſmo: Quæ nemo aſſerere audebit. Contra ſecundò ad hominem: quia, vt fatetur ipſe Lorca 2.2. *q.2.diſp.22.memb.4.nu.15.* Poſtquam, quis verè Chriſtianus factus eſt, ſi contingat, poſt lapſum in peccatum, iuſtificari; non eſt neceſſaria fides explicita de Chriſto, [ſed arbitror, inquit, ſufficere fidem implicitã.] Quia non ſemper memoriæ occurrit explicita Chriſti cognitio, ſine qua fides eius explicita impoſsibilis eſt. At qui concilia, & Patres, cũ fidem Chriſti neceſſariam eſſe dicunt ad iuſtificationem, de omni iuſtificatione indefinite loquuntur, & tàm primam adulti, quàm reſurrectionem poſt lapſum comprehendũt. Ergo ſicut quo ad ſecundam poſt lapſum, de fide implicita Chriſti, (quando explicita Chriſti cognitio non occurrit) congrue explicari poſſunt; ita, & quo ad primam.

15 Dices ſecundò ex M. Ioanne à S. Thoma; amorem illum erga Deum Authorem ſupernaturalem, qui abſque notitia explicita Chriſti, & Trinitatis haberi poteſt, forè quidem ſupernaturalem, adeò tamen in perfectum, vt non ſufficiat ad iuſtificationem. Sed contra manifeſte: quia vbi datur obiectum charitatis, & non deficit auxilium gratiæ ſupernaturalis, poteſt elici actus charitatis, & amoris Dei ſuper omnia, cum adſint omnia ad talem actum requiſita: Ergo ſi homines, qui nil de Chriſto audierunt, nec de Trinitate; per externam propoſitionem, vel internã illuminationem, perciprant Deum Authorẽ ſupernaturalem ſumme amabilem; poterunt ſuper omnia illum diligere; ergo, & habere amorem ſufficientem ad iuſtificationem. Dicere autem ex Diuina inſtitutione ordinatum eſſe, denegare auxilium gratiæ non habenti fidem explicitam, gratis dicitur; cùm nullibi in ſcriptura, nec in concilijs expreſſum inveniatur.

16 Dices tertiò ex Ioanne Martinez de Prado *tom.1.quæſt.mor.cap.7.de fide,q.4.§.3.* Hæc argumenta ſolum conuincere, fidem explicitam Incarnationis, & Trinitatis non eſſe taliter requiſitam ad iuſtificationem, vt ſine illa obtineri non poſſit, non verò eiuſmodi fidem explicitam non eſſe medium neceſſarium ad ſalutem. Quia Deus, inquit §. 6.*num.*38. Ita fidem explicitam in Chriſtum medium eſſe neceſſarium voluit, quod ſuppleri poſsit per fidem implicitam. Cui conſentit Vincentius Baronius in opere contra Amadæum *diſp.3.ſect.1. art.2. fol.*293. dicens: [Fidem explicitam Myſteriorum Trinitatis, & Incarnationis, neceſſariam ad ſalutem, ex vtroque capite medij, & præcepti, pronuncio, &c. (*Nempè, quia ex præcepto ad illam adſtringimur, & poſitiuo influxu eſt cauſa ſalutis, & non ſolum remouendo peccatum*) neque id negant vlli Thomiſtarum, tota controuerſia eo vertitur, an horum Myſteriorum fides explicita aliquo voto, vt Baptiſmus, & contritio ſuppleri poſsit re aliqua, qua præcontineatur, & ita cenſent Soto, Serra, & alij Thomiſtæ, quos refert Amadæus, nec à D. Thoma hac re diſſentiunt.] Sic Baronius. Sed cõtra primò: quia hoc eſt deſſerere quæſtionem in rigore, quo in præſenti diſputatur, vt notat Lugo *tom. de fide, diſp.12.num.* 91.*ſect.*4. Et conſtat ex dictis; cum ignorantiam inuincibilem excuſare fateantur, & fidẽ implicitam, ſeu in amore Dei ſuper omnia, & in illuminatione ſupernaturali cõtentam, ad ſalutem ſufficere, tueantur. Contra ſecundò: quia falſo dixit Baronius Thomiſtas citatos, à D. Thoma non diſſentire, vt infrà oſtẽdam; ideòque, vt à tanto Magiſtro non diſcedant, aliqui ex eius præclariſsima Schola aſſerunt fidem Chriſti explicitam ita eſſe medium neceſſarium ad ſalutẽ, vt re nulla ſuppleri poſsit, nec de lege ordinaria, queat aliquis ſine illa in re iuſtificari, aut ſaluari, in quo difficultatis cardo voluitur, & in hoc Authores inter ſe diſsident, vt videre licèt apud Magiſtrum Prado vbi ſuprà *q.4.§.3.n.* 11. Vbi poſt relatam ſententiam negantem, quàm ipſe, & nos cum alijs ſequuti ſumus, à *num.*7. ſic ait: [Alia huic ediametro oppoſita ſententia docet fidem Chriſti explicitam eſſe medium ad ſalutem; ita, vt ſine illa nullus, nunc de lege ordinaria poſsit iuſtificari, aut ſaluari, &c. Ex profeſſo tenent Lorca *diſp.22. memb.*2. Araujo ibi *dub.3.concluſ.* 1. Ioannes a S. Thoma dicens probabiliſsimam *diſp.4.art.*1. Antonius Souſa *in Aphoriſmis Inquiſitorum, lib* 1.*cap.*6 *num.*8.] Hactenus Prado. Ex quibus apertè conſtat controuerſiam hanc, niſi de fide explicita in re, & determinatè ſumpta procedat, ad quæſtionem de nomine reduci; nam aliqui Thomiſtæ, & plures Theologi, *num.*4. citati neceſsitatem

tatem medij fidei explicitæ non concedunt, eo quod ignorantia inuincibilis ab illa excuſet, alij verò ſecus: quia cenſent, re alia fidem explicitam ſuppleri non poſſe: in quo ſenſu ex communi ſententia numero ſecundo relata, nos vſurpamus neceſsitatem medij, quando ab eiuſmodi fide excludimus, ſi enim de fide explicita in re, vel in voto implicito, vel explicito ſermo ſit; nullus diſſentit.

17 Et ſanè ſi neceſsitas medij deneganda non ſit fidei explicitæ, licèt per implicitam ſuppleri poſsit, quæſtio hæc aliàs grauiſſima, vt dixi, de ſolo nomine erit; nec potiùs de Myſterijs Trinitatis, & Incarnationis, quàm de reliquis procedet. Nam quilibet tenetur omnes fidei articulos explicitè credere, quando ſufficienter, & ſigillatim proponuntur, vt docent Baronius, & M. Prado *ſuprà cap. 7. de fide, q. 6 à num. 7.* aſſerens cum M. Ioanne à S Thoma, Cardin. de Lugo, & alijs communiter, apud Leandrum a Sacramento *tom. 6. tract. 2. diſp. 2. q. 20.* omnes teneri explicitè credere articulos quos Apoſtolorum ſymbolum proponit: quæ eſt ſententia expreſſa D. Thomæ 2. 2. *q. 2. art. 5.* ibi: [Quantum ad prima credibilia, quæ ſunt articuli fidei, tenetur homo explicitè credere, ſicut, & tenetur habere fidem.] Quando verò illorum notitiam expreſſam non habet, ex ignorantia inuincibili, fides omnium explicita per implicitam ſuppletur; & poſitiuo influxu cauſa eſt ſalutis: cùm, vel per ſe ipſam, vel per ſuum votum cauſet primam gratiã; & tamen, nec M. Prado, nec Baronius, nec alius ex Doctoribus, quos pro ſe adducunt, ſomniauit dicere, fidem explicitam omnium articulorum fidei eſſe medium neceſſarium ad ſalutem. Ergo, quod fides explicita de Myſterijs Incarnationis, & Trinitatis, quando ſufficienter, & expreſsè proponuntur, haberi debeat: *Et quod cauſa ſalutis ſit, poſitiuo influxu*, non euincit explicitam horum fidem dicendam eſſe neceſſariam neceſsitate medij ad ſalutem. Nec in hoc ſenſu loquuti ſunt Doctores, dum fidem explicitam de Myſterijs Incarnationis, & Trinitatis; potiùs quàm de alijs, dixerunt neceſſariam neceſsitate medij, ſed fide explicita in re determinatè, ideòque opponuntur

18 Quia propter M. Lorca 2. 2. *q. 2. diſp. 22. num. 11.* modum loquendi horum reijcit, dicens: [Hæc autem doctiſsimorum modificatio, quantùm ad modum loquendi, mihi non probatur, nam ſi ſemel admittamus, fidem Chriſti explicitam neceſſariam eſſe neceſsitate medij, non poteſt exceptionem facere ignorantia inuincibilis: quia hæc ignorantia, licèt excuſet à præcepto, non tamen à medio, vt patet in paruulis.] Hæc Lorca; ſubnectit verò, [quantum ad rem ipſam, non eſt improbabilis.] Cui conſentit Suarez *ſuprà num. 18.* vbi ait fidẽ explicitam Chriſti dici poſſe medium neceſſarium, quàmuis nõ ſemper in re; ſed, vel in re, vel in voto, & ſic conciliari poſſe Authores. Cui conſonat Cardin. de Lugo *de fide, diſp. 12. ſect. 3. num. 106. 107. & tom. 1. de iuſtit. diſp. 8. ſect. 2. n. 23.* vbi ſic. [Diximus *diſp. 23. de Euchariſtia, ſect. 1.* illa eſſe neceſſaria neceſsitate medij ad ſalutem in re, vel in voto, quæ ſe ipſis aliquando, aliquãdo verò per ſuum votum cauſant id, ſine quo ſalus obtineri nunquam poteſt, ſic Baptiſimus aliquando ſe ipſo, aliquando per ſuum votũ cauſat primam gratiã, ſine qua nemo poteſt eſſe ſaluus.] Quod, vt patet, tàm fidei explicitæ de Myſterijs Trinitatis, & Incarnationis, quam aliorum conuenit, vt iam probaui: quia ſi omnium explicita fides præcedat, poſitiuè influit in primã adulti iuſtificationem, vt prauia diſpoſitio; ſi verò hæc non præcedat, requiritur, quod eius votum explicitum, vel implicitum antecedat. Sed re vera hæc ſententia, ſic explicata, nõn diſfert ab ea, quam de fendimus, negantem, fidem explicitam determinatè de præfatis Myſterijs, eſſe medium neceſſarium ad gratiam, & gloriam obtinendam pro qua iurè adduximus M. Sotum, Bañez, Bartholomæum de Medina, Petrum de Ledeſma, Serram, Ioannem de la Cruz, & alios. Non enim negamus, nec poteſt, fidem explicitam in re, vel in voto eſſe neceſſariam neceſsitate medij ad iuſtificationem, & ſalutem; ſed fidem explicitam in re determinatè. Sic Doctores *ſuprà num. 4. & ſequentibus.* Quos ſequitur M. Ludouicus Lopez *2. part. inſtr. cap. 52. art. 3.* prope finem ibi: [Nec obſtat, inquit, quod D. Thomas, & alij Doctores antiqui fidem explicitam Chriſti requiri, aiunt: quia per fidem explicitam intelligunt fidem ſupernaturalem.]

19 Cæterùm hanc expoſitionem, ſicut, & ſententiam Thomiſtarũ, quos nuper adduxi, inficiari non poſſum militare contra D. Th. *in diſputatis, de veritate, q. 14. de fide, art. 11.* vbi ait. [Tempore gratiæ omnes maiores, & minores, de Trinitate, & redemptione tenentur fidem explicitam habere] Quia, vt non maneret ratio dubitandi loquutum fuiſſe de fide explicita, in re; & non in re, vel in voto; & de neceſsitate medij, & non ſolius præcepti, hoc argumentum ab inconuenienti ſibi obiecit. [Poſsibile enim eſt aliquem nutriri in ſylnis, & talis non poteſt explicitè aliquid de fide cognoſcere (attende) & ſic erit aliquis homo, qui de neceſsitate damnabitur.] Reſpondet: [Ad primum dicendum, quod non ſequitur inconueniens, poſito, quod quilibet teneatur aliquid explicitè

credere, ſi in ſylvis, vel inter bruta animalia nutriatur. Hoc enim ad Diuinam prouidentiam pertinet, vt cuilibet prouideat de neceſſarijs ad ſalutem, dummodò ex parte eius non impediatur. Si enim ductum rationis naturalis ſequeretur, certiſſimè eſt tenendũ, quod ei Deus, vel per internam inſpirationem reuelaret ea, quæ ſunt ad credẽdum neceſſaria; vel aliquem fidei Prædicatorem ad eum dirigeret, ſicut miſit Petrum ad Cornelium.] Hæc D. Thomas ibi, & in 3. *ſentent. diſt.* 25. *q.* 2. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 1. *& art.* 2. *ad* 2. *q.* 3. Et hanc fuiſſe D. Thomæ ſententiam, pluribus teſtimonijs comprobat Lorca 2. 2. *diſp.* 22. *memb.* 2. ex quibus euidenter deducitur ſecundum D. Thomam, loco citato, neceſſitatem fidei explicitæ eam eſſe, quæ per implicitam ſuppleri, nequeat; aliàs opus non habuiſſet, ad reuelationem, aut Prædicatorem recurrere, ſed ea illuminatione ſupernaturali contentus eſſet, quæ ad fidem implicitam ſufficit: ſicut Prado, & Baronius contenti ſunt; qui proinde, neque ad reuelationem, nec ad Prædicatorem mittendum recurrunt. Sententia ergo D. Thomæ loco citato fuit, fidem explicitam in re, & determinatè, eſſe neceſſariam neceſſitate medij ad ſalutem: à quo toto Cœlo diſtant Baronius, & alij Thomiſtæ pro noſtra ſententia adducti. Credo tamen D. Thomam alibi pro nobis ſtetiſſe, cuius verba dabo infra, *num.* 26.

§. IV.

Animaduerſio in Baronium.

20 CVM Præfata D. Thomæ *verba ex q.* 14. *de fide, art.* 11. fideliter excerpta, apud me Baronius legiſſet, & apertè repugnare vidisset, non ſolùm Thomiſtis ſuprà citatis negantibus fidem explicitam in re de Myſterijs Incarnationis, & Trinitatis, eſſe medium neceſſarium ad ſalutem; ſed etiam ipſi met Baronio, & alijs, qui præfatam D. Thomæ concluſionem, limitatione adhibita, apertiſſimè deſerunt; dum addunt, [eiuſmodi fidem explicitam, ita eſſe medium neceſſarium, vt ea deficiente, ſuppleri poſſit per implicitam, ſeu rem aliam, in qua præcontineatur.] Hæc, inquã, cum ſententiæ D. Thomæ *ex q.* 14. ſcriptæ non cohærere Baronius cognouiſſet, maluit ſegnis diſcipulus haberi, quàm degener, & infidelis: Ideoque verba ſuperiùs adducta D. Thomæ negat; [Id, inquit, male probat ex *quæſt.* 14. *de veritate, art.* 11. vbi nil habet eorum quæ ex illo referuntur.] Mirabile dictu! Recolas, quæſo, quæſtiones diſputatas D. Thomæ de veritate, inter quas, decimam quartam de fide inuenies, & in ea articulum 11. & in eius corpore ad finem; & in reſponſione ad primum argumentum, omnia verba, quæ ſupra fideliter ex ſcripſi. Recolat rogo, & ipſe Baronius locum, quem refert *ex* 3. *ſent. diſt.* 25. *q.* 2. *art.* 1. Vbi inquirens Angelicus Doctor [vtrùm explicatio fidei, ſit de neceſſitate ſalutis?] Affirmatiuè reſpondet: Et argumento de homine nutrito in ſylvis, vel inter infideles, qui explicitam fidẽ habere non poteſt, eiſdem ferè verbis, ac ſuprà, ſatisfacit, & *art.* 2. *ad* 2. *q.* [Poſt aduentum Christi, inquit, omnes tenentur ad explicitè credendum, & ſi aliquis inſtructorem non haberet, Deus ei reuelaret, niſi ex ſua culpa remaneret.] Omitto plura, & calumniæ parco.

21 Addit Baronius [exemplum de puero educato in ſylvis, ad quem Deus miſſurus ſit Angelum, ipſum de rebus fidei inſtructurum, ſi primò inſtanti vſus rationis ad vltimum finem ſe ſe retulerit, obſcuriſſimam Inuoluit quæſtionem, quæ, inquit, nil prorſus facit ad noſtram. Præterea, quid inde elici poteſt, niſi fidem explicitam de Deo, vt authore gratiæ, & remuneratore, eſſe neceſſariam ad ſalutem, quæ nulla alia ſuppleri, aut præcontineri poſſit? Atque hoc differr eiuſmodi fides ab ea, de qua diſputamus explicita Trinitatis, & Incarnationis.] Verùm, & hæc omiſiſſet Baronius, ſi D. Thomæ locum prælibaſſet: Ibi enim verbis immediatè præcedẽtibus ad exemplum appoſitum de puero educato in ſylvis; de fide explicita de Myſterijs Incarnationis, & Trinitatis expreſsè loquitur; & per implicitam ſuppleri non poſſe, tradit; vt conſtat ex dictis. Nullum ergo conſtituit diſcrimen inter fidem explicitam Trinitatis, & Incarnationis, & fidem explicitam de Deo, vt authore gratiæ, & remuneratore.

22 Omitto, in vtroque caſu, eodem modo diſcurrere nonnullos Thomiſtas. Quos ſequitur Caramuel *in Apologemate, epiſt.* 4. *reſ.* 9. *fol.* 68. aſſerentes verba illa Pauli *ad Hebreos* 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quia inquirentibus ſe remunerator eſt.* Intelligi: [Regularmente hablando, hoc eſt non ſemper, ſed frequentiùs.] Et fidem remuneratoris explicitam non eſſe, ita neceſſariam ad ſalutem, quæ nulla alia ſuppleri, & præcontineri poſſit, tradit expreſsè M. Ioannes Martinez de Prado *cap.* 7. *de fide, ſuprà citato, q.* 3. *§.* 3. *num.* 25. vbi ſic: [S. Thomas 3. *part. q.* 88. *art.* 2. docet: *Impoſſibile eſſe peccatum actuale mortale, ſine virtute pœnitentiæ remitti.* Et tamen eſt recepta ſententia (adhuc inter Thomiſtas ibi:) quòd ſine pœnitentia formali, quis poteſt iuſtificari per charitatem, quæ virtualiter continet pœnitentiam, tanquam

for-

forma eminentior, & perfectior. Ita pariter dici poteſt in præſenti, requiri ad iuſtificationem fidem explicitam remuneratoris, vel aliam eminentiorem, quæ cõtinetur in charitate Dei ſupernaturali.] Fides autem hæc remuneratoris, quæ in charitate contineri dicitur, fides implicita dicitur. Vnde conſtat præfatos Thomiſtas, ſicut fide implicita Myſteriorum Incarnationis, & Trinitatis; ita, & Dei remuneratoris, contentos eſſe.

23 His verò non aſſentior: quia locus Pauli *ad Hebreos* 11. in contrarium ſtare videtur; adeò, vt negare fidem expreſſam Dei, vt ſupernaturalis remuneratoris, eſſe neceſſariam ad ſalutem, dicat eſſe erroneum P. Suarez *de fide, diſp.* 12. *ſect*. 4. *num*. 1. Et hanc fidem neceſſariam eſſe, *non ſolum in voto, ſed in re*, ait Antonius Perez *vbi ſuprà, probare expreſſa verba Pauli ad Hebreos*. Qua propter ſtandum, vt minimum, cenſeo, interpretationi, quam adducunt Granado *controu*. 8. *de gratia, tract*. 9. *diſp*. 3. *num*. 2. & Ripalda *de fide, diſp*. 17. *ſect*. 13. *num*. 208. & 209. aſſerentes, fidem explicitam Dei remuneratoris, ſecundum Paulum, ſolum requiri ad iuſtificationem infidelium ad Deum accedentium; non verò ad fidelium, quam eſſe probabilem fatetur M. Prado ſupra ex Caietano ibi, ſic explicante locum D. Pauli: [Duo, inquit oportet credi, non à quolibet grato Deo, ſed à quolibet accedente ad Deum: ad differentiam eorum, qui iam ſunt coniuncti, cum Deo, quos non oportet hoc credere.] Hæc Caietanus. Et de infidelibus, ait Prado, videtur loqui Tridentinum *ſeſſ*. 6. *cap*. 6. Quamuis ipſe ad omnem iuſtificationem fidem implicitam Dei, vt remuneratoris ſufficere exiſtimet, vt iam dixi; quia docet, fidem explicitam remuneratoris, *vel aliam eminentiorem, ad actum charitatis præuiam*, modo ſupra explicato, ſeu in actu charitatis contentam requiri. Actus enim charitatis non continet fidem explicitam, ſed votum implicitum illius pro caſu vrgentis præcepti, vt ex terminis patet. Videatur Cardinal. de Lugo *tom. de fide, diſp*. 12. *ſect*. 5. vbi de huius fidei explicitæ *Dei, vt remuneratoris* neceſſitate, acute, & neruosè diſſerit, efficaciter probans, nullius adulti iuſtificationem abſque illa in re, vnquàm contingere poſſe, de lege ordinaria. Quod ſecus, vt diximus, cenſet de fide explicita Chriſti Domini, & Trinitatis quam in re, vel in voto, tradit ſufficere; & idem dici poſſe medium neceſſarium: quia quando in re habetur, poſitiuè influit in primam adulti iuſtificationem, vt præuia diſpoſitio, quod aliorum præceptorum ad impletioni non conuenit. Id autem, quod dum exiſtit, eſt medium, ſi ex ignorantia inculpabili, vel ex impotentia deficiat, vt in voto dicitur influere; vt in Baptiſmo, & in pœnitẽtia videre licèt; ac proinde ſicut hæc Sacramenta in re, vel in voto ſunt media neceſſaria ad ſalutem; ita, & fides explicita Chriſti Domini, & Trinitatis; in quo vtriuſque ſententiæ Doctores conuenire cenſeo, & ſolùm eſt diſſidium inter eos de fide explicita in re, de Myſterijs prædictis.

24 An verò in aliquo legitimo ſenſu fides explicita Trinitatis, vel Incarnationis in re, ſit aliquando medium neceſſarium ad ſalutem; ita, vt illa deficiente, abſque vllo peccato, nec habituali, nec actuali, expreſſè non credens condemnetur? Dubitari poſſet, v.g. ſi poſt quàm hæc Myſteria ſufficienter propoſita ſunt infideli; ita, vt nequeat prudenter de illorum veritate dubitare, (vt de facto contingit Iudæis) ipſe tamen non credens teneri aſſenſum illis præſtare, nec dubium aliquod circa obligationem credendi ipſi occurrat. ſi, inquàm, hic homo inuincibiliter ignorans obligatus non credat, condemnabitur? Ex his, qui nobiſcum ſuprà ſenſerunt, affirmat Leander à Murcia *tom*. 2. *diſquiſ. lib*. 4. *diſp*. 1. *reſ*. 4. *num*. 16. Quod probat ex illo Marci vltimo. [Prædicate Euangelium omni creaturæ, Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, qui crediderit, & Baptizatus fuerit, hic ſaluus erit, qui verò non crediderit condemnabitur.] Cæterùm hic locus, vel probat omnia fidei Myſteria eſſe de neceſſitate medij, vtpotè contenta in Euangelio, vel de nullo probat; quia verba illa, *qui verò non crediderit* ad Euangelium predicatum omnĩ creaturæ referuntur, vt ex terminis patet. Dicendum ergo eſt defectum fidei explicitæ Myſteriorum, poſt quàm ſufficienter fuerũt propoſita, ſi abſque culpa contingat, non inferre damnandum infidelem ob infidelitatem: damnabitur verò ob alia peccata lethalia; niſi fide explicita Dei, vt remuneratoris ad contritionem eorum ſe excitauerit, & actum amoris ſuper omnia non elicuerit.

§. V.

Corollarium.

25 EX dictis reijcienda venit ſententia media quorumdam Thomiſtarum aſſerentium explicitam fidem Myſteriorum Incarnationis, & Trinitatis in re, non eſſe medium neceſſarium ad obtinendam gratiam, ſecus ad gloriam. Ita M. Canus *relect. de Sacram. in genere, part*. 2. *q*. 2. M. Bañez 2.2. *q*. 2. *art*. 8. *dub. vlt*. Et M. Martinus de Ledeſma *in* 4. *part*. 1. *q*. 9 *art*. 2. Quod probabiliter ſuſtineri poſſe, ait M. Araujo, apud Prado ſupra. Verùm hæc ſententia expreſsè

preſsè contra D. Thomam *in 4. diſt. 9. art. 1.* vbi ait; [Ad ſecundam quæſtionem dicendum, quod gratia eſt ſufficiens cauſa gloriæ, vnde omne illud, ſine quo obtineri poteſt gratia, non eſt de neceſsitate ſalutis.] Ergo ſi abſque fide explicita, in re, de Myſterijs Trinitatis, & Incarnationis, obtineri poteſt gratia, talis fides non eſt de neceſsitate ſalutis, neceſsitate medij: Ideòque, ita concedit D Thomas 2.2. *q. 2. art. 7. ad 3.* vbi argumentum ſibi objiciens de gentilibus, quibus facta non fuit reuelatio de Chriſto, & tamē ſalutem conſequuti ſunt, iuxta D. Dionyſium *cap. 9. de Cœleſti Hierar.* Reſpondet: [Si qui tamen ſaluati fuerint, quibus reuelatio de Chriſto non fuit facta, non fuerunt ſaluati abſque fide mediatoris: quia, & ſi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen fidem implicitam in diuina prouidentia, credentes Deum eſſe liberatorem hominum, ſecundùm modos ſibi explicitos, & ſecundùm quod aliquibus veritatem cognoſcentibus ſpiritus reuelaſſet.] Hæc ergo fides implicita ſufficiet fidelibus in ſyluis nutritis, quibus reuelatio de Chriſto facta non fuerit. Hæc concluſio eſt tenenda, iuxta D. Auguſtinum *lib. 19. contra Fauſtum, vbi cap. 14.* contra Pelagianos, inquit: [Propterea ſine Baptiſmo (in re, vel in voto) non patet introitus ad Regnum Cœlorum, quia ſine illo non poteſt fieri remiſsio peccatorum, quæ fit per gratiam.] Id ergo, ſine quo, per gratiam fieri poſsit remiſsio peccatorum, introitum ad Regnum Cœlorum, non impedit. Ergo ſine fide explicita Chriſti iuſtificatus, poteſt, ſecundùm D Auguſtinum, Regnum Cœlorum introire.

26 Secundò probatur: quia Sacræ Scripturæ loca, quibus aduerſarij vtuntur ad ſuadendam neceſsitatem fidei explicitæ in re ad ſalutem, potiſsimè loquuntur de prima iuſtificatione, vt conſtat ex illo Ioannis 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te Deum verùm, quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Cuius verba ſic interpretantur ibi Sanctus Cyrillus, & S. Auguſtinus *lib. 4. de Baptiſmo, cap. 21.* Colligiturque ex illo Actorum 10. *Remiſsionem peccatorum accipere per nomen eius, per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Vt dicitur ibi, *cap. 26.* Neque ex alijs Sacræ Scripturæ, aut Sanctorum PP. authoritatibus, maius fundamentum habetur, ad neceſsitatem fidei explicitæ in re, ad obtinendam gloriam quàm ad acquirendam gratiam: Ergo cùm hæc, iuxta aduerſarios, ſine fide explicita Chriſti, adquiri poſsit; & illa obtineri poterit; & potiori iure. Quod videtur ſupponere Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 16.* vbi definit: [Nil deeſſe iuſtis, quo minus vitam æternam cōſequantur, ſi perſeuerauerint.] Et ſatis conſtat ex verbis Chriſti Domini, *Matthæi 19. Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Cùm autem hæc abſque explicita Chriſti fide, ignorantia inuincibili excuſante, vſque ad vitæ finem ſeruari poſsint: abſque vllo fundamento, ſemel iuſtificatis, illius neceſsitas adſtruitur.

27 Tertiò probatur ab abſurdo: quia ex contraria ſententia ſequeretur, iuſtificatum abſque fide explicita Trinitatis, & Incarnationis; non poſſe in ſtatu gratiæ decedere, quouſque talem fidei actum elicuerit, aut ſic decedentem; nec poſſe ſalutem conſequi, vtpotè carentem fide explicita; nec poſſe damnari, vtpotè gratia præditum.

28 Reſpondet M. Bañez *vbi ſuprà, concluſ. 3. & 4.* Iuſtificatum cum ſola fide implicita non moriturum, antequàm habeat fidem Chriſti explicitam, iuxta ordinem diuinæ prouidentiæ, ad dignitatem Chriſti pertinentis. Sed contra primò: Nam quod aſſeritur de iſta ſpeciali prouidētia, de fide explicita præmittenda ante conſequutionem gloriæ; eodem iure, & fundamento, adſtrui poſſet ad acquiſitionem gratiæ: nulla enim reddi poteſt congrua ratio, cur ad dignitatē Chriſti, cuius meritis iuſtificamur, huiuſmodi prouidentia non pertineat: Ergo ſicut ex natura rei, & abſque vlla iniuria dignitatis Chriſti, poteſt homo abſque tali prouidentia iuſtificari; ita, & ſaluari. Contra ſecūdò: Quia naturaliter, & abſque vllo miraculo contingere poteſt, quod ſemel iuſtificatus ignorantiam Chriſti inuincibilem habeat, & quod Deus illi hoc Myſterium non reuelet: Ergo ex natura rei contingere poteſt, vt quis ſe immortalem reddat, cum abſque fide explicita decedere nequeat, vt ſupponit Bañez, & illam nunquàm adquirere, ex natura rei contingens ſit. Contra tertiò: quia nullo fundamento aſſeritur, hominem iuſtificatum ſola fide implicita nequire ſtatim, ſine explicita decedere; vt benè in ſimili arguit M. Bartholomæus de Ledeſma *in ſumm. de Sacram. Pœnit. diffic. 2. de confeſſ.* (ad probāndum cum Soro contra M. Cano, votum explicitum confeſsionis non eſſe medium neceſſarium ad ſalutem. [Quia cùm ſinè voto (inquit) explicito confeſsionis, (ſicut, & abſque fide Chriſti) poſsit homo iuſtificari in inſtanti, & tunc eum poſſe mori, certum ſit; fit, vt ſinè voto explicito confeſſionis ſaluari queat. Nam dicere, illum tunc, donec habeat votum confeſsionis explicitum, (ſeu fidem Chriſti explicitam) mori non poſſe, eſt diuinare.] Qua propter M. Dominicus de Soro *in 4. diſt. 5 q. vnica, art. 2. concluſ. 3.* præfatam ſui inſtituti Authorum ſententiam ſex efficacißimis argumentis reijcit, dicens: [Arbitror, & abſque vllo fundamento, & contra quam rei veritas ha-

habet, inventã.] Et in quarto argumento, *temerariam* dicere nõ dubitauit. [Dicere enim Deum diſpoſitũrum, ne vllus adultus moriatur in gratia, quin prius fuerit ſufficiẽter inſtructus de fide explicita Chriſti, eſt fingere miraculum pro libito: *eſt diuinare*.

QVÆSTIO II.

Vtrùm infidelis teneatur ad fidem ſe convertere, quando hæc probabilior tantum quàm ſecta ſua illi proponitur?

§. I.

Quid ſentiant Doctores.

1 OMnes Theologi conveniunt, infideles teneri ad fidem converti, ſtatim, ac ipſis eius myſteria ſufficienter fuerint propoſita. Sic Vazquez 1. 2. *diſp.* 120. *cap.* 5. Suarez *de fide, diſp.* 16. *ſect.* 1. quos alij ſequuntur. Difficultas verò eſt, quando cenſenda ſint ſufficienter propoſita? In quo non cõveniunt Doctores. Ideòque infidelem, cui Religio Catholica, vt probabilior tantùm proponitur, ad fidem ſe convertere nõ teneri extra articulũ mortis, cenſent viri doctiſsimi, Thomas Sanchez *in ſum. lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 5. ſic ſcribit: [Adhuc explicandum reſtat, quando dicatur fides ſufficienter infidelibus propoſita; vt non temerè, & imprudẽter, ſed prudenter credãt; ac proinde non credendo peccẽt. Bañez 2. 2. *q.* 10. *art.* 1. *dub.* 3. *concluſ.* 3. & 4. & Petrus de Ledeſma *tom.* 2. *ſumm. tract.* 1. *cap.* 5. *concluſ.* 5. & 6. dicunt, non ſufficere, vt ipſis proponatur Euangelium credibile, benè tamen ſat eſſe, ſi proponatur tanquam magis credibile, etſi ſua ſecta credibilis illis quoque videatur. Ducuntur, quia lumen naturale, in re tanti momẽti, dictat neceſſariò, quod credibilius apparet, amplectendum; licèt in alijs materijs dictet, ſatis eſſe amplecti minus probabilem partem. Cæterùm hoc non placet ita generaliter dictum. Quippè dum infidelis ſibi perſuaſum habet, ſuam ſectam eſſe probabilem, quamvis contraria ſit probabilior, tenetur vtique in articulo mortis conſtitutus veram fidem, quam probabiliorẽ iudicat, amplecti, vtpotè qui in eo articulo eſt conſtitutus, in quo de extrema ſalute agitur, ac proinde partem, quam tutiorem, & probabiliorem iudicat, amplecti tenetur. At extra eum articulum non tenetur; quòd adhuc prudenter exiſtimet, ſe poſſe in ſua ſecta perſeuerare, tempuſque rei melius examinãdæ ſuperſit. Tandem quia D. Thomas 2. 2. *q.* 1. *art.* 4. *ad* 2. petit, vt quis credere teneatur, videre res, quæ proponuntur, credibiles eſſe. At dum contrarium repræſentatur, vt credibile, non eſt evidentia credibilitatis alterius partis. Quare tunc cenſeo res fidei ita ſufficienter infidelibus proponi, vt ipſe præcepto diuino teneantur, ad credendum, (etiam extra articulum mortis) quãdo ita fides rationibus, vitæ ſanctitate, contrariorum errorum confutatione, ſignis aliquibus confirmatur; vt prudenter ratio ipſa incipiat præſcribere, res fidei auditas eſſe credendas, & contrariã ſectam eſſe falſam. Ducor: quòd ad huiuſmodi obligationem, ex doctrina D. Thomæ id peti diximus. Deinde quia hoc videntur petere authores de hac re tractantes, quos invenire potui.] Sic Sanchez: quem ſequitur P. Granado *de fide, controverſ.* 1. *tr.* 10. *diſp.* 4. & non improbat M. Prado *tom.* 2. *cap.* 1. *de cõſcientia, q.* 5. *§.* 3. *n.* 12. Hanc ſententiam amplectitur Fr. Leander à Murcia *tom.* 2. *quæſt. Moral. lib.* 4. *diſp.* 1. *reſol.* 24. *num.* 3. & 12. dicens: [Tunc obligare præceptum affirmatiuum fidei, quando fides alicui infideli, vel fideli inter fideles nutrito ſufficienter proponitur: nempè, quando fidei myſteria audiunt apprehendentes illam, vt rem ad ſalutem neceſſariam, nec vllam dubitandi rationem habentes.] Sic pluribus citatis.

2 Quòd autem D. Thomas, ad obligationem credendi, evidentiam credibilitatis requirat, tradunt eius celebriores interpretes: vnde doctiſsimus P. Granado 2. 2. *contr.* 1. *de fide, tr.* 2. *diſp.* 3. *ſect.* 1. ſic ait: [Vtrùm ad amplectendam fidei veritatem, requiratur in omnibus evidentia credibilitatis? Beatus Thomas, art. 4. ad ſecundum, agens de evidentia credibilitatis ait: *Nullum eſſe crediturũ myſteria fidei, niſi videret ea eſſe credẽda, vel propter evidentiam ſignorum, vel propter aliquid huiuſmodi*. Propter quæ, & ſimilia Caietanus, in prædictum locum D. Thomæ. Bañez *dub.* 3. *ad* 3. Aragon *dub. vltim.* tuentur, in omni credente requiri evidentiam credibilitatis, eamque eſſe ſententiam D. Thomæ: Idemque videtur ſentire Lorca *diſp.* 16. *memb.* 4. *num.* 2. & Dionyſius *in* 3. *diſt.* 24. *quæſt. vnic. ad fidem*, ait: *Leuitatis & fatuitatis foret, certò credere ſublimitatem myſteriorum fidei*, (attende) *niſi certò ſciretur legem & fidem Chriſtianam eſſe à Deo, medijs motiuis credibilitatis*.] Sic Granado. Et hæc eſt communis ſententia, vt ait Lugo *de fide, diſp.* 5. *ſect.* 1. *n.* 3. [Vera tamen, inquit, & communis ſententia Theologorum affirmat, in ſingulis prærequiri evidentiam credibilitatis, pro qua eſt apertè S. Thomas *in præſenti art.* 4. *ad* 2.

3 Rogabis; quid ſit evidentia credibilitatis? Reſpondeo cum Granado *diſp.* 4. ex D. Thoma, evidentiam credibilitatis, vt minimùm manifeſtare fidei veritates, evidentia morali. [Quam concluſionem, inquit, amplectitur D. Thomas 3. *part. quæſt.* 47. *art.* 5.

Quatenus ait, Iudæos vidiſſe evidentia ſigna diuinitatis Chriſti,] quod tàm ipſe, quàm alij explicant exemplo evidentiæ, qua credimus eſſe Romam. Itaque evidentia credibilitatis ea dicitur, quæ excludit dubitationem prudentem de oppoſito: vnde quovſque myſteria fidei ſic propoſita fuerint, vt de eorum veritate nequeat prudenter dubitari, nō ſunt ſufficienter propoſita ad credendum iuxta D. Thomam, & diſcipulorum ſententiam: Quā ſequitur Puente Hurtado *de fide, diſp.* 14. *ſect.* 7. inquiens [ſingulos fideles ad exercendam fidē infuſam indigere tam prudenti propoſitione; vt videant clarè, ſibi nō licere dubitare.] Et conſentit Cardin. de Lugo *diſp.* 1. *ſect.* 13. *à n.* 318. & ita fatetur Caietan. 2. 2. *q.* 1. *art.* 4. *ad* 2. Ibi: [Dicendum eſt igitur, quod author loquitur de viſione propriè, & quod verè, & virtuosè credere exigit evidentiam, quod illud ſit credibile: ita quod nullus aliquid *verè*; hoc eſt, abſque formidine alterius partis; & *virtuosè*, hoc eſt prudenter, credit aliquid, niſi evidēter cognoſcat illud eſſe credibile,] & infrà: [Idem eſt videre ac aſſeri à fide digno, & videre hoc eſſe credibile, &c. Et ita ſolis illis apud quos iſte aſſerens eſt fide dignus, evidens eſt, hoc dictum eſſe credibile: & propterea ſtat vnum, & idem dictum, ab vno videri, in ratione credibili, & ab alio non.] Hæc Caietanus.

4 Ex quibus pro opinione P. Sanchez, ſic argui poteſt. Infidelis, qui doctrinam Catholicam probabiliorem tantùm iudicat, quàm ſectam, quam ipſe profitetur; non habet evidentiam credibilitatis doctrinæ Chriſtianæ; nec illi eſt moraliter evidens, hanc verā eſſe. Poteſt ergo prudenter parti contrariæ aſſentiri: quia ſola probabilitas vnius partis, licèt maior, nō inducit improbabilitatē, aut falſitatē contrariæ, ac proinde non excludit prudentem formidinem de veritate illius, ſed relinquit practicè honeſtabilem diſſenſum, vt cōtingit in alijs materijs: Aliàs ſi ſola maior probabilitas induceret obligationem credēdi, ſequeretur, quod ſi, Sarracenorum ſecta indis barbaris proponeretur, vt probabilior, tenerentur ſub lethali Mahometanam amplexari. Quod nemo concedet.

5 Inſuper, quod ſola maior probabilitas vnius partis non ſufficiat ad obligationem credendi, ſuadetur: quia maior probabilitas minus vrget, quàm maior ſecuritas, ſed hæc nō inducit obligationē: ergo nec illa: minor probatur. Quia præceptum charitatis nō minus obligat quàm præceptū fidei; atqui maior ſecuritas opinionis (v.g. quod nō ſufficiat ſola attritio cū Sacramento pœnitentiæ ad iuſtificationem, ſine qua impoſsibilis eſt ſalus) nō inducit (ſecundum plures) obligationem contritionis: ergo maior probabilitas de veritate Religionis Chriſtianæ, nō inducit obligationē aſſenſus. Imò re benè inſpecta, magis videtur vrgere argumentū in præcepto charitatis: quia rectè compatitur opinionem eſſe probabiliorē; non tamen ſecuriorem, vt in caſu poſito de attritione cōtingit: probabilior enim eſt opinio aſſerens, ad iuſtificationem ſufficere attritionem, cum ſacramento; ſecurior verò, quæ negat; & talis ab operāte cenſetur, vtpotè qui ex fide certiſsimè novit, cum contritione iuſtificari, cū attritione verò in certū eſſe: quia opinio id adſtruens, cum ad fidem non pertineat, poteſt ſubeſſe falsò; & tamen etiam in articulo mortis ſufficere attritionem cognitam cum ſacramento, & non eſſe obligationem eliciendi actum contritionis, docent Egidius, Fagūdez, Salas, Laymam, Becanus, Faber, Diana, Lugo, & alij, quos ſequitur Leander a Sacram. *tom.* 1. *tr.* 5. *diſp.* 7. *q.* 10. Ergo licèt infidelis Religionē Catholicorū probabiliorē iudicet, quàm ſuā ſectam, ſi tamen hanc probabilem cenſeat, nō tenebitur, ſaltem extra articulum mortis, Religionem Catholicam amplecti.

6 Vrgetur, quia in medijs neceſſarijs ad ſalutem, opinio ſecurior, licèt minus probabilis, probabiliori præponderat, & ſecundum prudentiæ regulas, præferri debet, vt docent Suarez, Granado, Sanchez, Valentia, Zambranus, Nuño, Tannerus, Præpoſitus, & alij apud Leandrum ſuprà, quos iure ſequitur R. P. Leander à Murcia *lib.* 1. *diſquiſ. Moral. diſp. vnica, reſol.* 19. *num.* 10. *& lib.* 2. *diſp.* 1. *reſ.* 17. *nu.* 14. Quia electa ſecuriori opinione, nulli exponitur pœnitens damnationis periculo: ſecùs ſi minus ſecura, & ſi probabilior eligatur: ſi ergo his nōn obſtantibus viri doctiſsimi *ſuprà citati* probabile iudicant, etiā in articulo mortis, eſſe licitum, opinionem minus ſecurā amplecti, cur nō, & minus probabilem, ſi probabilior non appareat ſecurior, vt contingere poteſt opinantibus.

7 Roboratur ex fundamento, quo adverſarij ducuntur ad obligationem credendi adſtruendā, quando Religio Catholica, vt probabilior proponitur; nimirum, ait M. Bañez *q.* 10. *art.* 1 *dub.* 3. *concluſ.* 4. quia cum proponitur fides, vt medium neceſſarium ad ſalutem, grauis videtur negligentia nolle amplecti partem tutiorem. Verum hæc ratio in multis deficit; tum quia poteſt apparere infideli Religio Catholica probabilior, non tamen ſecurior; tum quia vt ait Granado *ſuprà tract.* 10. *diſp.* 4. hoc etiam conceſſo: [Quod docet Bañez, verum videtur in articulo mortis, vbi agitur extrema ſalus. Extra illum verò, inquit, probabile exiſtimo non teneri credere. Primo: quia adhuc prudenter exiſtimat, ſe poſſe manere in ſua ſecta. Secundò: quia ſemper eſt tempus rem me-

meliùs examinandi.] Sic ille. Quod tenere videntur Vazquez, Aragon, Victoria, Azor, & alij, quos refert Sanchez *ſuprà lib. 2. cap. 1. num. 6.*

8 Confirmatur ex ſuperiùs dictis: quia ſicut fides eſt medium neceſſarium ad ſalutē, ita, & iuſtificatio impij; & ſicut infideli proponitur, vt ſecuriùs ad ſalutem ſequendam, aſſentiri rebus fidei, ita & Catholico elicere actum contritionis, quando lætalia confitetur, & tamen, ſaltem extra articulum mortis, hunc non teneri ad actum contritionis, nec ad partem tutiorem amplectendam, eſt communis Theologorum ſententia: ergo licèt infideli proponatur, vt ſecuriùs aſſentiri rebus fidei, ſi tamen probabiliter exiſtimet, ſuam ſectam eſſe veram, & ſe poſſe in illa permanere, non tenebitur, extra articulum mortis, ad fidem ſe convertere.

9 Adde, quod ad actum eliciendum, non ſufficit, ſecundum plures, maior probabilitas de veritate myſteriorum fidei; ergo neque ad obligationem eliciendi: Antecedens probatur: tum ex D. Thoma requirente, vt diximus, evidentiam credibilitatis: tum ex fundamento, quo Theologi communiter probant: nempè; quia fidei aſſenſus eſt firmus, omnem dubitationem (id eſt formidinem) excludens: nequit autem quis firmiter, & ſine vlla dubitatione velle aſſentiri obiecto, dum iudicat probabile, non ita eſſe. Ergo ad aſſenſum fidei carere debet omni iudicio, quo cenſeat probabile, quod myſterium propoſitum non ita ſit. Tum, quia, vt ait Palao infrà citandus, fides propoſita ſolùm ſub probabilitate, quod ſit credibilis, non infert obligationem credendi; quia dum contrariū proponitur dignum creditu, non tenetur quis illud deſerere: debet ergo, vt teneatur fidem amplecti, convinci de falſitate ſui erroris, & de veritate fidei amplectendæ. Aliàs, ſi fideli ex ignorantia proponeretur hæreſis aliqua, vt magis probabiliter credibilis, teneretur ex fide illi aſſentiri. Quod in mentem Catholici venire non poteſt.

§. II.

Eiuſdem ſententiæ fundamenta alia.

10 Inſuper authores præfatæ opinionis eam ſuadent ratione, qua vtitur Andræas de Vega *lib. 9. de iuſtificatione*, probans cum M. Soto, & alijs, plures iuſtos habere fidem humanam, non leuiter certam de ſua iuſtificatione; nam ex dilectione Dei, & obſeruatione legis, prudentiſſimè, & probabiliùs conijciunt, illos actus eſſe, quales requiruntur ad iuſtificationem: ac proinde ſe eſſe in ſtatu gratiæ: cum de omni diligente Deum, & obſeruante legem per actus ſupernaturales, ſit hoc reuelatum; & tamen hæc maior probabilitas non ſufficit ad eliciendum aſſenſum fidei circa ſtatum gratiæ, quod tradit Cardinal. de Lugo *tom. de fide, diſput. 1. numer. 322. & ſequent.* quia, vt definitur in Tridentino *ſeſſ. 6. capit. 9.* [Quilibet dum ſe ipſum, ſuamque propriam infirmitatem, & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare, & timere poteſt, cùm nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſequutum.] Ergo ſola maior probabilitas de veritate obiecti, & de illius reuelatione, non ſufficit ad aſſenſum fidei: quia, vt tradit Concilium, dum eſt locus prudenti formidini, & timori de oppoſito, non eſt locus fidei. Atqui quoties vna pars ſolum probabilior apparet, manet locus prudenti formidini: quia prudenter de eius veritate dubitari poteſt, cùm contradictoria ſit probabilis: ergo non eſt ſufficienter propoſita ad actum fidei.

11 Deinde probatur ex Palao *tom. 1. tr. 4. diſp. 1. punct. 12. num. 8.* vbi ſic ſcribit: [Secundò ſuppono. Quamvis infideles audiant Prædicatorem veræ Religionis, non tenentur ſtatim illi aſſentire, quouſque ex rationibus, ex ſignis, ex honeſtate vitæ, & alijs teſtimonijs probet fidem, quam prædicat, eſſe evidenter credibilem. Sic ferè omnes Doctores, Sanchez, Vazquez, Bañez, Toletus, Salas, Ioannes Sanchez, Curiel, Lorca. Ratio eſt: quia quouſque prædicator probet evidenter, rem eſſe dignam creditu, temerariè procedis, ſi Religionem ſuſceptam deſſeris: exponis enim te manifeſto periculo errandi, & loco Prædicatoris veri, falſo, & hæretico aſſentieris. Qua propter D. Thomas *2. 2. quæſt. 1. art. 4. ad 1.* requirit ante fidem, videre ea, quæ credenda ſunt, non quidem in ſe, ſed quoad dignam eorum credulitatem.] Quod autem cum evidentia credibilitatis myſteriorum fidei non compatiatur iudicium probabile de oppoſito, videntur ſupponere Doctores. Iulius Mercorus *2. part. Baſis Moral. Theolog. art. 5. Sic*, inquit, *ſecunda concluſio: ſi ſufficienter proponerentur alicui infideli myſteria fidei, eique fierent evidenter credibilia, non poſſet credere oppoſitum.* Et infrà §. Demum ex Doctoribus Eccleſiæ concludit: *Ergo durante credibilitate vnius partis contradictionis, alteri oppoſitæ intellectus minimè adhærere poteſt.* Sic ille. Ex quibus Petrus Hurtado de Mendoza *2. 2. to. 1. diſp. 14. ſect 5. §. 40.* ſic ait: [Perſeuerāte evidente credibilitate, pars oppoſita nō poteſt apparere probabi-

lis.] Vnde §. 43. inquit, [evidentia credibilitatis eſt evidentia de obligatione credendi, & abigendi omnem formidinem, & titubationem.] Hæc autem non reperitur, quando prudenter dubitari poteſt de veritate obiecti: quia, vt ipſe ait, §. 47. [Ad exercēdam fidem, indigent fideles tàm prudenti propoſitione, vt videant claré ſibi non licere dubitare, v. g. (inquit) ſiquis mihi aſſereret Deum reuelaſſe iuſtitiam eſſe inhærentem, dum id non probat argumento, quantum ſatis eſt ad me convincendum incredibilitatis, non pecco contra fidem Catholicam.] Qui autem prudenter dubitare poteſt, non videt claré ſibi non licere dubitare.

12 Cui conſonat Cardinalis de Lugo *tom. de fide, diſp. 1. ſect. 13. n. 318.* [Aſſenſus, inquit, fidei ex imperio voluntatis, & piæ affectionis elicitur talis, & tàm firmus, vt excludat omnem prorſus formidinem circa ſuum obiectum; non poteſt autem voluntas prudenter imperare talem aſſenſum, excludentem omnem formidinem, quando circa obiectum illud poſſet prudenter formidare: imprudenter enim prohiberetur formidare, vbi prudenter formidare poſſet: Ergo vt voluntas poſsit prudenter imperare aſſenſum fidei excludentem omnem formidinem, debet obiectum proponi tale, vt de eo nō poſſit prudenter dubitare] *& diſp. 5. ſect. 1. n. 5.* [Ergo cùm fides ſit virtus inclinans ad credendum ea ſolùm, quæ negare non poſſumus repugnat dari voluntatem credendi, ex iudicio ſolùm probabiliter dictante talem credibilitatem: quia eo ipſo non manet hic, & nunc obligatio ſimpliciter non diſſentiendi] & inferius. [Vnde ſumi poteſt ratio à priori: quia repugnat prudentiam dictare, obiectum illud eſſe dignum, quod credatur ſuper omnia, & ſine vlla formidine; quod tamen ea prudentia iudicat, quod probabile ſit eſſe falſum.] Hactenus Eminentiſsimus Lugo. Et ante illum ſapientiſsimus P. Suarez *diſp. 4. de fide, ſect. 5. n. 8.* vbi cum Caietano, Aragō, Zumelio, & modernis Thomiſtis ſic inquit, [iudicium credibilitatis debet eſſe certum, vt ad fidem certam, & indubitatam inducat: nam ſiquis poteſt prudenter dubitare, aut formidare, eſſe ita, nō erit fides perfecta.] Quod iterum tradit *diſp. 13. ſect. 1. n. 6.* vbi ad obligationem fidei, ex præcepto huius virtutis promanentem, requirit, quod ſic aliquid proponatur, vt dictum, & reuelatum à Deo, *vt non poſsim prudenter aliud exiſtimare.* Quando autem pars oppoſita probabilis iudicatur, prudenter credi poteſt, ideòque nō obligamur alterā credere. [Quia ſufficit oppoſita probabilitas ad eiuſmodi obligationem tollendam,]vt inquit Ripalda *to. de fide, diſp. 8. ſect. 5. n. 77.*

13 Addit Iulius Mercorus 2. *part. Baſis Theologiæ Moral. art. 7.* intellectum non poſſe aſſentiri parti probabiliori, ſi oppoſita apparet probabilis. Cæterùm hic author, præterquamquod contra omnes Theologos, quotquot ante, & poſt illum ſcripſerunt, in hac parte loquitur; ſibi met apertè contradicit: quia *2. p. Baſis, art. 24.* ait. [Paganum, qui paratus amplecti veram fidem premeretur contrarijs opinionibus, altera quarum probabiliter dicit licitum eſſe ſequi fidē Hæbreorum, altera probabilior, non eſſe licitū; ſed ſectandam eſſe fidem Chriſtianorum; peccare ſectādo opinionem minus probabilem: quia exponit ſe periculo errandi circa neceſſaria ad vltimum finem.] En apertè concedit poſſe intellectum adhærere opinioni minus probabili: falſo ergo, & inconſequenter dixit, *neque probabiliori poſſe dum oppoſita apparet probabilis.* Quod iterum repetit *3. p. Baſis, art. 6.* dicens, opinionem, neque æquè probabilem; neque probabiliorem in concurſu oppoſitæ habentis æqualem, vel etiam minorem probabilitatem, fauentiſque præcepto eligi poſſe. *Tradidi,* inquit, *rationem ſup. 2. p. art. 7. vbi docui intellectum non poſſe opinari de opinione probabiliori, concurrente minus probabili.* Si ergo res ita ſe habet, quomodo poterit Paganus ex præcepto adhærere opinioni probabiliori pro fide concurrente minus probabili pro Iudaiſmo? Non ergo conſequenter loquitur hic author. Inſuper audiēdus non eſt Vicentius Baronius *in opere morali contra Caram. & alios, diſp. 2. ſect. 2. art. 2. §. 6.* vbi inquit; quod certitudo motiuorū fidei Catholicæ non extinguit, neque eneruat probabilitatem rationis & difficultatis, quæ militant contra veritatem fidei Catholicæ: quæ quidem ſecundum Baronium *penè cogunt ad diſſentiendum* à veritatibus fidei. Hæc enim doctrina implicationem involvit: quia certitudo vnius partis contradictionis reddit improbabilem cōtrariam; & apertam inconſequentiam continet: quia certitudo moralis opinionis fauentis libertati, in opinione huius Doctoris abſorbet, & eneruat probabilitatē opinionis pro lege. Ergo certitudo motiuorum fidei eneruat probabilitatem motiuorum opinionis, vel ſectæ contrariæ. Videtur evidens: locus ergo diſputationi non relinquitur, niſi in caſu, quo motiuum fidei; vt probabilius tantùm proponatur; quo poſito diſputatur, an extra articulum mortis inducat obligationem credendi?

§. III.

§. III.

Quid in articulo mortis?

14 NVllum igitur infidelem, nec in articulo quidem mortis, teneri credere, ſi fides ſolum proponatur, vt magis credibilis, tenet expreſsè Doctor Ioannes Sanchez *in Selectis, diſp. 19. numer. 6. & ſequentib.* Quia ad obligationem credendi, inquit, opus eſt [taliter illius intellectũ manere conuictum, quod contrariæ partis nullum habeat iudicium probabile, nec ab intrinſeco: quia nullis rationibus probabilibus nititur, nec ab extrinſeco: quia authoritate impugnantium fidem non fulcitur, &c. Vnde (inquit) infero, quod ſi infidelis probabiliter ab intrinſeco, hoc eſt, per rationes probabiles, iudicet res fidei eſſe credendas, contrarium etiam probabiliter cõcipiens ab extrinſeco, hoc eſt, ob authoritatem Doctorum; ad credendum non teneri: ſicut enim ad operandum, vel non, fas eſt cuilibet, opinionem ſolum probabilem ab extrinſeco ſequi, adhuc relicta ſibi probabiliori vt diximus *diſp. 41. num. 71.* ſic etiam ad credendum, vel non, licitum erit infideli opinionem ſibi viſam probabilem amplexari, adhuc probabiliori relicta, &c. Quo fit minus rectè dixiſſe Bañez 2. 2. *q. 10. art. 1. dub. 3. concluſ. 3. &* 4 & Ledeſma 2. *tom. ſumm. tract. 1. cap. 5. concluſ. 5. &* 6. aſſerentes, teneri infidelem Euangelium credere, ſi ſibi ſit propoſitum, tanquam magis credibile, etſi ſua ſecta credibilis illi videatur, &c. Hoc, inquam, verùm non eſt: nam ſicut in alijs materijs, vbi offenſa mortalis intercedere poſſet, fatentur ipſi eam non cõmitti ab operante ex opinione minus probabili; licèt res maximi momẽti ſit, Deum offendere mortaliter, vel nõ: ſic quoque ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili. Fit quoque minus benedixiſſe Sanctium *in ſum lib. 2. cap. 1. num. 6.* præfatam doctrinam ex Bañez, & Ledeſma, veram eſſe in articulo mortis, &c. Quod verum non eſt: nam opinio, quæ in ſalute ſecuram reddit conſcientiam ad operandum vel non; tutam quoque reddit in articulo mortis, cum in vtroque tempore æqualiter conſtringatur homo Deũ non offendere.] Hæc Ioannes Sanchez; cui viri alij doctiſsimi ſubſcribunt, eo quod obligatio colendi Deum fide vera æqualiter obligat in vita, & in morte: atque adeò ſi Deus non offenditur in vita, ex eo quod infidelis, fide ſibi tantum probabiliter propoſita, non conuertatur; nec in morte offendatur: vnde rationes, quæ probant non teneri infidelem in vita ſe conuertere, planè videntur euincere, neque in morte. Nec diſſentire poterunt, qui aſſerunt nullum infidelem teneri, imò nec poſſe, actum fidei diuinæ elicere circa myſteria, quin euidentiam credibilitatis eorum habeat.

15 Propterea ſemel poſito licitum eſſe, in his circunſtantijs, non conuerti in vita; licere etiam nec in morte, tuetur Vincentius Baronius 1. *part. Theologiæ Moral.* contra Caramuel *diſput. 2. ſect. 3. fol. 203. §.* [Hinc etiam,] & tenere videntur quot quot defendunt, fas eſſe in mortis articulo, amplexari opinionem probabilem, quam in vita licèt Diana 2. *part. tract. 3. reſolut. 9. & 3. part. tract. 4. reſolut. 98 & part. 8 tractat. 2. reſolut.* 92. Ioannes de Eſcobar *de Confeſſore ſolicitante, part. 2. quæſt. 2. §. 2. numer.* 37. Paſqualigo *deciſ.* 27. Verricelli *tom. 1. tractat. 2. quæſt. 38. numer.* 10. Franciſcus de Lugo *de conſcientia, cap. 3. quæſt.* 5. Rocaphul *lib. 3. de conſcientia, probab. cap. 7. numer.* 60. & M. Baptiſta *diſp. 208. dub. 9. de conſcientia.* Qui ea firmitate huic opinioni adhæret, vt contrariam improbabilem eſſe dixerit. Quod ante illum pronunciauit Petrus de Ledeſma *de pœnitentia, cap. 20. concluſ. 4. dub. 6.* in ſine illi; cenſens improbabile, quod quis teneatur in articulo mortis in confeſsione exprimere, quod antea poterat tacere. Ob quorum ſaltem authoritatem videtur non poſſe negari a peccato contra fidem excuſandum infidelem, qui nec in articulo mortis ad fidem ſe conuertit, eo quod ſua religio, vel ſecta probabiliter credibilis, adhuc ipſi appareat, cui proinde prudenter aſſenſum præſtare poteſt. Illationem hanc nequit conſequenter negare M. Petrus de Ledeſma *tom. 2. ſumm. tract. 4. de fide, cap. 5. poſt ſextam concluſionem,* vbi contra ſuam ſententiam, vt ſuprà explicatam, ſic ſibi obijcit. [A cerca de eſta concluſion ay vna dificultad. Porque no eſtamos obligados à creer lo que es mas creyble, y probable; luego en tal caſo el Infiel no eſta obligado a creer lo que es mas creyble. Y muchos Doctores enſeñan, que es licito ſeguir la opinion probable, dexando la que es mas probable; luego lo miſmo ſerà en nueſtro caſo.] Hic eſt difficultatis cardo, cui ſic ipſe reſpondet. [Tengo por regla cierta, que la opinion probable en las coſas morales, ſiempre ſe puede ſeguir de la manera que es probable, aunque ſea en agrauio de tercero, y en materia de Sacramẽtos: y eſto ſo pena de no ſer probable, &c. En nueſtro propoſito, ſi ſe le haze mas creible, y probable, que la Religion Chriſtiana es la verdadera, no ay opinion que diga, que es licito no creer la tal Religion, ſino todos conuienen, en que eſta obligado à creer en la tal

Religion, por lo qual eſtà obligado à creer.] Sic M. Ledeſma: ſed apertè fallitur. Quia, vt conſtat ex dictis, multorum ſententia eſt, in tali eventu licitum eſſe non credere: ergo iuxta opinionem ipſius Ledeſma, ſi infidelis ei conformetur, non tenebitur credere. Non ergo damnabitur propter infidelitatis peccatum, licèt ad Religionem Catholicam, etſi probabiliorem cenſeas, non convertatur. Sic diſcurrunt Doctores.

§. IV.

Duplici concluſione rem definio.

16 DIco 1. in ſententia, quam, cum D. Thoma, tenēt communiter Theologi, aſſerentes ad actum fidei diuinæ, & ad eius obligationem, neceſſariam eſſe evidentem credibilitatem obiecti, id eſt tot motiuis, & principijs extrinſecis intellectū duci ad aſſenſum, vt nequeat prudenter dubitare, nec formidine de eius veritate; non eſt præſenti quæſtioni locus. Ratio eſt evidens: quia, cui probabilis, vel probabilior dumtaxat apparet Religio Catholica, nō eſt evidenter credibilis; nequit ergo ille actum fidei diuinæ elicere: ergo non tenetur: quia ad impoſſibile non eſt obligatio. Hæc autem, vt communis opinio D. Thomæ fert, nō conſurgit, donec evidētia credibilitatis habeatur, quæ talis naturæ eſt, vt ſe ipſa reddat evidenter incredibilem, & ideò falſam, & improbabilem partem oppoſitam. Quod ſola maior probabilitas non præſtat, vt ex terminis notum eſt: Ergo in opinione M. Bañez, Ledeſma, & aliorum Thomiſtarum, apertiſsimum eſt, infidelem non poſſe, nedum teneri, ad fidem Catholicam ſe convertere, ſi noſtra hæc veriſſima Religio non certa, ſed probabilior tantùm ei appareat, nec motiua ad credendum ipſi propoſita ad firmiorem aſſenſum certum inducant. Pro hac ſententia, vltra Doctores, *§. præcedenti*, citatos, advoco P. Ripalda *de fide, diſp.6. ſect. 5. nu. 44. & 49.* P. Suarez *diſp. 4. ſect. 2. num 4. & 5.* & P. Elizalde *in ſuo opere de forma veræ Religionis quærendæ, & inveniendæ, q. 19. num. 335. fol. 226. & q. 31. n. 607.* Et tenet expreſsè Iulius Mercorus ex Prædicatorum Ordine *in Baſi totius Theologiæ Moral. 2. p. ait 5. fol. mihi 75. in editione Mantuana, anno 1658.* vbi poſtquàm ad credendum fide diuina, ſuppoſuit ex D. Thoma requiri evidentiā credibilitatis, ſic ait: [Quod apparet alicui evidenter credibile, etiā oportet appareat certum, &c. Si ergo ſupponis infideli eſſe evidenter credibile Meſsiam veniſſe, eidem ſimul non poterit eſſe credibile non veniſſe.] Cui conſentit P. Terillus *de conſc. q. 9. num. 8.*

17 Igitur vt quæſtioni locus maneat, ſupponere debemus, eſſe poſſe aliquos aſſenſus fidei diuinæ adeò imperfectos, & infirmos, qui non ſupponant credibilitatis obiecti evidentiam; atque adeò poſſe infidelem, ſi velit, ad noſtram fidem converti; tametſi ſuam ſectam exiſtimet prudenter eſſe credibilem. Vt cum Valentia, Torres, Granado, & paucis alijs tradit Ripalda *ſuprà ſect. 6.* Hac igitur opinione præmiſſa, inquiri poteſt, an hæreticus, ſeu infidelis, cui Religio Catholica, vt probabilior tantùm, ex conſideratione motiuorum, proponitur, teneatur ad illam ſe convertere?

18 Dico ſecundò, maiorem dumtaxat probabilitatem fidei non inducere obligationem credendi, ac proinde neminem, licèt poſsit, ad cōverſionem teneri; quouſque euidentiam credibilitatis illius habeat. Hæc cōcluſio deducitur ex his, quæ tradunt ipſe Ripalda ſuprà, & Suarez *diſp. 4. ſect. 2. num. 5.* & Elizalde locis iam citatis, vbi ſic ab abſurdo arguit, [ſi veritas veræ Religionis eſt dubia, nequit me obligare præ alia ſimiliter dubia, nec item ſi probabilis, vel probabilior: nam probabile, vel magis probabile, ex Scholarum placito, iā hodie recepto, nec in conſcientia non obligant: probabile rurſus, nec magis probabile haud tollunt probabilitatē oppoſiti: ergo licèt Religio Catholica ſit vera, poterat relinqui probabilis Calviniſta, vel Mahometana: has ergo citra ſcelus, amplecti licebit: nam probabilia ſectamur ſine ſcelere.] Sic ille. Quæ licèt aliud probandum adducat, nempè [manifeſtum eſſe debere ex rebus in mundo moraliter evidentibus, quæ nam inter omnes ſit vera, ac à Deo data Religio?] noſtram tamen concluſionem illum amplexari ſuadent, tum ibi *q. 19. num. 335.* tum *q. 34. num. 607.* vbi iterum repetit inquiens: [Quam obligationem (ſcilicèt fidem noſtram amplexandi) ſubſiſtere non poſſe diximus, niſi ipſius veritas citra omnem opinionem conſtaret.] Igitur ſi non ſic conſtet, non erit obligatio credendi, licèt poſſet fide diuina credi, nempè imperfecta non excludente formidinem, ſicut poſſumus illa credere, hunc paruulum eſſe iuſtificatum, vel hanc hoſtiam continere Chriſtum, &c. vt ait Ripalda ſuprà *diſp. 8 ſect. 5 n. 78.*

19 Probatur inſuper efficaciter: quia iudicium prudens fundatum in maiore dumtaxat probabilitate credibilitatis, ſeu veritatis obiecti, licèt ſit certum practicè ad honeſtandam piam affectionem imperantem aſſenſum, eſt tamen mutabile: quia principia, quibus fundatur, vtporè probabilia tantùm, facilè mutari poſſunt; vt continget, ſi coniecturæ in contrarium probabiliores de nouo concipiantur. Frequentiſsimè namque eve-

euenit minus hodie probabile nobis apparere, quod heri probabilius cenſebamus. Ergo, qui maiore dumtaxat probabilitate Religionis Catholicæ ductus, ad eam fuerit conuerſus, ſi minus probabilis poſtea illi appareat, & ſectam ſuam, quàm deſeruerat, probabiliorem iudicet, non ſolum poterit ad eam redire, abſque vlla culpa, ſed tenebitur. Quod abſurdiſsimum eſt. Sequela patet: quia vt ex aduerſarijs ponimus, maior probabilitas Religionis propoſitæ inducit obligationem aſſenſus; Ergo, vel dicendum eſt ſolam probabilitatem, & ſi maiorem vnius Religionis, præ alia, non ſufficere ad obligãdum, vel conuerſum ad fidem ex ſola maiore probabilitate credibilitatis, ſeu veritatis illius, teneri eam deſerere, & ad ſuam ſectam redire, ſi hæc poſtea probabilior, ipſi proponatur. Non ergo ex maiore probabilitate obiecti propoſiti obligatio credendi ortum habere poteſt, ſed neceſſariò requiritur euidentia credibilitatis illius, quæ reliquas efficiat euidenter incredibiles, falſas, & improbabiles; ita, vt in ſenſu compoſito conſiderationis motiuorum, quibus ad credendum ducitur, nequeat de veritate obiecti prudenter dubitare.

20 Ex his verò non ſequitur, quemlibet poſſe in ſua Religione ſaluari; hoc enim falſiſsimum eſt: Sed adultum, cui Myſteria noſtræ fidei non fuerint, ita propoſita, vt euidentiam credibilitatis obtinuerit, ratione cuius, nequeat prudenter de veritate obiecti dubitare, non forè damnandum ob peccatum infidelitatis: damnabitur verò ob alia peccata, quibus factus eſt indignus, qui à Deo ſupernaturaliter illuminetur; vel per Angelum, vel per prædicatorem, de rebus fidei ſufficienter inſtruatur. Vt ait M. Victoria *in relect. de indis inſulanis, num. 33.* [Barbari, inquit, ad quos non peruenit annuntiatio fidei, aut Religionis Chriſtianæ; damnabuntur propter peccata mortalia, vt idolatriam; ſed non propter peccatum infidelitatis, vt ait D. Thomas. Quod ſi facerent, quod in ſe eſt, benè viuendo ſecundum naturæ legem, Dominus prouideret & illuminaret illos circa nomẽ Chriſti.] Idemque dicendum de illo, qui Myſterijs ſufficienter propoſitis non præberet aſſenſum inuincibiliter ignorans obligationem credendi. Quidquid contradixerit Leander a Murcia *tom. 2. q. mor. lib. 4. diſp. 1. reſ. 4. num. 16.* Quia eadem vtrobique militat ratio excuſans à peccato infidelitatis, & in vtroque caſu eſt neceſſaria notitia obligationis, vt ſua culpa damnetur: Ideoque illuminabitur à Deo ſufficienter ad finem, & notitiam præcepti. Quæ doctrina certiſsima haberi debet. Quia vt inquit Apoſtolus ad Hæbreos 11. [*ſine fide impoſſibile eſt placere Deo.*] Vnde Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 7. de fide* loquens ait, *ſine qua nulli vnquàm contingit iuſtificatio, & cap. 8. cum Apoſtolus dicit, iuſtificari hominem per fidem, & gratis: ea verba in eo ſenſu intelligenda ſunt, quem perpetuus Eccleſiæ Catholicæ conſenſus tenuit, & expreſsit vt ſcilicèt per fidem iuſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, & radix omnis iuſtificationis, ſine qua impoſsibile eſt placere Deo, & ad filiorum eius conſortium venire.*] Hæc tamen, & ſimilia ſcripturæ, & Sanctorum Patrum loca, licet probent abſolutam neceſsitatem fidei explicitæ Chriſti Domini, non probant neceſsitatem illius in re; ſed in re, vel in voto implicito, vel explicito vt quæſtione præcedenti diximus: Quæ interpretatio eſt ſatis communis locis ſcripturæ, quæ de neceſsitate Baptiſmi loquuntur, quæ non minus vrgent, quàm quæ de neceſsitate fidei explicitæ Chriſti Domini, vt multis probat Suarez *ſup diſp. 12. ſect. 4.* vbi ait: Fide Chriſti in voto nempè in illuminatione Dei, vt ſupernaturalis remuneratoris contenta, iuſtificatum fuiſſe Cornelium, antequàm Petrus ad eũ miſſus, Chriſtum ei anuntiaſſet, & de fide noſtra inſtrueret.]

21 Dico 3. infidelis, qui licèt ſuam ſectam probabilem iudicet, ſecuriorem tamen Religionem Catholicam cenſet ad ſalutem æternam, tenetur in articulo mortis, ex charitate propria ad eam ſe conuertere, quia opinio non ſupplet defectum medij neceſſarij; & damnationis æternæ periculum non euitat. Quod cùm minus ſaltem infidelis apprehẽdit, ſi in ſecta ſua perſeueret, eum obligat ad cõuerſionem. Pro hac parte à fortiori militant, qui ex hoc principio obligant omnes ad eliciendam contritionem in articulo mortis, quos dedi, *1. part. Selectarum, tract. 1. q. 9. num. 20* & in terminis noſtri caſus tenet Doctor Ioſeph Garſi *in qq. mor. cent. 2. cap. 87. num. 5.* & hanc ſententiam omnino tenendam cenſet. Vnde quoties ex maiori probabilitate noſtræ Religionis maiorem ſecuritatem ad ſalutem deducat, tenebitur, *ex hoc capite*; illam amplexari, licèt actum fidei imperfectum ex defectu ſufficientis propoſitionis eliciat. Hoc tantùm probant argumenta ſuperius facta, non verò defectum obligationis ad conuerſionem, vt omittam, quod religio noſtra, cùm iudicatur verior, eo ipſo ſecurior apprehendi ſolet, quia in reliquis non eſſe ſalutem, Chriſtiani aſſerimus, in noſtra verò conſequendam, cæteri cuiuſque ſectæ communiter affirmant. Ergo omnes, etſi barbari, ſecuriorem eius fundamentis credibilitatis perceptis, fateri tenentur: ideòque ad illam, ſaltem in articulo mortis, conſtrictos eſſe, dubitare non poſſunt.

Et

Digitized by Google

Et ſanè omnibus in articulo mortis conſtitutis eſſe obligationem ex charitate propria eligendi medium certum ad ſalutem, nec confeſſos eſſe debere medio probabiliter certo, quando certiſſimè certum eligi poteſt, plures doctiſsimi merito cenſent, quia charitas obligat nequis ſe exponat periculo damnationis æternæ, quàm nulla opinio, quantumuis probabilior, ſi in re falſa ſit, vitare poterit; opinio enim, ſolum excuſat à peccato committēdo, non verò ſupplet medium neceſſarium ad remiſsionem commiſſi. Quoties ergo circa valorem medij neceſſarij ad ſalutem cōtrariæ fuerint opiniones, ni ſtrictori & ſecurior, & ſi minus probabilis, eligatur, periculo ſe exponet damnationis æternæ, nam licèt contraria probabilior, ſit certiſsimè tamen, ſi in re ſit falſa, moribundus vt potè in mortali decedens condemnabitur. Qua propter plures graues DD. ſentiunt, eum qui in articulo mortis ſimplici Sacerdoti, Præſente approbato, confeſſus fuerit, aut ab approbato, præſente Superiorræ à reſeruatis abſolutus, teneri approbato, aut Superiori iterum confiteri; quia primam abſolutionem fuiſſe inualidam defendunt ſuprà tringinta Doctores, quos referunt, & ſequuntur Cardinalis de Lugo *tom. de Pœnit. di p.18. numer.4* Thomas Sanchez *in ſum lib.2.c.p.13.num.7.* & Leander à Sacramento *tract.5.de Pœnit.diſp.11.q.18.* Quorum ſententiam certam, & indubitatam eſſe, & contrariam improbabilem, & temerariam vocant Zambranus *de Caſibus, in articulo mortis, dub.4.num.3.* & Thomas Hurtado *tom.1. tract.5. cap.6. reſ.69.* Cæterum cum extra opinionem ſit, validam forè ſecundam abſolutionem, & ſi pœnitens conſulto omittat aliqua peccata, à quibus, iuxta opinionem probabilem, valide iam fuerat abſolutus; (Vt in caſu præſenti contigit, iuxta plures apud Leandrum *ſuprà q.16. & 17.*) ſatisfaciet vnum, vel alicrum peccatum Sacerdoti approbatæ, aut ſuperiori confitendo. Ego verò, *1. part. Select. tract.1. quæſt.9. num.22.* Cum moraliter certum eſſe dixerim attritionem cognitam ſufficere ad valorem Sacramenti Pœnitentij, & moraliter certam eſſe iuriſdictionem ſimplicis Sacerdotis in articulo mortis, nullam pœnitentij iniici obligationem ad actum contritionis ſeu charitatis, nec ad virum confitendum approbato, vel ſuperiori.

Recole, ibi dicta.

(.?.)

(ꝏ)

DISPVTATIO SEXTA de eleemoſyna Appendix.

QVÆSTIO I.

An Eccleſiaſtici ſuorum redituum dominium habeant?

1 DOMINIVM Reddituum Eccleſiaſticorum (quales ſunt annui fructus ex decimis, aliiſque pijs legatis, beneficio annexis) Eccleſiaſticos non habere; docent plures, & graues Doctores, apud Leandrum à Sacram. *tom.6. in Decalog. diſp. 3. q.75.* Sed contraria ſententia eſt communior, & verior, & expreſſa D. Thomæ quem citatum ſequitur M. Soto *lib.10. de iuſt. q.4. art.3.* ybi ſic: [An Epiſcopi, & reliqui Sacerdotes verum, & legitimum habeant dominium fructuum Eccleſiaſticorum? Qui illos pro ſua portione contingunt? Alexander de Ales, & Ricardus expreſsè aiunt frutuum Eccleſiaſticorum. Clericos ſolum habere vſum, & non proprietatem, &c. Secunda nihilominus opinio eſt, quàm hic tenet S. Thomas, videlicet, quod illius portionis, quæ particulariter applicata eſt Epiſcopo, per inde videtur Dominus, atque aliorum bonorum, quæ ſæculariter poſſidet, vt patet ex ſexta concluſione, &c. Hæc ſecūda opinio adeò mihi ſemper pro meo exili iudicio perſuaſa fuit, vt quandiu Eccleſia contrarium non definierit, neſcio an de illa decidere poſsim, eo potiſsimū, cum S. Thomas illam teneat, nec vllas eiuſdem ordinis Pater contrarium expreſsè dicat.] Hæc Sotus, cuius veſtigij in hærent reliqui Thomiſtæ, & alij Theologi, quos citatos laudat M. Ioannes Martinez de Prado *tom.1. Theologiæ Moralis, cap.15. q.7. num.6.* [Et ita, inquit, tenent Sylueſter, Soto, Bañez, Petrus de Ledeſma, Serra, Lorca, Corduba, Villalobos, Molina, Vazquez, Hurtado de Mendoza, Thomas Sanchez, Lugo, Trullench, Couarrubias, Sarmiento, Bonacina, & hæc opinio hodie eſt communis,] Sic Prado, & ante illum M. Texeda *tom. 7 heolog. Mor. libr. 2. tract.2. controu.9. num.8.* ibi: [Dico tertiò, Epiſcopi, aut cæteri beneficiarij ſunt Domini verè, & propriè illorum redituum, qui ſibi pro beneficio, præbenda, aut Epiſcopatu applicata ſunt, &c.] Pro qua ſententia Doctores alios ad ſacietatem reperies, apud Dianam *5. part. tract.8. reſ.31.* & apud Leandrū, ſuprà, qui ſupra triginta refert, & apud Cardinalem de Lugo *de iuſtitia, diſp.4. ſect.1.*

Vbi

Vbi pluribus citatis, ait, [Recentiores ferè omnes, ita communiter aſſerere]: & apud Garciam *de Beneficijs, 2. part. cap. 1. num. 6. & 7.* vbi dicit, quod hæc ſententia eſt ſine dubio magis communiter recepta, & praxi, & conſuetudini Eccleſiæ conformis.

2 Addunt alij, non ſolum Clericos Sæculares, ſed etiam Religioſos ad Epiſcopatum aſſumptos, verum dominium redituum Eccleſiaſticorum habere. Ita contra D. Thomam, tenet M. Soto *lib. 10. de iuſt. q. 5. art. 7. §. De voto autem paupertatis*, vbi ſic ait: [S. Thomas *in hac ſecunda ſecundæ, q. 88.* Tum hic clariſsimè defendit, Monachum factum Epiſcopum nullatenus à voto paupertatis abſolui, &c. In contrarium eſt argumentum, &c. Dicendum ergo eſt, quod ita eius mutatur paupertas, vt decimarum portio, reliquaque Epiſcopalia bona illi; ſicuti, & reliquis Epiſcopis adiudicentur.] Sic Sotus: cui conſentit Illuſtriſsimus M. Araujo, Epiſcopus Segouienſis *in Deciſionibus Moral. tract. 2. q. 19. num. 48.* ibi: [Sentio cum Soto, quod Religioſi facti Epiſcopi habent dominium portionis ſibi aſsignatæ, non ſecus, atque Clerici, ſiue illa portio, ſit pinguis, ſiue tenuis.] Sic M. Araujo vbi ſuprà (licèt ſibi contrarius oppoſitum doceat, *tract. 3. q. 28. num. 11. 18. & ſeq.* Idemque tuentur Diana *3. part. tract. 2. reſ. 50. & 5. part. tract. 8. reſ. 51. & part. 8. tract. 6. reſ. 132.* & apud illum Vvadingus, Alphonſus de Leon, Ioannes Marquez, Palacios, Medina, Angles, Baſilius, Pontius, & cum Vazquez *de reditibus, cap. 3. dub 7. & 3.* defendit Pellizarius *tom. 1. tract. 4. cap. 2. ſect. 5. q. 13. num. 372.* & eſſe ſententiam probabilem, & practicè ſecuram, ait P. Thomas Sanchez *libr. 6. ſum. capit. 6. num. 13.*

§. I.

Secunda, & communis ſententia, quoad primam partem probatur.

3 FVNDAMENTVM Primæ partis [quoad Epiſcopos, & alios Beneficiarios Sæculares) eſt: quia Eccleſiaſticos fructus, quorum olim diſpenſatio, & diſtributio ſolis Epiſcopis competebat, adiutandam fraudem, & abuſum in diſtributione contingentia, in quatuor partes diuiſerunt Pontifices; aliam Epiſcopo, aliam Clero, aliam fabricæ Eccleſiæ, aliā pauperibus: cuilibet ſuam adiudicando: Ergo ſicut fabrica dominium habet ſuæ portionis; ita, & Epiſcopus, & alij Beneficiarij. Et confirmatur ex verbis, quibus Concilium Tridentinum vtitur *ſeſſ. 23. de reformat. cap. 1.* vbi contra Beneficiarium abſentem declarat: *Eum pro rata temporis abſentiæ, fructus ſuos non facere.]* *Et ſeſſ. 24. de reformatione [fructus non faciant ſuos,]* &c. Et contra omittentes Horas Canonicas, ſimili modo loquuntur Concil. Later. & Pius V. Quæ, quidem verba fructuum dominium adquirere, ſeu amittere ſupponunt, aut exprimunt.

4 Secundò à poſteriori probatur: quia ſi non haberent dominium fructuum, nequirent illud transferre, atque adeò quotiès extra vſus pios expenderent, donationes nullæ eſſent, & reſcindi deberent: atqui nunquàm vidimus, Eccleſiam, & Pontifices, quibus cōſtat, fructus, ſeu reditus non rarò; ita alienari, eas reſcindere, & ad reſtitutionem compellere. Signum ergo eſt, ſupponere, validas fuiſſe, & dominium translatum eſſe. Aliàs Pontifices, vtpotè bonorum Eccleſiaſticorum Supræmi adminiſtratores, ſuo muneri non ſatisfeciſſent. Quod dicere nefas eſſet.

5 Tertiò probatur: quia ſi Beneficiarij non haberēt dominium ſuorum redituum, non poſſent licitè, neque validè in vſus profanos de illis teſtari, atqui id ex conſuetudine poſſe licitè, omnes Beneficiarios Epiſcopis inferiores, tradit cum pluribus Garcia *de Beneficijs, part. 2. cap. 1. num. 16.* [Nam dicta conſuetudo, inquit, non eſt contra ius diuinum, aut naturale, ſed contra ius humanum, quo indicta eſt prædicta prohibitio teſtandi. Quam opinionem tenēt Couarrub. Dueñas, Didacus Perez, Roxas, Simancas, Sarmiento, Marſilius, Olanus, Matienzo, Eſpino, Zauallos.] Et ſaltem teſtamentum eſſe validum, (ad quod ſupponitur dominium) dicit M. Texeda *ſuprà num. 64.* vbi ait: Quod teſtari de bonis Eccleſiaſticis in vſus profanos [eſt intrinſicè malum, valebit tamen, inquit, diſpoſitio, quia ſic teſtari ſolo iure humano prohibentur.] Verùm rationi huius authoris non hæreas: quia apertè ſibi contradicit; ſi enim intrinſicè malum eſt, qui fieri poteſt, quod ſolo iure humano prohibitum ſit: Verùm cùm rectè ſtare poſsit, eſſe prohibitum teſtamentum, & tamen validum eſſe; & aliàs nequeat validum eſſe, ſicut nec donatio; ſi donans non habeat dominium rei, (ſeu facultatem ab habente conceſſam) rectè deducitur ex valore teſtamenti ex bonis Eccleſiaſticis in vſus profanos, Beneficiarios Epiſcopis inferiores ſuorum fructuum dominium habere: & per conſequens, & Epiſcopos, cum peioris conditionis eſſe non debeant: licet facultatem teſtandi ius illis negetſ nec conſuetudo conceſſreit.

(. ? .)

§. II.

Eiuſdem, quoad ſecundam partem probatio.

6 EADEM militat ratio pro Regularibus ad Epiſcopatum aſſumptis. Quia eiuſmodi Epiſcopis eodem modo applicata eſt ab Eccleſia pars fructuum Eccleſiaſticorum, ac reliquis ex Sæculari Clero promotis; Ergo æque dominium illorum habent. Ad hoc argumentum, ait Sotus ſuprà [fateor equidem me reſpõdere neſcire.] Nec valet dicere partem illam aſsignatam eſſe Epiſcopo Regulari tanquàm diſpenſatori: quia cùm modus applicationis, idem ſit omnibus Epiſcopis, & a potente dominium cõferre, non eſt cur vni, & non alteri conferri dicatur. Vrgetur: quia votum paupertatis, non minus dominium bonorum patrimonialium impedit, quàm redituum Eccleſiaſticorum; ſed illorum dominium non impedit, vt conſtat *ex cap. ſtatum 18.q.1.* vbi Monachus factus Epiſcopus declaratur idoneus adeundi paternam hæreditatem, cuius antea incapax erat; Ergo dominium redituum Eccleſiaſticorum habere poteſt. Conſequentia videtur certa, & ratio eſt: quia per dignitatem Epiſcopalem, qua illi, ſicut, & reliquis bona applicantur; in voto paupertatis diſpenſat Papa (vt docent M. Sotus. Michael de Medina, & Sarmiento, apud M. Araujo *ſuprà tract.3.q.29.num.7.* Quos ſequitur P. Vazquez *vbi ſuprà*) quod efficere poſſe, etiam qui negãt de voto ſolemni continentiæ, de illo concedunt. Nec dici poteſt *cap. ſtatum* deſumptum eſſe ex Concilio Prouinciali, nam, illud Concilium Generale fuiſſe, colligitur ex annotatione in illud caput, quæ modò addita eſt in vltima decreti impreſsione, vt aduertit Vazquez *de Reditibus, cap.3.dub.7.in fine.*

7 Quod autem hæc diſpenſatio neceſſariò includatur in conſecratione Epiſcopi, inde efficaciter ſuaderi videtur. Quia adminiſtratio perpetua bonorum, ſine ordine ad Superiorem, & quæ ad eius nutum amobilis non ſit, non minus pugnat, cum voto ſolemni paupertatis, quam bonorum dominium; ſed Religioſus factus Epiſcopus eam adminiſtrationem habet, quam, ſicut, nec Epiſcopatum, nequit Pontifex proſuo natu; ſed tantummodo, ex vrgenti cauſa, ſicut, & Epiſcopo Sæculari, auferre: Ergo verè per electionem diſpenſatus eſt Epiſcopus Regularis in voto paupertatis; ac proinde bonorum omnium dominium, tam redituum Eccleſiaſticorum, quàm patrimonialium habet; tamet ſi quoad poteſtatem diſponendi in morte Epiſcopi ex Clero Sæculari aſſumpti aliter ſe habeant ex diſpoſitione iuris: quia ius iſtis concedit, de bonis patrimonialibus, ſeu quaſi patrimonialibus validè, & licitè teſtari; ſecus Epiſcopis Regularibus; quia in eodem, *cap. ſtatum*; ita decernitur: aliter enim æquè, ac Sæculares poſſent de patrimonialibus teſtari, vt ex communi Doctorum, notat Vazquez *ſuprà num.35.& 36.* Non me latet contrariam ſententiam aſſerentem, Religioſum creatum Epiſcopum non abſolui à voto paupertatis, & conſequenter non effici Dominum bonorum Eccleſiaſticorum, ſed adminiſtratorem, ſatis communem eſſe, vt videre licèt, apud Sanchez *in ſum.lib.6. cap.6. num.8.* Sed noſtra probabilior eſt.

8 Quod dictum eſt de Regularibus Epiſcopis, dictum puta de alijs Regularibus Beneficiarijs, qui ab adminiſtratione, ad nutum Superioris, remoueri non poſsint: ſecus ſi prohibito. Quia iſtorum bona Eccleſiaſtica Monaſterij ſunt, nec plus eorum, quàm adminiſtrationem, ad nutum Superioris reuocabilem, habent: tamet ſi, ex priuilegio facultatem teſtandi ad opera pia illis competere, dicat cum Nauarro, P. Vazquez loco ſuprà citato. De priuilegio autem à Paulo III. illis conceſſo, teſtatur M. Araujo *ſup. tr. 3.q.29.num.22.* Sed intelligendum (vt teſtentur in fauorem conuentus eam partem, & in vſus pios: & conſanguineis non ſuperflua, ſed neceſſaria relinquant.] Vide Dianam *p.8.tr.6.reſ.133. in fine*, apud quē Vvadingus *tract.de contrit.diſp.2.dub.3.§.2.* largiùs diſcurrit dicens. [Putò probabile Regularem, dum adminiſtrat Beneficium, validè expendere in quoſcumque vſus; quia hoc eſt praxi conforme.] Negat verò id licitè fieri.

§. III.

Recipiens à Beneficiariò illicitè expendente non tenetur reſtituere.

9 EX his decidenda venit quæſtio alia facilè obuia, an ſicut Epiſcopus, & alij Beneficiari non tenentur ad reſtitutionem eorum, quæ in vſus profanos malè, & contra præceptum miſericordiæ expenderũt; eo quod verum dominium habuerint; ita ſimiliter accipientes; etiam mala fide prædictos reditus, ab illorum reſtitutione maneant immunes? Et reſpõdeo affirmatiuè. Moueor: quia licèt Epiſcopi, & alij Beneficiarij inferiores habeant bona patrimonialia, quibus fructus Eccleſiaſticos in vanos vſus conuerſos poſsint reſtituere, nihilominus ad reſtituendum non adſtringuntur, vt concedunt omnes Doctores, qui dominium bonorum illis conceſſum fatentur: Ergo cum ab illis accipientes verum bonorum dominium adqui-

Digitized by Google

quirant, licèt Epiſcopi malè, & profanè donauerint, non tenebuntur ad reſtitutionem. Hoc verum eſt, licèt eadem bona in ſpecie donata conſeruent, quia ſemel translato dominio, non alio præcepto circa iſta, quàm circa alia bona patrimonialia, aut aliunde parta adſtringuntur. Et ita concedit M.Soto *lib.10. de iuſtit. q.4. art.3.§.[Ex his diluctа euadit.]* Vbi ad præfatam dubitationem ſic reſpondet:[Si Epiſcopi verè ſunt Domini, vt probatum eſt, quamuis contra præceptum miſericordiæ, exiguitate, & nimia parcitate eleemoſynarum, mortaliter delinquant; & ſua bona aliter profundant, etiam in malos vſus, verè dominia tranſmittunt. Quo circa, qui illa recipiunt, ad reſtitutionem minime tenentur. Atque idem ante nos ſenſit Adrianus. Et patet exemplum, dum enim, quis cuippiam in extrema neceſsitate conſtituto ſuccurrere prætermittens; id, quod illi præbere tenebatur, alteri diuiti prodigè contulit, neque ipſe, neque ille, qui recipit, vllatenus, ſit reſtituendi reus.] Hactenus M.Soto, cuius ratio efficax eſt.

§. IV.

Corollaria.

10 EX dictis fit primò; quòd ſi Beneficiarius teſtetur in vſus profanos de reditibus Eccleſiaſticis, licèt demus, id illicitum eſſe, (quod Garcia, cum pluribus vbi ſuprà negat,) valebit tamen teſtamentum, vtpotè à Domino redituum confectum, qui iurè naturali teſtari valide poteſt. Nam licèt iure poſitiuo, id ei prohibitum ſit, & eo attento teſtamentum eſſet irritum, vt conſtat ex pluribus, quæ congerit Vazquez *opuſc. de Reditibus, cap.1.§.3. dub.4.* nihilominus ratione conſuetudinis (quæ in Hiſpania, & Gallia introducta eſt) pro Beneficiarijs inferioribus lex illa abrogata eſt: ac proinde ad ſummum manebit prohibitio naturalis diſponendi in vſus non pios, quæ cùm translationem dominij non impediat; ſed ſolu contra miſericordiam reddat illicitam; teſtamentum confectum validum relinquit, & licite poſſunt illius hæredes dominiũ hæreditatis accipere: licèt enim peccauerint (vt arbitror) ſi teſtatori prædictam diſpoſitionẽ cõſuluerint, vtpotè illius peccato cõtra miſericordiã cooperãtes; poſtea verò accipiẽtes bona in eorũ dominiũ translata nullum peccatum committunt: quia nil prohibitũ faciunt. Et in hoc ſenſu locum habet lex noſtri Regni *in noua compillat. lib.5. tit.8. l.13.* vbi prædictam conſuetudinem obſeruari iubet; non quod teſtamentum Beneficiarij in vſus profanos licitum eſſe declaret, (eius enim hoc non erat) ſed quòd validum habeatur, vt quod hæredes bona legata retinere poſsint, vtpotè à verò Domino donata.

11 Fit ſecundò: hæredes Beneficiarij licitè ſuccedere abinteſtato, abſque vlla obligatione erogãdi bona illa in vſus pios: quia licèt Beneficiarius, dum ea poſsidebat, tenebatur, vtpotè ſuperflua in eleemoſynas erogare, ei tamen mortuo, vt verò illorum Domino, ſuccedunt abinteſtato conſanguinei, quoad dominium, non verò quoad obligationem ortam ex charitate: hæc enim non bona ſeorſim; ſed, vt in Beneficiario, illa afficiebat: quia, vt rectè ait Vazquez ſuprà. [Tantùm erat perſonalis, nec bonorum tantum, ſed in perſona tali.] Aliàs ex charitate teneretur quivis bona à Beneficiario profanè ipſi collata in vſus pios erogare, quia ad id lege charitatis Beneficiarius tenebatur, ante dominij translationem: Quod nemò concedet.

12 Difficultate tamen non vacat, quī fieri poſsit, quod Beneficiarius dominium transferens in vſus profanos peccet, non verò, qui ab illo dominiũ accipit; quia acceptiò videtur cooperatio ad peccatum alterius. Hac difficultate preſſus Thom. Sanchez *lib.2. conſil. cap.2. dub.38. num.14.* dicit, accipientem etiam peccare mortaliter: quia cooperatur peccato Clerici, dantis, & expendentis contra præceptum. Et ita ſanè cẽſendum eſſet, ſi Clericus non haberet dominium fructuum: quia inualida foret donatio, & recipiens inciperet iniuſtè poſsidere, vtpotè ſine titulo, rem alienam. Verùm cum in oppoſita opinione procedamus, difficultas aliunde ponderanda eſt; qua, inquam, ratione fieri poſsit, vt contra charitatem, ſit donatio, non verò eius acceptatio: Quando quidem donatio per acceptationem completur, quæ proinde donationi cooperatur? Hæc difficultas in alijs materijs ab omnibus ſoluenda eſt. Quia communis ſententia tenet, redditionem debiti eſſe licitam, licet coniugi petenti ſit illicita, ratione voti caſtitatis, quo obſtrictus eſt. Et tamen certiſsimum eſt coniugalem actum vtriuſque coniugis operatione compleri. Rurſus euidentiſſimum eſt, debitorem ſoluentem peccuniam creditori, qui non accipere iurauerat, licitè ſoluere, & creditorem accipientem peccare mortaliter, & tamen, qui ſoluit, cooperatur acceptioni, quæ abſque ſolutione eſſe non poterat. Sicut ergo in his diſtinguitur ab omnibus cooperatio ad peccatum ab alia quadam cooperatione, quæ à peccato præſcindit; Ita ſimiliter in re noſtra dicendum eſt.

13 Pro cuius maiori explicatione: ſuppono in Beneficiario donante illicitè fructus

tus Beneficij, & eſſe voluntatem donandi, & donationem, ſeu obligationem rei, quæ antecedunt acceptationem ſe tenentem ex parte recipientis, ad quas proinde iſte nullo modo concurrit, neque phiſicè, vt patet, neque moraliter, vt ſupponimus: quia neque conſilio, iuſſu, vel exhortatione. Ex illa ergo voluntate, & oblatione, veluti ex actione interna, & externa conflatur tota malitia peccati donantis in noſtro caſu interuenientis, ad quas, cùm nullum concurſum præſtet acceptans, nullo modo eſt cauſa peccati proximi, nec ei vllo pacto cooperatur. Eſt inſuper translatio dominij, quæ ex oblatione libera, & ex acceptatione coaleſcit, cui translationi dominij, ſicut in phiſicis, licèt materia præcedat receptionem formæ, vtraque intrinſicè conſtituit compoſitum, & æquè vna, & altera eidem effectui cooperatur.

14 Sed reſtat adhuc difficultas. Qui fieri poſſit, vt acceptatio conſtituens translationem dominij non ſit peccaminoſa, quando quidem nocumentum pauperibus æquè ex ipſa acceptatione, ac ex oblatione beneficiarij ſequitur? Quod ſic vrgeo: translatio adæquata dominij coaleſcens ex translatione actiua, quæ eſt oblatio, & ex paſſiua, quæ eſt acceptatio; nocumentum graue affert pauperibus, quod quidem quælibet ſine alia inferre non poſſet, & non minus vna, quàm altera infert, cùm æquè intrinſicè, & eſſentialiter ad translationem adæquatam dominij pertineat; Ergo ſi oblatio eſt contra charitatem, acceptatio ſimiliter erit.

15 Reſpondeo, negãdo conſequentiam, quia ex parte offerẽtis datur prohibitio; non verò ex parte acceptantis; nàm ille vtpote Beneficiarius tenetur ſuperflua ad vſus tantùm pios offerre, alter verò non prohibetur ad vſus etiam profanos acceptare, quia quod à vero Domino illi donatur, capax eſt ſic admittere, & nullo præcepto illi prohibetur. Quòd autem nocumentum inde pauperibus ſequatur, non facit ad rem: quia nemo tenetur ad damnum alterius vitandũ cum æquali ſuo damno: licitè enim quiſque eleemoſynam ſibi oblatam acceptat, alij ſecus erogandam: dicemus ne cõtra charitatem peccare, eò quòd nocumentum illud, eo non acceptante, vitaretur? Ergo ſimiliter in re noſtra. Pro hac ſententia ſtat apertè P. Molina *tom.2. tract.2. diſp.328. à num.15.* vbi loquens de illo, qui non ſolùm contra charitatem, ſed contra iuſtitiam in fraudem creditorum bona ſua alienat, vtpotè qui ea donatione fit impotens adſoluendum creditoribus, ſimilem obiectionem ſibi facit: [Qui alienat, peccat contra iuſtitiam; ergo, & qui ab eo accipit, peccat etiam contra iuſtitiam coopetando peccato alienationis.] Reſpondet. [Neganda eſt conſequentia: quia accipiens iure ſuo vtitur intra iuſtitiæ limites accipiendo, & ſuam efficiendo rem in ſe libetam, hoc eſt, nulli alteri obligatam, vtendoque peccato dantis in ſuum propriũ commodum; non ſecus, ac qui licitè accipit ſub vſuris, vtitur peccato dantis in ſuum proprium commodum. Et fortaſsè, qui acciperet titulo lucratiuo, nec contra charitatem aduerſus creditorem peccaret, eo quod charitatis ordo non poſtulet, vt poſtponat ſuum commodum, vt creditores ab æquali damno ſeruet immunes. Aduerſus alienantem, verò non peccat contra charitatem, (attende) eo quod per eam oblationem, eius peccatum conſummatur, & acceptio ſolum, ſit vſus peccati alterius, iam conſummati in ſuum proprium commodum, vt ſuprà *in materia, de eleemoſyna, q.32. art.7.* de eo paupere dicebamus, qui ab eiuſmodi debitore acciperet pecuniam, ſibi in eleemoſyna oblatam.] Hactenus Molina, cui conſonat, eo citato, Leſsius *lib.2. cap.20. dub.19. num.168.* [Nec obſtat, inquit, quod ille peccet donando, quatenus per hoc reddit ſe impotentem ad ſoluendum creditoribus: quia tu non es cauſa, quòd velit donare, ſed ſuppoſito, quod ipſe ſponte velit, tu acceptas vtens iure tuo. Neque enim, vel iuſtitia, vel charitas poſtulat, vt negligas tuum commodum, etiam ſi inde per accidens ſequatur alteri tantundem damnum.] Sic Leſsius, & alij, quos citatos ſequitur Diana *part.8. tract.6. reſ.134.* Et ſic etiam Card. de Lugo *tom. de iuſtit. diſp.4. ſect.3. num.48. & ſequenti.* vbi clarè, vt ſolet, hanc difficultatem ex Molina, & Leſsio diſſoluit, refert etiam Petrum de Nauarra *libr.3. de reſtit. cap.4. num.220.* Sed hic Author, licèt peccatum contra iuſtitiam non agnoſcat, putat verò contra charitatem venialiter deſici. Ideò illum non refero. Eam verò nouiſsimè tuetur Doctor Ioſeph Garſi *in qq. moral. cent.1. cap.99. in fine*, & Diana *3. part. tract.5. reſ.39.* Cæterùm quidquid ſit de peccato non teneri ad reſtitutionem, eſt communis Doctorum, qui verum dominium Epiſcopis Religioſis, bonorum, & fructuum, vbi ſuprà *numer.3.* concedunt.

QVÆSTIO II.

Vtrùm Eccleſiaſtici, in communibus pauperum neceſsitatibus teneantur erogare eleemoſynam de reditibus, qui poſt congruam ſuſtentationem ſuperfluunt?

1 HVIVS Quæſiti deciſionem putatunt non nulli, dependere à præcedenti circa dominium redituum Eccleſiaſtico-

ticorum, quaſi ex dominio aſſerto neceſſariò ſequatur, non teneri. Ita cenſuit Nauarro *de reditibus, quæſt. 1. monit. 2.* ductus authoritate D. Thomæ 2.2. *quæſt. 185. art. 7. in corp.* vbi Angelicus Doctor ſic ſcribit: [Epiſcopi propriorum bonorum dominium habent; vnde non obligantur, vt alijs conferant, ſed poſſunt, vel ſibi retinere, vel etiam alijs pro libito elargiri, &c. De his autem, (nempè de bonis, ſeu reditibus Eccleſiaſticis) quæ ſunt ſpecialiter ſuo vſui deputata, videtur eſſe eadem ratio, quæ eſt de proprijs bonis.] Sic ibi D. Thomas. Et iterum *Quodlib. 6. art. 12. ad 3.* [In bonis, inquit, (quæ ſunt principaliter attributa vſibus Miniſtrorum) non committitur peccatum, niſi per abuſum, ſicut & de bonis patrimonialibus dictum eſt.]

2 Ex quibus ſic conficitur argumẽtum. Epiſcopi, & alij Beneficiarij non magis tenentur erogare eleemoſynas de reditibus Eccleſiaſticis, quàm de bonis patrimonialibus, ſed de his non tenentur, niſi in caſibus, in quibus ſæculares: ergo neque de bonis Eccleſiaſticis, ſeu reditibus, quæ poſt congruam ſuſtentationem illis ſuperfluunt. Ergo non tenentur extra grauem neceſsitatem, vt de ſæcularibus plures affirmant. Diſcurſus legitimè concludit: quia de bonis patrimonialibus, non aliter Epiſcopos, quam ſæculares teneri, docet M. Texeda, *tom. 1. controuerſ. 9. num. 48.* & eſt communis Doctorum opinio apud Sanchez *in concilijs, tom. 1. lib. 2. cap. 2. dub. 37.* vbi pro hac parte refert Diu. Thomam, Caietanum, Sotum, Diu. Antoninum, Sylveſtrum, & Turrecrematam, & eſt, inquit, certum apud omnes. Et ita fatetur Magiſter Martinez de Prado *tom. 1. Theologiæ Moral. capit. 13. q. 7. §. 1. n. 3.* dicens: [Secundò præmittendum ex D. Thoma 2.2. *q. 158. art. 7.* quòd Eccleſiaſtici habent quædam bona propria, quæ dicuntur patrimonialia, vel quaſi: habent alia, quæ dicuntur Eccleſiaſtica. Prima comprehendunt omnia, quæ à parentibus hæreditario iurè obtinuerunt, vel amicis illis donata ſunt, vel proprio labore, induſtria, vel arte acquiſierunt, vel iuſto alio titulo poſsident. Et certum eſt, (attende) & traditum à Diu. Thoma, & omnibus Theologis, quod iſtorum bonorũ Clerici ſunt verè domini, & quod ex iſtis bonis non aliter eleemoſynam facere tenentur, quàm ſæculares ex proprijs bonis, &c. Bona verò Eccleſiæ ſunt, quæ Epiſcopi & Clerici obtinent ratione officij, & muneris Eccleſiaſtici, &c. Solùm ergo eſt quæſtio de fructibus, & reditibus poſſeſsionum, & alijs prouentibus Eccleſiarum, vtrùm in communibus neceſsitatibus teneantur Eccleſiaſtici, omnia, quæ ſuperſunt congruæ ſuſtentationi, in pauperes, & alia opera pia erogare.] Sic Prado. Si ergo vera ſit D. Thomæ ſententia, verbis ſupra adductis, aſſerentis, eandem eſſe rationem de reditibus Eccleſiaſticis, qui ſunt principaliter applicati vſibus Miniſtrorum, ac de bonis patrimonialibus, planè videtur ſequi, negatiuè reſpondendum quæſito. Et ita reſpondet Sarmiento, cuius ſententiam, ſi Eccleſiaſtici dominium redituum habeant, cenſet veram Nauarr. vbi ſupra, vt iam notaui.

3 Cæterùm dubitari non poteſt, teneri Eccleſiaſticos ſpeciali præcepto erogãdi eleemoſynam ex reditibus Eccleſiaſticis, in communibus neceſsitatibus, quo, de patrimonialibus non adſtringuntur, ſicut nec ſæculares. Nec contraria opinio ſuſtineri poteſt, & non leui cenſuræ nota ab aliquibus afficitur. Vide M. Texeda Dominicanum *tom. 1. Theolog. Moral. lib. 2. tract. 2. controuerſ. 9. num. 46.* vbi ait, quod aſſerere, quod in communibus pauperum neceſsitatibus, non teneantur Epiſcopi de ſuperfluis eleemoſynas facere, [eſt erroneum in fide, contra conciliorum decreta, & Sanctorum teſtimonia.] Alij verò, etſi tàm acri cenſura non afficiant, tamẽ oppoſitum, vt certum & indubitatum ſupponunt. Et ita tenendum.

§. I.

Vnde proveniat hæc obligatio?

4 QVO Autem iure, an humano, an etiam naturali, & diuino in cõmunibus neceſsitatibus teneantur? non conueniunt Doctores. Nam ex ſolo iure Eccleſiaſtico ſpecialiter teneri, tradit Leſsius *lib. 2. de iuſt. cap. 4. dub. 6. num. 47. propè finem.* Item Baunius, Machado, Eſcobar, & putant probabile Sãchez, & Trullẽch, quos citatos ſequitur Diana *p. 10. tr. 11. reſol. 35.* & cum Laymam defendit Gaſpar Hurtado *tr. de charitate, diſp. 5. diffic. 18. §. [Circa poſterius.]* Et à fortiori cõſentiunt, quotquot aſſerunt, Beneficiarios poſſe licitè ratione conſuetudinis in vſus profanos de reditibus Eccleſiaſticis teſtari. Quos ſequitur Garcia *de Beneficijs, p. 2. cap. 1. num. 16.* & apud illum duodecim alij authores. Et fundamentum, inquiunt, eſt, quòd [dicta conſuetudo non eſt contra ius diuinum, aut naturale, ſed contra humanum, quo indicta eſt prædicta prohibitio.] Si enim in vita ex miſericordia, iure diuino, aut naturali, in pauperes, aut in alios pios vſus ſuperflua erogare tenerentur, potiori iure, & in morte: & nulla conſuetudo contraria prædictã obligationem auferre potuiſſet: quia cõſuetudo cõtra ius diuinũ, aut natu-

naturale, non conſuetudo, ſed corruptela eſt, vt in confeſſo eſt apud Theologos.

5 Pro opinione præfata citatur etiam ab aliquibus M. Dominicus Soto *lib. 10. de iuſtit. quæſt. 4. art. 3. §.* [*Sed aiunt.*] vbi inſinuat obligationem erogandi eleemoſynam ex fructibus Eccleſiaſticis, ex ſolo iure Eccleſiaſtico provenire. [Eſt autem, inquit, hoc apprimè obſeruandum, quod alere ex decimis pauperes, non eſt ius diuinum, neque naturale, ſed merè Eccleſiaſticum poſitiuum, idque miſericordiæ.] Sic M. Sotus vbi ſupra, §. [Per hæc rurſum.] Quem ideò pro hac ſententia referunt Corduba, Diana, & Lugo. Verùm M. Prado *tom. 1. cap. 13. q. 7. num. 11.* dicit, ſe tale quid in Soto non inveniſſe: non quia verba allata, vt credo, in illo non legerit, ſed fortè, quia Sotus non negat obligationem naturalem expendendi in eleemoſynas, vel alios vſus pios, quæ ſuperſunt poſt congruam, & decentem ſuſtentationem Miniſtrorum; ſed ſolùm obligationem erogandi determinatè in pauperes quartam illam partem fructuum Eccleſiaſticorum, quæ olim fuit applicata pauperibus, quando bonorum omnium Eccleſiaſticorum diuiſio facta fuit à Papa Simplicio, *anno* 471. vt conſtat ex Cardinali Cæſare Baronio *tom. 6. anno* 471. & quæ denique in alia beneficia, & præſtimonia ab Eccleſia cõverſa creditur. Quia licèt minimè conſtet, in quos vſus determinatè applicata fuerit, certum tamen eſt, non fuiſſe aggregatam Epiſcopis, vt aliqui contendebant, vt inde probarent, eos ex iuſtitia teneri determinatè in pauperes illam diſtribuere. Quòd verò Epiſcopi ex ſuperfluo portionis redituum, quæ ipſis in præfata diuiſione contigit, non teneantur iure naturali, & diuino eleemoſynam in communibus neceſſitatibus erogare, non dixit Sotus. Quapropter Pater Vazquez *opuſc. de eleemoſyna, cap. 14. num. 13.* iurè ſcribere potuit contrariam ſententiam eſſe communem. [Neque vllum, inquit, legi, qui aſſereret iure tantùm humano ad id teneri.] Sic ille, & verè; licèt alij poſtea id aſſeruerint, vt vidimus.

6 Dicendum igitur eſt, obligationem hanc erogandi eleemoſynam in communibus neceſsitatibus ex ſuperfluis, non ſolùm ex iure Eccleſiaſtico, ſed ex naturali, & diuino provenire. Quod autem ex iure Eccleſiaſtico, omnes ſupponunt, licèt non omnes efficaciter probent. Dicere enim, latum fuiſſe *in Tridentin. ſeſſ. 25. cap. 1. de Reformat.* friuolum eſt: quia ante Tridendinum extitiſſe, nemo dubirat. Imò in Tridentino non contineri, multis ſuadere conatur Magiſter Lorca 2. 2. *diſput. 4. memb. 2. numer. 44.* dicens: [Si benè expendantur verba concilij, nil præcipit de fructibus, & portione, quæ ſingulis Clericis, vel Prælatis deſignata eſt: ſed loquitur de bonis, quæ ſunt in dominio ſuæ Eccleſiæ, qualia ſunt immobilia, & ius ad reditus annuos.] Quam explicationem defendit etiam M. Serra 2. 2. *quæſt. 66. artic. 1. dub. 2. concluſ.* 7. quæ quidem licèt violenta videatur, & contra verba concilij, cùm ibi expreſsè de illis loquatur dicens: *Sancta Synodus omnino interdicit Epiſcopis,* (attende) *ne ex reditibus Eccleſiæ, conſanguineos, familiareſque ſuos augere ſtudeant.* Nunquàm enim ex his, quæ ſub dominio ſunt Eccleſiæ; ſed ex Eccleſiaſticis reditibus ad ipſos pertinentibus, ditauerant conſanguineos Epiſcopi; quos proinde hoc præcepto coercere voluit concilium: non ergo expoſitio illa admittenda. Nihilominus cùm à viris doctis exhibeatur, & tamen hi non dubitent de antiquiore præcepto Eccleſiaſtico; omnes aliunde prouenire fateantur neceſſe eſt. Qua propter melius Thomas Sanchez vbi ſupra *dub.* 38. præceptum hoc conſtare inquit: [ex pluribus Sanctorum teſtimonijs grauiter obiurgantium Clericos, eoſque fures, ac ſacrilegos nuncupantium, qui ſuperflua ex reditibus in pios vſus non erogant, & ex pluribus conciliorum, & Pontificum decretis, quibus id Clericis præcipitur.]

7 Quòd autem iure etiam naturali, & diuino, hoc præceptum ſit; probatur. Quia ſi ſolo Eccleſiaſtico; poſſet Pontifex illud auferre, ſicut & non impoſuiſſe; vnde Epiſcopi diſpenſati poſſent omnes Eccleſiaſticos reditus ludo exponere, & in conviuijs, & veſtimentorum luxu expendere, quod ſcandaloſum valdè eſſet, & fideles plenè retraheret a bonis Eccleſiæ relinquendis. Signum ergo evidens eſt, ex natura rei, & ex vi donationis bonorum Eccleſiæ factæ, contra rationem eſſe illa diſsipare. Vnde meritò Vazquez *opuſc. de eleemoſyna, cap. 4. num. 15.* dixit. [Hæc obligatio non tàm eſt eleemoſynæ, quàm ſit prohibitio diſsipationis patrimonij Eccleſiaſtici.]

8 Ratio à priori pro obligatione ex iure naturali, & diuino ea eſſe debet, quòd bona Eccleſiaſtica Miniſtris Eccleſiæ donantur à fidelibus ad Dei cultum, & obſequium, & in ſuorum remiſsionem peccatorum: & Sũmus Pontifex, vt eius Vicarius, Dei nomine, eorum dominium acceptat; & quod ipſe retinere poterat, Epiſcopis, & alijs beneficiarijs contulit, quando in partes diuiſit, modo ſuprà relato; ſed non aliter quàm ipſe a fidelibus acceperat; ac proinde cum conditione bonis ipſis Deo collatis, ex vi donationis Deo factæ, ex natura rei annexa, quæ ſi non obligationem ex iuſtitia, eam tamen

inducit,

Digitized by Google

inducit,quam verum dominium ſecum cõpati poſsit. Nam cùm fidelium omnium intentio ſit,in Dei obſequium bona ſua cedere,& in hunc finem Eccleſiæ donent,&,vt ab his ſic donata,acceptentur ; ſi eum vero dominio compatiatur obligatio non diſſipandi prædicta bona , cum hac obligatione acceptantur , ſiue illa oriatur ex natura donationis Deo factæ,& in eius obſequium à Chriſti Vicario acceptatæ , ſiue ex ratione ſtatus perſonæ, & ratione bonorum , & redituum (vt alij volunt)ſiue ex omnibus ſimul. Cùm igitur verum , & abſolutum dominium ſecum rectè compatiatur obligationem ex miſericordia non diſsipandi, ſed expendendi in vſus pios, v. g. in paupertatis alienæ ſublevationem,captiuorum redemptionem, hoſpitalium erectionem , & in alia , quæ ad diuinum cultum ,& Dei honorem, & gloriam deſeruiant ; hanc obligationem bona Eccleſiaſtica , poſsidentibus titulo ſpirituali, neceſſario inducunt,qui proinde ita illorum Domini ſunt , vt ſimul ſint diſpenſatores ex lege miſericordiæ,& ſtrictiori , & ſpecialiori modo, quàm ſæculares ; quia iſti ſolùm obligantur ratione neceſsitatis alienæ : Eccleſiaſtici verò ratione poſſeſsionis bonorum, quæ Dei ſpeciali titulo ſunt ; & titulo ſpirituali eius miniſtris applicantur; & ideò etiam ſi nulli eſſent pauperes , in alios pios vſus,& opera Deo grata converti deberent : quòd in bonis patrimonialibus locum non habet. Hac ferè ratione prædictam obligationem ex charitate ex iure naturali diuino , ſibi ſuadent Abulenſis *Matth.6.quæſt.* 74. Caietanus 2.2.*quæſt.*184. *art.* 7. Gardinal de Lugo *tom.1.de iuſtit. diſp.* 4.*ſect.*2. *à num.* 16. quos citatos ſequitur M. Prado, *tom.1.Theolog.Moral.cap.*13.*quæſt.*7.*numer.* 14. Videatur Lugo vbi ſuprà , qui rationis præfatæ vires cæteris præſtantiùs ponderat.

§. II.

An ad totum reſiduum expendendum Eccleſiaſtici teneantur?

9 AN Verò hæc obligatio tanta ſit,vt ad totum reſiduum , poſt congruam & decentem ſuſtentationem , in vſus pios erogandum,Epiſcopi , & alij beneficiarij teneantur?Negat M.Sotus *lib.* 10.*de iuſt.quæſt.*4.*art.*4.*poſt ſecundam concluſionem*, §.[*Quamvis,*]vbi ſic ait: [Si enim qui viginti,aut eo plura,imò qui decem , vel quindecim habet ducatorum millia, quartam partem in pauperes,&pios vſus erogauerit,profectò ab omnibus cenſebitur ſuo debito feciſſe ſatis.] Cùm autem medietas omnium fructuum non tarò ad cõgruam ſuſtentationem Epiſcopi ſufficiat,fit planum,ſecundum Sotum , non teneri ad totũ reſiduum in vſus pios expẽdendũ,ſed quartã partẽ in alia opera,etſi non pia,poſſe diſtribuere.Soti opinionem probabilem abſque dubio cenſetM.Bañez 2.2.*q.*185.*art.*6.*dub.vltim. verſ.*[*Ex dictis omnibus*:] quia ibi abſolvendum putat Epiſcopum,qui in neceſsitatibus communibus , quartam partem fructum erogauerit. [Ego inquit,ſanè nullum Epiſcopum Hiſpaniæ abſolverem, niſi ſaltem quartam partem redituum in eleemoſynas expenderet, & hoc intelligo in communibus neceſsitatibus, nam in grauioribus , quales eſſe ſolent famis, aut peſtis, ad amplius teneretur , iuxta proportionem neceſsitatis pauperum, qui ſunt oves propriæ, ita vt aliquando teneantur ex propria ſupellectili , & vaſis argenteis eleemoſynas facere.] Si autem abſolvi Epiſcopus poteſt,qui extra grauem neceſsitatem, quartam partem ſuorum redituum in pios vſus expendit;planè deducitur (quidquid dixerit Lugo)M.Bañez,vbi ſuprà ſentire, probabile eſſe,Epiſcopum ſuæ obligationi ſatisfacere,licèt plus non expendat , cùm tamen maior quantitas nonnunquam in aliquibus, & frequenter in alijs ſuperſit,poſt cõgruam, & decentem ſuſtentationem. Quamvis ipſe Bañez oppoſitum probabilius iudicet , vt conſtat ex illius verbis : [Ex dictis omnibus ſequitur,quod non poſſumus Epiſcopis partem aliquotam taxare,quam ſi in eleemoſynas expenderint,non teneantur vltra de reliquo eleemoſynam facere.]

10 Cum Soto ſentiunt Serra 2. 2.*quæſt.* 66.*art.*1.*dub.*2.*fol.* 382. & M. Texeda *tom.* 1.*Theolog.Moral.lib.*2.*tract.*2 *controuerſ.*9. qui pro hac parte ſtetiſſe M. Bañez exiſtimat, dicens: [Fatetur Bañez ſuprà relatus, & eſt doctrina M. Orellanæ in ſuis ſcriptis celeberrimi , Epiſcopos diuites teneri ſub mortali in communibus ſubditorum neceſſitatibus , quartam ſuorum redituum partem erogare.] Eamdem ſententiam tuetur cum alijs Angelus Maria Verricelli *tom.*1. *quæſtionum Moral. tractat.* 5. *quæſt.* 6. *verb. Eleemoſyna,numer.*83. vbi ſic. [Epiſcopus in communibus neceſsitatibus tenetur ad quartam partem omnium redituum , vel ſaltem ad medietatem reſidui dandam in eleemoſynam ; ſed in neceſsitate graui tenetur ad totum reſiduum , ſeu totum ſuperfluum.] Idem ſentit Corduba *quæſt.* 18. *pagin.* 172. quem pro hac parte cum alijs adducit Leander à Sacramento *tom.* 6. *in Decalogum , tractat.* 5. *diſput.* 3. *quæſt.* 74. Et ipſe probabilem putat , licèt contrariam ſequatur.

11 Denique hanc ſententiam amplexus

eſt Petrus Hurtado de Mendoza 2. 2. *tom.* 2. *diſp.* 160. *ſ.* 305. *fol. mihi* 1297. quem tranſcriptis verbis refert, & ſequitur Diana *part.* 5. *tract.* 8. *reſol.* 27. & Machado *tom.* 2. *libr.* 4. *docum.* 6. *num.* 3. & putat probabilem Trullench *lib.* 1. *in Decalog. cap.* 5. *dub.* 9. *num.* 2. vbi ait: [Probabile tamen eſt, ſatisfacere hui obligationi, etiam ſi beneficium pingue ſit, qui quartam partem, ſi Epiſcopus eſt, & quin tam, aut ſextam, ſi non ſit Epiſcopus pauperibus elargitur.] Hæc Trullench, quæ ſunt valde notanda.

12 Verùm contraria ſententia, obligans Eccleſiaſticos in communibus neceſſitatibus ad totum reſiduum in pauperes, vel alios pios vſus erogandum, mihi verior videtur, & eſt communis inter Theologos, vt videre licèt apud Dianam *part.* 7. *tract.* 11. *reſol.* 36. *& part.* 8. *tract.* 7. *reſol.* 12. *&* 10. *tract.* 11. *reſol.* 35. vbi retractat quod *p.* 5. *loco citato* tradiderat, & re maturè conſiderata, iterum amplectitur quod 4. *part. tract.* 4. *reſol.* 214. ſequutus fuerat. Quibus conſentit Doctor IoſephGarſi *in qq. Moral. cent.* 1. *cap.* 84. *num.* 2. dicens Petrum Hurtado de Mendoza re vera pro hac ſententia ſtare: quia licèt putet non teneri Eccleſiaſticos in eleemoſynas totum reſiduum diſtribuere; cenſet tamen non poſſe in vſus profanos expendere, quales ſunt omnes non pij, ac proinde in vſus pios convertere debere. Et hæc eſt communis ſententia, pro qua Sanchez *in conſilijs, lib.* 2. *cap.* 2. *dub.* 28. *num.* 1. refert quadraginta Doctores. Quos ſequitur Cardinalis de Lugo *de iuſtit. diſput.* 4. *ſect.* 1. Et P. Granado *controu.* 3. *de charitate, diſp.* 3. *ſect.* 3. *num.* 22. ibi: [Commune, inquit, eſt in Doctores pronunclatum, totum, quod ſupereſt Beneficiario poſt ſuam congruam ſuſtentationem, expendi debere in pauperes, & vſus pios, nec legi aliquem, qui contrarium doceat. Cùm hoc autem cohærere non poteſt, quod quis contentus ſit in ſumendo quartam, vel quintam partem inter pauperes, & alia pia opera, & reliquum vane in ſumendo, etiam ſi ſint multa millia aureorum. Prudentiſſimè ergo noſter Azor *tom.* 2. *lib.* 12. *cap.* 11. *quæſt.* 1. *in fine*, noluit determinare quantitatem, quam in ſumere ſufficiat beneficiario, ſed obligauit illum, vt impēdat, quidquid illi ſupereſt.] Sic P. Granado. Qui fortè Sotum, Bañez, & alios, quos pro contraria parte adduximus, ipſe intelligit loquutos in ſenſu, quo Petrus Hurtado explicatas a Doctore Garſi vbi ſuprà, ideòque dixit nullum legiſſe, *qui contrarium doceat.*

13 Suadetur ratione, qua ſuprà probauimus, obligationem hanc erogandi ſuperfluū in eleemoſynam, aut alios pios vſus, non provenire ex præcepto communi miſericordiæ, quod ſæculares etiam ligat (aliàs non aliter de Eccleſiaſticis, quam de ſæcularibus loquerentur authores,) ſed ex ſpeciali, & ex natura rei annexo bonis titulo ſpirituali in Dei cultum applicatis, & in opera Deo accepta dicatis, & cum hac qualitate in dominium Eccleſiæ, & Miniſtrorum eius tranſlatis. Hæc autem obligatio ad totum reſiduum extenditur: quia non eſt, vnde ad ſolam quartam partem limitanda ſit; cùm nulla ratio prudentis limitationis reddi queat, ſicut nequiret, ſi Epiſcopus ex iuſtitia teneretur. Nam vt benè advertit M. Sotus vbi ſuprà *quæſt.* 4. *artic.* 3. *concluſ.* 6. non aliter in vno caſu, quàm in alio, quoad hoc diſcurrendum eſt. [Concluſionem hanc, inquit, (nempè non teneri ex iuſtitia) vt ſuprà dicere cœperam, non eo animo affirmauerim, vt ad minorem eleemoſynam, eos crediderim obligari, quam qui in diuerſa ſunt opinione.] Cui conſonat M. Bañez vbi ſuprà *artic.* 6. *dub. vltim. verſ.* [*Vnde fit ſexta concluſio*,] & Antonius de Molina *de inſtitutione Sacerdotum, tract.* 2. *cap.* 16. §. 2. Atqui ſi Epiſcopi ex iuſtitia tenerentur erogare ſuperfluum in vſus pios, verè tenerentur ad totum ſuperfluum: ergo ad totum ex miſericordia tenentur. Opinio enim, quæ ab obligatione iuſtitiæ eos exonerat, ad licentiam aditum non aperit, ſed loco vnius obligationis aliam ſubrogat; ad eaſdem, & in eadem quantitate eleemoſynas erogandas. Et id ſolum operatur; quod ſi in vſus profanos fructus Eccleſiaſtici illicitè expendantur, tam inſumentes, quàm accipientes à reſtitutione excuſentur, vt conſtat ex alibi dictis.

§. III.

Corollaria.

14 VNdè fit primò reijciendum eſſe Hurtado Compluranſem, *tract. de charitate, diſput.* 5. *difficult.* 18. & alios *numer.* 10. citatos, aſſerentes, ſufficere, ſi Beneficiatij, etiam Epiſcopi, medietatem eorum, quæ ſuperfluunt competenti ſuſtentationi, vel quartam partem redituum inſumant in pauperes, & alia opera pia, dum non adſit ſcandalum, & dum grauibus neceſſitatibus ſufficienter ſubveniatur. Quibus adhæſit Angelus Maria Verricelli vbi ſuprà *numero ochenta y tres, & ochenta y quatro.*

15 Fit ſecundò: ex terminandam aliorum opinionem (quam probabilem cenſet M. Texeda vbi ſupra *num.* 32.) aſſerentem pen-

penſiones, quas ex reditibus ſoluunt Epiſcopi, computari poſſe in quarta illa parte, ad quam tantum erogandam iuxta Texedam, Bañez, & Orellanam ab ipſo citatos tenentur. [Nam exiſtimant, inquit, pro illa quarta parte fuiſſe compoſitam penſionem, quam Epiſcopi charitatis lege tenebantur pauperibus erogare. Cæterùm exiſtimo veriùs oppoſitum.] Sed quidem ſi probabile id foret, cùm in Hiſpania ferè nullus ſit Epiſcopus, qui quartam partem fructuum in penſionem non ſolvat, rari tenerentur in eleemoſynas, & alios vſus pios quidquam expendere. Quod dicere nefas eſt: eſt ergo à mente Pontificis alienum penſionem computare, in ſatisfactionem obligationis, qua Epiſcopi ad eleemoſynas tenentur; ſed ea extracta velle Epiſcopatus reditibus, quoad onera, & ſuſtentationem computandos, & iuxta debitæ proportionis normam expendendos, ac ſi ab initio ex prima ſui inſtitutione plures redius percepiſſet. Putat verò vterque Hurtado vbi ſuprà (& conſequenter quidem ad ſua principia) id, quod Epiſcopi, vel beneficiarij in ſubſidium excuſatum contribuunt, computari poſſe in parte ſuperflui, quam in vſus pios expendere tenentur: quia ſubſidium hoc verè eſt opus pium. Quibus cōſentire debent omnes qui aſſerunt ad totum reſiduum non teneri.

§. IV.

Quid veniat titulo congruè ſuſtentationis?

16 Reſtat adhuc non leuis difficultas, quid veniat nomine congruæ, & decentis ſuſtentationis? vt inde definire poſsimus, quæ bona Eccleſiaſticis ſint ſuperflua, & reſidua. Et dicendum eſt, ex grauiſsimorum ſententia, nomine congruæ ſuſtentationis, venire quidquid neceſſarium eſt, non ſolùm naturæ, ſed ſtatui Epiſcopi, aut beneficiarij. Ad ſtatum autem pertinet familia competens eius nobilitati, & doctrinæ, pro qualitate, & quantitate beneficij, & quidquid opus eſt ad aliqua moderata conuiuia, & liberales donationes; item quidquid neceſſarium eſt ad conſeruandum decētiam ſtatus conſanguineorum, vel ad illum augendum, iuxta debitam proportionem; ita vt Epiſcopus, vel Beneficiatus inferior, abſque dedecore, eos, vt conſanguineos, vel affines recognoſcere poſsit. Hæc omnia veniunt nomine congruæ, & decentis ſuſtentationis: item quantitas reſeruata in futurum, ob temporum, & neceſsitatis contingentiam, quam quiſque prudenter retinere poteſt, quales, me iudice, eſſent fructus vnius anni, ſi Beneficium ſit pingue, aut plures, ſi tenue, ne ſterilitas agrorum, aut neceſsitas aliqua publica famis, aut peſtis obuenientes, Eccleſiaſticorum horrea exhauſta reperiant, & maiora inde mala imminentia, rerum penuria preſsi, Epiſcopi præcauere nequeant. Videantur Molina *de iuſtit. tract. 2. diſput. 145.* Thomas Sanchez *lib. 2. conſiliorum, cap. 2.* Palaus *diſput. 2. de charitate, punct. 5.* Lugo *de iuſtitia, diſput. 4.* & alij apud ipſos.

17 Addit M. Soto *lib. 10. de iuſtit. quæſt. 4. artic. 4. §. [Quamvis.]* quod vbi ſcandalum caueri poſsit, non eſt vitio vertendum Epiſcopo: [ſi qui pingui Eccleſiæ præfectus eſt, conſanguineos antea indignos, quadam victus moderatione honeſtet, non pro ſua tantùm vita, ſed pro ſuis ſucceſſoribus in perpetuum.] Cui cum limitatione conſentit Sanchez infrà citandus *n. 10* [Modo id moderatum ſit, & ex cauſa pia principaliter fiat, ad eorum indigentiam ſubleuandam, ne in paupertate viuant.] Cuius ſententia mihi arridet: quia eiuſmodi bonorum applicatio, eſt diſpēſatio in vſus pios, ſicut extruere hoſpitale ad pauperes in futurum alēdos. Et ita tradit M. Texeda *tom. 1. Theolog. Moral. lib. 2. tract. 2. cap. 9. num. 42.* [Hinc fit, inquit, poſſe Epiſcopos, vel quoſcumque Beneficiarios, ex reditibus ſuperfluis, emere aliquam hæreditatem, vel annuos reditus, & relinquere eos ſuis conſanguineis, vt deinceps abſque mendicitate, & miſeria vitam agant, dummodò tales reditus non ſint illis relicti titulo aliquo profano; nempè vt eorum familia protrahatur, & in perpetuum cum maximo honore conſeruetur, & exiſtat; nam huiuſmodi finis profanus eſt, & donatio liberalis abſque iuſta cauſa.]

18 Ex quibus conſequenter deducendum eſt, Clericum humili loco natum; ſi ad magnam poſtea dignitatem euectus fuerit, poſſe ex bonis Eccleſiaſticis licitè conferre ſuis conſanguineis competentem ſuſtentationē, ita vt inter ciues honeſtos computari poſſint. Quia licèt ad altiorem ſtatum iſti aſcendant; ſtatus eorum neceſſarius eſt ad ſtatum Epiſcopi, ſeu dignitatis beneficiarij, quibus aliter probro, & dedecori verteretur. Et ita cum Nauarro, & Molina docet Sanchez *tom. 1. conſiliorum, lib. 2. cap. 2. dub. 38. num. 8.*

§. V.

Quid vltrà erga conſanguineos poſſint Epiſcopi, & Beneficiarij?

19 AN Verò Epiſcopis aliquando liceat conſanguineos in perpetuum ditare, & maioratus fundare, quibus cum maximo honore in poſterum conſeruētur? Certiſsimè, iuxta noſtra principia, dicendum eſt, id non licere ex ſuperfluis congruæ ſuſtentationi, vt ſuprà explicatæ: ſecus iuxta aliorum, qui ad quartam ſolùm partem erogandam obligant. Ex alijs autem bonis ſibi relictis id poſſe, nemo, cui ea ſententia arrideat, negare poteſt; ſicut neque qui ad dimidium tantùm ſuperflui erogandum obligant. Sed quid in noſtra opinione dicendum; ſi de congrua ſuſtentatione ſibi ſubtraxerint? Poterunt ne, quidquid licitè in eam expendere potuiſſent, in maioratum conſanguineorum conuertere? Reſpondeo de his bonis poſſe Epiſcopum diſponere, ſicut de patrimonialibus, reſpectu quorum, vt ſupra diximus, idem iudicium eſt de Eccleſiaſticis, ac de ſæcularibus, vt ex M. Prado, & communi Doctorum ſupra notauimus. Vnde ſicut vitio verti non poteſt Epiſcopo, quòd ex bonis patrimonialibus, aut propria induſtria adquiſitis, cōſanguineos in perpetuum ditet, cùm non ex bonis, & reditibus Eccleſiaſticis, nec vt Epiſcopus, ſed ex bonis ſæcularibus, & vt aliorum conciuis id præſtet: ita ſimiliter, ſi ſcandalum abſit, de reditibus congruæ ſuſtentationi ſubtractis, maioratus inſtituere poterit. Scandalum autem præcauebitur, ſi conſuetas eleemoſynas non minuat, & ex bonis propria induſtria adquiſitis, & ex ſibi neceſſarijs ſubtractis, ſuos cōſanguineos ditare, notum faciat. Quòd autem quantitatem, quam Eccleſiaſtici parcè viuentes reſeruant, cùm ad ſui ſtatus decentiam inſumere potuiſſent, diſtribuere, & expendere poſsint, ſicut, & alia bona patrimonialia, docent Nauarr. Molina, Auēdaño, Maior, Couarr. Alcocer, quos citatos ſequitur Sanchez ſuprà, [& ita, inquit, innuit D. Thom. 2. 2. q. 185. art. 7. & alij.] Quos ſequitur Leander à Sacram. *vbi ſuprà q.* 51. addens Sotum, Leſsium, Ægidium, & Palaum. Et ita tradit expreſsè M. Texeda *tom. 1. Theolog. Moral. lib. 2. tr. 2. contr 9. num.* 7. dicens: [Adde eum Nauarro, & Soto, quemcumque beneficiarium, ſiue ſit Epiſcopus, ſiue Canonicus, qui reditibus aluntur beneficij, poſſe ſtrictè viuendo id totum, quod à ſe abſtulerunt, conuertere in quoſcumque vſus, ſecundum eorum placitum, non ſecus ac alia patrimonialia bona: quia pars illa eſt tanquam merces pro labore eis debita; & ideò ex illa poſſunt conſanguineos locupletare, & maioratus erigere.]

20 Neque id opponitur Trident. *ſeſſ. 25. de Reformat. cap.* 1. confirmanti decretum Concilij Carthaginenſis, omnino interdicētis: *Ne ex reditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiares vè ſuos augere ſtudeant, &c.* Quia hoc intelligitur de illis fructibus, qui cōgruæ ſuſtentationi ſuperfluunt, quos proinde in pauperes, vel in alios vſus pios Epiſcopus teneretur expendere; non verò de illis, quos congruæ ſuſtentationi neceſſarios parcè viuendo reſeruauit, vt ſupra diximus: hi enim cùm laboris, & induſtriæ fructus ſint, quaſi patrimonialia reputantur. Obſeruandum verò eſt, quod optimè advertit Vazquez *opuſc. de eleemoſyna, cap. 4. nu.* 17. cauendum in his eſſe, ne iniquitas ſibi mentiatur, aſsignando ſibi ſuperflua, tanquam ſuo ſtatui decentia. Concluſio enim noſtra procedit de ſubſtractis ex verè neceſſarijs ad decentiam ſtatus, ſeu ad congruam ſuſtentationem beneficiarij.

21 Quod de his fructibus dictum manet, à fortiori tenendum de alijs, qui in ſtipendium aſsiſtentiæ, Canonicis præſentibus, applicantur. Nam, cùm hæc ſit merces ſui laboris, nō magis ex illis tenentur, quàm ex alijs bonis proprio labore, & induſtria adquiſitis, qui proinde non Eccleſiaſtica bona, ſed quaſi patrimonialia nuncupantur. Sicut & portio illa fructuum, quæ ſacriſtis, & cantoribus Eccleſiæ, & alijs ei inſeruientibus applicatur. Vnde fit, ex ſuperfluo diſtributionum nō magis teneri Canonicos, neque aliter, quam de patrimonialibus; ac proinde ea tantùm obligatione, qua Sæculares. Et ita tradunt communiter Doctores, quos referunt, & ſequuntur Moneta *de diſtribut. p. 3. q. 1. n.* 18 & apud illum 16. alij authores: & pluribus citaris Azor *tom. 2. lib. 7. cap. 9. q.* 1. & Cardinal. de Lugo *tom. 1. de iuſt. diſp. 4. ſect. 3. n.* 25. Idemque potiori iure dicendum de fructibus Cappellaniæ non collatiuæ; quia iſti merè ſæculares ſunt, & memoria Miſſarum dici ſolent, eo quod à teſtatore cum aliquo illarum onere relicti fuerint, vt hæredes, memoria hæreditatis, eas celebrari faciant. Vnde pro libito poſsidentis, ſicut de patrimonialibus, de his diſponi poteſt.

22 Maior eſt difficultas de fructibus Cappellaniæ collatiuæ, quādo pingues ſunt: quia verè ſunt fructus beneficij Eccleſiaſtici. Cæterum cùm eiuſmodi in ſtipendium Miſſarū conſerantur, dum aliud clarè non conſtet, videtur dicendum, quod de alijs ſuprà dictum manet: quia ſicut non tenentur in eleemoſynam erogare, quod ſupereſt ex ſtipendio Miſſæ, quod ſingulis diebus illis offertur, etiamſi eleemoſynam cōſuetam multum excedeтet,

ita

ita nec quod in perpetuum pro ſingulis miſſis fundator Cappellaniæ conſignatum reliquit: eius enim intentio ſolius Cappellani commodum ſpectat, nec ad alia bona opera in Dei obſequium præſtanda dirigitur. Qua propter, nullum in his faciendum diſcrimen, tradit M.Soto *lib.10.de iuſt.q.4.art.3. concl.3.* quem ſequuntur Thomas Sanchez *ſuprà dub.45.num.6.* Cardin.de Lugo *de iuſtit.tom.1.diſp.4.ſect.3.num.29.* & Leſsius *lib.2.cap.4.num.37.* vbi ſic ſcribit: [Vnde ſi alicui pro vno ſacro dentur decem aurei, non minus ſit illius pecuniæ abſolutus Dominus, quàm is, cui datur vnus dumtaxat regalis. Si enim pauper ſit abſolutè Dominus eleemoſynæ, quæ ei datur ſine onere, & ſi ea magna ſit; cur Clericus non fiet Dominus ſtipendij, quod ei liberaliter pro aliquo opere conſtituitur; Vnde Nauarr. contra Innocentium docet, hæc bona æquiparari patrimonialibus, ac proinde Clericos de illis liberè diſponere.] Sic Leſsius, & benè.

§. VI.

Quid de Penſionibus, & fructibus Commendarum?

23 RESTAT Non leuis difficultas; an doctrina ſuprà tradita extendenda, ſit ad penſionarios, & equites commendatarios. Tenebitur ne penſionarius ad ſuperflua in vſus pios eroganda? Affirmant plures: quia penſio eſt pars fructuum, & redituum Eccleſiaſticorum à Beneficio extracta, quæ proinde cum eodem onere tranſit. Alij verò diſtinguunt, aſſerentes id eſſe verum, quando titulo Clericali, & Spirituali conferuntur, quales ſunt, quæ primam tonſuram exigunt, & obligationem recitandi officium paruum B.Virginis afferunt: non verò de alijs, quæ titulo Sæculari applicantur Principibus, aut militibus de Eccleſia benemeritis, quia in his caſibus portio illa fructuum merè ſæcularis efficitur, ſicut quæ pro cantoribus, & alijs Eccleſiæ inſeruientibus extrahitur.

24 Alij denique de omnibus penſionibus, tanquàm de bonis patrimonialibus, vel quaſi, iudicandum cenſent; ac proinde non eſſe obligationem erogandi ſuperflua in vſus pios. Hanc tenent Couarr. *cap.cum in officijs, de teſtam. num.6.* Azor *tom.2. lib.7. cap.9.q.12.* vbi ait, eſſe communem, & ita definitum in Sacra Rota, Cardin. de Lugo *tom.1.de iuſt.diſp.4. ſect.32.* Angelus Maria Verricelli *tom.1.tract.5.q.5.fol.312.* Leander à Sacramento *tom.6. in Decalogum, tr.5.diſp.3.q.77.* Apud quos idem tradunt Gigas, Paulus Romanus, Rodeanus, Caccia Lupus, Buſſembau, & alij. Quibus adde P.Vazquez *opuſc.de eleemoſyna, cap.4. in fine.* vbi ſic ſcripſit: [Quæres, an penſionarius teneatur ad eleemoſynam ex ſuperfluo, ſicut Beneficiarij? Reſpondeo, quòd nullum video Authorem obligantem penſionarios ex charitate ad vberiores, vel alias eleemoſynas, quàm alios ſæculares: licèt enim bona ſint Eccleſiaſtica, dantur tamen in penſionem propter bonum Eccleſiæ, eo modo, vt vidimus in alimentis. Et ſtatus penſionarij non obligat eum, niſi ſit aliàs Beneficiarius ad eleemoſynas aliter, quàm alios ſæculares.]

25 Hæc opinio eſt tenenda, (licèt pro contraria graues Authores militent) fundamentum breuiter attigit P. Vazquez vbi ſuprà, & latiùs Cardin.de Lugo. Quia Pontifex imponens penſionem Beneficio, extrahit ab illo partem illam fructuum pro alimentis penſionarij, & illi tanquam in vſum pium ipſe applicat: Ergo ſicut ſi ipſe Beneficiarius in pauperes, aut alia opera pia expendiſſet, non eſſet in recipiente obligatio vlla erogandi in vſus pios, quod ipſi ſuperflueret, eo quod ea bona non receperũt, vt in vſus pios, diſtribuenda; ſed, vt diſtributa; ita ſimiliter de penſionarijs dicendum eſt. His enim, vel in alimenta, vel in remunerationem ſui, vel parentum in Eccleſiam meritorum, vel ex alia iuſta cauſa, à Pontifice, cui cauſæ examen competit, applicantur; & tanti Præſulis iudicio penſionatius ad omnes ſcrupulos deponendos ſe conformare poteſt. Denique à poſteriori ſuadetur, quia Epiſcopis, & alijs Beneficiarijs præcipitur *in Trident. ſeſſ.25. cap.2.* modus diſtribuendi fructus, & reditus Eccleſiaſticos, & tamen de penſionarijs nulla fit mentio; quod ſignum euidens eſt, concilium præfatam in his obligationem non agnouiſſe, ſed eos tanquam vltimos poſſeſſores, in quos veluti in pauperes, & vſus pios, portio illa fructuum diſtributa fuit, conſideraſſe.

26 Quod de penſionibus diximus, potiori iure ex eodem fundamento dicendum, de quibuſvis alijs bonis in titulum ſæcularem tranſmutatis, vt de Regijs tertijs; & ſimilibus, quæ in remunerationem à Pontificibus fuerunt applicata Regibus, & Principibus alijs. Et ita tradit expreſsè M. Sotus *lib.10.de iuſt q.4.art.3.§. [Per hæc rurſum,]* vbi ſic ait: [Per hæc rurſum quæſtio diſſoluitur, quæ ad me aliquando perlata eſt. Sunt enim multa bona Eccleſiaſtica in titulum Sæcularem tranſmutata, vt patet de Regijs tertijs. Quin verò decimæ aliquarum Eccleſiarum, vt patet de templariorum bonis, & multis alijs, quæ illuſtribus Dominis adiudicata ſunt, ac iure ſuceſsionis à Sæcularibus poſſiden-

dentur. Dubitari ergo poteſt, an illa de iuſtitia ſint pauperibus pro ſua portione obnoxia? Reſponſio eſt negatiua; nam totum ius, quod pauperes ad decimas habent, eſt poſitiuum, & Eccleſiaſticum, ſuper quo Papa diſpēſare poteſt, & ideò quando ratione aliqua, bona Eccleſiaſtica Sæculari titulo adſcribit, libera relinquit.] Hæc Sotus, quem ſequuntur Ioannes Garcia Reynoſus, Molina, Barboſa, & alij, quos laudatos ſequitur Solorçano *de Indiarum iure, tom.2. libr.3. capit.1. num.21.*

27 Idem ex eodem fundamento dicunt non pauci de fructibus commendarum equitum D. Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ. Ita expreſsè Thomas Sanchez *in ſum. lib.7. cap. 8. num.29.* vbi ſic: [Dicendum eſt, poſſe eos de his omnibus bonis, ita libere diſponere, ac cæteros Sæculares. Quia antiquiſsima conſuetudo, ita paupertatem eorum interpretata eſt, ſuperioribus ſcientibus, & non contradicentibus; Et reditus commendarum titulo Sæculari his dantur, nempè titulo militari, atque ita docent Alcozer, P. Molina, Manuel. Idem videntur tenere Sotus, & Corduba, & ſatis fauent Victoria, & Sarmiento.] Eandem ſententiam cum Hurtado de Mendoza, eius verba per extenſum adducens, tuetur Diana *part.5. tract.8. reſ.30.* quos ſequitur Leander *à Sacram. tom 6. in Decalogum, tr. 5. diſp.3. q.78.* & tenet expreſsè P. Azor *tom.1. lib.13. cap.4. q.6.* Licèt enim fructus iſti extracti ſint ex decimis, parum ad rem facit; quia portiones aliæ pro miniſteriis tēporalibus, vt pro cantoribus, & ſacriſtis, ex decimis etiam extrahuntur, & licèt ad finem ſpiritualem diuini cultus vltimatè referantur, tamen quia proximè, titulo Sæculari pro muſica, & labore ſuſcepto conferūtur; ideò, vt titulo Sæculari adſcripta, inter bona quaſi patrimonialia, computantur, & liberè de illis, ſicut de patrimonialibus in vſus etiam profanos poteſt eques commendator diſponere.

28 Faciunt ad hæc omnes, qui aſſerunt, commendas equitum militarium D. Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ vendi poſſe, abſque labe ſimoniæ; quod fieri nequiret, ſi inter Beneficia Eccleſiaſtica computarentur. Ergo earum fructus non bona Eccleſiaſtica; ſed Sæcularia, vtporè titulo laico in ſtipendium pro temporalibus ſeruitijs collata, habenda ſunt. Quod autē commendæ vendibiles ſint, eſt communis Doctorum ſententia: quam tenet M. Petrus de Ledeſma *in ſum. tract.12. cap. 2.* vbi inquirens, an commendæ poſsint vendi? Sic quæſito ſatisfacit: [A eſta duda ſe reſponde, no ſer ſimonia. Eſto enſeña Orellana, y otros Diſcipulos de S. Thomas: porque ſe dàn à los Religioſos de las Ordenes Militares por el miniſterio temporal de pelear. (Et infrà.) De ſuerte, que eſtos Religioſos Legos de las Ordenes Militares ſe hā quanto à eſto, como algunos ſeñores temporales, que tienen derecho de patronazgo, para preſentar Beneficios, y tomar las dezimas. Y aſsi como eſtos tales ſeñores temporales no cometen ſimonia, quando venden aquel derecho, que tienen para recibir las dezimas, porque el tal derecho es temporal; aſsi tambien no es ſimonia vender el derecho q̄ tienē eſtos Comendadores, para recibir las dezimas.] Hæc Ledeſma. Quem ſequuntur Suarez, Rodriguez, Vega, quos refert, & ſequitur Caſtro Paiao *tom.3. tract. vlt. diſp 3. part.13. num.13.* Item Aragon *2.2. q.100. art.4.* Celeſtinus *in Comp. Theolog. Moral. tract.7. cap. 5. q.9.* Villalobos *in ſumm. tom.2. tract.37. diffic.14.* Lezana *in ſum. quæſt. Reg. tom.2. cap.5. num.26.* Bonacina *tom.1. diſp.1. de ſimonia, q.4. num.25.* M. Rafael de la Torre *tom.2. in 2.2. D. Thomæ q.200. art.4. diſp.3.* Et alij, quos ſequitur Machado *tom.2. lib.5 part.4. tract.2. docum.1. num.4.* vbi ſic: [La mas probable, y recibida opinion es, que en la venta de los Abitos de las dichas Ordenes Militares, no ſe comete ſimonia, por no ſer Beneficios Ecleſiaſticos las Encomiendas, ſino coſa temporal, y precio eſtimable que ſe dà à los Caualleros Militares cō titulo Laycal, para ayuda de coſta, y eſtipendio, por los ſeruicios que han hecho, ò ſe eſpera haràn en la guerra contra los enemigos de la Santa Igleſia.] Hæc ille, & alij, quos citatos ſequitur Diana, pluribus in locis *3. part. tract.2. reſ.64. part.6. tract.8. reſ.17. & part.9. tr. 9. reſ.35.* Vide illum loco citato, *part. 6.* vbi de commendis D. Ioannis idem dicendum ex profeſſo probat, quod non ſolum Authoritate Theologorum, & Canoniſtarum firmat, ſed etiam duplici Bulla Apoſtolica, alia Iulij II. alia Pij II. Cùm igitur commendæ non ſint Beneficia Eccleſiaſtica, nec fructus earum ſint ſtipendia pro diuino Officio, vel functione alia ſpirituali, ſed pro temporali miniſterio militiæ; rectè inde deducitur, equites Ordinum Militarium Commendas habentes poſſe de illorum fructibus, veluti Sæculares de ſuis, quaſi Patrimonialibus bonis, in quoslibet vſus, etiam non pios diſponere, nec aliam, quàm illos, nec aliter obligationem expendendi contraxiſſe.

29 Ex quibus cōcludo, ex omnibus fructibus, quos in caſibus ſuprà enumeratis reſoluimus inter bona, quaſi patrimonialia cōputandos, poſſe Beneficiarios, penſionarios, & commendatores maioratus inſtituere, & in quos maluerint vſus expendere. Imò ſi quis illos ex toto, aut ex parte in ſuam congruam ſuſtentationem inſumpſiſſet, immemor, aut igno-

ignorans eiuſmodi facultatem ſibi competere, poterit ſi Beneficiarius etiam ſit, ex reditibus alijs Eccleſiaſticis ſibi compenſare, quantum ex his potuiſſet accipere ad ſui decentem ſuſtentationem, quia nemo cenſetur ſe velle ſuo commodò priuare. Aduertunt verò communiter Doctores, id intelligendum, niſi expreſsè intendiſſet non ſumere compenſationem, ſed liberaliter ex proprijs, & patrimonialibus bonis in eleemoſynas erogare, extra illas, ad quas ex ſuperfluo Beneficij teneretur. Si enim hanc expreſſam intentionem habuerit, exiſtimant, nullam ſibi compēſationem poſſe facere; ſed totum, quod ſuperſit ex reditibus Eccleſiaſticis, in vſus pios expendere teneri. Ita tradunt Molina *tom.1.tract.2.diſp.145.num.1.*&Leſsius *lib.2. de iuſt.cap.4. num.38.* [Vnde, inquit, ſequitur, ſi de his (nempè de patrimonialibus, vel quaſi) viuant, vel expendant, poſſe tantum excipere de fructibus Beneficij, de eoque tanquàm de patrimonialibus diſponere, &c. Ruſsus cum alia bona non teneantur abſolutè in opera pia expendere, ſi ſic expenderint, poterunt vti compenſatione ex bonis Beneficij, quæ alioquin in pia opera conferre debuiſſent, vt docet Nauarr. *monit.32.* (attende.) Niſi fortaſse intenderint non vti compenſatione, quod non eſt præſumendum, niſi id expreſsè intenderint, & voluerint ſibi libertatem illam diſponendi adimere. Nemo enim ſe priuat iure ſuo, niſi volens.] Sic Molina.

30 Cæterum Cardinali de Lugo, & alijs hæc limitatio non placet; ideòque *diſp.4. de iuſt.sect.3. à num.45.* Solide probat poſſe compenſatione vti, etiam ſi expreſsè, illa non vti, intenderit. Quod mihi etiam videtur. Quia Beneficiarius de fructibus Beneficij neceſſarijs ad congruam ſuſtentationem æquè diſponere poteſt, ac de patrimonialibus, ac proinde in vſus etiam non pios, vt ſuprà dictum eſt: & ſolum tenetur ad ſuperfluum in pauperes, aut alios vſus pios expendendum. Ergo dum, ita expenderit, verè implebit præceptum. Atqui ille, qui de ſuo patrimonio in ſuſtentationem ſibi congruam ſumpſit, nullam de nouo obligationem cōtraxit, ratione propoſiti non vtendi compenſatione. Ergo licèt expreſsè intenderit ea non vti, nullum inde præiudicium ſibi parauit; quia propoſitum expendēdi in vſus pios, nec votum, nec iuramentum continet, nec Beneficiarium priuat dominio fructuum, nec libera facultate diſponendi de neceſſarijs ad congruam ſuſtentationem, ſicut nec de alijs, quæ ab illa ſubſtraxerit: Vnde ſequitur manifeſtè, Beneficiarium poſſe ex fructibus Beneficij ſibi reſeruare ad ditandos cōſanguineos, aut in alios vſus, quantum ex reditibus licitè potuiſſet ſibi accipere, ſi alijs bonis ex patrimonio, vel induſtria, vel ex amicorum donatione adquiſitis, ad ſui congruam ſuſtentationem vſus non fuiſſet.

31 Idem proſus dicendum, ſi ex bonis patrimonialibus eleemoſynas fuerit elargitus: poterit enim ex fructibus Beneficij tantundem ſibi compenſare. Quia cum præceptum ſolum obliget ad erogandam quantitatem, quæ poſt congruam ſuſtentationem ſuperſit, ſolum tenetur ad diſtribuendos, v.g. centum aureos; huic autem præcepto verè ſatisfacit, ſi centum diſtribuat, etiam ſi obligationis immemor, vt benè docet Cardin. de Lugo infrà citandus. Suadetur exemplis: Qui in die feſto audit ſacrum immemor feſtiuitatis; verè ſatisfacit præcepto; nec tenetur aliud audire, vt docet Thomas Sanchez *lib. 1. in Decalogum, cap.13. num.10. & lib.4.cap. 13.num.4.* Vazquez, Valencia, Hurtado, Lugo, Trullench, Dicaſtillo, Amicus, Diana, Eſcobar, Bonacina, Henriquez, Fagundez, & Geſualdus, cum D. Thoma, & Syluestro, quos citatos ſequitur Leander *à Sacram.tom.3.in 5.præceptum Eccleſiaſt. tract.2. diſp.1. q.84.* Ergo, qui in vſus pios expēdit quantitatem, ad quàm tenetur; etiam ſi immemor præcepti, verè ſatisfacit, ne aliam expēdere obligabitur. Secundò, qui ex omiſsione horarum tenetur ad reſtituēdum fructus Beneficij malè perceptos, verè ſatisfacit per eleemoſynas, quas, huius obligationis immemor, diſtribuit, vt cum Layman tradit Diana *3.part. tract.6. Miſcell.reſ.57.* F. Ludouicus à Concept. *tom.2.exam.litt.D.verb.Debitum 7. illat. num.15. fol.86.* Ioſeph Garſi *in qq.centr. 1.cap.46.num.7.* Bonartius *de Horis, lib.2. cap.11.num.21.*& Suarez *lib.4 de Horis, cap. 30.num.21.* Ergo ſimiliter ſatisfaciet Beneficiarius eleemoſynis erogatis, etiam ſi immemor obligationis largitus fuerit.

32 Adde idem procedere, licèt erogans eleemoſynam intendat expreſsè illa non ad implere præceptum, ſed aliam poſtea adhuc effectum elargiri. Probatur, nam qui tenetur ex præcepto, vel voto audire ſacrum, verè ſatisfacit præcepto, & voto, ſi audiat, etiam ſi habeat expreſſam voluntatem non ſatisfaciendi; ſed aliud audiēdi ad obligationis adimpletionem. Similiter, qui Officium Diuinum recitat cum prædicta expreſſa intentione non ſatisfaciendi, verè etiam ſatisfacit; vt docent communiter Doctores, quos ad quatuor ſuper viginti refert Leander *à Sacram.in 5.præcep.Eccleſ.tract.2.diſp.9. q.89.* & ad triginta protrahit M. Ioannes Martinez de Prado *tom.2.Theolog. Moral, cap.30. q.8.* Ergo, qui in vſus pios erogat quantitatem, quàm tenetur, etiam ſi habeat expreſſam intentionem non ſatisfaciendi præcepto,

to, verè ſatisfacit: quia adhoc ſolùm requiritur executio rei præceptæ: hac enim poſita verè adimpletur præceptum, quantumuis quiſque intentionem habeat non ſatisfaciẽdi hoc opere, ſed alio poſtea eliciendo. Quæ quidem intentio, cum executione rei debitæ compatitur, & nouam obligationem non inducit. Quapropter ſi intentionem mutet, non peccabit. Ergo licèt Beneficiarius ex patrimonialibus, vel quaſi, congruam ſuſtentationem compleuerit, & eleemoſynas erogauerit, cum intentione expreſſa non compenſandi, neque adimplendi præceptum eleemoſynæ per talia opera, ſed per alia poſtea elicienda, nihilominus vltrà ad alia non tenebitur; quia ſuæ obligationi, iam verè ſatisfecit, licèt contrariam intentionem habuerit. Hanc ſententiam valdè probabilem iudico, cum Cardin. de Lugo vbi ſuprà: Exempla enim in eius confirmationem adhibita, id ſaltem euincunt.

§. VII.

Quo in loco reſiduum in pauperes, & vſus pios expendendum ſit?

33 DIFFICVLTAS Eſt, an vbi Eccleſiaſtici fructus percipiuntur? An etiam extrà diſtribui poſsint? Non conueniunt Doctores. Quidam ſentiunt Beneficiarium in loco ſui Beneficij, & Epiſcopum intra ſuam Diœceſim debere in pauperes, & vſus pios expendere. Huius opinionis fuit Sanctus Thomas à Villanoua, vt in eius vita refertur. Aliquas tamen eleemoſynas conſanguineis alienæ Diœceſis largitũ fuiſſe, ex eadem æquè conſtat. Vnde colligitur culpam grauem in hac diſtributione non agnouiſſe; Imò, nec leuem, quando vltra communem, & æqualem neceſsitatem, aliqua cõgruitatis ratio pro exteris militat, ſecus vir Sanctiſsimus, ac Doctiſsimus ab eiuſmodi eleemoſynis abſtinuiſſet. Nec complut: Diœceſis Tolletanæ (vt notum omnibus eſt) ædificium in Collegio Sancti Auguſtini Archiepiſcopus Valentinus conſtruxiſſet.

34 Ideò communis Doctorum ſententia tenet, extra caſum extremæ, aut grauis neceſsitatis pauperum loci Beneficij, licitum eſſe Eccleſiaſticis reſiduum fructuum ſuorum Beneficiorum in pauperes alterius loci, etiã extra Diœceſim diſtribuere, & in alios vſus pios extra locum, & Diœceſim conuertere, ſic Barboſa *de iure vniuerſo, lib. 3. cap. 26. n. 21.* Cardin. de Lugo *de iuſt. diſp. 4. ſect. 3. n. 38.* Molina *de iuſt. tract. 2. diſp. 146.* Nauarrus, Azor, Bonacina, Coninch, Hieronimus Garcia, & alij, quos citat, & ſequitur Doctor Garſi *in qq. moral, cent. 1. cap. 84. num. 6.* qui optimè id probat. 1. Quia nullum ius Eccleſiaſticum eſt, quo aliud decernatur, & ius naturale, & diuinum ſolùm præcipiunt, vt eiuſmodi bona Eccleſiaſtica, vt Dei bona ipſi dicata diſtribuantur, vt dixi §. 1. *num.* 8. Dei autem voluntas, & amor omnes amplectitur, & æqualis eſt omnium fidelium conditio, ſi omnes cuiuſcũque ſint loci, vel Diœceſis, omnium locorum, & Diœceſum bona æquè poſsint participare; nulli ergo ex hac facultate diſtribuendi fit præiudiciũ. 2. Quia pauperes loci, vel Diœceſis ius maius non habent ad reſiduum poſt congruam ſuſtentationem, quàm ad fructus, quos ex omiſsione recitationis Horarum tenetur Beneficiarius reſtituere; quinimò longe minus, quia hos non facit iſte ſuos, vt ex Concilio Lateranenſi, & ex Pio V. ſancitum habemus, ſecus illos, vt conſtat ex dictis *q. 6.* vbi eorum dominium adquirere probauimus. Atqui reſtitutio fructuum ex omiſsione Horarum poteſt fieri pauperibus alterius loci, vt obſeruant Trullench *in Bulla, lib. 3. caſ. 2. num. 3. & lib. 1. Decalog. cap. 7. dub. 26. num. 4.* cũ Fauſto & Fernandez, & cum Villalobos, Nauarro, Leſsio, & Quintana-Dueñas, Doctor Garſi *ſuprà numer. 8.* & Diana *1. part. tract. 12. reſ. 16.* Quia Concilium Lateranenſe, ſub Leone X. §. *Statuimus*, & Pius V. in Bulla, quæ incipit *ex proximo Lateranenſi* ingenere loquuntur, dum fructuum reſtitutionẽ præcipiunt. Ergo idem, propter eandem omnino rationem, ex iure naturali, & diuino hauſtam, in noſtro caſu dicendum eſt.

35 Ex dictis probabilis fit opinio, quam tenet cum Thuſco, & alijs Homobonus *in conſult. moral. vol. 2. part. 5. reſp. 29.* & probabilem cenſent Diana *part. 4. tract. 4. reſ. 140.* & cum Azor *tom. 2. part. 2. capit. 10.* Ioſeph Garſi *ſuprà num. 11.* nempè aſſerens, quod ſi teſtator relinquat, bona aliqua pauperibus erogãda, ni aliud exprimat, nec inſinuauerit, poſſe quibuslibet, etiam alterius loci, vel Diœceſis, erogari. Ex hac enim facultate diſtribuendi, omnes cuiuslibet loci pauperes æqualem fructũ percipere poſſunt: ac proinde cùm æqua ſit omnium conditio, nulli fit præiudicium, quod enim ex huius loci teſtamento minus habent in hoc euentu; in alio, ex teſtamento alterius duplicatum forſan percipient. Congruum que eſt, vt inter bona, hæc temporalia, quæ charitas, & miſericordia diſtribuunt, participatio illa, quam in bonis operibus fidelium fides nos edocet, reperiatur: Et ita tenendum vbi ius poſitiuum non reſiſtat, de quo iuris periti conſulendi, licèt pro foro externo, ni aliud exprimat, intelligi tantùm, & exponi poſsit.

§. VIII.

§. VIII.

Dubium incidens.

36 OCCASIONE Doctrinæ, nûmero præcedenti, vt probabilis iacta: inquires; an cùm teſtator Orfanis Matritenſibus maritandis annua legata reliquit, poſsit Eminentiſsimus Cardinalis Archiepiſcopus Toletanus diſpenſare, vt vna, vel altera vice, ex iuſta cauſa, applicari poſſint pro aliqua alterius oppidi nobili Orfana dotanda; ne inupta maneat, & expoſita periculo iacturæ pudicitiæ, & honoris? Ratio dubitandi, cuique obuia eſt; quia eiuſmodi diſtributio planè cederet in præiudicium Orfanarum Matritenſium, quibus ex teſtamento ius ad rem, mediante Patroni voluntate, conferendam, eſt adquiſitum.

37 Nihilominus probabile cenſeo, Prælatum ex interpretatiua teſtatoris voluntate poſſe legatum, vt ſuprà commutare. Ratio deſumitur ex communi Doctorum ſententia aſſerente, poſſe Epiſcopum commutare legatum, in opus æquale, aut magis pium, ob iuſtam cauſam; etiam, quando voluntas teſtatoris poteſt impleri in propria ſpecie, tàm de iure, quàm de facto. Pro qua opinione, nullum excipiendo legatum, Angelus Maria Vitricelli, quinque ſuprà viginti Doctores refert, & ſequitur *tom. 1. quæſtionum, tract. 1. q. 17.* Quorum plures ex primis noſtri ſæculi ſunt, Vazquez *opuſ. de teſtamentis, cap. 8. §. 5. dub. 3. numer. 104.* Thomas Sanchez *tom. 2. Conſiliorum, lib. 4. cap. 2. dub. 7. num. 4.* Diana *2. part. tract. 3. Miſcel. reſ. 26.* apud quos multi alij, qui nullum, vt dixi excipientes legatum ad pias cauſas; docent poſſe Epiſcopum, maximè cum conſenſu Patroni, illud commutare. Credibile autem non eſt difficultatem, ex aliorum præiudicio, quandoque ſubortam, illis non occurriſſe.

38 Comprobatur ratione, qua citati Authores vtuntur, ad præfatam communem ſententiam ſuadendam. Verricelli vbi ſuprà. [Opinio, inquit, affirmans, quæ communior, ac probabilior eſt, probatur: quia commutando in opus æquale, aut magis pium, Epiſcopus non infringit, ſed interpretatur teſtatoris voluntatem; Ergo poteſt Epiſcopus commutare.] Antoninus Diana ſuprà. [Sic enim commutando ſeruant, non explicitam, & formalem, ſed virtualem, & interpretatiuam diſpoſitionem teſtatoris.] Paulus Commitolus *in Reſp. Caſuum. lib. 7. q. 9.* [Seruatur igitur voluntas teſtatoris non explicita, expreſſa, & formalis; ſed virtualis, & interpretatiua, vt Theologicè dicam.] Ex quibus ſic argumentum eformo. Quando legatum commutatur in opus æquale, vel magis pium, & ex iuſta cauſa, ſeruatur voluntas interpretatiua teſtatoris, ſed quamuis legatum relictum pauperibus vnius oppidi, ex iuſta cauſa conferatur pauperibus alterius loci, commutatur legatum in opus æquale, vel magis pium. Ergo ſeruatur voluntas interpretatiua teſtatoris. Ergo poteſt Epiſcopus commutare.

39 Secundum, & vrgentius noſtræ ſententiæ fundamentum deſumitur ex Doctoribus, qui loquuntur in terminis de commutatione legati, in præiudicium tertiæ perſonæ. P. Bauni *tom. 3. libr. 2. de contractibus, tract. 9. de teſtamentis, q. 31.* [Epiſcopo, inquit, eſt in piarum voluntatum diſpoſitione licitum, quantum teſtator liceret, ſi adhuc in viuis eſſet; ſed, quæ pauperi vni cuipiam teſtator dare ſecum conſtituit, ea, mutato ex cauſa conſilio, conferre poteſt alteri; Ergo, & Epiſcopus.] Hæc ille: Pro qua opinione adducit Patrem Vazquez, Graffium, Angelum, Armillam, & alios reſpondens capitibus iuris, quæ contra obijci poſſunt.

40 Citatis adde alios apud Syluestrum *verb. Legatum 4. num. 14.* vbi ſic ait. [Decimoquartò quæritur. [Vtrùm legatum factum pro conſtruendo hoſpitali, poſsit per hæredes mutari in ædificationem Monaſterij Religioſorum? Ioannes Andreas, cum quibuſdam iuris conſultis conſuluit, quod ſic, cum licentia Epiſcopi: quia qui melius facit, non aliud, ſed idem facit.] Eamdem ſententiam defendit S. Antoninus, apud Syluestrum, vbi iuris capitibus comprobatur. Et *num. 11.* inquirens, [vtrum legatum ad certum vſum poſsit in alium conuerti.] Exemplum adhibet. [Quando, quis legabit, vt Monaſterium fiat in tali Diœceſi, & iure, & facto poteſt impleri.] Et *num. 12.* quærens [cuius authoritate fieri poſsit commutatio? Reſpondet his verbis. [Dicit Petrus de Perù, quod ſi non ſubeſt cauſa, ſolum Papa poteſt, ſi verò ſubeſt cauſa legitima, poteſt Diœceſanus, etiam ſi poſsit impleri de facto, & de iure.] Et infrà addit poſſe etiam commutare [in alium vſum pium, in dubio, an cauſa ſit legitima necne.] Pro quo citat alios Doctores, quibus adde Tabienam *in ſumma, verb. Legatum 2. num. 12. & 17.*

41 Ex dictis conſtat, Epiſcopum, etiam cum præiudicio tertij, poſſe in Legatis ad pias cauſas commutationem facere in æquale, vel magis pium. Si quidem iuxta Doctores citatos, legatum relictum cuidam pauperi determinatè, poteſt alteri per commutationem conferri, & quod relinquitur hoſpitali edificando pro pauperibus mendicis commutari poteſt in Conuentum Religioſorum conſtruendum: Et quod relinquitur ad fundatio-

tionem Monaſterij in vna Diœceſi, conuerti poteſt in fundationem in alia, vel in aliud opus pium; in his enim omnibus certiſsimum eſt damnum tertij interuenire.

42 Tertium, & vltimum fundamentum eſt, quia Epiſcopus poteſt in ſua Diœceſi, quidquid Papa in tota Eccleſia, niſi ei ſit ſpecialiter prohibitum, vt docent Victoria, Sotus, Vera-Cruz, Aragon, Perez, Henriquez, & alij, quos citatos ſequuntur, & cum alijs Thomas Sanchez *libr. 1. de matrim. diſp. 61. num. 3.* & Bauni *tom. 1. de Sacramentis, tract. 12. quæſt. 5. fol. 754.* Sed ſic eſt, quòd Pontifex ex iuſta cauſa commutare poteſt vnum legatum pium in aliud æquale, etiam cum præiudicio tertij, vt docent communiter Theologi; Ergo Epiſcopus in ſua Diœceſi, id etiam poterit, ſi non ſit illi prohibitum à iure. Quod prohibitum non eſſe, quando iuſta cauſa concurrit, conſtat ex Authoribus citatis, quorum aliqui abſolutè nulla adhibita limitatione, prædictam concluſionem defendunt, alij verò in terminis de commutatione in præiudicium tertij.

43 Hæc ſunt fundamenta, quæ concluſionem noſtram probabilem efficiunt.

(.?.)

F I N I S.

IN-

INDEX RERVM
QVÆ IN HAC SECVNDA PARTE
continentur.

A.

Abſolutio.

BEatiſsima Virgo abſolutionem Sacramentalem nunquam recepit, tr. 3. diſp. 2. q. 3. n. 3. & ſeq.
Ab eiſdem peccatis multoties confeſsis poteſt pœnitens multoties abſolvi, ibi n. 7.
An abſolvendus, qui de ſola reſiſtentia diuinarum inſpirationum ſe accuſat? ibi n. 1.
Abſolvi poteſt, & debet, qui habet opinionem probabilem excuſantem à peccato, licèt confeſſarius contrariam teneat, tr. 1. q. 3. num. 7.
An abſolutio negari aliquando poſsit nolenti complicem reuelare? tr. 3. diſp. q. 2.

Authoritas.

Authoritas vnius Doctoris, quando ſufficiat ad eius opinionem in praxi ſequendam? tr 1. q. 7. n. 9. & ſeq.
Viri docti authoritas non eſt regula infallibilis morum, ibi n. 17. & ſeq.

B.

Baptiſmus.

AN Cum periculo vitæ tenearis infanti Baptiſmum miniſtrare? tr. 3. diſp. 3. q. 3. n. 36. & 42. & ſeq. vbi plura de Baptiſmo.
Infamia puellæ, an excuſet ab obligatione ſe prodendi, quando infans ſine Baptiſmo eſt deceſſurus? ibi n. 30.

Baronius.

Baronius retractat opinionem de obligatione eligendi tutiorem, tract. 2. diſp. 2. q 4. num. 11.
Animadverſiones nonnullæ in Baronium. Prima circa ebrietatem, tr. 5. quæſt. 7. num. 8 Secunda circa montes pietatis, tr. 6. diſp. 1. q. 3. num. 20. Tertia circa irregularitatem petentis arma ad occiſionem, tract. 6. diſp. 4. q. 6. num. 15. Quarta circa ea, quæ licent in extrema neceſsitate, tract. 6. diſp. 4. quæſt. 6. num. 26. Quinta circa neceſsitatem fidei explicitæ de myſterijs Incarnationis, & Trinitatis, tract. 6. diſp. 5. q. 1. num. 20.
Bellum, tr. 6. diſp. 4. q. 1. n. 8.

Beneficiarius.

Vide *Reſtitutio. Eleemoſyna. Hore.*

Bona.

Vide *Donatio. Reſtitutio.*

C.

Communio.

COmmunio quotidiana, an omnibus in gratia exiſtentibus conſulenda? tr. 4. quæſt. 2.
Communionis præceptum eſt diuinum, tr. 4 q. 3. n. 2. An, & communicandi in articulo mortis? ibi nu. 3. Quid de Eccleſiaſtico præcepto? ibi n. 5.
An infantibus, qui confeſsionis capaces fuerint, communio conferenda ſit? num. 7. & ſeq.

Compenſatio.

Non eſt licita in toto debito, quando non eſt certum: benè tamen in parte u eſt probabile, tr. 6. diſp. 4 q. 1. n. 5.
Non licet compenſatio cum præiudicio aliorum creditorum, ibi q. 2. n. 7.
Famulis quandoque licet occulta compenſatio, ibi q. 3.
Epiſcopi, & Beneficiarij, qui bona patrimonialia in ſuſtentationem congruam, vel in eleemoſynas expenderunt; poſſunt tantundem ex reditibus Eccleſiaſticis ad alios vſus, ſibi compenſare, tract. 6. diſp 6. quæſt. 2. num. 19. & ſeq.

Conceptio.

Beatiſsimæ Virginis Conceptionem, an ſentire liceat fuiſſe maculatam? tr. 1. q. 2. n. 16.

56.& 18. Quid ſenſerit Mercorus? ibi à nu. 14. Quid Eminentiſsimus Cardinalis Nidardus? n.16.
Elogium in concionibus dari ſolitum omittere, eſt mortale, tr. 5.q.1.

Confeſſarius.

Vide *Denunciatio.*

An liceat confeſſario interrogare pœnitentem de complice, tr.3.diſp.3.q.1.
Poteſt aliquando non abſolvere pœnitẽtem nolentem reuelare complicem, ibi q. 2.
An poſsit negare ſuffragium indigno per confeſsionem noto? ibi q.3.
An poſsit vti notitia confeſsionis, ad graue malum, ſibi imminens vitandum? ibi numer.18.
Confeſſarius non vt Medicus, ſed vt iudex, ad pœnitentiam adimplendam obligat, tr.3.diſp.4.q.4.n 7.& ſeq.

Confeſsio.

Confeſsionis præceptum, an diuturnum? tr.3.q.2. Quo tempore obliget? ibi q.3. Qua ætate? q.12.n.5.& ſeq.
An ſit obligatio præveniendi confeſsionem, ante tempus præcepti? tr.3. diſp.1.q.7. num.1.
Confeſsionis integritas ſub præcepto purè humano cadere non poteſt, ibi q.8.
An liceat confiteri homini, quem ex ſola confeſsione Sacramentali ipſius, noui non eſſe Sacerdotem? tract.3 diſp.3.quæſt. 3. numer.18.
Confiteri in ſcriptis Sacerdoti præſenti, non eſt prohibitum, tract.3.diſp.1.q. 9. Imò aliquando eſt obligatorium, ibi quæſt. 10. n. 8.
Pœnitens, an aliquando teneatur per interpretem confiteri? ibi q.10.
Per confeſsionem invalidam præceptum confeſsionis non adimpletur, ſecus per informem, ſi admittatur, ibi q.11.
Senes non excuſantur à præceptis confeſsionis, & communionis, ibi quæſt.12.numer.7.

Conſcientia.

Quo ſenſu errare nequeat? tract.1.quæſt.9. num 28.& ſeq.
Conſcientia erronea invincibilis, non ſolùm ſufficit ad declinandum à malo, ſed ad faciendum bonum, ibi n.34.
Quo dictamine conſiſtat conſcientia? & denominationem rectæ ſortiatur? ibi numer.41.

Contractus.

Non eſt validus deficiente interno conſenſu, quamvis ſigno externo ſignificetur, tr.6.diſp.1.q.1.
Contractum vtrinque obligatorium celebrare, abſque vero conſenſu, eſt mortale; ibidem num.4.& teneris poſtea ſupplere, num. 6.& ſeq.

D.

Debitum.

Debita immatura abſque difficultate exigibilia nequeunt anticipatè minoris emi, tr.6.diſp.1.q.3.n.25.
Debitor, qui non eſt ſolvendo, an teneatur hæreditatem, vel legatum acceptare, vt ſolvat? tr.6.diſp.4.q.5.
An ſi repudiauerit, poſsit alius abſque peccato ſuccedere? ibi.
An debitor, qui non eſt ſolvendo poſsit aliquas donationes liberales facere, tract.6. diſp.4.q.5.num.11.

Debitum coniugale.

An liceat viro à copula ſe retrahere, cùm ſola vxor ſeminauerit? tract. 4. quæſt. 5. per totam.
Quid de copula inter ſolutos? ibi numer. 23.& 24.

Denunciatio.

An ſit denunciandus confeſſarius, ſi nullá præcedat infamia? tract.3.diſp.5.q.1. per totam.
Perſona ſolicitata non excuſatur ab obligatione denunciandi, licèt confeſſario ſolicitari confiteatur, ibi q.2.n 2.
An correctio fraterna ſit præmittenda ad denunciationem? ibi n.12.
An confeſſarius iam emendatus denunciandus ſit? ibi n.7.& 29.
Quando cenſeatur emendatus? ibi n.8.
An probabilis timor grauis damni ſibi, vel ſuis excuſet à denunciando? ibi n.22.
Quid de illis, qui ab ipſo confeſſario exceperunt ſolicitationem ab ipſo factam? ibidem.
Quid de amicis, & conſanguineis ipſius confeſſarij? ibi n.27.& 29.

Quid

Digitized by Google

Quid de hæretici denuntiatione? ibi num. 23. & 31.

Donatio.

An donatio facta abſenti ſit valida, ante illius acceptationem? tract. 6. diſp. 4. quæſt. 7. num. 1.
An ſi acceptatio fiat poſt mortem donantis, ſit ſufficiens? ibi n. 2.
Quid ſi non donatio, ſed iuſsio donandi præceſsit? num. 4. & 5. Quid in caſu dubij? num. 8.
An ſi deferens rem donatam culpabiliter retineat, vſque ad mortem donantis, teneatur eius hæredibus reddere? an donatario? an vtriſque? ibi num. 9.

E.

Ebrietas.

AN Ob ſalutem recuperandam liceat? tract. 5. q. 6.
An etiam ad vitandam mortem ſecus ab altero comminatam? ibi num. 9. & ſeq.
An ex eodem fine liceat authorem mortis comminatæ inebriare? ibi q. 7.

Eccleſiaſtici.

VI directiua tenentur legibus ciuilibus obedire. tr. 5. q. 4.
An etiam vi coactiua? ibi numero 7. & 10.
An directè, & ſub culpa graui? num. 11. & 12.
Eccleſiaſtici, etiam ſi Epiſcopi regulares reddituum Beneficiorum dominium retinent. tract. 6. diſp. 6. q. 1.

Eleemoſyna.

In communibus pauperum neceſsitatibus, tenentur Eccleſiaſtici ex reditibus Beneficiorum eleemoſynas facere. tr. 6. diſp. 6. quæſt. 2. n. 3. An ex iure diuino? ibi n. 4.
An totum reſiduum ex congrua ſuſtentatione elargiri teneantur? ibi n. 12. & ſeq.
Quid veniat nomine congruæ ſuſtentationis? ibi n. 16.
An Epiſcopis, & Beneficiarijs liceat conſanguineos ditare? ibi n. 19. Ex quibus bonis? num. 20. & 21.
An ex reſiduo penſionum Eccleſiaſticarum, & Commendarum Militarium? ibi num. 23. & ſeq.
Quid de bonis patrimonialibus? ibi n. 29.
An eleemoſynæ ſint neceſſario diſtribuendæ inter pauperes Diœceſis, vel loci Beneficij? ibi num. 34.
Quid de bonis ex teſtamento pauperibus relictis? ibi n. 35. & ſeq.

Emptio.

Vide *Debita.*

Merces vltroneæ infrà iuſtũ pretium quanti emi poſsint? tr. 6. diſp. 1. q. 3. n. 29.
An merces ſummo pretio credito venditæ, poſsint infimo numerata pecunia ſtatim redimi? ibi q. 4.

Epiſcopi.

Vide *Compenſatio. Eccleſiaſtici. Eleemoſyna.*

Euchariſtia.

Vide *Communio.*

Qui accedit ad Euchariſtiam cenſens probabiliter ſe rectè diſpoſitum, certò iudicare poteſt, non peccare, tract. 1. quæſt. 9. numer. 32.

Excommunicatio.

Minori excommunicatione ligatus nequit licitè ſacramenta conficere; non tamen incurret irregularitatem, nec culpam grauem. tr. 5. q. 2. num. 2. & 9. Secus ſi ſacramenta recipiat, ibi num. 12.
Grauiter etiam peccabit, ſi Diaconatum, vel Subdiaconatum, vel Epiſcopatum non abſolutus à minori excommunicatione recipiat. ibi n. 13. & 14.
Item ſi Matrimonium, etiam per procuratorem contrahat. ibi num. 15.
Si minori excommunicatione ligatus ad beneficium eligatur à ſcientibus excommunicationem, electio eſt irritanda. tr. 5. quæſt. 3. num. 3.
Extrema neceſsitas. vide tract. 6. diſp. 4. quæſt. 6. §. 2. & 3. & tr. 3. diſp. 3. quæſt. 3. numer. 35.

F.

Fama.

FAmæ renunciatio, an liceat? tract. 2. diſp. 1. quæſt. 7. num. 15.
Famæ, & vitæ iactura æquiparantur. tract. 3. diſp. 3. q. 3. num. 40.

Famuli.

Vide *Compenſatio.*

Fides.

Fides explicita de myſterijs Incarnationis,& Trinitatis,non eſt , neceſsitate medii neceſſaria ad ſalutem,ſed ſolius præcepti.tr. 6.diſp.5.q.1.n.4.& ſeq.

Fides , quæ eſt neceſſaria ad obtinendam gloriam,eſt etiam ad gratiam ibi n.25.

Fides explicita Dei, vt remuneratoris eſt neceſſaria ad ſalutem,neceſsitate medij.numer 22 & 23.

Quid ſit evidentia credibilitatis ad perfectum fidei actum requiſita?tr.6.diſp.5.q.2.n. 3.& ſeq.

Quæ debeant concurrere , vt infidelis teneatur ad fidem ſe convertere?ibi n.18.

Infidelis, cui probabilior tantùm apparet Religio Catholica, quàm ſua ſecta , evidentiam credibilitatis,non habet.ibi numer.16. & ſeq.

Si in articulo mortis ſecuriorem cenſeat tenetur ad fidem ſe convertere. ibi num. 21.

Filius.

Filij naturalis,& ſpurij,qua ratiòne parẽtibus ſuccedant?tr.3.diſp.2.q.2.

An ſpurij poſsint,ex donatione , à patre aliquid recipere ? An ſaltem à cognatis? ibi num.12.& ſeq.

H

Hæreticus.

Vide *Abſolutio. Denunciatio.*

Homicidium.

NON Licèt vxorem in adulterio deprehenſam occidere.tract.6.diſp.3.q. 1.num.4.

Quid ſi adulterium imminens nequeat vitari , quin occidatur vxor , vel adulter? ibi quæſt.2.

An fugientem,poſt impactam alapam, liceat tibi occidere?ibi q.1.n.13.

An liceat occidere verba iniurioſa proferentem,ſi aliter coerceri nequeat ? ibi tract. 6 diſp.3 q.3.n.5 & 10.

An, vt invaſorem honoris occidere liceat, opus ſit,quòd vitæ etiam iactura , ſecus facienda ſit?ibi q.4.

Non licèt occidere minantem ſpargere grauia de te crimina ; vel de tua Religione. ibi q.3.n.25.& 26.

Similiter, neque iniuſtum accuſatorem falſos teſtes , neque Iudicem , à quo iniqua certò imminet ſententia. ibi numer. 24. & ſeq.

Horæ.

Horas Canonicas,an teneatur prævenire, qui tempore deſignato recitare non poterit? tr.3.diſp.1.q.7.n.7.

An cæcus,qui Horas Canonicas memòria retinet,teneatur rècitare ? ibi num.9.&q.6. num.17.

An infirmi? ibi q.7.num.12.

Moniales , & Religioſos nondum in Sacris,non teneri extra chorum recitare ; probabile eſt.tr.2.diſp.1.q.6.n.7.

Qua ætate recitare teneatur diſpenſatus ad Beneficium,aut Capellaniam collatiuam? ibi num.14.

Beneficiarij, & penſionarij non recitantes tenentur ante iudicis ſententiam fructus malè perceptos reſtituere.ibi n.17.

I.

Ieiunium.

NAturale ieiunium ſumptione Euchariſtiæ non frangitur. tract. 4. quæſt.1. num.7.

Non datur paruitas materiæ in ieiunio naturali.ibi n.12.

Qui plures hoſtias ad diuturnam conſeruationem Chriſti Domini in ſtomaco aſſumeret,non frangerèt naturale ieiunium, ſecus,ſi ad extinguendam famem.ibi num. 17. & 18.

Aquæ potum,& quod ſumitur per modũ medicinæ ieiunium naturalè frangere , certiſsimum eſt.ibi n.15.& 21.

Qui in prima Natiuitatis Miſſa aquã pro vino conſecratam ſumpſiſſet, non poſſet reliquas celebrare.ibi n.22.

An frangatur naturale ieiunium traiectione alicuius per modum ſaliuæ abſque advertentia?ibi n.13.& 14.

Si reliquiæ ciborum , quæ ex antecedentĩ die dentibus hærent, advertenter deglutiantur,ieiunium naturale frangitur.ibi n 24.

Quid de alijs non nutritiuis ? ibi num.25. & ſeq.

Ignorantia.

Ignorantia invincibilis , quæ ſit? tr. 1.q.5. num. 29 & ſeq.

Diuerſa eſt ignorantia, quæ eſt peccatum ab illa,quæ eſt in pœnam peccati.ibi.

Indul-

Indulgentia.

Quando indulgentia eleemoſynam, aut orationem indefinitè exigit, qualiber, etſi leui, aut breui lucratur. tract.3.diſp.4.quæſt.6. num.1.& 7.

Quæ cauſa requiratur ad conceſsionem indulgentiæ? ibi n.4.

Quid Sotus ſenſerit circa indulgētias grano conceſſas? ibi n.6.

Opera ad lucrandam indulgentiam requiſita, an debeant eſſe moraliter bona? ibi q.7.

Confeſsio ſi fuerit inualida non eſt ſufficiens ad indulgentiam lucrandam, ſecus ſi tantùm informis. ibi n.9.

Peccatum celebrantis pro Anima Purgatorij non impedit effectum indulgentiæ illi applicatæ. ibi.

Qui lucratur Indulgentiam plenariam, nō tenetur adimplere pœnitentiam à confeſſario iniunctam. tract.3.diſp.4. quæſt. 4. n.18.

Quæ indulgentiæ Regularibus maneant poſt reuocationem Pauli V. anno 1606. tr.3. diſp.4.q.8.

Quot annis detineantur animæ in Purgatorio? ibi num. 26.

An opera, pro Anima Purgatorij, applicari debeant, prius quàm fiant? ibi n.27.

Vtrùm indulgentiam lucretur, qui opus requiſitum efficiens illam ignorat? ibi n 30.

Vtrùm indulgentiæ Bullæ Cruciatæ toties quoties lucrentur, & quid de duplici Bulla, ibi diſp.4.quæſt. 9.

Infamia.

Futura puellæ, an excuſet ab obligatione ſe prodendi, ſi aliter infans ſine Baptiſmo eſt deceſurus? tr.3.diſp.3.q.3.num.30.

Infans.

Vide *Baptiſmus. Euchariſtia.*

Infidelis, vide *Fides.*

Infirmus, vide *Horæ.*

Inquiſitor.

Quid poſsint Domini Inquiſitores circa abſolutionem ab hæreſi? tract.3.diſp.2.q.1.

Irregularitas.

An irregularitatem incurrat, qui præbet arma petenti ad homicidium? tr.6. diſp.4.q.6.num.14.& 22.

Intellectus.

Poteſt ex imperio voluntatis parti minus probabili aſſentiri. tr.1.q.7.n.29.& 38.

Iudex.

Ad quid teneatur, quando vtrique parti litiganti eſt probabile ius ad rem? tr. 6.diſp.4. q.1.num.19.

Iudicium.

Iudicium certum, & euidens de vitando peccato eſt neceſſarium ad licitè operandū. tr.1.q.8.n.1.

Hoc iudicium non ex probabilibus præmiſsis, ſed ex certis, & euidentibus elicitur. ibi q.9.n.27.

Iuramentum.

An iuraturus, quod putat eſſe verum, induci ad id poſsit ab ſciente eſſe falſum? tr.2. diſp.1.q 7.n.2.

Ad deponendum in iudicio, quæ notitia ſit neceſſaria? ibi n.8.

Quæ requiratur ad iuramentum deponendum in informationibus de nobilitate, aut puritate ſanguinis? ibi n.11.& ſeq.

L.

Libertas.

Libertatis poſſeſsio ſufficit ad deponendum dubium practicum, circa licitum. tr.1.q.5.

Legatum.

Vide *Teſtamentum.*

An valeat ſi cauſa legandi non ſubſiſtat? tr.6.diſp.1.q.2.n.8.

Lex.

Legibus ciuilibus ſubijciuntur Eccleſiaſtici directiuè. tr.5.q.4. Vbi an ſub culpa graui? n.18.

Ludus.

Ludentes ludo prohibito, an ſoluere teneantur? tr.6.diſp.2.q 1.

Quid de ludentibus pecunia credita? ibi quæſt.2.

Quid ſi Beneficio legis renuntiauerint? ibi num.4.

An qui credito ludit, cum ludente pecunia præſenti habens animum non ſoluendi, poſſit lucrari? ibi q.3.n 9.

An qui ſoluit, quod Beneficio legis vtens poterat non ſoluiſſe, poſsit occultè recuperare ſolutum? tr.6.diſp.2.q.4.

Quid

Digitized by Google

Quid in ludo poſsint exponere Religioſi? tr.6.diſp.4.q.4 n.20.
An maiorem quantitatem lucrari poſsint, quam perdere ibi n.29.
Leges prohibentes alearum ludum, quam obligationem Clericis,&Religioſis inducāt? ibi n.25.& ſeq.

M.

Malitia.

MAlitia materialis non tranſit in formalem, licèt maior probabilitas partis cōtrariæ ſimul proponatur.tr.1.q 9.n.22

Maria.

Beatæ Mariæ Virginis Immaculata conceptio.tr.1.q.2.n.8 & ſeq.& tr.5.q.1.

Mater.

An Matri liceat ſe viuam ſecari permittere, vt infans vi extractus baptizari poſsit, aliàs periturus tr.3.diſp.3.q.3.n.42.
An à iudice id poſsit præcipi,ſi ad mortem fuiſſet damnata?ibi n.43.

Miſſa.

Miſſæ præcepto ſatisfacit, qui ex fine grauiter peccaminoſo aſsiſtit,aliàs non adſtiturus tr.2 diſp.2.q.1.
Qua ratione intelligatur præceptum de audienda integra Miſſa ? ibi q.2.n.1.& q.3 num.22.
An integram ab eodem Sacerdote audire tenearis,an ſufficiat a diuerſis in eodem, vel diuerſo tempore celebrantibus?ibi q.3.
Quæ attentio ſit neceſſaria?ibi n.21.
Quo ſtipendio celebranda?ibi diſp.q.4.
Religioſus oneri Miſſarum impotens ſatisfacere,ad quid teneatur?ibi q.4.n.15.
An qui vnico ſtipendio accepto ſatisfacit pro vna Miſſa,poſsit eadem alterum Sacerdotem pauperem eximere ab obligatione celebrandi pro ſimili ſtipendio, quod recepit? ibi n.16.
Montes pietatis eſſe licitos, dubitari non poteſt.tr.6.diſp.1.q.3.n.12.& ſeq.

Mutuum.

Ob periculum probabile amittendi ſortem,licitum eſt aliquid ſupra illam exigere. tr.6.diſp.1.q.3 & ſimiliter ratione lucri ceſſantis.ibidem n.31.

O.

Opinio.

Opinionis probabilis diffinitiones variæ. tr.1 q.1.
Vbi quomodo intelligendus Ariſtoteles. n.6.& ſeq.
Duæ opiniones contrariæ poſſunt eſſe ſimul practicè probabiles ibi q.2.
Opinione propria,vt probabiliori retenta,licitum eſt Theologo,vel confeſſario,iuxta alienam practicè probabilem conſulere, vel abſolvere.ibi q.3.
Quid ſi aliorum opinionem cenſeat improbabilem?ibi n.17.& 30.
Quid operetur præceptum ſuperioris contra opinionem ſubditi?ibi q.3.n 8.
Opinionis probabilitas practica rectè cohæret cum eius falſitate.ibi q.2.n 6.
Diligentia pro invenienda veritate opinionis qualis eſſe debeat.tr.1.q.5.a n. 9.
Ad rectè operandum requiritur iudicium certum de licito, ſeu de probabilitate opinionis.ibi q.7.n.22.&q.8 n.1.
Opinio ex principiis directis probabilis, prodit ex indirectis probabilior contraria.q.7.n.27.& ſeq.
Opinioni minus probabili in præſentia probabilioris poteſt intellectus aſſentiri ex imperio voluntatis,q.7.n.29 & 38. Vbi ex quo motiuo.n.31.
Opinionem probabilem practicè licèt eligere,& ſi minus tutam, minuſque probabilē contraria,tr.1.q.6.per totam.
Opinio Antonij Cella-Dei conſultationibus viam claudit. ibi q.7.n.4.& 5.
Ad extrinſecam probabilitatem, quæ authoritas ſufficiat?ibi n.9.& ſeq.
Opinio probabilis falſa, qua ratione eſſe poſsit recta regula obiectiua morum? q 9.n. 49.52.& 53.
Opiniones practicè probabiles ſunt æque tutæ,licèt aliæ alijs probabiliores. tr. 1.q.10.
Sententia communis de licita electione minus probabilis non dependet à facultate intellectus ad aſſentiendum parti minus probabili.ibi q.7.n.28.& 40.
Dum infideli ſua ſecta apparet probabilis ad quid teneatur?tr.6.diſp.5.q.2.n.21.

P.

Parochus.

AN teneatur concionari per ſe,vel per alium? tr.2.q.2.
Penſio. Vide tr.2.diſput.1.q.3.num. 19. & ſeq.

Pœnitentia.

Vide *Satisfatio.*
Pœnitentiæ Sacramenti inſtitutio . tr.3. q.1.
An

Digitized by Google

An præceptum Confeſsionis ſit diuinum, an humanum? Ibi, quæſt.2. Quo tempore obliget?quæſt.3. Qua ætate?q.12.num.5.

Præceptum.

Præceptum Superioris cogit Subditum ad obedientiam, licèt contrariam opinionem, ipſe retineat, tract.1.quæſt.3.num.8.

Prudentia.

Prudentia eſt virtus intellectus practici, & ſemper vera, tract.1. quæſt.9. num.25. & 43.

R

Religio.

Vide *Ludus.*

RELIGIOSO Poteſt concedi licentia ad expendendum in genere, vel in ſpecie: & quid vna quæque operetur? tract.6. diſp.4.quæſt.4.num.7.

Epiſcopi Regulares æquè, ac cæteri ſuorum redituum dominium retinent, tract.6. diſp.6.quæſt.1.num.8.

Si ſuperior concedat Religioſo licentiam ad expendendum in vſus ſuperfluos, valida erit, ſed illicita, diſp.4.quæſt.4.num.11.

Quid efficere teneatur Religioſus, qui ſuſcepto ſtipendio, oneri Miſſarum nequit ſatisfacere?tract.2.diſp.2.quæſt.4.num.15.

Quibus Indulgentijs poſt reuocationem Pauli V. Religioſi potiantur? tract.6. diſp.4. quæſt.8.

Reſtitutio.

Sit ne licitum non reſtituere Domino cenſem, quo malè vſurus præuidetur? tract.6. diſp 4.quæſt.6.num.6.

Qui bona recepit à Beneficiario illicitè expendente, non tenetur reſtituere. tract.6. diſp.6.quæſt.1 num.9.

Non tenetur meretrix reſtituere Conuentui, quæ à turpi Religioſo recepit, tract.6. diſp.4.quæſt.4.num.7.& 8.

S

Sacramentum.

Vide *Excommunicatio.*

SACRAMENTA Ex fine venialiter malo recepta valida ſunt, & fructuoſa, tract.2.diſp.1.quæſt.1.num.4.

Satisfactio.

Sacramentalis ſatisfactio, an à Confeſſario ex præcepto iniungẽda? tr.3.diſp.4.q.1.& 2.

An ſub læthali adimplenda? Ibi, quæſt.2.

An per alium adimpleri poſsit? Ibi, q.3.

An ſi deficiente intentione adimplendi, fiat opus à confeſſario iniunctum, pœnitentia adimpleatur? Ibi, quæſt.5.

An pœnitentia medicinalis poſsit aliquando in pœnalem commutari? Ibi, quæſt. 1.num.10.& 16.

Scandalum.

An liceat locari domũ meretrici? tr.5.q.5.

Scriptura.

Scripturæ publicæ deperditæ ſimilem efficere, probabile eſt, non eſſe læthale, tract.6. diſp.1.quæſt.5.num.1.& 6.

An fingere litteras alieno nomine, fieri poſsit abſque culpa? Ibi, num.8.

Sigillum.

Vide *Confeſſarius. Confeſsio.*

Simonia.

An ſit Commendas Ordinum Militarium vendere? tract.6.diſp.6.quæſt.2.num.28.

Sit ne ſimonia conferre Beneficia propter preces? tract 2.diſp.1.quæſt.1.num.4. & ſeq.

An concionari ob pecuniam? Ibi.

Non eſt ſimonia caſus conſcientiæ pro pecunia reſoluere. Ibi, tract.2. diſp.1.q.1.n.27.

Quodnam pactum ſimoniam in Beneficijs cõſtituat? Ibi, q.3. vbi de pacto amicitiæ, n.18

Sacramenti, aut gratiæ emptio nequit eximi à labe ſimoniæ. Ibi, quæſt.5.

Species.

Speciebus panis, & vini corruptis, noua creatio materiæ, & formæ ſuccedit, tract.4. quæſt.1 num.6.

Statutum.

Statuta circa informationes de nobilitate, aut puritate ſanguinis, quam obligationẽ inducant? tract.2.diſp.1.q.7.num.11.& ſeq.

Stipendium.

Vide *Miſſa.*

Stipendium pro miniſterijs in Societate Ieſu recipere, eſt alumnis ex regula prohibitum. An etiam ex voto paupertatis? tract.6. diſp.4.quæſt.4.num.15.

Teſtamentum.

Legata annua ex teſtamento Orfanis vnius

loci maritandis, poteſt Epiſcopus ex iuſta cauſa alterius loci orfanis elargiri, tract.6. diſp.6 quæſt.2.num.36.& ſeq.

Quid hæres poſsit, ſi teſtator reliquerit pauperibus eroganda, nil aliud exprimens? ibi,num.35.

Teſtes.

Teſtes æquales numero, & dignitate, & ſi quoad ſententiam iudicis nihil probent, non tamen impediunt intellectum, ex imperio voluntatis, aſſentiri vni parti præ altera, tract 1.quæſt.7.num.41.

Timor.

Vide *Denunciatio.*

Timor grauis damni excuſat à peccato plures actiones, quæ aliàs illicitæ forent, tract.6.diſp.4.quæſt.6.num.22.& 23.

Vanagloria.

Vide *Simonia.*

Voluntas.

Duplex in Deo eſt concedenda, alia abſoluta, circa res, vt ſunt in ſe; alia ex ſuppoſitione erroris inuincibilis, tract.1. quæſt.9. num.45.& 54.

LAVS DEO.

tr

ANT 111 2112

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

I 116.

Digitized by Google

Digitized by Google